














Baril

XL

AMAM. ier

BIBL.



SIXTINI AMAMA FRISI
Literarum Ebraïcarum in Acad. Franekerana Professoris,

ANTI-BARBARUS BIBLICUS.

Libro quarto auctus.


Quorum primus ostendit VII. fontes omnis Barbariei quæ superioribus seculis sacras literas fœdavit: reliqui non solum exhibent centurias aliquot crassissimorum errorum qui circa particularium locorum interpretationem ex istis fontibus emanarunt, sed & compluribus locis Scripturæ facem allucent.

Accesserunt variæ dissertationes & orationes, nec non responsio ad censuras D. Martini Marsenni, Theologi Parisiensis.

Accessit & huic editioni ejusdem Commentariolus de Decimis Mosaicis.



FRANEQUERÆ,
Typis ISDARDI ALBERTI.
Sumptibus LUDOVICI & DANIELIS ELZEVIRIORUM. Anno 1656.



Illuſtriß. & præpotentibus DD. Potentiſſimorum.

HOLLANDIÆ
ET
VVEST-FRISIÆ
ORDINVM CONSILIARIIS.

NEC NON

Nobiliſſimis & Magnificis

DD. CVRATORIBVS
celeberrimæ Academiæ

LEIDENSIS,

DENIQVE

Ampliſſimis Spectatiſſimis



Inclytæ Reip. LEIDENSIS CONSULIBUS.

Æternam & temporalem felicitatem precatur S. A.

ILLUSTRISSIMI,
POTENTISSIMI,
NOBILISSIMI ET
AMPLISSIMI DOMINI,

NON est mihi propoſitum tempora veſtra longo præloquio morari. Neque opus eſt, ut de operis hujus argumento & meo ſcopo prolixe apud vos ſermociner, qui iſthoc labore in præfatione ad lectorem defunctus ſum. Inſpiciendum, non legendum vobis offero hunc meum Anti-barbarum, vobis, inquam, qui ante annos LVII. Academiam eum in finem fundaſtis, ut fœdum illud monſtrum, Barbariem, quæ immundo contactu & ſacra & Profana fœdaverat, propulſaretis. Ex eo ſacrum illud bellum, propitio numine cœptum, feliciter geſſiſtis, viros excellentiſſimos ex omnib. Europæ angulis, ductando huic exercitui, lucuſentis ſtipendiis vocaſtis, & Chriſtiano orbi feciſtis

ciſtis teſtatum, tutandæ purioris religionis & conſervandarum bonarum literarum ſtudium inter principes veſtras curas fuiſſe.

Qui ſcholas illuſtres & Academias pacatis & florentibus rebus aperuêre, plurimi ſunt. At, inter belli tubas, in maxima rerum vertigine, rebus propemodum deſperatis, nondum formata Republica, Academias fundare, propria Batavorum & Friſiorum laus eſt. Ex eo unitæ provinciæ in florentiſſimam Remp. aſſurrexere, & ab una Academia majus ſumſere incrementum, quam à legionibus aliquot robuſtiſſimis expectari potuiſſet. Hoc prævidebant, qui inter adverſarios noſtros πρόσσω καὶ ὀπίσσω videbant. Erant inter eos, queis ad præclari iſtius inſtituti famam

— παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμός.

Neque n. poterant ignorare, ex iſtis ſeminariis benè ordinatis nunquam vel Eccleſiæ pios & eruditos Paſtores, Reipublicæ cordatos & intelligentes gubernatores defore. Adhæc, ex hiſtoriis didicerant, nulla certiora indicia creſcentis vel inclinantis reipubli-

cæ eſſe, quam pietatis literarumque curam vel incuriam. Quo magis omnibus Scholarum illuſtrium & Academiarum Ephoris cavendum cenſeo, ne Academiæ, laxatis diſſolutæ juventuti frænis, ruptiſque licentiæ & ebrietatis aggeribus, in gymnaſia & officinas nequitiæ vertantur. Illud enim audebo dicere & ſcio mihi ſubſcripturos omnes pios & intelligentes, horrendas illas calamitates, quæ Germaniam nunc urgent, ab inordinatis Academiis magnam partem ortas eſſe. Sed non penetrabo altius in hoc pelagus. Cauſam unam dixi, cur hunc libellum VV.AA. inſpiciendum offeram. Altera me privatim ſpectàt. Quoties ego vel audio vel lego nomen veſtri LUGDUNI, quod ego ἥλιον καὶ ὀφθαλμὸν καὶ ψυχὴν Belgii vocitare ſoleo, toties recordor jucundiſſimæ iſtius vitæ, quam inibi ante annos XIV. agitavi: ſimulque animum ſubit recordatio honeſtiſſimæ vocationis, qua ante biennium à VV. AA. ad Ebrææ linguæ profeſſionem, quam magnus ille ERPENIUS immaturo ſuo exceſſu vacivam fecerat, vocabar. Equidem, quinam potiſſimum me VV. AA. commen-

men-

mendaverint, non ignoro. Attamen illud bona ipsorum pace dicere me cogit conscientia, illos plusculum amori & affectui dedisse. Ego enim præter voluntatem benè de φιλεβραίων juvenum, & quidem tironum, studiis merendi, nihil vobis repræsentassem. Fateor tamen, me, illorum judiciis corruptum, nec non loci amœnitate & splendore, Bibliothecæ publicæ & bibliopoliorum commoditate, amicorum denique, quos illic habeo plurimos, candore illectum, eo audentiæ processisse, ut reverendo viro, & de Ecclesiis Belgicis, vestraque adeo Academia optime merito, D. FESTO HOMMIO, SS. Th. Doctori &c. quem VV. AA. huc ablegaverant, operam meam addixerim, hac conditione, ab Illustribus Frisiæ Ordinibus & nobilissimis Academiæ patriæ Curatoribus mei dimissionem posset impetrare. Quam ut obtineret, nihil ille intentatum reliquit. Quid Illustres Frisię Ordines obtenderint, neque attinet hic dicere, neque vos, Illustrissimi & Nobilissimi Domini, ignoratis. Exinde vere nobilem, pium & reverendum virum, *D. Constantinum*

l'Em-

l'Empereur de Oppyk, SS Th. Doctorem, meum à multis retro annis conſecraneum & amicum conjunctiſsimum, virum orientalium literarum peritiſsimum, diligentiſsimum, & quod ſupra omnia iſta pono, diſciplinæ amantiſsimum, prudentiſsimo delectu vocaſtis. Quem ego virum juventuti veſtræ ex animo gratulor. Deumque O.M. veneror, ut eum juxta cum reliquis Academiæ veſtræ Profeſſoribus, viris celeberrimis, in multos annos ſoſpitet. Dixi alteram cauſam, cur hoc opuſculum VV. AA. inſcripſerim. Volui enim hoc extare tanquam pignus & teſtimonium gratitudinis & obſervantiæ, quam VV. AA. pro tam honeſto de me & ſtudiis meis judicio debeo. Accipite ergo, Viri Illuſtres, hoc quicquid eſt opellæ. Vtinam dicere poſſem, *operi*! Nam hoc VV. AA. debetur. Accipite hanc confeſſoriam, non liberatoriam tabellam. Tangite & tollite expoſitam hanc prolem, partum infirmum & informem, partem, inquam, primam mei Anti-barbari, quam veluti in guſtum damus & emittimus, tanquam ad incerta itinerum exploranda. Si pauci ho-

hostes, fidenter alteram educam in campum. Sin multi laquei & insidiæ, plane sedet animo meo, ex fidis silentii castris pedem non efferre. Finiam cum voto, ut Deus O.M. cujus virtute, non humana ope aut præsidio, hactenus vestra Respublica stetit, omnia consulta & facta vestra moderari ac rite secundare dignetur. Scribebam xx. Iunii, Anno Salvatoris nostri CIↃ IↃC XXVIII. Franekeræ Frisiorum.

Illustrium VV. DD. AA.
observantiss.

S. AMAMA.



IN
ANTI-BARBARUM
Clarissimi eximiique Viri,
SIXTINI AMAMA.



Mproba ma jorumque nata est tempore primum,
Babaries, nostro tempore pulsa fuit.
Græcia nata fuit: Latiæ crevere Camœnæ:
Quisque sua Musas fovit & auxit ope.
Nec summi procerum, nec Regum prona voluntas
Defuit, ex illis pars quoque nostra fuit.
Orta dies fuerat: sed quæ, vix orta, repente
Occidit, & noctem sentit adesse suam.
Has tenebras inter dubiæque crepuscula lucis,
Altera fax oritur, nec prius orta dies.
Sol oritur, Sixtine, tuus, quo vindice rursus
Barbaries cedit, quæ reditura fuit.
Nec tibi Phœbeam satis est decerpere laurum,
Quam Latium, vel quam Græcia docta colit:
Pectus Idumæo caluisti accensus amore,
Nobilior nulli lecta corona tua est.
Laurum alii sibi quisque gerant, tibi palma parata est.
Hanc Oriens soli servat, amice, tibi.

DANIEL HEINSIUS.

PRÆFATIO
AD LECTOREM,

Qua de operis argumento & ratione tituli differitur.

DAmus tibi, benevole Lector, Anti-barbari Biblici libros tres, totius operis partem primam, quorum primo, septem errores generales, ceu totidem omnis, quæ superioribus seculis sacras literas fœdavit, barbariei fontes, ostenduntur; reliquis duobus crassissimi aliquot errores & ineptæ interpretationes particularium Scripturæ locorum, quæ ex istis fontibus emanarunt, repræsentantur. Qua occasione multis sacræ paginæ locis facem allucemus. Secuti autem hic sumus ordinem librorum Biblicorum. Secundus enim liber circa Pentateuchum; Tertius circa libros historicos, Iobum, Psalmos, Proverbia, Koheleth, Canticum, & Ecclesiasticum (licet apochryphum) versatur. Atque ita substitimus ad Prophetarum vaticinia. Quod si Deus O. M. otium & valetudinem clementer porro indulserit & hunc laborem nostrum piis & eruditis viris probaverimus, dabimus brevi tres reliquos, quibus per Prophetarum & novi fœderis libros ibimus. Et quidem syllabum & lemmata eorum, quæ secundo tertioque libro continentur, indicis vicem, ad calcem tertii libri exhibuimus. Primum quod attinet, VII. errores generales, quorum jam jam meminimus, isti sunt. De operis argumento. Primi libri argumentum.

I. Græcam Interpretationem veteris fœderis, quæ LXX. Interpretibus vulgo adscribitur, esse θεόπνευστον. Pag. 1.

II. Vulgatam translationem Latinam utriusque fœderis, quæ vulgo B. Hieron. tribuitur, mentem Spiritus S. ubique examussim expressisse, eam esse authenticam,

cam, nulloque prætextu à Christianis rejici posse aut debere. p. 7.

III. Fontes seu originariam Scripturam hæreticorum & Judæorum malitia ita esse corruptam, ut non amplius norma Christianorum dogmatum esse possit. p. 7.

De duobus istis ὕστερον πρότερον egimus capitibus XIV. Namque tribus prioribus exhibuimus generalem defensionem Ebraïcæ & Græcæ veritatis, reliquis XI. detectum ivimus BONAM FIDEM, INFALLIBILITATEM & CONCORDIAM Romanorum Pontificum circa vulgatam Editionem. Singulis capitibus, quia prolixiora erant, sua præmisimus argumenta, quæ legisse non pœnitebit. Ad calcem vero plenioris istius tractatus, pag. vid. 92. communicavimus tibi Lector, superbam & famosam illam Sixti V. Bullam, qua suæ Editionis authoritatem constabilire molitus est. Quam hodie in Bibliorum Editionibus frustra quæsiveris. Ei subjecimus modestius illud Breve, quod Clemens VIII. biennio post, suæ editioni præmisit, & nunc quoque à multis Editionibus abest. Adjecimus denique pag. 116. Præfationem in Clementis Biblia, quæ cum Sixti Bullam gravissimis difficultatibus urgeret, Pontifex Pontifici cornua obvertere videtur, nec Clementis nec ullius Cardinalis Doctorisve nomen ostendit. Unde de ejus authoritate anxie inter Pontificios disputari cap. XI. ostendimus. Quis tamen persvaderi sibi sinat, eam præfationem, improbante pontifice, operi Biblico præmissam esse & in hunc usque diem tolerari? Tandem etiam transivimus ad consilium nostrum de continuatione censuræ ad vulgatam versionem, & quæ huic operi cum isthoc affinitas & conjunctio sit ostendimus.

IV. Linguarum istarum, quibus sacræ literæ originaliter conscriptæ sunt, vid. Ebrææ & Græcanicæ, totiusque adeo politioris literaturæ, studia hodie esse supervacanea. p. 118.

Hæc

Hac occasione exhibemus tertiam, eamque prioribus au-ctiorem, editionem Paranesis nostra, qua omnes Evangeli-carum Ecclesiarum Synodos, Episcopos & superintendentes ad excitanda SS. linguarum studia hortamur. Quem conatum meum quam praclare Ecclesia Belgica promoverint, apogra-pha aliquot decretorum synoditorum, qua subjeci, loquuntur.

V. Versiones Latinas ex gr. Pagnini, Junii, Erasmi, Bezæ, nec non Germanicam, B. Lutheri, & quæ ex ea ex-pressa est, Belgicam, mentem Spirit. S. ubique ita expres-sisse, nullius ut correctionis amplius indigæ sint. p. 152.

VI. Bibliorum lectionem Theologiæ studioso non esse admodum necessariam, vel, posse aliquem Theo-logiæ studere & Theologum esse, etiamsi non legat S. Literas. p. ibidem.

VII. Omni Scripturæ textui, singulisque locis, aut saltem plerisque, duplicem inesse sensum, Literalem & mysticum. Circa illum (literalem) versari Theolo-giam crassam: circa hunc (mysticum) occupari Theo-logiam secretiorem & spiritualem. Quin & uno loco plures posse subesse sensus literales. p. 158.

Hic vero intolerandum illum Allegorizandi pruritum in ipso limine gravissimis Serarii, Sixti Senensis & Riberæ *cen-suris notavimus. Ostendimus testimoniis Augustini & Hie-ronymi, à literalis sensus difficultate & cleri socordiâ hunc pruritum robur & incrementa acquisivisse. Egimus de du-plici Scriptura sensu, literali & mystico. Variis nomenclatu-ris eos insigniri, & sape terminos confundi, dum jam laxius jam strictius usurpantur. Non omnem allegoricum sensum in exilium mitti. Vitandos 3. istos errores* I. Unius ejusdem-que loci varios posse esse sensus literales. p. 165. II. Quorundam locorum nullum esse sensum literalem. 3. In omnibus & singulis locis Scripturæ duos esse sensus, literalem unum, mysticum alterum. *Ea occasione agimus*

de loco 1. Cor. x. 6. omnia in figuris contingebant illis. Admonemus etiam eos, qui ex quolibet propemodum homine vel re in Vet. Test. memorata, typum Christi aut Ecclesiæ, aut rerum ad N. Test. pertinentium, fabricant. Non sufficere, ut aliquid alterius typus sit, similitudinem aliquam, sed ex sacra pagina ostendendum esse, illud è Spiritu S. huc fuisse distinatum & ordinatum. Tales autem typos oppido paucos esse (pag. 168.) In multis, de quorum evidentia multi non dubitant, tantum allusionem quandam esse. Illos quoque monemus, qui circa nominum propriorum originationem nimis curiosi pro concione sunt, iisque doctrinas, quin & integras sæpe conciones, superstruunt. Concludimus denique dissertationem illam gravissimis admonitionibus Bonfrerii, *Iesuitæ Galli*, Leonardi Marii, *Theologi Coloniensis*, Adami Sasboutii *&* Martini Buceri. *Lege lector & non pœnitebit.*

Habes brevem διατύπωσιν *primi libri. Reliquorum, ut jam monui, ad calcem operis invenies. Nolumus tamen hoc loco te celare, Lector, nos duobus istis libris prolixiores quosdam excursus, quorum nonnullos jam pridem scripseramus, inseruisse. Inter eos & isti sunt.*

Illud restat, ut tituli, quem huic libro feci, reddatur ratio. Is est, ANTI-BARBARUS BIBLICUS. Cum illis potissimum mihi negotium est, qui linguarum originalium studia, tanquam si nulli usui essent, proscribunt. Eos vel barbaros esse vel barbariei patrocinium præstare, nullus, opinor, infitebitur. Istorum furoribus hunc librum opposui. Merito ergo Anti-barbarum *dixi. Addidi* Biblicum. *Nihil enim cum ista barbarie hic mihi negotii est, quæ* τὰς ἔξωθεν *disciplinas superioribus seculis defloravit. Nec etiam eos tango, qui ad rerum Theologicarum tractationem barbarum, aut saltem minus Latinum, stylum attulere. Ipse mihi meæ tenuitatis conscius sum. Atque hoc quoque debeo Patriæ meæ infelicitati, in cujus scholis & Academia styli excercitia, me juvene, omnino jacuere. Quamvis ne nunc quidem ea admodum floreant, juventute nostra ad ea potius*

studia properante, quæ πϱὸς τὰ ἄλφιτα sunt. Primarius mihi scopus fuit, ostendere, quantas frustrationes linguarum originalium ignorantia beatissimis patribus & acutissimis Scholasticis in scripturarum interpretatione attulerit. Non ego beatos Patres, non omnes Scholasticos, quorum interpretationes convello, inter barbaros pono. Illos hac nomenclatura noto, qui ad ista oculos claudunt & cum possent linguas discere, quod istis seculi infelicitas negabat, nec discunt ipsi, nec alios discere patiuntur, instar canum, qui cum fœno non vescantur, prohibent tamen accedere boves. Illis etiam, quibus in veteris illis Ægypti ollis animus est, qui Scholasticorum scriptis & Pontificiorum postillis semper inversantur, illis, inquam, hoc quoque scripto prodesse volui. Neque enim in Evangelicis Ecclesiis nulli sunt, qui malunt cum barbaris istis vesci glandibus, quam cum eruditissimis viris fruges edere. Queis volupe magis est cum Origene, Augustino, altisque ἀλληγοϱεῖν, quam cum præclaris istis Dei organis, Luthero, Calvino, Bucero, &c. scripturam solide interpretari. Hi sunt, qui quicquid in Patrum vel Homiliastarum scriptis legunt, pro oraculo accipiunt, pro concione proponunt. Hi sunt qui omne id quod ipsi non didicerunt, ut hæreticum suspectant, qui sub qualibet Ebræa aut Græca voce heterodoxiam latere mussitant. Hi sunt, qui cum sententiam aliquam vel loci alicujus explicationem ab ea, quæ apud nos recepta est diversam in Patrum scriptis legunt, mox percelluntur. Hi denique sunt quibus miseri Grammatici semper vapulant, illam Johannis Dullardi sententiam, qua Ludovicum Vivem discipulum suum sufflaminare solebat, Quanto eris melior Grammaticus, tanto pejor Philosophus & Theologus, sæpe inculcantes. Illi si hæc nostra legere dignabuntur, tanquam in speculo videbunt, præclaris istis viris (Patres intelligo & florem Scholasticorum) nil nisi linguarum notitiam defuisse, se quoque dum authores quosdam sine delectu & judicio legunt, & sequuntur, in scripturarum interpretatione & cita-

Vives lib. 2. de causis corrupt. artium.

citatione sæpe impingere. Illud autem hic semel moneo, me non cujuslibet scriptoris de qualibet re ineptias (quis enim modus, quæ utilitas talium nugarum esset?) huc convectasse, sed lapsus & errores magnorum virorum, quorum lucubrationes multorum manibus teruntur, qui jam pridem in Ecclesia & Scholis dictaturam quandam gerunt. Inter quos sunt Augustinus, Ambrosius, Athanasius, Chrysostomus, Basilius, Epiphanius, Tertullianus, Lactantius, Gregorius Magnus, Thomas, Lombardus & alii. Quia vero non defuturos exstimo, qui me instar Chami patrum pudenda retegere clamabunt, rogandi mihi isti homines sunt, ut ad Sixti Senensis *Bibliothecam S. oculos paulisper reflectant, qui Patrum in exponenda Scriptura errores, quos nec sine Catholicæ pietatis offensione, nec sine magna legentium perturbatione dissimulari potuisse ait, studiose collegit, iisque duos integros libros vid. quintum & sextum explevit. Ego illud insuper semel hic protestor, me non isthoc animo magnorum istorum virorum errores recensuisse, quasi levato sipario omnib. conspiciendos exhibuisse, ut illis convitium facerem, aut publice traducerem, nedum ut eorum scripta de juventutis manibus excuterem. Scio enim illos præclaris dotibus nævos istos pensasse. Scio Patres absq; præviis ductoribus antea iter non calcatum ingressos, glaciem, quod ajunt, fregisse. Non solent prima quæque disciplinarum tentamenta semper omnis culpæ expertia esse. Nihil simul inventum & perfectum est. Quod si in hæc secula magni isti Heroës incidissent, aut ego valde fallor, aut omnib. qui post renatas literas in scripturar. interpretationem cum laude incubuere, otia fecissent. Quid ergo? Iam bis dixi. Vt juventus nostra tanquam in speculo videret, solam linguarum notitiam præstantissimis istis ingeniis seculorum infelicitatem negasse, ne juventus nostra omnia, quæ in authoribus istis occurrunt, tanquam oracula arripiat, populoque, ubi jam ad docendum admissa erit proponat. Iuventutem nomino. Illud enim interest mea te sci-*

re, Lector, me hanc operam juventuti & tironibus gratificatum esse. Eruditis & veteranis hic labor meus non desudavit. Hinc tironem in meo scripto ubique alloquor. Hinc dum studui σαφέστερον loqui, sciens & volens sæpe ἀμαθέστερον dixi. Hinc minutiora, quod ea veteranos quoque Theologiæ studiosos crebro ignorare deprehendam, sæpe prolixiori sermone persecutus sum. Quamvis & illud confidam, studiosos adolescentes prolixitatem nostram non incusaturos, nisi forte aut indoctiores sint, quam ut intelligant; aut doctiores, quam ut egeant; aut negligentiores, quam ut curent; aut morosiores, quam ut perferant. Quibus hominum generibus hæc non elaboravimus. Sed redeat eò unde digressus est sermo. Volui evidentib. exemplis ostendere, Omnia ad originarii textus regulam examinanda esse, præsertim, cum dogmata probanda vel confutanda sunt. Quid hic pecco? Recognoscant Pontificii in jure Canonico Distinct. IX. aurea illa Augustini verba, [a] ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat. *Nec non illa ejusdem,* [b] Negare non possum nec debeo, sicut in ipsis majoribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possunt justo judicio & nulla temeritate culpari. *Et rursus ista,* Alios ita lego, *inquit August.* ut quantalibet sanctitate aut doctrina polleant, ideo non verum putem, quod ipsi ita senserunt, sed quod mihi per alios autores vel canonicas scripturas vel probabiles rationes persuadere potuerunt. *Et in prolog. lib. 3. de Trinitate,* noli meis literis tanquam Canonicis deservire. *Quæ omnia in distinctionem IX. Gratianus accongessit. Ejus enim hæc summa est, Patrum scripta ad Scripturas Canonicas examinanda, nec cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legenda esse. Neque hic audio barbarum Glossatorem, qui hæc in ea tempora rejicit, quibus scripta Augustini & Hieron. nondum erant authentica.* Hodie vero, *inquit,* jubentur omnia teneri

a Epist. 8. ad Hieronymum.
b Ad Vincent. lib. 2.
c Epist. 8. ad Hieron.

usque ad ultimum Jota. *Apage ineptias istas, Barbare. Aures potius substringo illustrissimo Baronio, qui ad annum 34. §.213.* Non omnes, *inquit*, qui loco Apostolorum successerunt, Episcopi, assecuti sunt sensum & intelligentiam scripturarum, vel eos ipsa semper excelluisse gratia, est necessarium. Nam Sanctissimos Patres, quos Doctores Ecclesiæ ob eorum sublimem eruditionem merito nominamus, quantumlibet eos Spiritus S. gratia præ cæteris imbutos esse liqueat, in interpretatione Scripturarum, non semper, nec in omnibus sequitur Catholica Ecclesia. *Nec non Bellarmino, qui de Conc. lib. 2. cap. 12. diserte pronuntiat*, sacra Patrum scripta non esse regulas, nec habere authoritatem obligandi. *Quam etiam de facile Salmero Patrum consentientium authoritatem rejectet, infra pag. 438. adducto luculento testimonio, ostendimus. Et quis tam in Bellarmino hospes, qui ignoret,* De Eucharist. l. 11. *Augustinum in expendendis quibusdam Scripturæ locis oscitantiæ ab illo argui? Quis non vidit Censuras Fevardentii in Irenæum? Billii in Iustinum? Herveti in Clementem Alexandrinum? Pamelii in Tertullianum? &c.*

Intellexisti, pie & erudite Lector, quem hujus mei laboris scopum habeam. Eum si tibi probavero, misologorum & malignorum securus sinam præterfluere judicia. Modum tractandi & argumentum quod attinet, si quid displiceat, sicubi à veritatis aut modestiæ tramite divertisse videbor, mone libere. Non tam paratus quisquam esse potest ad monendum, quam ego ad corrigendum. Nemo est qui non aliqua humani erroris culpa teneatur. Sed ea, in quibus ηὐστόχησα, *veniam à tua æquitate illis impetrabunt, in quibus* ἠστόχησα. *Vale & plenioris anteloquii loco accipe hanc de barbarie orationem, quam ante biennium coram Nobilissimis & Amplissimis Academiæ Curatoribus & Academicis recitabam.*

SIXTINI AMAMA

DE

BARBARIE ORATIO.

Habita in templo Academico 22. Sept. CIↃ IↃ CXXVI.

IN Romana olim Republica seculares ludos à P. Valerio Publicola primitus institutos, ac centesimo quoque anno pompatice instauratos fuisse, Historiæ docent. Tunc inclamabat Præco, Venite ad ludos, quos nemo vestrum spectavit, nemo etiam postea spectaturus est. Cædebantur hostiæ nigræ. Trinoctio indicebantur lecti-sternia, pervigilia & supplicationes. Pueri & puellæ hymnos Apollini & Dianæ canebant. In hunc modum cœci illi mortales suam erga superos inferosq;, quos sibi elegerant; Deos, gratitudinem declarare studuerunt. Ante annos VIII. jubilæum quoque suum Evangelicæ, qua late Reformatus orbis patet, Ecclesiæ celebrarunt. Gratiæ actæ Deo, quod ante annos centum excitasset incomparabiles Heroas, Lutherum, Melanthonem, Erasmum, Reuchlinum &c. qui tot in Christianismo seculis grassatæ barbariei intrepido animo bellum denunciavere, & felicissime gessere. Cujus inæstimabilis beneficii memoriam nos quoque, illorum exemplis provocati, in Auditorio nostro tunc temporis recentavimus. Ostendebamus, monstrum illud horrendum, informe, ingens universo Christianismo crassissimam rerum sacrarum ignorantiam & plusquam Cimmerias tenebras superinduxisse; ipsam Jurisprudentiam, qua nihil olim splendidius fuerat excultum, fœdasse: Medicinam contaminasse, eum denique in modum deturpasse divinam illam Philosophiam, ut non amplius ingeniorum cos & lima, sed crudelis potius ingeniorum carnificina fuerit. Ast ubi oriens linguarum & humaniorum literarum Sol tenebras istas discussit, puriorem in templa cultum, quasi postliminio, rediisse, restiturum SS. Literis suum nitorem, caput suum exeruisse Jurisprudentiam, lacertos suos movisse Medicinam, ac longe nitidiori, quam olim unquam, vultu se spectandam præbuisse Philosophiam.

Hu-

Hujusmodi orationibus tunc personabant Academiæ. Nundinarum Francofurtensium Catalogi nil nisi hujus argumenti seculares orationes & Academiarum Jubilæos loquebantur. Credo ego, splendida quoque alibi instituta fuisse convivia & plusquam Græcanicas compotationes. Credo multos, etiam quorum professionem id minime decuit, plusculum mero incaluisse & magnis invicem culullis ad Ebrietatem provocasse. Credo auditas sæpe inter Academicos istas voces,

Nunc bibendum, nunc pede libero pulsanda tellus.

Interim nesciebant boni illi viri, nesciebamus & nos, quam magnis passibus alibi ad barbariem tenderent, quam paucis ab eadem alibi abessent Ecclesiæ. Ob barbariem propulsatam Deo agebantur gratiæ, sed ne denuo irreperet vel irrueret, profunde securi erant. Atque hic figendus mihi pes est. Animus enim mihi est ostendere, Ejusdem Solis occasum superinduxisse orbi Christiano tenebras, cujus ortus eas discussit. Intelligo autem Solem linguarum. Sic dico. Quam occasus linguarum Sol superindxit, caliginem, eundem Solem orientem superiori sæculo dissipasse. Qui si denuo nobis occidat, novis, imo spissioribus Ecclesiam mersum iri tenebris, & longe fœdiorem in Christianismo grassaturam barbariem. Ut autem & illud clarius cernamus, & intelligamus eadem opera, quam vicinus sit iste Sol occasui, primo contemplabimur paucis, καὶ ὡς ἐν παρόδῳ, veterem barbariem, quæ SS. literas, & cui mea ancillatur professio, Christianam religionem oppressit. Contemplabimur autem irrepentem, progredientem, grassantem & propulsatam. Secundo, præsentem Evangelicarum Academiarum & Ecclesiarum statum considerabimus. Vos, Auditores, ex veteri formula linguis favete.

Post Apostolorum tempora, linguæ Ebrææ peritiam paulatim obliviam & quasi fugitivam factam esse, Patrum monumenta evidenter demonstrant. In tanta Episcoporum & presbyterorum multitudine, (unum & alterum excipio,) nullum reperias, qui fontes Ebræos consulere fuerit quitus. Hinc Græcos Patres Græca veteris paginæ interpretatione contentos esse oportuit. In novo quidem fœdere fontes adire potuerunt, unde & in ejus interpretatione minus exorbitarunt, sed cum ejus phraseologia pura puta Ebraica sit, quam juxta cum ignarissimis ignorabant, non est mirum, si & hic plurimis in locis miserabiliter, ut cum D. * Beza, loquar, cœcutiverint. Quid de Patribus Latinis dicam? Illos, Græcarum quo-

* Ad Matth. cap. XVI.

quoque literarum Sole paulatim ad occasum vergente, sese tandem omnino subducente, Latinâ utriusque testamenti translatione contentos esse jussit necessitas. Cum vero utriusque linguæ translationes & invicem & ab originaria scriptura immane quantum sæpe discreparent, fieri non potuit, quin crassissimi errores Ecclesiam Dei obnubilarent; quos eo facilius, quotquot Editione Lxx. Interpretum vel Græca, vel Latine versa utebantur, admisere, eoque altiores egere radices, quo majorem de ea opinionem conceperant. Credebant enim viri alias eruditissimi, dictos Interpretes prophetas fuisse, eodemque spiritu incaluisse, qui ipsos primigenios scriptores egerat. Atque hinc prima mali labes. Hujus autem erroris fontem linguæ Ebrææ imperitiam esse pronuntio Quod si enim versionem Græcam cum Ebræo textu conferre valuissent, nunquam tam crassum errorem errassent, nunquam vulgatissimæ isti & quæ Editionis istius authoritatem nimiopere auxit, de Lxx. cellulis fabulæ aures substrinxissent.

Sed oppones mihi Origenem & Hieronymum, quorum uterque licet Ebraïce fuerit peritissimus, in Scripturarum tamen interpretatione non semel à veritatis tramite ad gravissimos errores divertit. Ego vero impudentem eum dixerim, qui illud in se volet recipere, solam linguarum peritiam adversus omnes errores sufficiens esse antidotum. Præterquam enim quod aliis quoque opus sit adminiculis augusta nimis res est, & nulli mortalium concessa, nuspiam errare. Quamvis illud quoque omnes mihi, eruditi haud gravate concessuri sint, inter omnes Patres, qui veteris T est. paginam interpretati sunt, nullos extare, qui eam doctius, ubi literalem sensum persequuntur, illustraverint Neque frustra addo, ubi literalem sensum persequuntur. Ubi enim ab ejus, uti vocabant, paupertate ad Allegoriarum divitias transvolarunt, non minus se ridiculos, quam aliorum quispiam, se præbuere.

Habetis ergo hic secundam mali labem, secundum ad barbariem gradum, pruritum vid. (sit venia huic verbo.) Allegorizandi, Ubicunque in textu vel minima occurrebat difficultas, confestim Allegoria ad manum erat. Quod Judæorum Magistris fabulæ, ipsis Allegoriæ præstabant. Hic epidemius istorum temporum morbus, ceu pestilens aliquod sidus illam quoque patrum bigam præ aliis sic afflaverat, ut propemodum de Hieronymo dubitem, utrum plus boni peritiâ linguarum, qua excelluit, an mali suis Allegoriis, in quibus dominatus fuit, Ecclesiæ Dei attulerit.

Inse-

Insequentibus seculis ea incubit Latinis Ecclesiis barbaries, ut codices Latinos, ne cum Græcis quidem conferre potuerint. Unde secutus est is codicis Biblici neglectus dicam, an contempus, ut ne Latinos quidem codices inter se conferre voluerint: ut in Scholis Theologicis Moses, Prophetæ, Christus & Apostoli consiluerint.

Operæ pretium autem hic fuerit observare, quibus porro gradibus & per quæ temporum spiramenta ad ipsam ἀκμὴν promoverit barbaries, & quibus technis sacrum illum codicem Eccelsiæ manibus Satanas excusserit.

Consveverant prisci Ecclesiæ Doctores integros Scripturæ libros cœtibus suis prælegere & interpretari. Testes sunt Chrysostomi, Augustini & aliorum Homiliæ & Sermones. Adhæc, in majoribus Ecclesiis semel quotannis universa Biblia à capite ad calcem prælegebantur. Duravitque laudabilis illa consvetudo ad annum usque Christi DCCCVIII. Tunc enim Paulus Warnenfridus Caroli M. jussu textus Dominicales ex epistolis & Evangeliis excerpsit judicio adeo nullo, ut eorum quidam nec caput nec caudam habeant. Namque instar imperiti lanionis, securi sua (anatomica non in ipsas articulorum juncturas, sed in ipsa ossa, prout imperita manus ferebatur, impacta, divulsit ea, quæ separari neutiquam permittebat textus. Hac ergo occasione factum est, ut ista tantum Scripturæ fragmenta populo prælecta & exposita sint. Quasi universa divina scriptura non fuisset divinitus inspirata, utilisque ad doctrinam, redargutionem, correctionem & institutionem. Ipsis ministris mollem pigritiæ lectum hoc compendio adornavit Satanas, multosque è populo in eam traxit sententiam, istis fragmentis universam scripturam contineri. Observatum autem est à viris cordatis, in eundem annum quatuor Eclipses incidisse, tres Lunæ, unam Solis, ac inde non inepte conjectatum, Deum istis luminarium obscurationibus de tenebris Ecclesiæ imminentibus voluisse concionari. Atque hic tertium ad barbariem gradum constituo. Quid vero Scholis factum est? In has introducta fuerunt nova quædam Biblia, nova quædam Theologia, quam Scholasticam vocant. Cujus primus fabricator P. Lombardus fuit, qui circa annum Domini MCXL. spinosam sui ævi Theologiam, illam non ex limpidis Israëlis fontibus, sed turbidis patrum & conciliorum lacunis haustam, quatuor libris complexus est. Quod magistri sententiarum systema, totius Scholasticæ Theologiæ basis & fundamentum est.

Post

Post seculi unius intercapedinem Albertus Magnus caput humo sustulit, qui sacras literas non cum patrum scriptis tantum, ut Lombardus fecerat, sed cum ethnico, eoque barbare verso Aristotele miscuit. Hic principatum philosophiæ tradidit primus, & submissis pagano Aristoteli fascibus imperium detulit. Hujus vestigia Auditor ejus Thomas secutus, ex Aristotele, Patribus, Conciliis & barbara Bibliorum versione, magnum illud Systema compilavit, cui titulum SUMMÆ fecit. Ita duo isti Centones, Liber vid. Sententiarum & Summa Thomæ, tanquam duo testamenta, in pulpito introducti sunt. Hi in Scholis Theologicis utramque faciebant paginam. Hi prælegebantur. In hos vastissimi scribebantur Commentarii. Circa hos omnis discentium & docentium versabatur labor.

Habetis, Auditores natales famosi istius monstri, quod, obstetricante. P. Lombardo primitus natum, Albertus Magnus, Halensis, Thomas & alii postmodum educarunt, & recentiores Scholastici tot jam annis in suo contubernio saginarunt. In cujus ego ἀκμῇ ipsius Barbariei ἀκμὴν posuerim.

Illud interim summam mereri admirationem arbitror, ipsam Sorbonam veterem indigne tulisse, novam illam Theologiam adeo superbo gressu in meditullio Christianismi inambulasse. Ausa enim ea fuit Thomæ scripta publica censura notare, quod paganismum Aristotelis cum SS. literis miscuisset, vel ut ipsorum verbis utar, quod principia Philosophiæ ad conclusiones Theologicas nimis applicuisset. *Non enim loqui taliter debent Theologi*, inquiunt, *qualiter loquuntur Philosophi.* Oculatior quoque omnibus coætaneis suis Dominicus fuit, ille celeberrimi Prædicatorii ordinis Pater, qui circa annum MCC. vixit. Is enim cum videret scripturarum cognitionem in concionatore plane esse necessariam, *author erat fratribus, ut indesinenter studerent in veteri & novo Testamento & ad prædicandum missi sola Biblia secum ferrent. Figmenta enim Philosophorum parvi faciebat*, inquit author vitæ ejus. Quod si eadem mens omnibus, qui isto seculo vixerunt, fuisset, nunquam tam latam grassandi viam sibi hoc monstrum fecisset. Sed quia urgebant Ecclesiam Dei judicia, gravissima illa Sorbonæ censura & Dominici istius & si qui præterea istius animi fuere, commonefactiones insuper habitæ sunt. Perrexerunt enim quæstionarii simplicitatem fidei in curiositatem disputandi convertere, & si quid adhuc superfuit creperæ lucis, illud densiori nocte sepeliverunt; excogitantes quotidie quæstiones novas,

novas, inutiles, profanas, Prophetis & Apostolis adeo ignoratas, ut si illis lucis usuram denuo indulsisset Deus, nihil minus futuri fuissent quam Theologi. Illæ vero à Magistris nostris in utramque partem disputabantur verbis & terminis tam obscuris & barbaris, ut Erasmus testetur, se magni nominis Theologum novisse, qui negitaret, IX. annos iis duntaxat intelligendis sufficere quæ Subtilis Doctor in Præfationem magistri commentatus est.

Tantæ molis erat in sacra illa hujus Divæ penetrare, atque illa discere, quæ nec scire jubebantur, nec expediebat. Nihil, nihil Ecclesiam sic perdidit, ac hoc portentum, nihil Evangelii doctrinam tam profunde demersit, ac hic vespillo.

I nunc Serari & magno Erasmo *magni Momi* stigma inure, quod Scholasticæ Theologiæ proceribus ubique inequitet. Nihil ille ipsorum acumini, nihil ingenio & rerum philosophicorum peritiæ detractum voluit. Quam parum ab istis adminiculis, quæ in sacrarum literarum interprete requiruntur, instructi isti proceres fuerint, quam confidenter tamen in earum interpretatione versati fuerint, quam sæpe, quam turpiter à veritatis regione aberraverint, id vero fuit, quod Erasmus passim voluit ostendere. At inquam ego nimis lenem, nimis Placentinum hic fuisse Erasmum. De Servilio Consule refert Livius, eum medium se gerendo nec plebis vitavisse odia, nec apud Patres gratiam inivisse. In eundem modum Erasmus medium se inter Evangelicos & Pontificios gerendo, nec apud Episcopos & Monachos gratiam inivit. Nullus Evangelicorum circa Ecclesiæ Rom. errores & abusus ipso oculatior fuit, quo minus tamen libere sententiam suam sæpe edissertaret, multa obstitere. Pusillanimitas & ἀνθρωπαρέσκεια in præclaro hoc Dei organo præpotuêre. Quanto generosius fuisset, Placentiam prætervectum, recta Veronam cursum direxisse? Certe pruriginosa istorum hominum, quibus cum illi res fuit, scabies asperiori strigile fricanda fuerat. Et tu, Melchior Cane, eos vel ad sidera usque sublima, ego Ludovico Vivi subscribam, qui Theologiam scholasticam non artes solummodo bonas, sed & ipsam Theologiam peremisse asserit; nec non magno Scaligero, qui non injuria Scholasticos appellat protervos, audaces, factiosos, garrulos, qui lucem tenebris, nigra verterunt candidis & spinarum tristitate omnia condivêre. Calculum meum appono magno Calvino, qui Scholasticam Theologiam definit, diabolicam artem litigandi, nihil aliud continentem quam otiosas & ad nihil utiles speculationes, in quibus

Lib. 2. cap. 23. & 27.

* Comm. in 1. Timoth. 1.

quo quis fuit doctior, eo fuit miserior. Et punctum quoque meum feret nobilissimus Ant. Sadeel, qui eandem cum caverna *Caci* & equo Trojano comparavit.

In hoc luto aliquot seculis Christianus orbis hæsit. In hoc cœno demersa erat Europa, cum ei superiori seculo Lutherus, Erasmus, Reuchlinus, Melanthon, Calvinus, Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus & cætera ista luminaria exorirentur. Andreas Carolostadius jam octo annorum Doctor erat; cum ad scripturarum lectionem accederet; tamen, cum circa annum MDX, in Acad. Witeberg. pro licentia disputasset, Actis Academiæ insertum fuit hoc elogium, quod fuerit sufficientissimus. Quidam doctor Theologus rogatus de Decalogo, negitabat se ejusmodi librum in Bibliotheca sua habuisse unquam. Fatebantur veterani aliquot Theologi se toto vitæ curriculo in Magistro, Thoma, Scoto adeo fuisse occupatos, ut Bibliorum lectioni vacare nunquam potuerint. Agnoscebant multi Sorbonici, imo *per Diem* jurabant, *se plus quam quinquaginta annos habuisse, quod nesciebant, quid esset novum Testam.* quæ ipsorum formalia refert Rob. Sthephanus. Jacobus Latomus in Dialogo, quem methodo Erasmi de studio Theologico opposuit, cum mira clementia sublevet Theologiæ distinatum, ut nec Grammaticæ nec linguis, oratoribus eum velit discruciari, imo ne quidem lectione divinorum voluminum, veterumve interpretum, ne eorum quidem quos sacrosanctos habet Ecclesia **simul ac ventum est ad Neotericos*, inquit Erasmus, *inclementissime obruit miserum juvenem, exigens, ut nihil hujus generis non evolvat*, Lombardum, Alexandrum, Scotum, Thomam, Bonavent. Armachunum, Altisiodor. Holcot, Bricot, Petrum de Aliaco, Occam. Durandum, Aymonem, Carrensem, Ægid. Tartaretum, &c *nullius omnino libri gratiam facit. In his vult consenescere theologum, priusquam utriusque testamenti libris studeat. Ne Patres quidem vult legi, nisi hoc labore exantlato, veritus proculdubio periculum, ne si prius, non dicam SS. literas, sed Patres legat, proceres istos theologiæ scholasticæ quos jam recensuit Erasmus, non sine nausea possit legere.* Hoc illis erat Theologiæ studere. Istis suis Pantheologiis, summis & sententiis immorabantur & ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον immoriebantur. Qui his laboribus superstitabant, fecem senectutis sacrarum literarum lectioni impendebant. Sed veluti iis, quorum linguam absynthium infecit, omnis cibus potusve absynthium sapit, ita his quoque qui meliorem vitæ partem his tricis transmiserant, sacræ literæ non

* In Apolog. adversus Latomum, p. 85. tomi 9.

sapie-

ſapiebant, id quod ſunt, ſed quod illi ſecum afferebant. In Eccleſia quicquid pro concione dicebatur, vel Legenda vel Allegoria erat. Quidlibet ex quolibet exprimebatur. Atque ut ſutores ſordidas pelles ſuis dentibus extendunt, ita illi SS. literas quocunque volebant detorquebant. Atque hoc erat ſecretiorem theologiam tractare. Literalis ſenſus explicatio ad Grammaticos & craſſos theologos relegabatur. Quin in nonnullis quoque locis eo deventum fuit, ut textus ex Ethica Ariſtotelis pro concione propoſuerint & interpretati ſint; id quod dominus Melanthon ſuis ſe auribus audiviſſe teſtatur.

Poſſem equidem multa huc convectare, quæ vel maxime ἀγελάςῳ homini riſum concitent, ſi prolubium mihi eſſet in re ſeria ludere. Niſi quoque Eraſmus in Apologiis ſuis & alibi hunc laborem mihi compendi-feciſſet. Adite ad eas, evolvite ejus ad N. Teſt. annotationes & craſſam iſtius ſeculi barbariem, ceu in terſiſſimo ſpeculo, repræſentari vobis cenſebitis. Ex cujus Eccleſiaſte unum inſuper hic adjicere non pigrabor. David Burgundus, Philippi Boni filius, princeps, pro iſthoc ſeculo, eruditiſſimus, cum ad Epiſcopatum Ultrajectenſem ſublimatus audiviſſet, ex illis qui ſacris initiabantur, pauciſſimos eſſe, qui literas ſcirent, bonum factum putavit, ſi ipſe rem propriùs cognoſceret. Juſſit ergo ſibi in aula cathedram poni. Proponit Candidatis quæſtiones, ſingulis pro gradus, quem affectabant ratione faciles vel difficiles. Quid fit? Trecenti erant. Repulſavit omnes, exceptis tribus. Obſtupeſcebant illi, qui examinibus iſtis præeſſe ſolebant & multis exorabulis id contendebant apud Præſulem, ut ſententiam ſuam moderaretur, reputans, hoc ſeculum non gignere Paulos & Hieronymos, contentus eſſet illis quos præſens ferret ætas. Addebant, cum magno Eccleſiæ dedecore conjunctum fore, ſi ex trecentis tres tantum admitterentur. Quid Epiſcopus; Ille, ut erat fervido ingenio, reſpondebat ſe Paulos & Hieronymos non requirere, non commiſſurum tamen, ut pro hominibus aſini admitterentur. Id enim ſi fieret, cum Eccleſiæ publico dedecore fore conjunctum. Hac cum non ſuccederet, alia agreſſi ſunt Præſulem via. Alius aries admotus. Si tu hos non admiſeris, inquiebant, oportet ut noſtra nobis augeas ſalaria, alioqui ſine his aſinis non eſt unde vivamus. Hoc ariete, qui tamen multis modis retundi potuiſſet, dejectus eſt erectus Præſulis animus. Quis fuerit Eccleſiarum Belgicarum iſthoc ſeculo ſtatus, hinc judicare eſt.

Expectatis Auditores, ut narrem vobis prælia, quæ primi literarum restauratores cum clero, cum Stunicis, Beddis & Latomis depugnanda habuerunt? Non illud mihi eloquentiæ flumen est, ut ea vobis repræsentare possim. Illud possum vobis asserere, tunc cum barbariei jugulum petitum fuit; sacrum ordinem quasi œstro percitum fuisse, infestisque furiis agitatum magnos illos Heroas sic impetivisse, ut extricare se sine vitæ & famæ dispendio vix potuerint.

Cur vero ita furebat Satanas? Liceat mihi cum B. Luthero respondere, *Er roch das brate wol.* Satis sagaciter odorabatur hoc assum, & regno suo ab hoc Sole eam augurabatur tempestatem, quam multis seculis componere non valeret. Videbat linguarum ope redditas orbi authenticas verbi divini tabulas, eas publice prælegi, densam errorum noctem discuti, Allegorizandi pruritum imminui. Videbant Sophistæ, auditoria sua imminui & Majestatem suam evilescere. Quid facerent? An ipsi discerent elementa; At hoc infra dignitatem suam positum judicabant, & ut hoc gratificarentur hæreticis, neutiquam inducere animos suos poterant. An hortarentur alios, ut discerent? At crassi illi homines in hoc uno subtiles erant, quod famam suam per hæc studia periclitaturam viderent. Unde canes imitabantur, qui cum ipsi fœno non vescantur, boves tamen accedere prohibent. Hinc linguarum peritos hæreticorum patriarchas appellabant. Atque ut συλλήβδην dicam, nihil fecerunt reliquum, quo à linguarum & Scripturarum studiis juventutem absterrerent.

Vide infra pag. 234. 235.

Sed quemadmodum Religio Christiana sub imperatoribus, tot gladios, secures, rogos & vivi-comburia, tot persecutionum æstus superavit, ita hæc quoque studia, non sine numine, ex omnibus adversarum tempestatum plusquam decumanis fluctibus tandem eluctata sunt. Cessit tandem tot ingeniorum pertinaci studio & indefesso labori defatigata barbaries. Ex eo commodis Sophistarum decessit, quicquid proventui melioris literaturæ accrevit. Ex eo Theologiam puriorem ex solo verbo Dei Ecclesiis & Scholis redditam, ex eo principes Chr. Religionis articulos mascule assertos & a priscæ caliginis vepretis feliciter eruderatos, & Sacras literas clariori face illustratas vidimus. Hic tamen principes illi Repurgatores posterorum diligentiæ multa reliquerunt. Nec enim illis, per assiduas illas cum adversariis disputationes, ita exhaurire omnia, ut posteritati otia facere potuerint.

Refert

Refert Nehem cap. 4. juvenum alios laborasse, alios lanceis, gladiis & arcubus armatos excubias egisse, alios alterâ manu ædificasse, altera vero arma tenuisse, in utrumque paratos. Eadem Heroum istorum in spirituali isthoc Reformationis opere conditio fuit.

Hanc suam industriam ut posteri imitarentur; ut scopulos, quos ipsi notarunt, posteri vitarent; ut viæ, quam ipsi præiverunt, posteri insisterent, præcipuum ipsorum votum fuit. Cui an successorum studia satis responderint, id demum est quod jam secundo loco videbimus.

Primum autem Heroum istorum votum fuit, ut linguarum studia in Ecclesia conservarentur, & magis magisque excolerentur. Hanc illi viam nobis præivere. Huic ut insisteremus, ἀκαίρως ἀκαίρως hortati sunt. Novi ego, inquit alibi Lutherus quantopere mihi contra hostes meos profuerit Ebrææ linguæ notitia. Ecce viam quam ipse præivit. Reverendus vir Mart. Lutherus, verba Melanthonis, quam graviter nos &c. [*vide cætera pag. 122. ne opus sit eadem iterare*] Audiamus iterum Lutherum, vel id solum socordiam nostram excitare debebat, quod Diabolus per Academias & Monasteria his studiis semper reluctatus sit. An nescis, inquit, quo furore Monachi &c. [*cætera vide infra pag. 144.*]

Alterum eorum votum fuit, ut sacrorum Bibliorum lectioni semper invigilaretur, ut posteri iis logicè & distinctè percipiendis studerent, ex iis sensus ad discretionem boni & mali exercitos sibi acquirerent, ut studerent in iis non pauculis tantum dogmatibus & controversiis, sed omni informationi & institutioni, in omnis virtutis ac pietatis methodo & experientia, Sacras literas quasi in succum & sanguinem suum converterent, ex quibus & stamen & trama Theologiæ constat, omnesque conciones debent vivere & spirare. Cum juvenis essem, inquit Lutherus assuescebam Bibliis, ut bonus Textualis essem. Postea alios authores legebam. Sed eos tandem abjicere coactus fui neque enim poterant conscientiæ meæ satisfacere, atque ita solis Bibliis me denuo applicui. Quo exemplo docemur & hoc 3. eorum monitum fuit, non esse commentariis & postillis nimium fidendum, neque ita adhærescendum scriptis humanis, ut divinis æquentur, neq; ita indormiendum versionibus, ut nefas existimetur, eas ad fontes examinare.

Quartum eorum votum fuit, ne Scholastica Theologia, tanto labore & sudore ab ipsis propulsata, unquam denuo in Ecclesias admitteretur. Cujus voti omnia Lutheri, Melanth. Calvini,

vini, Wigandi & aliorum ſcripta plena ſunt. Quomodo vero his ſatisfactum à poſteris ſit jam videbitis.

Sub ipſa Reformationis initia, quamdiu eo tramite inceſſum eſt, habuerunt Eccleſiæ Theologos in Scripturis potentes, & qui cum ἐξουσίᾳ docerent. Aſpice mihi hæc Eccleſiæ reformatæ initia Quot lumina uno eodemque tempore in ſacro iſto candelabro fulſerunt! Lutherus, Zwinglius, Melanthon, Calvinus, Bucerus, Buleng. Martyr, Farel. Gryn. Leo Judæ, Capito, Oecolamp. Pellic. &c. Tunc ſacer ille codex verſabatur, tunc ex limpidis Iſraëlis fontibus potabant Eccleſiæ. Sed poſtquam eadem in pœnam ingratitudinis noſtræ derepente extinxit Deus, ambitioſorum quidem & furioſorum Matæologorum fuit copia, at vix tot pietate & Scripturarum cognitione excellenres Theolegos συγχρόνους videre unquam potuerunt Eccleſiæ Evangelicæ, quot ſunt *Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.* Quis vero ſibi à lacrymis temperet, cum præſentem, piorum & Scripturariorum Theologorum raritatem intuetur?

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι παῦροι δέ τε Βάκχοι.

Unde vero ſquallidus ille Eccleſiarum ſtatus? Non aliunde quam ex eo, quod votis priorum repurgatorum non ſatisfactum ſit, quod viam, quam illi nobis præiverunt, non triverint. Quod ſcopulos ab illis monſtratos non vitarint. Poſtquam enim obdormiſſent primi illi Heroës, qui omne opus Domini quod fecerat Iſraëli, fuerant experti, ſurrexit ætas altera, generatio hominum, quorum animus fuit in patinis & ollis veteris Æpypti, qui novas & noxias contentiones excitarunt, nihil aliud moliente Satanâ, quam ut Eccleſiarum præfectos à Biblicis ſtudiis & ſimplici illa Theologia abſtraheret. Ecce enim linguarum ſtudia paulo poſt collapſa ſunt & cum iis rurſus negligi cœpit ſacer codex. Luxuriabant theologi evangelici, ex theologis crucis jam derepente facti theologi gloriæ. Detumuerat perſecutio, conſileſcebant tempeſtates. Non dormitavit hic ſempervigil ille Synagogæ ſuæ Epiſcopus Excitavit quæſtiones, quæ in cœlo, tecto, in terra, fundamento deſtituebantur, inutiles, curioſas, Scholaſticorum diſputationibus non abſimiles. Quinam vero ex hoc fonte dimanaverint fructus, cui adeo cornea fibra eſt, ut ad ſolam de iis cogitationem eon eat in lacrymas? Tot jam annis funeſtorum ſuper cœna Domini diſſidiorum ſerra reciprocata eſt. Quiſque abſumſit carnem brachii

ſui

sui. Manasses stetit contra Ephraim, Ephraim contra Manassem.

* *Eoque securitatis à protervis quibusdam ingeniis in publico Ecclesiæ luctu processum est, ut non solum illa Iosephi confractione commoti non fuerint, sed sub eadem facetæ etiam dicacitati in scriptis & concionibus otiose indulserint, Qua in re malorum nostrorum apicem agnosco. Quin & nonnulli inconsulto zelo, adversus viros bonos, qui hanc animorum impotentiam detestantur, eum in modum efferantur, ut eos omnibus hæreticis pejores esse proclament, ut qui Christum & Belial conciliare velint, qui in media contignatione habitent, atque ideo digni qui inferiorum fœtorem hauriant & superiorum lotio perfundantur.* [g] *Et quia urgebant Europam Dei judicia ne nullus reconciliationi locus relinqueretur, excogitata sunt odiosissima nomina, per quæ nihil aliud effectum fuit, quam ut partes magis magisque exacerbatæ fuerint.* [h] *Totus spiritus Theologicus & quicquid fere Dei providentia donorum huic seculo contulit, his contentionibus insumtum fuit, atque hoc solum fere crepuerunt cathedræ. Summa, per has declamationes ingeniis juvenilibus & ambitiosis res & fama quæsita fuit. Et licet istorum locorum magna ex parte ea sit ratio, ut in terra fundamento, in cælo, tecto destituantur & sic in abyssum imperscrutabilis omnipotentiæ & sapientiæ Dei excurrant, in iis tamen illi mortales adeo secure versantur, ac si calculos lusorios in alea tractarent.* Et miramur istos contentionum vortices tot præclara ingenia abripuisse ut in illas solummodo intenta; reliqua Theologiæ capita, universam Theologiam practicam & SS. linguarum studia insuper-habuerint? Miramur, [i] *oves, dum pastores inter se de pascuis altercantur, relictu illis, in avia dispersas & lupis prædam factas?* Miramur per funesta illa diffidia tantum respirandi intervallum, hinc Pontificis, illinc Photinianis, aliisque sectis esse concessum? Quæ tamen hæc vesania est adeo arctum in minimis etiam controversis articulis urgere consensum atque interim ad flagitia; quæ sine controversiâ detestatur Scriptura, & in Ecclesiâ tamen grassantur, connivere? Quis furor, in nudâ Theoriâ & pauculis controversiis, ac si ab illis mors aut vita æterna penderent, ætatem terere, ad illa subsistere, sicut Israëlitæ olim ad cadaver Hazaëlis, & nullis interim Dei flagellis aut fustibus impelli posse, ut ulterius progrediamur; praxin cum theoriâ conjugamus, non ex eristicis, & quæ affectuum sordibus nimis inquinata sunt, scriptis, sed ex ipsis fontibus pietatem hauriamus collapsam disciplinam restituamus? Abusus in Scholis & Ecclesiis tollamus abominationes coram oculis Domini removeamus, in spirituali illa Babylone, communi hoste, expugnanda ejusque fundamentis ab

ima

* Grazerus in præfat. ad ultima sua verba in cap. 9. Danielis.

g pag. 18.

h pag. 20.

i Graf. p. 35.

ima stirpe convellendis dextras jungamus? Atque hic non possum mihi moderari, quin cum Lucano exclamem.

Quis furor, fratres, quæ tanta licentia ferri,
Gentibus invisis Latium præbere cruorem?
Cumque superba foret BABYLON *spolianda trophæis,*
Bella geri placuit nullos habitura triumphos.
Heu quantum potuit terra pelagique parari,
Hoc quem civiles hauserunt sanguine dextræ!

Quot enim, quæso vos Auditores, animæ, quot provinciæ, quot regna Ecclesiis nostris addi potuissent istis chartis, isto labore, isto zelo, isto ingenio, istis vigiliis, quæ omnia non tantum hausere, sed & fere exhausere detestanda hæc dissidia?

Sed pergamus ad alia. Versionem B. Lutheri qui non magni æstimet, næ is indignissimus est, qui in ullo æstimio sit. Noluit tamen ipse plus ei deferri, quam Hieronymus suæ. Interpres, non vates haberi voluit. Et uno ore doctores Evangelici semper professi sunt, nullam omnino versionem, Ecclesiæ, ceu authenticam, obtrudendam esse, nullam recipiendam, nisi QUATENUS cum originali textu convenit. Posuerunt tamen nonnulli Diotrephes, queis propositum fuit τῶν κλήρων κατακυριεύειν, pedes suos in ipsissima pontificiorum vestigia, tributumque ivere versioni Lutheri eam fere authoritatem, quam Pontificii suæ Latinæ transcribunt. Adeo quidem, ut ejus reprehensionem vel correctionem certissimum Calviniani criterium judicaverint. D. JOH. PISCATOR, cujus in Bibliorum versione fidem Graserus se agnoscere & suspicere profitetur, quid non passus est à doctoribus quibusdam Evangelicis, qui grande nefas existimabant, à recepta Lutheri vel latum unguem discedere? Vix credo sic exagitatum à Monachis fuisse Erasmum, cum novam novi fœderis interpretationem publico daret. Hinc videas, vix ulli Augustanæ confessionis theologo eam hodie esse fiduciam, ut vel in scriptis vel lectionibus vel concionibus, Lutheri versionem redarguat, nisi cum longa adulatoriæ & Germano pectore indignæ protestationis ambage. Hec tyrannis multa præclara ingenia premit & opprimit. Adeo semper Diabolus antiquum obtinet, & si per anticam ejicias, per posticam denuo solet irrepere.

Alibi Scholastica theologia, quam tanto sudore primi isti fæcum Exverræ propulsaverant, & cum ea Scholasticorum termini denuo

intro-

introducti sunt, phrasi Scripturæ, tanquam si ea abjecta nimis & plebeja esset, derelictui habitâ. At graviter monuerat magnus ille artium restaurator, *P. RAMUS, *Spiritum S. verissimum esse Doctorem sapientiæ, clarissimum rhetorem, verbisque uti ad id, quod à nobis intelligi necesse sit, perspicuis, significantibus idoneis. Loquamur ergo*, inquit incomparabilis vir, *verba scripturæ, utamur sermone Sp. Sancti, denique divinam sapientiam & linguam nostra infantia & sophistica ne corrigamus.* Alibi scripta humana ex pulpitis prælecta sunt, at Prophetam aut Apostolum qui interpretaretur, nullus fuit. Cum tamen ipse Carolus V. indignum hoc Christiana Acad. ratus, anno 1556. in Acad. Lovan. sententiarum Interpreti, SS. Literarum Professorem adjunxerit. Alibi linguarum professiones pro derelicto habitæ sunt, multisque annis sine ullius linguæ professione Academiæ quædam steterunt. Quarum præfecti de parietib. & tecto nimis anxie mihi solliciti fuisse, quale vero fundamentum jaciendum esset, parum imo nihil pensi habuisse videntur. Alia Illustrissimis Frisiæ Ordinibus, cum hanc Acad. fundarent, mens erat, queis de trium linguarum professionib. princeps cura fuit. Alibi linguarum Professiones tanquam appendiculæ & laciniæ quædam facultatum purpuræ assutæ sunt, quasi nihil interesset inter horariam linguæ alicujus prælectionem, quam disciplinæ aut facultatis alicujus Professor facile præstabit, & propagationem, quæ integrum, eumque laboriosum hominem desiderat. Ubique vero in linguarum Auditoriis solitudo fuit. Omnes adhortationes, omnia incentiva frustra fuere. Postquam omnes machinas expugnandæ juvenum socordiæ dicam an pervicaciæ, admovisses, audiebatur illud, *hæc nihil ad farinam conferre.* Hoc uno axiomate defungebantur. Hoc omnium *βαρβαρίζόντων* intercalare carmen erat. Quicquid à linguarum peritis, quos illi criticos & Grammaticos appellabant, vel observabatur vel docebatur, suspectum illis erat. Cordate alicubi Jul. Cæsar Bulengerus, *Non debemus nobis invidere*, inquit, *quæ à partiariis nostris bene observata sunt.* At nostri hi *βαρβαρίζοντες*, ab omni novitate se abhorrentes, veteres illos, quos Grammaticorum detexit industria, errores de pulmonibus suis revelli nequaquam passi sunt. Adeo verum ab omni ævo fuit illud Aristotelis, *πάντων χαλεπώτατον τὸ μεταδιδάσκειν εἶναι.* Ita factum est, Auditores, ut fœdo isti monstro, Barbariem dico, defensores & Patroni nunquam defuerint imo ne nunc quidem desint. Quid jam miramur, Ecclesias Evangelicas multis in locis, sub in-

* De Religione libro 4. cap. 18.

c doctis-

doctissimorum hominum, quibus gravabantur, pondere, gemuisse? Quid miramur, multas fuisse provincias, districtus & classes, in quibus nullus fuerit Ebraïce, pauci Græce periti? Quid exagitamus Bellarminum lib. 2. de verbo Dei cap. 10. hoc ingenuè de multis conciliis confitentem? At tunc barbaries erat. Tunc Linguarum Professiones Academiæ ignorabant. Verbo, universo Christianismo nox atra incubabat.

Interim juventus intelligens, quam facilis ad ministerium esset aditus, libidini, crapulæ & socordiæ fibulam laxavit. Omnis in postillis spes posita est. Ad quas in hac literarum luce tanta facta est novarum undequaque accessio, ut quod de Jurisprudentia argute pronunciavit Lipsius, ego de Postillis merito usurpari posse censeam, eas multorum camelorum onus esse. Has pigrorum pulvinaria non injuria pii Theologi vocitant. Et quidem hæc sententia eo mihi probatur magis, quod videam sola Evangelia à plurimis retenta. Quod si enim epistolis quoque dominicalibus locum fecissent, alternisque septimanis populo exposuissent, jam non singulis annis, sed bienniis, labor iste in orbem rediisset.

Utinam vero Dordracenæ Synodi theologi de abrogandis istis Dominicalibus serium decretum perrogassent! Namque ejus executione nihil fuisset facilius, modo recta & seria in Ecclesiis præcessisset institutio. Hac ratione Postillas istas manibus eorum, qui istis tantum adhærescunt, multosque adeo ministros, qui hanc anniversarias postillas recitandi consuetudinem ad extremam vitæ calcem perpetuant, ad totius Scripturæ assiduam Lectionem volentes nolentes compulissent.

Hæc fuit, Auditores, studii theologici in Plerisque Academiis hactenus ratio. Ad quam tot annis à majori theologorum parte connictum fuit, donec tandem postremis his annis, queis Deus O. M. multarum Scholarum luxum in luctum commutavit; derepente ex omnibus angulis ἐξ ἀπροσδοκήτου exorti sunt, qui Ecclesiis Evangelicis liquido ostendêre, quantum à prima illa simplicitate secessissent. Extat in hanc rem aurea & cedro dignissima præfatio Conradi Graseri, Theol. olim Thorunensis sanctissimi, quam præfixit commentario suo in ix. caput Daniel. Legeris illic non sine fructu & lacrymis, ult. verba pii Theol. non ad famam propriam, non ad ullum hominem, sed ad solum Dei tribunal in fatali lectulo respicientis. Quorum ego verborum unam periodum pluris fecero, quam centum furiosorum & ebriosorum theologastrorum, aulicarum

tuba-

cubarum & impudentium Demagogorum invectivas.

Extat & opus Wolfgangi Francii, Theologi Witebergensis non minus pii, quam eruditi, de recta interpretatione Scripturæ. Inibi dequeritur venerandus Senex, quam in SS. Literis hospites & peregrini plerique Theologiæ studiosi fuerint, qui tamen in recitandis Poëtarum versibus erant expeditissimi. Quiritatur, * *multos impetrato Magisterii titulo & tot annis philosophico studio tantum insumptis, Academiam relinquere & Ministerio applicari, coëmptis Postillis quibusdam. Viva voce*, inquit, *interpretantem S. paginam audiverunt neminem. Sed in theologicis evadunt αὐτόχθονες & αὐτοδίδακτοι. Mihi non est dubium*, inquit pius Senex, *quin tales sint sæpenumero publicarum calamitatum præcipua causa.* Postea in exemplum omnibus SS. Theologiæ studiosis proponit magni Drusii filium, cujus studiorum cursum & methodum ex præfatione Patris in præterita seu Annot. in N. T. integram exhibet. id quod & alibi à D. Haffenreuffero factum vidi. Postquam vero illa descripsisset Franzius, sic inquit, *Hactenus verba Drusii patris. Qui & ipse ad istud summum Ebrææ eruditionis fastigium nunquam pervenisset, nisi maturè in adolescentiâ, Hebræa tractare & Hebræos scriptores evolvere cœpisset. Scatent autem eruditione multiplici, Hebrææ, Theologicâ & Theologis utilia bonaque sunt omnia istius viri scripta, imprimis propter hanc causam, quod ex Hebrais scriptoribus multa nobis proponit talia, quæ nos tantâ linguæ istius scientiâ & libris Hebræorum destituti nunquam legere ac percipere valeremus.* Idem alibi optat, multos Theologos Cl. Drusii diligentiam in explicandis SS. Literis æmulari. Sed redeamus ad propositum nostrum. Idem ergo Francius pag. 18. conqueritur, *integras sæpe audiri disputationes Academicas, in queîs ne unius quidem dicti Scripturæ mentio ab opponentibus fiat, ad eum modum*, inquit, *quo olim disputarunt & docuerunt sub Papatu Scholastici.* Certe de talibus disputationibus videor mihi jure adscribere hic posse cordatum Ludovici Vivis judicium, cujus hæc verba sunt, *Omnis item jactantiæ, arrogantiæ, ostentationis occasio tollatur. Idcirco raræ sint disputationes, in quibus non eruitur veritas. Nam nemo verius dicenti assentitur. Quæritur modo laus ingenii, vel peritiæ, in qua contentione laudis crescunt rixæ & convitia & simultates, quodque sceleratius est, ingenium contra veritatem sumit arma, & ad eam subvertendam cuniculos omnes agit & machinas, quascunque potest admovet, ut velit veritatem ab se superari & prosterni, non se veritati submittere. Quæ pugna adeo nefaria & impia bonos viros non decet, minus Christianos, quorum affectus purissimos esse convenit & ob-*

Vide Parænesin nostram pag. hujus libri 133.

* Pag. 14. libri sui.

Indicium W. Franzii de Drusii scriptis.

Lud. Vives initio lib. 2. de tradendis disciplinis.

& obsequentes veritati, qui est Christus ipse. Postremo ex illis disputationibus cavillosiores ac pervicaciores discedunt multi, doctior utique ac melior nemo. Hactenus Vives. Nunc ad Francium ex hoc diverticulo redeat oratio. Conqueritur postea, *proscriptam rursus ejectamque ex multis scholis illam ex verbo Dei theologizandi rationem, à Luthero tantopere commendatam & magno cum fructu usurpatam.* Adducit gravissimas * *Joh. VVigandi* & † *Drusii* in Scholasticam Theologiam invectivas. Asserit denique, reductæ eidem in scholas Evangelicas Theologiæ imputandos esse prosperos istos successus, quos multis in regnis Ponificia idolomania obtinuit.

* Præfat. in librum de Swenkfeld.

† In Annot. ad N. T. in fine.

Paulo Tarnovio, primario Pietatis apud Rostochienses Profess. justus quoque dolor gravissimam super præpostero studiorum Theologiæ ordine querelam expressit. Namque inter causas proserpentis Sociniani veneni secundo loco ponit *errorem & imperitiam juventutis, quæ dum ministerio verbi se parat, neglecta linguarum & artium discendarum ratione legitima, (quæ lucrose docentibus, sed damnose discentibus in leviculo illarum gustu & præpostero harum per disputationes cognoscendarum modo ponitur) id unice agit, quamdiu in scholis superioribus hæret, ut controversias quasque intricatas & difficillimas degustet, de iis cum æqualibus conferat, ne dicam altercetur, omissa interim, vel certe posthabita, SS. literarum lectione assidua & sedula.* Idem alibi conqueritur, plerisque ordinis Theologici hominibus nihil curæ esse præter controversiarum subtilissimarum quovis ævo agitatarum in in orbem reductionem, ventilationemque; aut concionum omni arte exornandarum & ad plebem cum applasu habendarum studium. Quæ vero sit vera Theologia & religio Christiana, paucos hodie scire, multo pauciores, quibus curæ sit, ut id sciant. Omne studium pietatis ruere, Theologiam rursus in Sophisticam, seu potius curiosarum disputationum furores degenerare, atque ita non tam sublatam, quam mutatam superioris ævi Sophisticam.

Præfat in librum de SS. Trinitate.

Programmate publico, super funere Burchardi Limberti.

Eodem spiritu incaluit hujus ex fratre nepos, JOH. TARNOVIUS felix ille SS. Literarum interpres, Academiæ ejusdem Sol oriens, & ocellus, cujus viri pretium Academia Rostoch. & Ecclesiæ Evangelicæ ignorare mihi videntur. Hoc elogium præclaris ejus laboribus debetur, licet in nos quos Calvinianos passim appellat, ex omni occasione incurrat. Is, inquam, Tarnovius *Sentio*, inquit, *gravius hæc à me dici, quam forte an pro hac mea ætate. Verum cum (proh dolor!) nimis verum sit quod queror & notius quam ut negari queat, quam turpiter hodie à plerisque Theologiæ studiosis, itemque*

Præfat. in Exercit. Evangel. Edit. 1.

aliis

aliis nonnullis, qui eidem dant operam. Fontes ipsi, imo tota negligantur Biblia, justus in re tam arduâ zelus hæc mihi facile potuit exprimere. B. Meisnerus apud * eundem illud in multis desiderat, *quod fontes rarò aspiciant, & delectum in dictis scripturæ allegandis nullum habeant*, certo argumento, eos ne versiones quidem legere, sed ad exemplum veterum Monachorum loca Scripturæ ex concordantiis corradere; quod utinam in Ecclesiis, quas Lutheranas vocant, solis fieret! Ecce enim ne illæ sua vulnera detegi, nostra tegi quiritentur, audiamus cygneam cantionem præstantissimi olim Heidelbergensium Theologi & Concionatoris, D. Abrah. Sculteti, τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις.

* In exercitat. Evang. pag. 105.

Qui in Scholis publicis sacra discunt hodie, eorum plerique in errore versantur longè maximo. Hoc enim sibi firmiter habent persuasum: præclare se studiis suis consulere, si sæpe multumque de doctrina Christiana Disputent. Itaque simulac pedem in Academiam intulerunt, de publicâ vel privatâ disputationis palæstrâ sunt soliciti: minimè id facturi, si, quantum à verâ discendi Theologiam ratione aberrant, intelligerent. Quod enim multorum aliorum errorum caput est, disputationes ipsam Theologiæ animam esse putant: & cum è sacris literis verum Dei cultum proximique amorem addiscere debeant, illi contra ex Sophisticis disputationibus artem rixandi, altercandi, benè dicta pervertendi, familiarem sibi reddunt, omni ferè curâ exercitiorum pietatis, fidei, invocationis abjecta. Res magna est, de Religionis capitibus disceptare cum aliis. Ætas ad eam matura; judicium confirmatum: linguarum cognitio proba requiritur. Quæ omnia cum adolescentes in se nondum agnoscant: ordinem naturæ invertunt, qui prius de Religione disputare, quam penitius illam nosse, volunt. Ac quam turpiter se dent hujusmodi disputatores, & ut prolatâ difficiliore aliquâ Hebraica aut Græcâ obmutescant, cotidiana Scholasticorum exempla docent. Præceptum Servatoris est: scrutamini Scripturas, At nostra juventus magnam partem non Scripturas divinas, sed humanas scrutatur, & eristicos Magistrorum suorum libellos

Præfat. in Exercitationes Evangelicas.

Nocturnâ versatque manu, versatque diurnâ:

Quâ de causa notiores ei sunt definitiones & distinctiones hominum, quam Dei, nec, ut Apollo, potens est in Scripturis Dei, sed in Scripturis hominum, magno suo, maximo Ecclesiæ damno. Hanc enim cum adultiores facti studiosi nostri erudire debeant: exercitia autem concionandi neglexerint, disputandi urserint; de linguarum item studio & investigando genuino Scripturæ sensu nunquam seriò cogitarint: fit ut plurimum; ut in concionem producti constitutum sibi adversarium sustinere nullo modo possint.

 Nam

Nam qui μωρὰς ζητήσεις sectati sunt semper, qui scirent, quomodo germanus propositi Textus sensus eruendus? Quomodo ad auditorum usum exponendus? Quomodo ad consolationis, ad doctrinæ, ad exhortationis fructum, applicandus? Quin deridendos se eruditis proponunt dum vel coram indocto popello scholasticorum more disputant: vel pro verbo Dei venditant id quod in verbo Dei non continetur. Et paucis interjectis:

Vt ergò meo loco juventuti Academicæ consulerem, qui meam de recta studium Theologicum excolendi ratione sententiam rogarunt, iis semper post doctrinam Catecheticam, commendavi accuratam considerationem Textus Biblici: in quo si potentes essent, tum verò illos & eruditè cum quolibet disputaturos, & solide pro concione dicturos, affirmavi. Idem Theologus, quamdiu Embdæ vixit, sæpe illud ingeminabat, & audivi ipse ex ipsius ore sæpius, nunc plusquam tempus esse, *das men der Bibel studirte, Es were genuch gehadert und gezanket*: sat rixis eridique datum. Ipsum verò non alios solum ad hoc ipsum hortatum fuisse, sed & suo exemplo præivisse, postremæ ejus lucubrationes evidentes testes sunt. *Quis non experitur* inquit Clariss. Leidensium Theologus, D. Waleus, *quæstiones plerasque, quibus tantum temporis in multis Academiis insumitur, aut nullum, aut omnino exiguum extra Scholas usum habere?* Et ibidem, *Quantum damni decreta Aristotelis cum divinis dogmatibus conjuncta dederint Ecclesiis, Scholastica Theologia abunde docet, à qua primi illi Reformatores eas cum magna laude repurgârunt. Videndum itaque etiam atque etiam, ne in idem vitium denuò relabamur.* Quod si periculum illud procul abesse intellexisset, certe de eo vir prudentissimus non monuisset. Reverendus Theologus meusque in hac Academia collega, D. Gul. Amesius, *nostri studiosi,* inquit, *eas tantum scripturæ particulas inspicere curant, quas ad locum aliquem communem vel controversiam definiendam ab aliis vident citari.* Et paulo post, *Satis est multis ad ministerium, imperfectum aliquod compendium leviter percurrisse, quamvis librum Dei signatum plane habeant, neque aperiri sibi curent. Et tamen indoctissimus quisque & pessimus audet & potest animum suum effœtum ad SS. Ministerium applicare.*

Orat. de studio Theol. instituendo.

Vide quæso infra p. 157.

Celebris ille Acad. nostræ, dum vixit, Theologus, D. Sibr. Lubbertus b. m. publica oratione, qua aliquot ante beatum suum ex hac vita excessum mensibus Rectoratum auspicabatur, in studiosorum mores & circa SS. Literas socordiam gravissime detonabat, classibusque insuper nimiam in admittendis quibuslibet canditatis facilitatem objectabat. *Nemo*, inquiebat, *tam probrose in Academia vixit, quin admittatur ad examen, nemo tam turpiter in*

exa-

examine respondet, quin ad ministerium perveniat. Hinc Anabaptistæ dicunt, Quales sunt Reformatorum studentes, tales prædicantes. Quid vero belli isti homines jam ad cathedras sublimati agant, malo verbis aliorum, quam meis dicere. Gul. Telingius, vir magni zeli & eruditionis, ait ab hoc hominum genere cathedras disputationibus & controversiis subtilissimis impleri, idque inter homines in catechesi & religionis Christianæ fundamentis rudes, fructu adeo nullo, ut sæpe auditores existiment, sententiam illam, quam bellus Pastor confutavit, ipsius Pastoris & Reformatæ Ecclesiæ esse. Et tamen hunc docendi modum perpetuant, quia tunc in suo versantur elemento, quia hoc unum didicerunt, quia hoc sine labore præstare possunt, utpote qui nec spiritualis vitæ experientiam ullam habuerunt ipsi, nec ullam practicæ Theologiæ impenderunt operam. Hæc * Telingius. Qui paulo post ejusdem argumenti locum ex Bernardo producit, quem ex Belgico versum, quia Bernardus mihi ad manum non est, non pigrabor adscribere. *Semper fere tractant controversias, quia ibi nihil necesse est malos hominum, quibus concionantur, mores redarguere. Oderunt enim plerunque homines conciones ejusmodi, quibus dissoluta ipsorum vita & peccata castigantur. Oderunt disciplinam. Et tamen qui in hunc modum populo norunt gratificari, concionatores discreti appellantur. At quam fervide religionis sint, cujus conscientiæ, & quo zelo accensi sint erga correctionem hominum, Deo & piis Dei viris judicium defero.* Quæ nec à rev. D. Telingio producta, nec à me ex eo descripta sunt, adversus eos, qui pro ratione textuum, locorum & temporum adversus hæreses & falsa dogmata solide & pie disputant, sed illos petimus, qui hoc SOLUM agunt, adhortationes ad pietatem Anabaptistis relinquentes, vel quia in hac palæstra non sunt exercitati, vel quia linguam conscientia ligat. Hi accipiant à me & æquis auribus audiant gravissimam Bernardi censuram, quæ extat in sermone ad fratres in Synodo congregatos.

Vide & infra Pag. 157. testimonium D. Amesii.

* Pag. 86. necessariæ Demonstrationis.

Ad opera vos invito, vos maxime, qui pastores estis animorum, qui alios non debetis destruere, sed instruere. Vos inquam maxime, quia soli non potestis perire, qui præire debetis docendo & operando. Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per prava dogmata, hoc faciunt hodie plures per mala exempla. Seducunt sc. populum & inducunt in errorem, & tanto graviores sunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis.

Columna 1349. Edit. Hervag.

N. B.

Sed quid his recensendis & me & vos delasso, Auditores?

An-

Annon videmus hisce oculis nostris, vacua esse eorum, qui Scripturas interpretantur, auditoria? Annon ignotus in Evangelicis Academiis hospes est practicæ Theologiæ Professor? Annon ipsum nomen CASUUM *conscientiæ* ludibrio apud plerosque etiam professione Theologos, est? Annon qui istos tractant aut subinde ore usurpant, per contemptum à profanis CASUALES vocantur? Annon obstupit & ad rei novitatem attonita fuit nostra juventus, cum ante quadriennium Rev. D. *Amesius*, in præsens Academiæ Rector, professionem Theologiæ practicæ ab eruditissimis de conscientia thesibus auspicaretur? Annon contemptui apud multos sunt, qui suarum concionum tramam & stamem ex sola Scriptura depromunt & pietatem potissimum urgent? Annon male tractantur & petulantissimæ cujusque linguæ verbere flagellantur, qui ab inanium subtilitatum vorticibus ad Biblica & practica studia juventutem revocare satagunt? Loquantur etiam Francii & J. Tarnovii præloquia. Quorum ille insuper in ipso operis de interpr. Scripturæ titulo testatum facit, dictum opus singulari Electoris gratia, post varias censuras aulicas & Academicas, in dias luminis oras prodiisse. *Vtendum tibi erit*, inquit idem epistola quadam ad D. Joh. Tarnovium, *eadem patientia, qua mihi cum primis opus fuit, annis proxime elapsis sex & amplius.* Dic bona fide, venerande Senex, quot passibus exstimas barbariem à tua Academia & Saxonia tunc temporis abfuisse?

Vide Præfat. J. Tarnovii in Ionam.

Sed jam opinor, currentis sermonis rotæ sufflaminandæ sunt. Audivistis vota & lamenta virorum pietate & eruditione eminentium. Monstravi vobis viam, quam illi triverunt. Monstravi scopulos, quos ipsi vitarunt. Vos ex his capite, quod vobis ex usu sit. Disputationes omnes, arrige aures calumnia, non damnant. Sobrias, & quæ super utilibus thematibus, probant, si ab istis instituantur, quorum vita sanctæ professioni respondet, qui fundamenta religionis, inquit Tarn. ex S. codice & catechetica doctrina jam edocti sunt. Studium controversiarum non proscribunt, Illud monent, ne Tyro putet, aliquot controversiarum cancellis universam Theol. circumscribi, atque errorem volunt animis vestris evulsum, *Posse aliquem Theologiæ studere, etiamsi non legat S. Literas.* Illud insuper urgent, ut quæstiones à fructu æstimentur. *Illæ enim quæ nihil ædificant*, inquit Calv. Com. in 1. ad Timoth. repudiandæ sunt, *etiamsi nihil aliud vitii habeant. Quæcunque verò ad contentiones solum excitandas valent, duplici nomine damnantur. Tales porro sunt*, inquit, *omnes argutiæ, quibus ingenium*

suum

ſectum ambitioſi homines exercent. Quemadmodum enim craſſæ in calore nubes non ſine tonitru diſcutiuntur, ita neceſſe eſt, ut ſpinoſæ iſtæ quæſtiones in certamina ebulliant. Meminerimus ergò, ad hanc regulam exigendas omnes quæſtiones, ut eæ demum probentur, quæ ædificant, quæ vero diſceptationum materiam præbent abſque fructu, tanquam Eccleſiâ Dei indignæ, reſpuantur. Hoc examen ſi fuiſſet aliquot ſupra ſeculis obſervatum, etſi multis erroribus contaminata fuiſſet religio; ſaltem non adeo invaluiſſet Diabolica iſta ars litigandi, quæ Theologiæ Sholaſticæ nomen obtinuit. Hæc Calv.

Ad quæ illud liceat mihi addere, niſi idem quoque examen in poſterum in Scholis & Eccleſiis noſtris obſervetur, majores nobis imminere turbas, quam quæ hactenus nos exercuere dum ſubinde in Theologorum ſcholis videmus proponi quæſtiones, non ſolum curioſas, inutiles, & quæ nihil ædificent, ſed &, prout proponuntur, plenas ſcandali & pietatis jugulum petentes. *Controverſiarum ſcientiam*, inquit Cl. D. *Ameſius*, *neceſſariam fecerunt Hæretici. Quod ſi aliquando in eas provincias deportaremini, ubi nullæ hæreſes, cui uſui vobis eſſet veſtra Theologia, ſi illam polemicam tantum didiciſſetis? At contra ſtudium pietatis abſolutè neceſſarium Deus mandavit. Si ergo ſic inſaniamus circa quæſtionum pugnas, ut doctrinam pietatis negligamus, neſcio ſane, an multæ hæreſes non æquè ferè noceant impugnantibus, quos ab utilioribus avocant, ac ipſis hæreticis nocent, quos tamen in magna mala abſtrahunt. Quid ergo? Controverſiæ in Theologicis, neque fugiendæ, neque etiam quærendæ ſunt. Sed ubi neceſſariæ exiſtunt, admitti & ex certis principiis breviter explicari debent. Solida autem Theologiæ ratio, quam poſitivam vocant, in primis ex Script. haurienda eſt & recta methodo imbibenda.*

Rurſus, ne ita vobis linguarum ſtudia commendari putetis, quaſi eæ ſolæ utramque in προπαιδείᾳ Theologica paginam faciant. Sobrie etiam philoſophandum eſt, & utiliores philoſophiæ partes diſcendæ ſunt. Imprimis verò, Logicæ, divinæ iſti judicii Limæ & ingeniorum coti, litandum eſt. Nullam eſſe inter hæc ſtudia ἀντιπάθειαν, nullas inimicitias, præclara aliquot ingenia in hac etiam Academiâ ſuo exemplo docent, quorum exemplum ſi cæteri imitarentur, res Eccleſiarum æquabilius & conſtantius ſe haberent, quæ nunc, dum indoctiſſimi & peſſimi quique ad S. Miniſterium aſpirare audent, non parum fœdantur.

Veſtram autem hic tandem imploro opem, Magn. DD. Curatores, utrum jam inter nos graſſetur morum & literarum Barbaries, an ad portas ſit, veſtri judicii facio. Si jam graſſari putetis, eam

 maſcu-

maſculis decretis expellite. Si imminere, arcete. Indoctorum Miniſtrorum, impudentium & barbarorum rabularum, imperitorum Medicaſtrorum ſatis eſt. Theologis & Miniſtris eruditis, Juriſconſultis literatis, Medicis politis, philoſophis terſis, Rectoribus & præceptoribus doctis, bonarum literarum & linguarum propagatoribus & reſtauratoribus, omnibus autem illis piis, tempus eget, & egebit poſteritas. Reformate ſcholarum & Academiæ ſtudia; & brevi aliam Reip. & Eccleſiæ faciem videbitis. Scio equidem vos hoc ex animo velle. Et vero vos hoc etiam poſſe, omnes boni ſperant. Magna eſt, fateor, in Rep. noſtra omnium rerum vertigo, ſed eam ex ſcholis diſſolutis & Academiis male conſtitutis, magnam partem fluere, hinc eſſe primam malorum labem, iidem cenſent. Equidem, ſi adverſus veſtrum quoque zelum, veſtramque authoritatem invaluit hoc monſtrum, nobis propemodum deſperandum cenſeo. Sed cauſam de VV. AA. deſperandi nullam habemus. Adeo præclara maſculæ virtutis veſtræ documenta dediſtis. Magnis animis & pectore firmo nunc opus eſt. Olim animi in literas propenſi tantum, nunc conſtantiæ periculum ſubitur. Eo enim jam deventum, utor verbis magni Heinſii, ut vel eruditio ac virtus, tanquam clypeus, abjicienda, aut pro iis fortiter pugnandum ſit. Porro ut in acie afflicta ac à cæteris deſerta, qui poſtremus omnium tuetur locum, robur partis, cauſa ac momentum victoriæ habetur, quia animos ab hoſte, à calamitate ſumit vires: ita hac ætate plus meretur qui non ceſſat, quam ſuperioribus, qui aliquid cum multis laude dignum præſtiterunt. Quod ad clariſſimos Academiæ hujus Profeſſores, collegas meos honorandos, attinet, quiſque ſpartam ſuam exornabit, veſtriſque AA. in propulſando hoc monſtro auxiliares præbebit manus. Quod ad me, novi quam exigua in me ſit juvandi facultas, attamen inter eos, quibus prompta voluntas eſt, profiteor me velle.

Αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

D. I X I.

S P E-

SS. Ministerii Candidatorum qui minus digne Evangelio vivunt.

COmmunicavit mihi aliquando pius & celebris quidam Theologus epistolam, quam ab amico quodam acceperat. Is aliquandiu Ecclesiæ cuidam, quæ celebri loco sub cruce est, inserviverat: Et quidem cum laude & fructu. Lubet autem ex ea decerpere, quæ ad rem mihi pertinere visa sunt. Nomen authoris, ut & locorum, cur subticuerim, causas habui. Sciat tamen Lector, inculpatæ vitæ & insignis eruditionis hominem esse.

...... Forsan à Domino .... permanavit ad tuas aures de mea perturbatione rumor aliquis; si non, nunc lubet illam tibi aperire, tum ut precibus me tuis peculiariter commendatū habeas, tum ut pio (si fieri potest per occupationes tuas) consilio, & documentis instructior evadam. Res ita se habet. .... Synodus ante biennium misit me .... ut ministerium obirem, testis est mihi Deus, me illuc alacri & generoso ivisse animo. Istic aliquandiu non sine fructu per Dei gratiam versatus sum; sed tandem, cum mea simul & Ecclesiæ cui eram præpositus, sese mihi proderent peccata, & viderem me revera νεόφυλον esse; & imparem tanto oneri, & ad tantos, quibus scatebat ille cœtus, abusus reformandos ineptum; abjeci hastam, & gravissimo pressus mœrore languebam, non solum ad reliquam curam Ecclesiasticam: sed ad concionandum quoque inutilis, ergo ab Ecclesiæ illius Senioribus rursum ad ...,.. ablegatus sum, ut iis proponerem ea quæ solicitarent tantopere animum meum; illi malum meum meram Melancholiam esse rati, consilium dederunt, ut in Patriam iter susciperem, & parentes consanguineosque inviserem: huic paruí

rui consilio; sed cælum non animum mutant qui trans mare currunt; hoc itinere potius aucta quam imminuta est afflictio; quippe contagiosa carnalium hominum societas reduplicavit mihi mentis ægritudinem: igitur ab amicis & consanguineis libentius aufugi quam accesseram; & hic ...... delitesco apud honestissimum virum cujus filium instruo in bonis literis: hic majori quidem quam olim quiete animi fruor; sed tamen multis adhuc inquietor dubitationibus, quæ à ministerio absterrent animum meum. 1. Internam vocationem non percipio id est, quamvis cupiam potius in ministerio quam mechanico aut alio vitæ genere ætatem transigere, tamen certitudo illa deest, qua spem quilibet recte vocatus fovere debet; Deum suis affuturum laboribus. 2. Præcipua pars veri ministerii hactenus mihi est incognita, neque de ea à quoquam N.B. *præceptorum meorum fui admonitus; sc. quid sit vigilare pro animabus gregis tanquam rationem redditurus? ut ait Apostolus ad Hebr. 13. 17. qualis & quam particularis illa vigilia esse debeat, tum respectu personarum; tum respectu actionum. 3. Denique cum hæc cura adhiberi nequeat sine judicatione, quomodo judicium illud (de quo Apostolus. 1. Cor. 5. 12. & alibi) & qua norma præstandum sit? Præter hæc, de quibus (ut mihi videtur) verus pastor neutiquam ambigere debet, alia sunt varia quæ perplexum me reddunt, quæque privatam personam meam attingunt; sic enim ratiocinari cogor; si ille qui suam domum regere nequit, ad Ecclesiæ regimen vocari non debet; quanto minus illi licebit ad tantum munus accedere qui seipsum in vita sua & meditationibus necdum moderari addidicit: atqui tantum mihi hac in re desit, non mihi solum, sed & aliis constare potest. Hic solent mortales exclamare non esse quærendam aut somniandam in hac vita perfectionem plenam, & intemeratam sanctitatem: at mihi hic ego & iis regero; utinam vel summas saltem sordes & omnimodam imperfectionem devitare possemus, dum horrescimus ad vocem perfectionis, quam tamen scriptura tanquam metam nobis proponit Hebr. 6. studium purificationis*

seriæ

seriæ omittimus, & tanquam sues amici luto in volutabro cæni hæremus, alia parte cum externam meam vocationem intueor; & internam illam animi alacritatem, qua munus mihi tum incognitum subibam considero; cum sciam vocationem externam fuisse legitimam, cum manuum acceperim impositionem, cum sciam me in Spiritu & veritate commotum fuisse quamvis in negotio non satis perspecto; cum sentiam adhuc, & senserim continuo, etiam in gravissimis angoribus, in quibus vel mortem mihi optavi; desiderium inquam solum sine voluntate & cum horrore subeundi; cum inquam hæc omnia contemplor & cogito, cogor ab alia parte memet ipsum condemnare quod à suscepto munere resilierim & admotam aratro manum retraxerim, sic undique mihi ipsi infestus, meque reum peragens in angustiis summis dego; tu mei misertus, noli in precibus me præterire; ita te tuamque uxorem & familiam omnem, Deus Pater noster, in Domino Iesu Christo, omnibus donis gratiæ & prosperitate cumulet & augeat. Amen.

SIXTINI AMAMA
ORATIO ACADEMICA

De barbarie morum, ubi & de præsenti ACADEMIÆ FRANEKARANÆ statu disseritur.

Reverendis & Clarissimis Viris,

D. GULIELMO AMESIO,
D. MEINARDO SCHOTANO,
SS. Theolog. & Pietatis Professoribus, collegis conjunctissimis, felicitatem temporalem & æternam precatur

S. A.

EX quo tu celeberrime D. AMESI, juxta cum Cl. Viro D. JOH. HACHTINGIO Logices Professore diligentissimo, in hanc Academiam intulisti pedem (inferebatis autem simul) aliam Academiæ faciem vidimus. Eodem enim anno in Senatum Academicum, cujus Cl. Vir, D. ARNOLDUS VERHEL tunc Præses erat, liquidis auspiciis allecti, ad primam occasionem, una cum prædicto Academiæ Rectore, intrepidis & commasculatis animis horrendas illas & feroces belluas *Ebrietatem & Licentiam*, quæ hic stabulabantur, ex Academia ejecistis, ac Christianam disciplinam, jam desperatam, Deo, supra quam à quoquam sperari potuisset, benedicente, Academiæ redonastis. Cujus præclari & æterna gratitudine dignissimi facinoris sicuti invidiam apud dissolutam & barbaram juventutem sustinuistis, & quasi præpilatis hastis objecti fuistis soli, ita & æquissimum censeo, ut vobis quoque præ aliis tam egregii operis gloria transcribatur. Neque hic possum silentio præterire maximos & de Rep. nostra meritissimos viros, D. GELLIUM HILLAMA & D. AUSONIUM AYSMA τὺς νυῦ ἐν ἁγίοις, nec non amplissimos viros D. JOHANNEM NYS & ABRAHAMUM ROORDA, tunc in Se-

in Senatu Illuſt. Friſiæ Ordinum conſiliarios vigilantiſſimos, qui auxiliares manus quas promiſerant, promptiſſime præbuere. Hæc princeps cauſa eſt, Cl. D. AMESI, cur tibi hanc orationem, ad cujus calcem ſuper Academiæ noſtræ ſtatu diſſero, inſcripſerim. Te verò, reverende D. SCHOTANE, collegæ tuo adjunxi, quia vos conjungunt pietas fraterna, & qualis inter ejuſdem cathedræ Profeſſores eſſe debet, caritas concordia, & Chriſtianæ diſciplinæ tutandæ zelus. Tu quidem, quæ fati tui felicitas fuit, poſt diſcuſſam atram illam noctem, in hanc Acad. vocatus es: attamen ex eo ejuſmodi dediſti maſculi animi tui documenta, ut quid de te in ſimili tempeſtate, quam Deus clementer ab hac Acad. avertat, Illuſtres Ordines ſperandum habeant, liquido omnibus conſtet. Adhæc, maſculis illis & niſi pietatem ſpirantibus concionibus, quas cum ἐξουσίᾳ ad Academicos habes, potens in Scripturis, vitâ, eorum quoque qui extra Eccleſiam ſunt, teſtimonio, inculpatus, utiliſſimam Chriſto & Eccleſiæ navas operam. Vos denique conjunxi, ceu intemeratos Sacerdotes & Profeſſores purioris illius Theologiæ, cui omnis mea ancillatur induſtria. Valete reverendi Viri, atque hanc oratiunculam, incomptam illam quidem & inficetam, attamen à multis, qui eam audivêre, petitam, æſtimate ab animo offerentis, qui vos merito colit & veneratur. XII. Junii 1628.

In no-

In nomine DOMINI *ac Salvatoris nostri*
IESV CHRISTI.
AMEN.

ANni jam aliquot ivere, Reverendi, Clarissimi, Consultissimi, Nobiliss. & Lectissimi DD. Auditores, cum gravissimus ille JCtus, D. *Timæus Faber* p. m. Academiæ sceptra hoc ipso loco mihi traderet. Laborum & curarum, quæ isthoc anno, velut agmine facto in me incurrebant, etiamnum sum meminentissimus. Non sic ex squallido gurgustio liberationem captivus, ut ego tunc diem illum expectabam, quo ex molestissimis istis Recturæ cotibus & plusquam decumanis fluctibus enavigare liceret. Tandem, post multas atras noctes & fœdas tempestates illucescebat mihi ille Sol, qui me mihi, Musisque meis redonabat.

Credite, Auditores, me lætiori animo & fronte magis erugata hæc sceptra successori meo tradidisse, quam ea vel antea susceperam, vel jam rursus capesso.

Cur tamen grave illud onus denuo mihi imponi passus sim, sub finem orationis suo loco edisseram.

Julius Cæsar ad Rubiconem fluvium, Italiam à Gallia distermimat, paulisper hæsitans, animoque reputans, quam arduam rem moliretur, posteaquam ostento animus esset additus, in hæc verba erupisse traditur, ἐῤῥίφθω κύβος, *jacta esto alea.* Mihi quoque, si licet parva componere magnis, in arduo hoc negotio non parum primitus hæsitanti, Collegarum benevolentia, quæ mihi supra omnia Ethnicorum ostenta est, animum addidit, persuasitque pedem inhanc cymbam inferre, Ex qua cum honeste, nisi major quædam ingruat tempestas, aut infelicioribus ostentis terreat, egredi non possim, jactam aleam video. Deus O. M. qui corda & renes scrutatur, novit, quo animo hanc provinciam susceperim.

Illo igitur Deo, conscientia mea, & collegarum favore subnixus, solvo hanc à litore cymbam, & dico cum Davide, *Auxilium meum à* DOMINO, *qui fecit cœlum & terram.*

Cum vero mihi hoc tempore necessitas partes dicendi imposuerit, vellem tam in manu mihi esset, quam in voto, talia afferre, quæ omnibus jucunda, nulli molesta, singulis utilia sint. Πολυ-

πλέ-

τελέσατον ἀνάλωμα ὁ χρόνος. Ideo religio mihi erit, inani rhetoricatione aures vestras fatigare. Omnia circumspectanti argumenta tale præ cæteris placuit, quod me mei, vos vestri officii posset commonefacere. Nullum autem mihi visum fuit efficacius, quam consideratio præsentis Ecclesiæ status, qui profecto adeo mihi videtur afflictus, ut corneam illi fibram esse oporteat, qui ad solam ejus cogitationem non illacrymet. Ejus dum speculum aliquod in V. Testamenti pagina quæro, oportune occurrit notabilis ille locus Esther. 3. vers. ult. Ad eum, cum bono Deo, paucula dicturus sum. Eum ad meum propositum accommodabo. Auditorum benevolentiam adulationibus captare non didici. Et video illud fere magis ex consuetudine & formulis, quam ex utilitate fieri. Quicquid enim dixeris, accipiuntur fere verba, ut sunt animi audientium. In bonum interpres benignus omne mutat, etiam quod malum est. In malum interpres malignus omne mutat, etiam quod bonum est.

Locus autem iste ita habet.

Rex vero & Haman sedebant ad bibendum, cum civitas Susan esset perplexa.

Verba sunt perspicui, nec egent face Scholiorum. Retexamus breviter historiam. Erexerat Assuerus ad summa honorum fastigia superbum Amalekitam, adeo quidem ut poneret solium ejus supra solium omnium principum regni sui. Omnibus servis suis mandaverat, ut honorem supra humanum, qualis ipsi deferebatur, huic propudio haberent. At generosus ille Mardochæus à se impetrare non potuit, ut ejusmodi honore Amalekitam afficeret. *Sed Mardochæus*, inquit textus, *non flectebat genua, nec incurvabat se coram Haman.* Nec mirum, cum etiam Conon Atheniensis, homo ethnicus hanc προσκύνησιν indignam ratus, eo nomine à congressu Justinus l. 6.
Regis abstinuerit, cum autem hanc Judæi pertinaciam aliquandiu vidisset Haman.

— *Irarum magnos voluit sub pectore fluctus.*

Quid agit? Revocat hunc contemptum ad animum, ita tamen, ut dolorem suum non in lacrymas, sed in ultionis solatia intendat. At facinus illud unius recutiti capite expiari non posse ratus, universæ Judæorum gentis excidium molitur. Et certe, nisi Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς succurrisset, unus dies Judæis omnibus, queis imperitabat

Assuerus, feralis fuisset. Eo usque impium & sanguinarium illud suum consilium ambitiosus ille aulicus provexerat. Ecce enim postquam superstitiosa sors diem monstrasset, gentem Iudaïcam apud Regem criminatur, tanquam regi inimicam & Regno exitialem. Rex annulum tradit Hamani in symbolum traditæ authoritatis, eique potestatem facit literas ad singularum provinciarum satrapas mittendi, ad interficiendum & perdendum omnes Iudæos, tam pueros quam senes, viros, fœminas, uno die, XIII. mensis, XII. Hanc ille oportunitatem non omittendam ratus, celeriter exequitur omnia, cursores exeunt equis celeribus vecti, statimque in Susan affixum est edictum.

Reputate cum animis vestris, Aud. quid animi Judæis fuerit quæ lamenta, quæ ejulationes mulierum & parvulorum cœlo iverint. Ipsi Mardochæo, viro, & quidem prudenti & cordato viro, præ animi pavore

Refugit sanguen atque exalbescit metu.

Ita enim afficitur hoc edicto, ut lacera veste, indutusque cilicio in civitate oberraverit, clamans clamore magno & amaro. In omnibus quoque provinciis erat

Luctus, ubique pavor & plurima mortis imago.

Neque solum Iudæi lugebant, sed & qui Susis erant, melioris notæ cives, Iudæorum vices dolebant. Civitas Susan, Regia illa Regis Assueri perplexa; cives ejus plane consternati & attoniti erant. Quod unum poterant, civium suorum vices dolebant, utpote quos non utilitate publica, sed in ambitionem & sævitiam unius exitio devotos noverant.

In hac totius urbis consternatione, in hoc communi integræ gentis luctu, Rex tamen & Assuerus, calamitatis istius authores, genio iudulgebant, *Rex & Haman sedebant ad bib. cum S. esset perplexa.* Lxx. βασιλεὺς καὶ Αμαν ἐκωθωνίζοντο id est largiori potu & magnis poculis se provocabant. Largiorem enim potationem Græci κωθωνισμὸν vocant. Haman jam defæcato erat animo. Vindicaverat jam injuriam, illudque à se præstitum putabat, ut hoc crudeli exemplo alii deterriti, caverent & horrerent opponere se illi, καὶ ὁμοιωθήμεναι αὐτῷ.

Non de nihilo est, quod hanc compotationem Sp. S. memoraverit. Insignem & admirandam horum hominum crudelitatem ad omnem posteritatem voluit transmittere. Quæ enim hæc erat inhuma-

humanitas, dum tota urbs perplexa eſt, dum ejulatibus & lamentis omnia perſtrepunt, dum lanienam expectant tot inſontes animæ, non ſolum nullo affici dolore, ſed & quaſi in publica lætitia, convivari, epulari, comeſſari & κωθωνίζεσθαι;

Multæ hic ſe offerunt obſervationes, quas ſi omnes laxatis ſermonis rudentibus perſequi ſederet, nimis evagaretur oratio. Mihi, dum temporis, quod ſatis anguſtum eſt, & veſtræ patientiæ habenda eſt ratio, vela aſtringenda ſunt. Itaque tres tantum delibabo. quartæ pluſculum immorabor.

Obſervamus ergo I. Eam fuiſſe ab omni ævo piorum & Eccleſiæ ſortem, pati & affligi. Ipſe Deus hæc fata in ipſo Paradiſo Eccleſiæ prædixit. Retexantur ſacri Annales ab Habel uſque ad Chriſtum. Et rurſus evolvantur acta Apoſtolorum & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & rem ita ſe habere omnes deprehendemus.

Cauſas hujus rei utriuſque fœderis pagina paſſim inculcat. Inter alios Propheta David, *Antequam humiliarer, errabam Domine, at nunc cuſtodio verba tua. Bonum mihi eſt, quod me afflixeris, ut diſcerem ſtatuta tua.* Crux luxuriantibus Eccleſiis oculos aperit, quos res ſecundæ clauſerant, ut videant, quantum à divini verbi tramite diverterint. Crux in memoriam ipſis vocat, unde exciderint. Crux eſt pædagogus ad pœnitentiam. Crux demetit criſtas ſuperbiæ noſtræ,

Submittet ergo ſe homo, qui pulvis & cinis eſt, divinæ caſtigationi & ſine murmure, quò magnus ille Imperator ducit aut vocat, ſequetur. Illud vero imprimis cavendum eſt, ne in cruce & affl. induremus corda noſtra. Niſi meliores evadamus ex cruce, infelix crux eſt. Eſt quoddam hominum genus, qui ſub divina virga devoti & religioſi videntur. At ſimul ac Deus removit virgam ſuam & inducias dat, redeunt ad ingenium: redeunt ad vomitum, tanquam canes. Redeunt ad volutabrum cœni tanquam ſues. Hos optime aſſimilaveris ferro, quod ab igne candens mollius eſt & cudi ſe patitur. Aſt ubi illud igne exemeris, redit ad priorum duritiem. Hi utuntur ſpecie aliqua pœnitentiæ, tanquam lacera veſte, quam pluvio cœlo induimus, ſereno abjicimus.

Observ. II. Inhumanum & illaudabile eſſe, aliis, præſertim ſi injuſte patiantur, non συμπάσχειν, hoc eſt, mutuo moleſtiarum ſenſu non affici. Ecce enim notantur hic Rex & Haman, quod miſerorum afflictione non fuerint commoti. Contra, tacite laudantur Suſani, quod eorum vices doluerint. *Urbs erat perplexa.* Tota urbs. Atqui in ea minima pars Iudæi erant. Ipſi illi barbari, idolorum cultores.

Non questus tenuere suos, magnusque per omnes
Errabat sine voce dolor.

Similia exempla in filia Pharaonis obstetricibus Exod. I. Melitensibus, Act. 28. & Samaritano Lucæ 10. habemus. Neroni, durante isto quinquennio, quo plurima bonæ indolis documenta dabat, cum pro more damnati cujusdam hominis titulo subscripturus erat, ista verba expressit commiseratio, *Quam vellem nescire literas!* Neque audiendus hic est Lipsius, qui non ex Bibliis, sed ex Stoa illud paradoxum deprompsit, miserationem à sapiente & constante viro spernendam esse, quod tractat lib. I. de const. cap. XII. Quo ergo loco Christum habuit Lipsius, qui bis flevisse, sæpius σπλαγχνισθῆναι legitur id est intima commiseratione commotus ex intuitu & commiseratione alienæ miseriæ, etiam eorum, qui juste patiebantur aut passuri erant. Lucæ cap. XIX. *Et ut appropinquavit visa urbe, flevit super ea, dicens, Si nosses tu* &c. Ioh. XI. *Iesus ergo ut vidit eam flentem & Judæos qui una venerant, flentes, infremuit spiritus & turbavit seipsum, & dixit, ubi posuistis eum? Et dicunt ei, Domine, veni & vide. Et lacrymatus est Jesus.* Vt in Christo quoque valeat illud Græcorum.

Ibidem in margine, *Miseratio aliena Sapienti. Nec Christiano quidem prorsus convenit, sano intellectu.* An ergo Christianus infra Sapientem ex Stoa est? Et in textu, *Vt imbecilli malique oculi nota est, lippire ad conspectum lippientis: sic animi dolere viso dolente.*

—— ἀγαθοὶ δ᾽ ἀριδάκρυες ἄνδρες.

Non solum ergo fas, sed & officii nostri est, miserorum vices dolere, præsertim si injuste patiantur. Exigit hoc commune illud vinculum, quo Deus & natura nos constrinxere. Ab uno Deo creati, ex uno Adamo geniti, ex una Heva nati sumus. Omnes imaginem Dei & communis parentis circumferimus. Vna eademque nos excipit tellus. Ex uno aëre respiramus. Sub eodem cœli fornice, in eadem terræ pila vivimus.

Quod si peccati nos reos constituimus, non dolendo, quanto scelere nos obligabimus, si aliorum miseria nos oblectemus? Hæc est illa ἐπιχαιρεκακία, vitium Diabolo proprium: Præsertim si ipsi miseriæ istius fabri simus. Fratres Iosephi cum fratrem in cisternam dimisissent, ut illic inedia periret miser, componebant se ad edendum & bibendum. Platina in descriptione vitæ Pauli II. Pontificis edisserens carceres & tormenta, quibus jussu Pauli 2. præter omne suum meritum subjectus fuit, inter alia commemorat, Vianensium quendam, quem ei Pontifex commissarium dederat, tanquam alterum Minoa stratis tapetibus tanquam in nuptiis sedisse. *Neque hoc contentus,* inquit, *dum penderem miser in ipsis*

cruciatibus, monilia Sangæ Clugiensis attrectans, hominem rogabat, à qua puella donum amoris habuisset. De amoribus locutus, ad me conversus est &c. Aspice mihi execrabile illud propudium, sceleratorum ultimam lineam, non solum Romanorum Cæsarum, sed & omnium bipedum facile nequissimum, Neronem. Dicente quodam in sermone communi,

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Imo inquit, ἐμοῦ ζῶντος. Planeque ita fecit. Nam quasi offensus deformitate veteris urbis & angustiis flexurisque vicorum, urbem incendit. Cladem illam valde exaggerat Tacitus Annal. xv. Per sex dies septemque noctes, inquit Suet. ea clade sævitum est, ad monumentorum bustorumque diversoria plebe compulsa. Misera erat urbis facies, omnia lamentis perstrepebant. Nemo restinguere incendium audebat, minis prohibentium, qui se auctorem habere clamabant, terrebantur omnes. Quid Nero? *Ipso tempore flagrantis urbis*, inquit Tac. *inivit domesticam scenam & cecinit Trojanum excidium, præsentia mala vetustis cladibus assimilans.* Sueton. *Hoc incendium ex turri Mecœnatiana prospectans, lætusque flammæ pulcritudine, uti ajebat ipse, incendium Trojæ in illo suo scenico habitu decantavit.* Quæ ibidem porro in hanc rem sequuntur, apud ipsos illos scriptores legere est. Sed facessamus ab hoc monstro, & gradum faciamus ad

OBSERV. III. Necessarium officium Christiani esse, commoveri miseriis & persecutionibus eorum, qui pertinent ad idem corpus mysticum. Si hoc Regis & Hamanis, qui Judæi non erant, factum, ceu inhumanum & turpe à Sp. S. traducitur, quanta σκληροκαρδία, quantum scelus erit, Christianos Christianorum miseriis invicem non commoveri; Si cives Susani Judæorum vices doluere, cum quorum sacris nihil commune habuere, quanto æquius erit, Christianos Christianis συμπάσχειν; *Sicut in uno corpore multa habemus membra*, inquit Apost. Rom. 12. *eademque membra, non eandem functionem habent. Ita nos multi unum corpus sumus in Christo singulatim alii aliorum membra.* Ita Danielem & Nehemiam, licet in exilio bene haberentur, miseratio erga populares graviter exercuit. Legantur ipsorum libri. Nehemias à Rege suo clementissimo jussus causam sui mœroris dicere, *Quomodo non esset afflictus vultus meus*, inquit, *cum civitas ipsa, locus sepulcrorum majorum meorum, vastata, & portæ ejus maneant consumptæ igne?* Hoc ergo re-

quirit commune illud vinculum spiritus, spiritualis illa cognatio, Christiana charitas.

OBSERV. IV. Et ultima, in qua pedem figam, illa esto. Horribile peccatum & desperati status indicium, est, in communi Ecclesiæ miseria secure genio indulgere. Si non συμπάσχειν est peccatum, quantum scelus, genio indulgere; Si hoc Hamanis & Assueri factum dignum censura censuit Spiritus Sanctus, qua censura Judæos notasset, si qui inter eos, sive primores, sive plebeii, in hac ἀγωνίᾳ bacchanalia vixissent; Audiamus ipsius Dei increpationes Amos VI. *Væ accumbentibus in lectis eb. comedentibus agnos è grege & vitulos è medio saginarii, modulantibus ad præscriptum nablii, bibentibus ex crateribus vini, neque afficiuntur ægritudine propter confractionem Joseph.* Jesa. XXII. 12. *Cum vocaret Dominus exercituum ad fletum, ad planctum, ad calvitium & cilicium: Ecce lætitiam & gaudium, occidendo boves, comedendo carnes & bibendo vinum, dicentium, Edamus, bibamus, cras moriemur.*

Arguunt hi mores defectum caritatis erga proximum, erga Deum, arguunt mortem spiritualem. Membra illa, quæ nec dolorem sentiunt ipsa, nec ullam cum aliorum dolore συμπάθειαν habent, mortua, & ense resecanda sunt.

Et jam opinor tempus erit ut cum hac Judeorum calamitate præsentis Ecclesiæ miserias, cum hac Regis & Hamanis profana impietate, nostros mores componamus. Conspiravit à tot jam retro annis in Evangelicorum excidium Romana Synagoga. Anno 1619. classicum S. belli cecinit *Gasper Schioppius*, domus Austriacæ consiliarius. Ille enim Cæsarem de ipsius erga Lutheranos officio, libello, quem ex professo super hoc argumento scripsit, edocturus. mollibus & lentulis consiliariis in maximam malam crucem ire jussis, cap. I. in hunc modum Imperatorem alloquitur: *Si una urbium fuerit inobediens & jugum Episcoporum abjecerit, ut novam religionem sectetur, non acquiescens iis, quæ docent sacerdotes, statim percuties habitatores ejus urbis ore gladii, & delebis eam; etiam parvulum & lactentem, qui hoc modo servantur, ne adultiores facti patrum scelere implicentur & æternum pereant.* Quomodo verò principes Evangelicos tractaturus sit, eodem capite docet exemplo Mosis, *cum principes populi*, inquit, *familiariter cum Moabitis comedissent & adorassent Deos eorum, suoque exemplo populum ad eadem facienda induxissent, iratus Dominus ait ad Mosem; Tolle cunctos principes populi & suspende eos contra solem in patibulis, ut avertatur furor meus ab Israel.* Et postquam eodem

eodem cap. Lutheranos principes Diabolum loco Dei adorare, & subditis adorandum proponere, ipsumque adeo Lutherum ab ipso Imperatore pro incarnato Dæmone haberi, assueruisset, cap. 2. sic intonat. *Sic igitur habes, imperator, decretum judicis, ex quo interficere debes omnem summo sacerdoti non obedientem. Idque statim, sic ut non audias eum, quibus argumentis suam sententiam probet neque parcat ei oculus tuus. Imitare Davidem, qui de se Psal. 102. gloriatur, in matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Et paulo post, *VVitebergam in tumulum dißipabis & igne succendes, Lutheranismum in transmigrationem duces, ex Germania exterminabis prædicantes ejus & principes ejus simul.* Et postquam omnes ingenii nervos intendisset & omnes machinas admovisset, quibus superstitiosas mentes facile concutias, postquam imperii translationem & insuper æternas pœnas ipsi denuntiasset, nisi suo huic consilio aures substringeret, proponit ei hoc exemplum: *Cum Benhadad Rex Syriæ, prælio ab Israelitis victus, fugeret in civitatem, dixerunt ei servi, Ecce audivimus Reges Israël clementes esse (quasi dicant,* inquit, *Austriaci pro ingenita sua clementia non facile hostes & rebelles suos debitis suppliciis afficiunt) Ponamus itaque inquiunt servi Benhadad, saccos in lumbis nostris & egrediamur ad regem Israël, forsitan salvabit animas nostras. Quod cum fecissent, Achab præclarum & generosum ratus, victo regi parcere, non modo vitam ei non ademit, sed & insuper fraternam ultro benevolentiam detulit, ac fœderatum à se dimisit. Porro lucrum quod ex hac clementia facturus erat, his verbis continetur, dicit Dominus, quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus & populus tuus pro populo ejus.* Piget tædetque plura huc convectare. Utinam, utinam, Auditores, Deus O. M. in cujus manu sunt corda mortalium, Imperatori & Germaniæ Principibus, sanguinariis istis consiliis advorsam mentem inspiraret! Quid enim hisce jam aliquot retro annis non passi sunt Evangelici, etiam à suo milite, Quis omnes miserias, ærumnas & tormenta recenseat, queis Evangelici à dissoluto milite excarnificati sunt; Quot chiliades hominum pallida fame, &, quæ eam insecuta est, pestilentia, extinctæ sunt; Quot chiliades liberorum ante ora parentum obtruncatæ sunt; Quot matronas & virgines, inspectantibus maritis & parentibus, libidinosus miles temeravit; Quot myriadas hominum recusata Romana religio in exilium misit, relictis possessionibus; Quot ministrorum chiliades sine ulla commiseratione ejectæ, aut tristi mendicitate adhuc vitam trahunt, aut in summa egestate expiravere; Scil. quibus mundus iste & Germania

mania

mania digna non erat. Et quidem hæc licet corpus tantummodo tangant, maxima mala sunt, de quib. vere usurpaveris illud Euripidis, ἔργῳ δ' ἐστὶ μείζονα, ἢ λόγῳ. At longe tristiora illa sunt, quæ animas spectant. Quot hominum chiliades aut imperatoris edicta coëgerunt, aut Jesuitarum institutiones permoverunt Romanam religionem amplecti, orthodoxam ejerare? Quis omnia templa, scholas & Acad. recenseat, olim purioris sacraria & seminaria, in quibus nunc stat abominatio illa desolationis, in quibus nunc potionatur juventus vino venenato scortationis magnæ illius meretricis? Quot jam urbes & vici sunt, ubi petunt panem illum verbi divini, & nemo est qui frangat illis; Quot si Deus O. M. ἀπὸ μηχανῆς afflictis Ecclesiæ rebus non succurrerit, *credite me vobis folium recitare Sibillæ*, habebit brevi Garmania equuleos, & vivicomburia, & quicquid Inquisitorum sævitia excogitavit. Hoc talo stant res Evangelicorum. Ut merito renovare possimus querelam Jeremiæ, *Quomodo viæ Sionis lugent, quod nulli veniant ad solennitatem, omnes portæ ejus sunt desolatæ. Sacerdotes ejus gemunt, virgines mœstæ sunt. Quomodo densa nube iræ suæ obtegit Dominus filiam Sion, quomodo absorbet Dominus sine clementia omnia habitacula Jacob? Quomodo est Dominus similis inimico, absorbet Israëlem, absorbet omnia palatia ejus, plurimum affert filiæ Judæ mœroris & mæstitiæ?*

Miseranda Ecclesiarum Rhæticarum fata jam non tango. Gallicanas Ecclesias aspice, illas,

— *quæ nostro doluerunt sæpe dolore.*

Quis tam ferreus, ut vel sola afflictissimi earum status consideratio omnem ei lætitiam non expectoraret? Certe si unquam, nunc illic est dies caliginis & tenebrarum, dies angustiæ & obscuritatis. Est dies, quo venerunt filii ad os matricis & non est vis ad pariendum. Sed solabitur forsan aliquem lætior nostrarum facies. Equidem, Auditores, bipedum essemus ingratissimi, nisi grato animo agnoscentes admirandam illam Dei nostri benignitatem, cum Jeremia diceremus, *Summa DOMINI benignitas est, quod non simus consumpti: quod non finiantur miserationes ejus. Novæ sunt singulis matutinis.* Miraculum certe est, quod in hunc usque diem subsistimus. Miraculum inquam est, sive ad hostis nostri potentiam, sive ad civiles discordias & confusiones Reip. nostræ respiciamus. Communis hostis metum, concordiæ vinculum esse, politicorum canon est. Nobis Hannibal ad portas est, & tamen ambitio & avaritia

ritia civiles discordias alunt. *Principes tui contumaces sunt & socii furum*, ajebat olim Jesaias. Nos quoque in Rep. nostra fures habuisse, jam, opinor, fas erit dicere, postquam publico judicio rapaces quidam Veteres repetundarum postulati & condemnati sunt. Stamus tamen adhuc. Saltem nondum cecidimus. Dicam forsan verius, vacillamus & titubamus instar hominis ebrii, aut vertiginosi. Quis enim vere dixerit nos stare, ex quo nostris collegiis magnus ille consilio & amplus actione Deus non, ut olim, præsedit. Ex quo exercitus nostros non, ut olim, ductavit. Ex quo cœperunt omnia terra marique

In pejus ruere & retro sublapsa referri.

Ex quo Deus cœpit truncare hoc Reip. corpus, & lentis ictibus per spiramenta temporum sic flagellare, ut sentiamus nos mori. Ex quo tributa & onera crevere, negotiationes contra, primarius Reip. nostræ nervus, decrevere. Adhæc fœderatos nostros difficillimis bellis implicitos, & in se invicem sævum convertere ferrum videmus. Æmulationes inter Regna & Resp. magnæ sunt. Hostis imperium maris non amplius nobiscum divisum, sed, quæ nostra vel socordia vel stupor est, fere solus habet. Summa summarum huc redit, ut cum pio Josaphato dicamus, *non est in nobis vis obsistendi magnæ isti multitudini invadenti nos*, & addamus insuper ista, magnæ sunt in Rep. nostra confusiones, nutant columnæ hujus domus, *nos nescimus quid facturi simus, sed in te defixi sunt oculi nostri.*

Consideravimus paucis præsentium temporum calamitates. Quam vellem, Auditores mihi hic liceret esse disertiori & prolixiori! Experior enim dum hac oberro chorda, esse aliquod calamitatum delinimentum, dedisse lacrymas malis & pectus laxasse suspiriis. Sed alio properat oratio. Componendi nunc cum afflictissimo hoc Ecclesiæ statu, præsentis ævi & Ecclesiæ mores sunt. Cum Susan erat perplexa, Rex & Haman sedisse ad bibendum traduntur. Quid dixisset θεόπνευστος scriptor, si Judæorum primores, ipsique Judæi genio securi indulsissent? Hoc profecto monstri instar fuisset. Sed quid inter nos fit? Ego profecto quoties lego, Imperatorem, Episcopos, Principes & Duces Pontificios signa lætitiæ dedisse, splendidis conviviis, spectaculis & venationibus animos laxasse, non possum admodum indignari. Illis enim ex voto fluunt omnia. Crebrescunt ipsis optatæ auræ. Ipseque adeo Imperator putat, opinor, se Ecclesiæ R. pomœria extendendo

rem Deo gratam præstare. Hunc rerum suarum successum, zeli & pietatis suæ præmium interpretantur Pontificii. Quid igitur mirum esset, si dulci fortuna ebrii, quotidie Bachanalia viverent? At ipsos Evangelicos seu Protestantes in communi hac calamitate sedere ad bibendum, hoc est, genio indulgere, quam profanum, quam ab omni ratione alienum est?

Politici de causis occasuum Rerump. & regnorum multa commentantur. Nos ex verbo Dei certissimum habemus Canonem, certissimam & unicam causam esse peccata. Hujus rei evidens documentum in civitate Jerusalem habemus, urbe illa, cujus olim portas dilexit Deus supra quam ulla tabernacula Jacobi. Habemus exempla in Epheso, Smyrna, Pergamo, Sardis, Philadelphia, Philippis, Colossis, quarum fata nostis omnes. Quod si hoc tempore Deo O. M. placeret excitare Prophetas & eorum calamo consignare annales regnorum & provinciarum quę superioribus annis vastatæ sunt, proculdubio hæc aut similia legeremus, *cum mitteret Deus ad ipsos nuntios suos inde à diluculo continenter, subsannabant nuntios Dei. Ideo ideo accensus est furor Domini contra eos, ut non esset curatio. Ideo superinduxit iis Deus tales exercitus, qui avulserunt tabernaculum ex loco suo, qui interfecerunt juvenes eorum gladio, filias & uxores eorum constuprarunt, neque clementia usi sunt erga senem & grandævum.* Qualia fere cap. ult. 2. Chron. Spiritus S. consignavit. Et annon justissimum est, ut illi, quos benignitas & patientia Dei ad frugem revocare non potuere, experiantur, quam amarum & malum sit Deum relinquere? Certe hoc casu, etiamsi Moses & Samuel, Job & Elias starent coram Domino, iram Dei deprecaturi, audirent duram illam vocem; *Ne orate pro populo isto in bonum, nam non exaudirem vos.* Tantumque abest, ut pereuntium lamenta Deum moveant ad commiserationem, ut Deus profiteatur se ex iis voluptatem & consolationem capere. Prov. 1. *ridebo in calam. vestra, & subsannabo, cum advenerit, id, quod expavescitis. Eritque,* inquit Moses Deut. 28. 63. *ut quemadmodum lætabatur Dominus de vobis, benefaciendo vobis, sic lætetur de vobis, exscindendo & extirpando vos.*

Illud extra omnem controversiæ aleam pono, ex quo Sol Evangelii Germaniæ illuxit, nunquam tam aspera eam ursisse fata, quam jam urgent. Quid ergo? *An Deus injustus est qui infert pœnam?* Absit, inquit Apost. Rom. 3. 5. *Alioqui quomodo judex erit mundi?* Deus non solet terram implere plagis, antequam terra peccatis repleta

est.

est. Cum Sodomorum iniquitas completa esset & cœlo irent eorum abominationes, tum demum extra ordinem eos punivit Deus. Ab extraordinariis plagis, quæ integris Regnis & urbibus superinducuntur, ad extra-ordinaria peccata, optima in sacra Logica est consequentia. Frustra clamamus cum Judæis, *Templum Domini hic est*, frustra cum Judæis rectas facimus vias nostras, peccata nostra testantur in faciem nostram, nos esse filios degeneres gentem peccatricem, populum gravissimum inquitate, semen maleficum. Res ipsa loquitur, ipsam Dei Ecclesiam, quæ in ejusmodi casibus Dei placatrix esse debeat, nihil aliud quam exacerbatricem esse. Et si pauculos pios excipias, Christianorum cœtus multis in locis nihil aliud esse quam sentinam vitiorum.

Sed dices, an is fuit Germaniæ, an is in præsens est Belgii status, ut tale stigma mereatur? Nolo mihi credi. Producam contra Germaniam hominem Germanum, non patriæ indecorem, sed gravem, antiqua fide & virtute Germanum, non furiosum, sed moderatum Theologum, *Abrah. Schultetum*, qui in notis ad v. cap. Jesa. hæc habet, *Status politiæ Judaicæ, qualis ea quidem tempore Jesaiæ fuit, typus est cujuslibet ad interitum vergentis Reip. At non est Resp. sub Sole, quæ exactius profligatos illos Judæorum mores exprimat, quam hæc nostra Germanica; unde conjectant prudentiores, aut interitum universalem aut cladem certe insignem ei imminere.* Hæc. Schult. ante tot annos. Sed ne Germani quiritentur, nos minus æquos judices esse, addimus lubentes, nostram quoque Belgicam refertam esse abominationibus, ab una extremitate ad alteram. Addo, eo gravius esse nostrum peccatum, quo majori patientia nos tolerat Deus. In nos quadrare gravissimam illam Dei sentententiam apud Jerem. 3. *Dedi Israëli libellum repudii, nec tamen timuit perfida Juda soror ejus sed abiens ipsa quoque scortata est. Fuitque præ famosa scortatione sua, ut contaminaret terram. Quapropter dixit Dominus mihi, justificat seipsam aversa Israel magis quam perfida Juda:*

Non est mihi prolubium in aulas, curias, consistoria vel Germaniæ vel Belgii penetrare. Non ego ruspando ventilabo principum adulteria & rapinas, profanum nominis divini abusum, horribiles imprecationes, diras, & plusquam belluinam ebrietatem. Non ego arguam ebriosos consiliarios, viros tantum strenuos ad bibendum & vires roboris ad exhauriendos magnos culullos. Neque lubet hic παραδειγματίζειν furiosos & πικρολόγους illos Theologos, non tam pacis quam belli præcones, non ego jam illud tan-

gam, quomodo ſinguli brachium carnis ſuæ conſumſerint, quomodo Manaſſes contra Ephraim ſteterit & Ephraim contra Manaſſem. Non conquerar de ſublata omni diſciplina Eccleſiaſtica & illata omnimoda licentia, qua uno eodemque die ad ſacram menſam accumbere & ad vomitum ſe ingurgitare impune fuit. Academias viſamus & in iis figamus pedem. Et quidem hoc eo lubentius faciam, quia ſermo mihi eſt ad Academicos, quia ab Academiis prima mali labes. Academias Reip. & Eccleſiæ ſeminaria eſſe in confeſſo eſt. Quales ergo Academiæ, talis Reſpublica, talis Eccleſia. Jam vero, qui in Academiis pleriſque Germaniæ vixerunt, & vel micam pietatis habent, uno ore fatentur omnes illas, magis Bacchi & Martis, quam Muſarum ſacraria fuiſſe; *Ibi calamos in pugiones, atramentaria in thecas pulveris bombardici abiiſſe. Ibi irriſui fuiſſe ſobrietatem, pietatem dedecori.* Innoxios adoleſcentes, quos ſtudiorum gratia eo parentes ablegaverant, initiatos in ipſo introitu Baccho fuiſſe, auſpicia vitæ Acad. facta ab infami & plena impietatis depoſitione. De cujus prima inſtitutione nolim temere judicare. Illud ex ἀξιοπίςων relatu habeo, eam pleriſque in locis plane fuiſſe execrabilem: adactos illis fuiſſe innocentes juvenes ad juramentum, & quidem per ligneum *Stephanum*, ſe primo anno ſtudiis non incubituros: nihil pecuniæ ad parentes relaturos. Quod quidem juramentum & reſpectu materiæ & formæ abominabile, cautius ſervatum opinor, quam illud ſanctum & verbo Dei & legibus conforme, quod Academiæ Rectori præſtitum fuit. Accedit & illud, venerabile & tremendum illud Dei nomen multoties, atque adeo ſalutare Baptiſmi ſacramentum pluſquam diabolico imitamento profanatum fuiſſe. Quis in tali actione extremum Dei judicium, vel horam mortis expectare fuiſſet auſus; Duella creba, quæ non ſolum gladiis ſed & ſclopetis peragebantur. Belluinæ compotationes aſſiduæ, nocturnæ graſſationes ſine intermiſſione. Vexationes juniorum, qui ſplerunque ſenioribus meliores & innocentiores, intolerabiles, addo & injuſtiſſimæ. Quis enim ferat, modeſtos & rerum ſuarum ſatagentes, à nebulonibus & decoctoribus & vere bacchantibus, *Pennales*, *Bacchantes* per contemptum appellari? Auſim pignus in omnes fortunas meas dare, vix centeſimum ferocium iſtorum Bacchantium veram notionem & originem iſtius criminationis intelligere Βακάντης, ſequiori ævo ex Latino *Vacans* factum eſt, Suidas, Βακάντης, σχολαστὴς id eſt, otioſus, & Βακάντιβος, σχολαστὴς, μὴ παρεδρεύων τῷ πράγματι αὐτοῦ, id eſt, *otioſus non aſſiduus in ſuo negotio.* Hoc

Joh. Boterus de orig. urbium lib. 2. cap. 4.

ergo

ergo convitium in feroculos istos quadrat, qui in Acad. vagantur, nihil minus quam studia curantes, qui infra dignitatem suam existimant lectiones audire, collegiis misceri: carcinomata ordinis scholastici, Deo & hominibus infesti, duplici nomine infames, per quos fit, ut divina & hummana studia male audiant. Hæc dum in Germanorum Academiis odimus, ipsam nationem odisse per insignem calumniam dicimur. Atqui per Dei gratiam sunt adhuc Germani, qui hos mores detestantur. Sunt adhuc in Germania qui mores istos perosi, eo nomine liberos suos huc misere & mittunt. Serenissimus quoque Suecorum Rex hoc nomine nonnullas Germaniæ Academias in Academiæ Upsaliensis statutis censura notavit. Cum ergo is fuerit Academiarum status, cum ex talibus seminariis prodierint superintendentes, & Ministri & Principum consiliarii quis miretur, paucorum aliquot piorum conciones & commonefactiones frustra fuisse? Quis sævitiæ incuset Deum, quod tandem manum exseruerit?

Sed dices, tempora illa jam transiisse. Nunc, ex quo flagellare Evangelicos cœpit Deus, alium vitæ cursum instituisse. Respondeo, etiamnum de Evangelicis tam in Belgio quam ipsa Germ. dici illud posse quod jam tractamus, eos vid. sedere ab bibendum, dum Susan est perplexa. De Germania rem iterum testatam faciam verbis Germani. Is est *Paulus Tarnovius* Theol. primarius in Acad. Rostoch. Professor, vir pius & eruditus. Is ante quadriennium in Acad. sua orationem habuit de novo Evangelio. In ea solicite inquirit pia anima, in primam & præcipuam causam tantarum calamitatum, quibus Evangelicæ Ecclesiæ inundant, & omnes Academiæ perituræ videntur. Illam assignat *opinionem quandam & persuasionem exitialem, quæ primum mundum & Jud. Remp. perdidit. Quæ Novi quoque Testamenti cœtus vastat & scholas destruit, Respublicas evertit.* Eam vocat *novum Evangelium*, non quod hodie aut nuper illud natum sit, sed quod post antiquum in Paradiso promulgatum statim invaserit Ecclesiam. Illud definit *dogma de misericordia Dei Patris, remißione peccatorum, salute æterna per externum Dei cultum consequenda.* Vel aliter, *inanem persuasionem de gratia & misericordia Dei, non ex verbo Dei notam, sed ex arcano consilio Diaboli natam, credulitate hominum carnali securitate laborantium conservata, in qua ipse promittit immunitatem pœnarum, vitam æternam, omnibus externum cultum præstantibus & verum Christianismum ore tantum profitentibus.* Hinc illæ lacrymæ, inquit, quod Deum non esse tam acrem vin-

ficem aut severum judicem peccatorum somnient, modo orthodoxæ doctrinæ hæreant, conciones audiant, hymnos canant, cœnam Dominicam percipiant. Sint duo pluresve eorundem parentum filii, unus bonæ indolis, alter pravæ, faciat uterque officium ex æquo, dum ætas, metus, magister, prohibent. Post, ubi liberior datur videndi potestas, alterum in officio contineat amor filialis, alterum metus exhæredationis. Utrique si tanquam custos adhibeatur servus, idemque magister improbus, is ægrotum illum animum ad deteriora facile flectet, nec difficulter sanum illum de integritate mentis deturbabit. Ridebit hæc forte non nemo, inquit, qui me tam puerilia in tam grave theatrum producere mirabitur. Cui non inconvenienter cum poëta Venusino respondero, *Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur.* Non enim in privatis ædibus tantum, aut scholis inter pueros, sed & in Academiis inter juvenes, in Ecclesia inter viros & senes, tales magistri improbi sunt, illic quoque huic scenæ extruendæ amplissimus conceditur locus. Nam simul ac è scholarum trivialium claustris emissa juventus in Academias infert pedem, non modo palam fit, quo quisque, sit ingenio, sed qui malo, indies fit pejor; qui bono, raro evadit melior. Hoc debetur novi Evangelii præconibus & professoribus. Et hæc, inquit, publica disciplina foventur, quæ ita in omni statu tam Eccl. quam Polit. collapsa est, ut pio intelligenti, hanc morum & temporum corruptelam intuenti, in mentem venire necesse sit illud Prophetæ, popule mi, qui te ducunt, seducunt. Vide enim quid agatur. Postquam per omne genus flagitiorum libere decursum est, si unam doloris sui indicem valde fallacem ediderint & veniam delictorum flagitaverint, tum se in cœlo esse sibi persuasum habent, ejusque suæ opinionis pignus cœnam Dom. postulant & quamtumvis canes & sues sunt, impetrant. Quis vero honestus princeps in suam aulam, ad suam mensam admitteret omnibus flagitiis ex mera petulantia insignes, nec ad meliorem frugem reversos? Quis bonus paterf. in ædibus suis & convictu tam sui dissimile toleret famulitium? Et nos erimus adeo mentis inopes, ut sola stulta credulitate nobis persuadeamus, quod terrenis Dominis & patribus intolerabile novimus, id cœlestem illum patrem, Dominum illum dominum approbaturum? Hæc fere Tarnovius. Quod de Germanicis Ecclesiis verbis D. Tarnovii dixi, de Belgicis nostratis Theologi verbis edisseram. Is est Rev. vir, D. Gul. Telingius, qui in omnibus

bus

bus propemodum scriptis suis hoc agit, ut ostendat, quam patentes fores Diabolus in his provinciis huic novo Evangelio aperuerit. Alibi conqueritur, doctrinam de justificatione solius fidei absque operibus hoc tempore eodem modo tradi & urgeri, quo initio reformationis tradebatur. Tunc exigebat necessitas, ut sola fides urgeretur, extirpando pestilenti de merito bonorum operum errori. Nihil in solius fidei inculcatione erat periculi, quamdiu illis, qui à Papatu desciverant, serio propositum erat, sancte & huic doctrinæ convenienter vivere. At postquam contra iverunt omnia, postquam salutaris hæc doctrina in licentiæ parrocinium advocari cœpit, postquam operi operato, hoc est, externo cultui plusculum tributum est, non quidem ista doctrina silere debuisset, sed insuper (magis vehementer, εὐκαίρως & ἀκαίρως docendi fuissent Evangelici, de natura & criteriis veræ justificantis fidei. Ut vid. major eorum, qui Christianismum profitentur, pars intelligeret, quanto adhuc intervallo à fide justificante abesset præsumptio. Siquidem in ea incidimus tempora, inquit idem, queis Atheismus securitas & præsumptio adeo invaluere, ut negotium salutis ita fere ab omnibus tractetur, quasi nihil facilius esset, quam per portam illam angustam ingredi. Hoc est novum illud Evangelium, Auditores, quod ceu, pestilens aliquod sidus tot in Ecclesiis Evangelicis homines afflavit, ut qui de hoc negotio ex verbo Dei & communi vita judicare velit, intrepide pronuntiaturus sit, inter eos qui Christani, Evangelici, Reformati & membra Ecclesiæ dicuntur, longe plures esse qui pereant, quam qui salventur. In sano de rebus divinis sensu & nudo assensu, in formulis & ceræmoniis fere acquiescimus, de abnegatione nostri, de crucifixione carnis & cupiditatum nostrarum parum aut nihil cogitamus. Ut non secundum carnem sed secundum Sp. mundo mortui, Deo vivamus, ne aliis præbeamus offendicula, ut inculpati & simplices vivamus, in medio generationis pravæ & perversæ splendeamus tanqvam faces in mundo, parum pensi habemus. Et tamen si hæc à fide nostra absunt, non potest esse fides justificans. Hanc; quam dixi, præsumptionem evidenter in uno Ebrietatis peccato ostendam. Quotus quisque, etiam eorum, qui hoc loco in hac urbe, inter membra Ecclesiæ censentur, Ebrietatem, uti par erat, detestatur? Multos videas quotidie sedere & ex professo componere se ad potandum, mane surgere ad potandum, protrahere potationes usque in noctem. Videas eos dies sacros & negotiosos juxta

æstu-

æstumare. Quin & parascevas istius diei Dominici, ipsumque illum diem, quo ad sacram mensam accumbimus, potando consumi. Veniunt ad conciones, canunt cum Ecclesia hymnos & externum illum cultum præstant. At post conciones redeunt ad ingenium. Non prolectati, sed sponte sua, & insuper alios prolectantes. Isti aut statuunt, Ebrietatem non esse tam grave peccatum, ut eo nomine ex regno Dei excludendi sunt: aut suæ, quam jactant fidei, ista peccata condonatum iri sperant. Si prius, pestilentem, & qui fundamentum salutis evertit, errorem errant. Si posterius, jam in hanc præsumptionem delati sunt & insuper in doctrina de fide justificante talem errant errorem, qui rursus fundamentum salutis ab ipsa stirpe convellit. Et hi tamen tam pestilentes errores, hi mores publica disciplina multis in locis foventur. Audias alibi simplicem idiotam aut mulierculam excommunicari, quod ad Pontificios vel Anabaptisticam sectam desciverit. Non culpo; sed illud doleo, adversus talia carcinomata Ecclesiasticæ disciplinæ aciem hebescere. Nam nisi talia propudia reformatæ Ecclesiæ tolerarent, non tot simplices animæ ab Ecclesiarum nostrarum septis arcerentur, aut admissæ deficerent. Imo mirantur cordati viri, non plures ab Ecclesiis nostris ob unam hanc causam facere divortium. Sed videamus aliud. Is, quem supra nominavi Telingius, alibi conqueritur, multos in Ecclesiis Belgicis non tantum discentes, sed & docentes, totos in eo fuisse, sibi & populo ut persuaderent, ex plagis istis extraordinariis non posse semper evidenter concludi tantam morum corruptelam & tantam DOMINI erga Remp. vel Ecclesias indignationem, qualem nonnulli prædicabant, quos per contemptum, Casuales, Præcisianos, Puritanos, Pharisæos, & nasutulos appellatos fuisse dequeritur. Ita vita illa & anima veræ religionis, Sanctitas, sine qua nemo videbit Deum, sine qua fides exanime cadaver est, sub mantello hypocriseos, pharisaismi & melancholiæ traducta est. Sed mirum non est, imperitos & profanos quosdam juvenes, qui tabernas & lupanaria adhuc olentes, ne speciem quidem habentes pietatis, ad cathedras admissi sunt, hic cœcutire, aliisque qui acutius hic vident, & in Schola Sp. S. majora fecerunt spatia, insultare. Inimica quippe semper virtutibus vitia sunt, & optimi quique à malis tanquam exprobrantes aspiciuntur. Videtis rursus, Auditores, magnam hujus mali partem ex Academiis pullulare.

Sed tempus est, ut ex hoc quoque orationis diverticulo in viam

redeam

redeam & finem orationi imponam. In plerisque Germaniæ locis & Academiis etiamnum veteri more vivi, dum Evangelici ubique sub afflictionum pondere gemunt, volui ostendere. Qui ex superstitibus Academiis hoc anno ad nos descenderunt, idem uno ore affirmant. Inter ipsos quoque Academiarum Professores, etiam professione Theologos, non deesse, qui præsentium temporum tædia vino quotidie pellant, non sine horrore narrantes audivimus. Horum symbolum & quasi intercalare est illud, non Christi, sed ebriosi Anacreontis carmen, ὅταν πίω τὸν οἶνον, Εὕδουσιν αἱ μέριμναι. Cui ego hominum generi vel Demetrii saltem mentem ex animo precor, qui, cum in Seleuci potestatem, teste Plutarcho, devenisset, primo quidem poculis & aleæ se dedit, iisque tempus transmisit, quo præsentis miseriæ cogitationes, quibus inquietabatur sobrius devitaret, & ægram crapula velaret mentem, at tandem æquanimitatem & patientiam meliora curarum animi remedia esse didicit. Sed descendamus rursus in Belgium. Non curo quid in publicis Belgii collegiis & provinciarum comitiis agatur. Non quæram, utrum illic fortassis quoque non sint, qui frequentiores & lubentiores sedeant ad bibendum, quam ad consultandum, ne quid detrimenti vel Resp. vel viduarum & orphanorum causæ capiant. Non anquiro, utrum illos mores in Academiis forsan non imbiberint. In Academiis nostris quam multi sunt, etiam inter eos qui se sacro ministerio distinatos profitentur, qui magis in tabernis, quam Museis & auditoriis habitant? Quos nulla calamitatum, quibus nunc ubique Evangelici opprimuntur cura tangit? qui ad illas, quibus undequaque cingimur, indagines, oculos claudunt? Egregia certe membra mystici istius corporis, seu Ecclesiæ, in qua ministerii sortem jam sibi desponderunt! O propudia, ὦ κακ' ἐλέγχεα! Annon hoc est sedere ad bibendum, dum Susan perplexa est? Annon hoc est omnes miserationes cum impiis Edomæis exuere? Aspice mihi rursus feroces illos Cyclopes, Canes illos venaticos, crumeni-mulgas, in novellos & innoxios instar prædonum irruentes, intoleranda tyrannide prementes, qui sic vitam instituunt, quasi se totos Diabolo mancupio tradidissent, de quibus merito usurpavero illud Virgilianum,

DI talem nostris terris avertite pestem.

Avertite, inquam, quia illud ex vero asseram, nos jampridem hanc Academiæ nostræ navem ista saburra exonerasse. Neque enim &

nostro Athenæo tam licuit esse felici, ut affirmare liceat, ejusmodi Harpyas immundo suo contactu nostra quoque sacra non fœdasse. Vidimus aliquando, Auditores, vidimus ejusmodi belluas, queis

Tristius haud unquam monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira Deum Stygiis sese extulit undis.
Vidimus, & subita multis formidine sanguis
Diriguit, cecidere animi.

Erant, qui non amplius disciplinæ acie,

Sed votis precibusque jubebant poscere pacem.

In ejusmodi tempora superior meus Rectoratus incidit. Capessebam eum, ut clarius loquar, hoc animo, ut eum more antecessorum administrarem, qui hoc satagebant, ne Academiam pejori statu successori traderent, quam acceperant. Et certe rem magnam præstabat, qui hoc vere præstabat. Hæc ergo summa votorum erat. In eo conquiescendum etiam illi suadebant, qui in ordine nostro cæteris ætate & authoritate antistabant. De meliori Academiæ statu nil nisi desperationis voces audiebantur. Quis tristitiam illorum temporum fando explicet? Si ea de re verba facere sederet, nec inuenire principium, nec evoluere exitum possem. Singulas noctes insigne aliquod flagitium nobilitabat, nullum carebat exemplo nefas. Ipsi Reip. nostræ proceres, quibus recta liberorum suorum institutio cordi erat; de mittendis ad hanc Acad. liberis sermones vix sustinebant. Sed ex trivialibus scholis vindicta manumissos mox extra Proviciam ad alias Academias, magnis impendiis, quamvis sæpe non meliori successu, mittebant. Fuit aliquando tempus, Auditores, cum hic non liceret ulli esse pio, modesto, & legum observanti. Exeundum erat ex Academia & Oeconomia, qui sacramenti istius, quod Academiæ dixerat, memor vitam agitabat. Qui à nobis dissiti, & de Academiæ statu ex tot popularium naufragiis edoctierant, Academiam hanc pro derelicto habeant. Quin & publicis scriptis huic Academiæ, quam Christo & Ecclesiæ majorum pietas sacraverat infame illud inustum fuit stigma, BACCHI SACRARIUM. Hæc cum aliquando legerem & audirem, memini me non leviter irasci & in eos destomachari, qui ejusmodi sermonibus Academiam nostram deturparent, aut aures substringerent. At ex quo ipse Recturæ admotus

motus & soluta à litora navi, in altum provectus fui, cognovi rumores istos intra verum stetisse. Multa isto anno naufragia tristis & gemebundus spectavi. Multos generosæ indolis & magnæ spei adolescentes, quos parentes & præceptores integros vitæ à se dimiserant & indulgens hæc mater acceperat, intra paucos dies per initiales istas potationes, quibus in ipso introitu Baccho id est, Diabolo initiabantur, corruptos vidimus, & postea misere periisse audivimus. Præcipua autem horum malorum labes ab ejusmodi Harpyis fuit, quæ isthoc anno solito frequentiores Academiæ nostræ incubabant. Namque, ut clarius mentem meam edisseram, ad vetera Academiæ mala & inveteratos morbos magna miseriæ accessio facta est ab insignibus aliquot & projectissimæ nequitiæ nebulonibus, qui magis incarnatos Diabolos, quam homines moribus exprimebant. Hæc tunc erat fati nostri infelicitas. Passi sumus, Auditores, passi sumus ab istis Harpyis.

—— quæ nec Sarmentus, iniquas
Cæsaris ad mensas, vel vilis Galba tulisset.

Et tamen ex hoc numero nonnulli, ex quo fœdissimis vestigiis relictis hinc vel excessere, vel ejecti sunt, nullo edito resipiscentiæ specime, nullo Academiæ aut Ecclesiæ, aut ullius honesti viri testimonio instructi ad sacrum ministerium evecti sunt, ut non aliene compellari hic possint Ecclesiæ Evangelicæ versibus istis Ennianis,

Quo vobis mentes, rectæ quæ stare solebant,
Antehac, dementi sese flexêre ruina?

Ἀλλὰ τὰ μὲν προτετύχθαι ἐάσομεν & Deo potius gratias agamus, quod eam mentem patriæ proceribus & Academiæ Professoribus tandem inspiraverit, ut de rerum collapsarum restauratione cogitaverint, eam mascule in exemplum aliarum Acad. introduxerint, & hactenus laudabiliter conservaverint. Ex eo melior rediit Academiæ facies & bonæ spei sidus affulsit omnibus, qui Academiæ favebant. Ex eo proceres nostri magnis & extra-ordinariis stipendiis exteros Professores, viros celebres, quod antea vel sperare stultum fuisset, invitarunt, & Academiam, de qua solvendam sæpius in suffragia iverant, ad omnem occasionem exornarunt. Penetravit melior ea fama in Arctonum usque orbem, unde modestissimos & prioribus istis longe absimiles adolescentes, his postremis

annis, habuimus, amavimus, etiamnum habemus & amamus. Ex eo is fuit Academiæ nostræ status, ut qui vel corrupti vel indocti ex ea excessere, nil nisi fatuitatem & socordiam suam accusare possint. Hujus elogii testes citare possem multos ex ipsa Germania. Quotquot enim ferocioribus istis moribus in Academiis Germanicis innutriti fuere, iisdemque hæsere, illi hanc Academiam ceu ergastulum quoddam fugêre. Qui contra animo studendi & pie vivendi peregre ivere, vel à parentibus ablegati sunt, hanc præ aliis elegere. Id quod multis epistolarum documentis, si opus esset, demonstrare possem. Fuerunt & complures, qui cum in aliis Academiis, per crebras sociorum interpellationes & assiduas compotationes Musis litare & in pace vivere non possent, hanc Academiam ceu secessum quendam petiêre, inibique sic vixere, ut nec illos hic vixisse, nec nos tales cives habuisse pœnituerit.

Absque hoc esset, nunquam huic servitutis jugo humeros meos denuo supposuissem. Ego certe de me id possum profiteri, malle me,

Summam pauperiem & duros perferre labores,
Stramineaque inopem ruri habitare casa.

Quam talis Academiæ qualis aliquando erat, vel Professorem vel Rectorem agere. Ita enim opinatus semper fui, beatius esse tristi mendicitate precarium spiritum trahere; quam ejusmodi peccatis non dico communicare, sed audiendis & videndis animam quotidie excruciare. Aucupentur alii à frequentia inutilium terræ ponderum & multitudine nominum, Academiæ famam. Disserant alii ad palatum juventutis, de laxandis Academicæ disciplinæ frænis. Disputent, quam possunt subtilissime, de scholæ trivialis, Gymnasii & Academiæ discrimine. Ominentur Christianis Academiis vastitiem & solitudinem. Nos, nos, inquam (loquor enim & meo & DD. Collegarum nomine) veteris ἀταξίας & molestiarum, quas perpessi sumus, æternum memores, melioris istius disciplinæ clavum, quoad possumus, manibus nostris tenebimus, neque extorqueri nobis, nisi à majori quadam vi, patiemur. Quod si talis quædam rebus nostris intervenerit, aut si quosdam disciplinæ masculos vindices aut mors aut vocationes nobis abstulerint, aut si hanc administrationem, (in qua tamen nos neutiquam conscientiis nostris & juramento, quod Illustrium Frisiæ Ordinum pietas Rectoribus & Assessoribus præscripsit, satis-facere, cum dolore profitemur) iis, qui cum imperio sunt, invisam esse cognoverimus

mus, ibimus libenter, numerumque explebimus. Interim de me, nec non cæteris collegis meis, viris reverendis & clarissimis, vobis affirmare possum, malle nos paucos vere generosos, vere nobiles, modestos & studiosos cives, quam multos feroces Βακχάντας, id est, otiosos ventres, qui eo tantum fine in Academiis versantur, ut Senatui & vere studiosis negotium facessant, quietemque publicam turbent. Qui profiteri non erubescunt, se studiorum gratia in Acad. hac non morari. Qui infra dignitatem suam ponunt, lectiones audire, respondendi & opponendi & perorandi munia obire privatisque etiam exercitiis cæteris misceri. Hi ex parentibus suis stipites & caudices faciunt, dum nobis persuadere satagunt, se tantis parentum impendiis in hac Acad. ali, ut mores hominum videant. Quærant illi Romam, adeant Parisios, Londinum, Venetias, ut multorum hominum mores & mundi compendia videant. Hic humiles casæ, hic obscura tecta sunt, quæ tantos Heroas capere non valent.

Interim nos, Auditores, tam docentes quam discentes, illud annitamur sedulo, ut perpetuo memores simus istarum calamitatum, quæ majorem reformati orbis partem jam inundarunt, nobis vero impendent. Vitemus adhuc, dum benigna illa Dei patientia ad resipiscentiam nos invitat, istos scopulos, ad quos & vicini & fratres nostri naves suas allisere. Caveamus, ne crapula & ebrietate graventur corda nostra, ne operum DOMINI & nostri officii obliviscamur. Exulent porro nefandæ grassationes & exactiones, cessent hoc tempore, quo tota Ecclesia saccum & cilicium induit, beluinæ istæ compotationes, quæ ante hac Academiam hanc fœtidam reddidere. Eas si nos forte pro nostra lenitudine tolerare vellemus, at Leges & decreta, & superiores, queis sacramento diximus, non tolerabunt. Et ne quispiam nos solos adeo Melancholicos homines & scholasticas vulpes, ita enim quibusdam loqui libet, & pædagogos esse censeat, qui tolerare nolimus quod in aliis Academiis toleratur, lubet prælegere cordatum decretum, quo Rector & Senatus Academiæ *Rentelienſis*, quam in Holsatia superioribus annis Illustriss. Princeps Scaumburgicus aperuit, iisdem furoribus occurrendum censuit.

RECTOR
ET
SENATUS ACADEMIÆ HOLSATO-SCHAUMBURGICÆ RINTHELENSIS.

QUod Poëtarum Homerus olim de armatæ militiæ militibus reliquit: Nulla fides, pietasque Viris, qui castra sequuntur: Id imprimis hisce ultimis temporibus epilepticis, in quibus homines moriuntur pejores, quâm nascuntur, longè est verissimum. Cum pietate enim ac virtutibus aut nihil, aut parum illis est commercii. Et quid aliud fere possunt, magisque in votis habent, quam

Nocturno certare mero, potare diurno,
Atque diem nocti, noctemque æquare diei?

Adeo ut, ipsimet imprudenter confiteantur, nec Christum & Martem simul coli, nec quem bonum Christianum, & bonum militem simul esse posse. In LL. passim Justianianeis milites togati, & qui Musarum castra sequuntur, illis comparantur, ita ut Juris etiam Interp. non malè dicant, argumentum inde sumptum probabile esse, frequens ac utile. Nequaquam tamen in attactâ impietate ac malitiâ, malitiæ utrique dediti ab Imp. atque JCtis æquiparantur, sed quoties de privilegiis, beneficiis, eorumque acquisitione aliquid constituitur. Bene audiunt, quo ad LL. Imperiales, togati milites, bene etiam audiunt armati: unde non raro in jure *devotissimi* appellantur. Utinam hodie in Germaniæ Universitatibus, & imprimis in hac ERNESTINÂ tam bene omnes audirent Cives Academici! Sed id à nemine, nisi

nisi qui qui palpum alicui obtrudere velit, affirmari potest. Invasit, proh dolor, ACADEMIAM nostram novam nova quædam contagiosa, & eod. modo in aliis hactenus inaudita lues. Irrepserunt in eam pauci quidam Helluones, Lurcones, Comedones, ἀλλοτριόφαγοι ac Canes Venatici, qui à militibus istis armatis, antè depictis, parum differentes, *bona* (ut cum Juvenale loquantur) *summa putant alienâ vivere quadrâ*. Qui non solum quibusdam Commilitonibus suis status quæstionem contra aperta jura, movere non dubitant, iisdem quoque, ut & juvenibus novellis sine ullo ferè personarum discrimine, tanquam vultures opimo cadaveri inhiant, eo ac quibuscunque possunt modis ac mediis sæpe in hac annonæ caritate universali plus extorquent pecuniæ, quam studiorum gratiâ secum attulere. Cum autem istiusmodi processum ἀκαθαρτον illud πνεῦμα, & Princeps vitiorum omnium Diabolus introduxerit: Membra ejus continuare, & ad successores posterosque propagare conentur: nec ulla major insania, futilitas, levitas, nulla pestis perniciosior ad inficiendam, prorsusque devastandam hanc ACADEMIAM fæliciter inceptam, ad iram DEI, ac Principis Illustriss. Mecœnatis ac εὐεργέτου nostri munificentissimi disgratiam concitandam excogitari possit: Vos Crumenimulgas atque Lurcones (hos enim tantùm compellamus; pios, insontes, ac morigeros expresse excipimus, exceptosque esse volumus) ejusmodi facinorum non pigeat solum, sed & pudeat. Hæccine vita est Academica; Civesque decet, docet ac ostendit Academicos; Certè non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse laudandum est. Sic nec per annos multos, multis in Academiis fuisse, sed benè vixisse commendandum. Ita, prout vos cœpistis, milites horridi vivere solent, omnesque Epicuri de grege porci. Ita violatur Naturæ hæc κοινὴ ἔννοια: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ita vos, qui pietate,

hone-

honestate, virtute & vita bona exemplari aliis prælucere debeatis, non tantum floris juvenilis, modestiæ, sed & omnis vestræ salutis tam æternæ, quam temporalis naufragium facitis. Neque etiam nobis Professoribus ac Præceptoribus vestris (quos parentum instar honorare à lege divinâ jubemini) atque studiosis ingenuis, eo ipso parcitis, licet innocentissimi sint, propter vos tamen, etiam in locis remotioribus, malè nonnunquam audiunt, pessimeque traducentur. Nos igitur nolumus neque officii nostri ratione possumus, talibus tantisque facinoribus scurrilibus, factisque sordidissimis amplius connivere, sed nequid detrimenti nostra capiat Respublica, decrevimus hoc aconitum in ipsa, quod dicitur, herba suffocare, & istiusmodi Exactoribus ac carcinomatis Universitatis nostræ virulentis, competentibus remediis obviare: Et volumus nullos imposterum ex iis, qui vel compotationibus hujusmodi illicitis, turpibus ac omni jure prohibitis, sub quocunque etiam titulo & prætextu intersunt, ullo beneficio, bonis saltem atque tractabilibus studiosis ex liberalitate nunquam hactenus satis laudatâ laudatissimi Principis nostri &c. dando, dignos esse, sive realiter aliquo fruantur beneficio, sive spes duntaxat eos de futuro foveat. Illi beneficiis antè perceptis confestim cadere, & iis, quæ habent, privari debent. Hos, non attentâ aliquâ promissione fortè factâ, omni prorsus spe percipiendorum stipendiorum frustramur, tam contra hos, quam illos, ut & istos, qui commessationes sive heluationes sub quacunque convivii specie instituunt, pœnam quoque Carceris, vel pecuniariam reservantes. Ipsi verò Coryphæi, Gulones, Phagones, iniqui Exactores, & authores primi, non solum beneficii, quo gaudent, amissionem, verùm etiam aliam pœnam gravissimam, nec non severitatem competentem ἀπροσωπολήπτως pro quantitate excessuum subibunt. Hæc, ne ulla possit allegari ignorantia, publicè significanda duximus, τῶν φι-

λοθέων

λοθέων ϗ φιλαρέτων patroni accuratiſſimi, ſed γαστροφίλων ϗ ἀλλοτελοφάγων vindices ſeveriſſimi futuri. P.P. RINTHELII ad Viſurgim 18. Novemb. Anno 1621.

Habetis cordatum Academiæ Germanicæ de iſtis togatæ militiæ flagitiis judicium, & ſeveram comminationem. In quo, ſi nobis Illuſtrium Friſiæ Ordinum & Nob. DD. Curatorum decreta ſuper hoc ipſo negotio novo programmate renovanda eſſent, ne jota quidem aut apicem mutaremus. Nos confidimus, nullam nobis impoſitum iri neceſſitatem ad duriora remedia deſcendendi.

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Vos, Nobiliſſ. & Ornatiſſimi adoleſcentes officium veſtrum facite, ego, cum bono Deo, in hac functione ita verſabor, ut nemo bonus de me jure conqueri poſſit. Ut autem quid officii noſtri & veſtri ſit, intelligatur, Academiæ Secretarius Leges & ſtatuta præleget.

IMplendis vacivis iſtis paginis, & firmandis iſtis, quæ ſuperiori oratione liberius dixi, exhibebo tibi inſigniora quædam loca ex duabus orationibus celeberrimi Theologi & Philoſophi, D. IOH. ALSTEDII, quæ extant in ejus Encyclop. col. 2764. & ſeq.

Columna 2770. Orat. de Providentia Dei circa Scholas. *Sed videor mihi videre, quid ſibi velint, qui ſcholis talia improperant. Defigunt illi oculos in vitia, quæ in ſcholas irrepunt, iiſdemque exitium minantur & machinantur. Sed quid hæc ad noſtram Andromachen? Non enim ipſa facta eſt meretrix, ſed ii, quibus hoc negotii à Deo datum, ut intemeratam hujus divæ caſtitatem propugnarent; hi, inquam, ſui muneris obliti, Dei vindicis iram provocarunt, utque ille phialas excandeſcentiæ ſuæ, (de quibus in Apocalypſi) ſuper ſcholas quoque effunderet, effecerunt.* Providentia Dei circa ſcholarum decrementum.

Columna 2775. *Magna hæc ſunt, auditores, ſtudiorum impedimenta: ſed illud eſt maximum, quod juventus literaria diffluit luxu, quod vivit vitam diſſolutam, quod helluationibus, quod graſſationibus ſe dedit & tantum*

eum non mancipat. *Vix enim dederis mihi scholam, ubi clamoribus, grassationibus, debacchationibus, ululatu, boatu & rugitu viri boni non molestentur.* *Nihil hic peccavero, si ad scholas optavero novi mundi descriptionem, quam Mercurius* Gallo-Brit*annicus evulgavit sub titulo, Mundus alter & idem; Est hic Crapulia divisa in Pamphagoniam seu terram Gulonum; est hic Terra ebriosa, divisa in OEnotriam & Lupulantam, cujus cives sunt equites aurei dolii; est hîc terra Rixatia, Ploravia, Risia major & minor. Et quis omnes hujus novi orbis patres recenseat? Quam vellem nobis semper ob oculos versaretur catastrophe florentissimæ Academiæ* Erfordiensis? *Cum studiosi illic loci se petulantius gererent adversus cives, cùm tumultib. nocturnis urbem lacesserent, cum lapidibus tecta domosque obruerent, cum fenestras & fores hospitum frangerent, populus magno agmine excitus collegiorum domos admotis bellicis tormentis obsedit, expugnavit, ac ut quemque studiosorum juvenum obvium habuit, velut hostem, arripuit, vulneravit, trucidavit, neque priùs quievit, quam vitulantium adolescentum multitudo mœnibus urbis esset profligata. Jacet ex illo die etiamnum, olim florentissima Academia, quam Lutherus, qui primam ibi lauream consecutus est, paradisum Germaniæ id ætatis fuisse testatur: in qua Eobanus Hessus mille & quingentos auditores habuit: quæ denique id fuit in Germania, quod Bononia in Italia, mater scilicet studiorum.*

Orat. de causis corruptarum scholarum, columna 2779. *Quid vero, si tristes quædam & malignæ naturæ, quas Saturnus infausto aspexit sidere, vociferentur, nullum virum bonum has sibi partes unquam sumsisse, ut diceret de morbis scholarum, & causis istorum morborum? Hi homines produnt maximam suam inscitiam: cùm plurima Theologorum, oratorum & historicorum extent scripta de scholis corruptis, de morbis scholarum, de fatalibus dissipationibus & ruinis Academiarum, & denique de scholis curandis & in integrum restituendis. Quod igitur facio, magnorum virorum citraque controversiam bonorum exemplo facio. Et vero quid est, quod nonnulli adeo stomachantur & tumultuantur, cùm audiunt scapham vocari scapham & ficum ficum, nisi quod ægre ferunt sua vita sibi ob oculos poni in publicâ quasi tabula. Non ita animati sunt viri boni, qui dolent adeo conclamatum esse nunc temporis, merito exclamare possimus: ô scholæ, Hannibal ante portas vestras, vobisque ruinam & excidium minatur, nisi brevi redieritis in viam regiam, qua jam excidistis! Hi dico viri boni dolent famam rei literariæ, & ex animo optant, ut morbi epidêmici graphice depingantur: ut hâc ratione iram Dei adversus scholas male administratas agnoscamus, illam averruncemus, quantum in nobis est, vitando scilicet peccata magna, peccata multa, quædam ex iis clamantia, ut vocant,*

& vin-

& vindictam divinam postulantia. Hi enim sunt morbi, qui petunt cor scholarum & jugulum.

Columna 2790. *Ultimò praeceptores infestat* indulgentia, *qua fraenum laxatur juventuti ferocienti, adeo quidem, ut licentiosissima sit studiosorum in omnibus scholis, vita, si modo vita dici potest, quae viam expeditissimam sternit ad mortem. Trepido hic, quando intueor deploratam scholarum faciem. Tametsi enim illae optimis communitae sunt legibus: Perinde tamen est ac si nullae sint leges. Lex enim sine executione nihil est aliud quam larva, & campana sine pistillo. Evigilent itaque, evigilent tandem antistites scholarum, neque diutius grassari patiantur licentiam: qua omnes reddimur deteriores, ut ille in comico socco loquitur. Diligenter perpendant illud Allexandri Severi Imperatoris, qui milites suos ita alloquitur.* Disciplina majorum rempub. tenet, quae si dilatatur, & nomen Romanum & imperium amisimus. *Et quemadmodum è disciplinae militaris sinu (ut cum Valerio Maximo loquar) omnes triumphi manarunt: ita è disciplina scholasticâ tanquam corde spiritus vitalis in totum scholae corpus derivatur & diffunditur. Non est, quod pluribus hic commemorent, quid possit disciplina in omni Vitae statu. Lachrymae hic requiruntur, quibus deploremus cacoëthes ingeniorum juvenilium, quae studiis dedita putantur. Plane mihi persuadeo eandem fore catastrophen scholarum, qualis fuit exitus scholae florentissimae Berytiensis. Erat illa legum nutrix, ut à Justiniano vocatur. Erat totius Phoenicia Phoenix & lampas clarissima. Erat Museum Romani orbis. Erat uno verbo tribunal justitiae, Sed non diu erat. Maximus enim fiebat maximorum privilegiorum, immunitatum & indultorum ab Imperatoribus concessorum abusus. Quae virtutis & justitiae erat officina, in omne vitium & injustitiam, in nequitiam, in petulantiam, in lasciviam degenerabat. Omnis disciplina jacebat: Leges ibi silebant: Professores irridebantur: Praeceptores spernebantur; Monitores injuriis & contumelia afficiebantur. Quarum rerum atrocitate optimus & studiosorum amantissimus Imperator Justinianus adeo commovebatur, ut ad Salaminum, virum disertissimum, ita scripserit:* Illud verò satis necessarium constitutum, cum summa interminatione edicimus, ut nemo audeat, neque in hac splendidissimâ civitate neque in Berytiensium pulcherrimo oppido, ex his qui legitima peragunt studia, indignos & pessimos, imò magis serviles, & quorum effectus injuria est, ludos exercere, & alia crimina, vel in ipsos professores, vel in socios, & maximè in eos qui rudes ad recitationem legum pervenerint, perpetrare. Quis enim ludos appellet, ex quibus crimina oriuntur? Hoc fieri nullo modo patimur, sed

Indulgentia nocet scholis.

optimo ordini in nostris temporibus, & hanc partem tradimus, & toti nostro postero transmittimus seculo, cum oporteat prius animas, & postea linguas fieri eruditas. *Egregio & verè regia Imperatoris optimi sententia. Quam utinam perpenderent doctores, imprimis scholarum! In hos enim culpa conferenda est laxæ disciplinæ: quippe qui desunt muneri suo. Sane si currus in præcipitia agatur, non currui, sed vectori hoc acceptum ferendum est. Sed valde vereor, ne surdo fabulam. Ut tamen in utramque aurem stertentes excitem, vellam ipsis aurem commemoratione miseri exitus, ut paulo ante recepi, qui mansit scholam Berytiensium florentissimam. Cum neque Imperatoris severissimæ prohibitiones gravissimæque comminationes, neque professorum ac præceptorum fidelissimæ admonitiones, quidquam loci invenirent, Deus, vindex omnis iniquitatis certissimus, qui tarditatem pœnarum supplicii gravitate compensare solet, subito intempestâ nocte, cum gurgustia helluationibus fumarent, ganea & lustra libidinibus ferverent, cyclopicis vel potius diabolicis clamoribus omnes angiportus civitatis arderent, terræmotu terribili immisso, fundamenta urbis evertit, mœnia prostravit, tecta diruit, domos disiecit, tanta hominum strage edita, ut testante Agathia, qui Justiniani res gestas scripsit, tria amplius mille studentium, vulgi numero prætereito, una illa miserrima nocte interierint. Quid quæso, Illustrissime & Clementissime Dn. Princeps, ex omnibus annalibus funestius, quid miserabilius, quid horribilius, literis & literarum cultoribus occurrere potest? Ejusmodi profecto est hoc exemplum ut non tantum omnibus scholis juridicis, omnibus tribunalibus consistoriis, ut Viglius J Ctus ad Carolum V. Imperatorem scripsisse legitur, sed etiam omnibus Academiis & gymnasiis sit appingendum, hoc Virgilii versu subscripto:*

Discite justitiam moniti, & non temnere divos:

Addita insuper (ut hoc addamus) voce illâ Servatoris nostri dulciss. quâ respondit illis, qui ruinam Siloæ turris, stragemq́; referebant: Nisi ad frugem reversi pœnitentiam egeritis, eodem fato cuncti peribitis. *Eo autem diligentius hoc exemplum est frequentandum, quo res scholarum nunc sunt periculosiore loco. Præceptores enim Beryti faciebant suum officium monendo & minando, quod pauci facunt hodierno ævo professores & præceptores. Etenim vel silendo, vel byssinis verbis adulando, vel comessationibus studiosorum se miscendo, ipsi pereunt & alios perdunt. Quanquam Berytienses illi præceptores non fecerunt omne, quod debeant facere, officium. Non enim ad Ure, Seca progressi sunt. Quod omnino fieri debet in morbis desperatis, qui vires acquirunt eundo.*

Columna 2794. *Ad extremum hic se offert egregia vitiorum coronis;*

vita

vita *scilicet* dissoluta, *quam plerique studiosi vivunt. Si quis hoc neget, paulisper commoretur in urbe, ubi schola est fundata, utcunque celebris. Audiet ibi clamantes, grassantes, debacchantes, boantes, rugientes, giganteo ausu mira meditantes studiosos, quos ita vocant, licet injuriâ. Quidvis enim potius illi sunt, quam bonarum literarum studiosi. Biberii sunt, capitones sunt, Rabirii sunt, sunt sponsi Penelopes, sunt ardeliones.*

Columna. 2795. *Hic verò cum omnia sunt misera, tum illud existit miserrimum, quod studiosi isti certatim conantur esse bibones, vespertiliones, & prope dixerim cacodæmones. Quam in sententiam facit historia tristis an ridicula, quam paucis accipite. In Academia quadam Saxoniæ, quæ ex dissipatæ Pragensis scholæ ruderibus erat exitata, quasi colonia nova tum temporis deducta (Pragâ enim Germani supra duo millia propter exortas Hussitarum contentiones, uno die discedentes, triumque dierum itinere illinc profecti hic consederunt, in hac dico Academia vixit eques quidam nobilis, hoc nomine celebris, quod omnibus compotoribus palmam præriperet. Cum enim Leonhardus Filsechius, eques nobilis, in paulo ante excitatam Academiam appulisset, deque sobrini sui studiis ac moribus perquisivisset, hoc responsum tulit: Optimè illius tui propinqui res se habent. Inter mille enim ac quingentos, qui in hac urbe studiorum causa commorantur, adolescentes, ille unus potandi gloriam ac palmam possidet.* Egregiam verò palmam! Quis vero nostrum eosdem triumphos in Academiis hodiernis, & quidem multo superbiores non perspicit! quis non dolet hæc fieri insuper & laudari! O utinam tandem aliquando Deus excitaret Herculem Academicum, qui more Herculis illius Thebani debellaret monstra illa scholastica. Thebanus ille, ut est apud Plautum.*

Cum leone, & cum excetrâ, cum cervo, cum apro Ætolico,
Cum avibus Stymphalicis, & cum Antæo deluctatus est.

Hæc monstra omnia, imo plura, & magis fera, in scholis nostris grassantur.

Columna 2777. *Me si quis interroget, quot sint columnæ status Ecclesiast. & politici, respondebo tres. Primam dixero scholas: secundam, Scholas: tertiam itidem scholas. Tanta enim est scholarum necessitas, & utilitas tanta, ut absque illis sisit, homines transformentur in belluas, in truncos in lapides, in monstra denique immania; cujusmodi metamorphosin Ovidius acutè admodum descripsisse putatur. Quid enim? Annon homines naturâ sunt veluti tabula rasa, cui nihil inscriptum est, quidlibet autem inscribi potest; Annon sunt velut alba linea, quæ colorem quemlibet recipere potest? Annon sunt instar lapidis, è quo quælibet statua fieri potest? In scholis autem tabulis hisce inscribuntur literæ Pietatis & Humanitatis. In scho-*

lis albæ istæ lineæ tinguntur vivis Honestatis & Vtilitatis coloribus. In scholis statuarii peritissimi, qui refingunt hominem ad imaginem Dei Opt. Maximi. Unde scholæ non immeritò vocantur emporia & mercaturæ bonarum literarum: seminaria Ecclesiæ: armamentaria reipub. vivaria œconomiæ: officinæ pietatis: magistræ humanitatis: fontes honestatis: scaturigines utilitatis: nervi morum & disciplinæ: horti Gratiarum: & uno verbo, cornu copiæ omnimodæ felicitatis. In his enim gigantéa audacia diffringitur, Cyclopica immanitas compescitur, vita Epicurea corrigitur. Absque his si sit, juventus, thesaurus ille utriusque politiæ, corrumpitur, & hoc thesauro corrupto ipsa respub. labascit, & hac labascente labat quoque Ecclesia, cujus hospitium est respub. Nam ex institutione malâ pravi pueri, pejores adolescentes, pessimi viri evadunt, è contrario ex bonâ institutione boni pueri, meliores adolescentes, optimi viri existunt: ut non immerito majorum gentium politici scribant, è scholis tanquam fontibus felicitatem publicam & privatam, non secus ac ab Apollinis capillis destillare. O igitur beatas respub. in quibus hæc emporia sunt aperta! ô felices Ecclesias, quibus hæc pietatis domicilia sunt adjuncta! ô beatitatem hujus seculi maximam, quod plurimis abundat scholis! Verùm enimverò quod in omnibus fermè rebus naturâ sua præstantissimis & optimis usuvenire solet, ut technis, fallaciis & fraudibus antiqui istius veteratoris Diaboli mirum in modum depraventur, & tantum non in purum putum venenum commutentur: id etiam proh dolor scholis accidisse, & indies magis magisq; accidere videmus, & magno cum dolore videmus, si modo aliquid videmus. Tantum enim est hujus seculi (quod nonnulli heroicum vocare solent; quam rectè ipsi viderint) tantum dico est hujus exulcerati seculi cacoëthes, ut in maxima scholarum copia sit maxima virorum publicè utilium, qui tum reipub. tum Ecclesiæ functionibus satis idonei sint, inopia: adeo quidem ut scholas in ipsis scholis desideres, & Tantalum in mediis aquis sitire, ac salamandram in mediis ignibus algere non ineptè dicere possis &c.

Author anonymus Latinissimi cujusdam scripti, cui titulus, L. Ex.

Libertatem æstimare multi licentia scelerum solent, non bonis legibus, & perdito cuique mitius hoc imperium, cui IMPUNITAS pro amuleto est. Grassabantur palam injuriæ, convitia, pugnæ, furta, temulentiæ, quibus præcavendis duriore Senatus-consulto opus erat. Sistenda enim minora mala ex præscripto medicorum sunt, ut majora evitentur, quod tractu temporum exacerbata respuant medicinam.

SIXTINI AMAMA

DE

DECIMIS MOSAICIS

Commentariolus.

AD

Nobiliss. & Magnif. Academiæ Patriæ.

CVRATORES.

Nobilissimis, Magnificentiss. Prudentissimis & Doctiss. Viris,

D. KEMPONI à DONIA,
D. JELGERO à FEITZMA,
D. MARCO à LYCLAMA,
D. GELLIO ab HILLAMA.

Acad. Patriæ Curatoribus, Dominis & Patronis suis æternùm colendis.

UT amicis quibusdam Angelis gratificarer & me describendi tædio levarem, placuit Commentariolum hunc de decimis in Bodlæanâ aliquando à me concinnatum & jam à me recognitum edere. Nomina verò Amplissimarum DD. VV. præscripsi, non quod dignum eum putem qui vel uni DD. VV. offeratur, sed tantum ut tester animum beneficiorum mihi à tot jam retrò annis præstitorum meminentissimum, & simul ut obses sit apud DD. VV. majoris operis, cujus editione, cum bono Deo, brevi viris aliquot non ex plebe ibo gratificatum. Valete diu interea Patriæ ornamenta, studiorum meorum Patroni, à quibus nunquam nisi ad diligentiam & virtutem dicessi inflammatior. Franek. 25. Febr. 1618.

VV. AA. devotissimus

SIXTINUS AMAMA Ebr. L. Prof.

S. AMAMA
DE
DECIMIS MOSAICIS COMMENTARIOLUS.

DEcimabantur in V. T. vel pecudes vel proventus.

Decimationis annuæ pecudum hæc observata fuit ratio, ut quidem Ebræi ex Levit, 27. 32. colligunt. Colligebat pecuarius agnos vel vitulos in stabulum unum, quod habebat ostium parvum, ut ne duo simul egrederentur. Constituebantur matres illorum foras, ut, cum agni vitulive eas mugientes balantesve audirent, ordine alter post alterum egrederetur. Tum incipiebat numerare virgâ, primum, secundum, 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. & quod decimo loco egrediebatur sive masculum sive fœmineum, sive integrum sive maculatum, signabat rubeo colore quo tincta erat virga, & dicebat, Hoc erit pro decima.

Sed hac decimatione missa proventuum decima breviter persequi animis nobis est.

De his illud Ebræorum axioma apud Dd. Thalmudicos extat.

כל אוכל הנשמר שגדולו מהארץ חייב בראשית בתרומה והמעשרות

1. Quicquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium est primitiis, oblationi & decimis.

Sub quo etiam hortensia & vilissima quæque, modo esui hominibus sint, comprehenduntur, ut anethum, pulegium, mentha, ruta, cuminum &c.

Sed an horum hortensium seu olerum decima in Lege divina exactæ sint, quæstio inter eruditos est. Hoc extra controversiam est, exactas in eâ decimas הַתְּבוּאָה proventus & proventus seminis. Sed sub istis olera comprehendi negarunt Rabbinorum pars maxima, & inter eos author libri præceptorum fol. 145. col. 4. & Gerundensis in Mosen fol. 308. pag. 2. Quos secuti sunt viri magni, Beza, Piscator, Drusius in Matth. 23. & Casaub. exercitat. id est, cap. 9. quo inclinat & Jansen. comm. in Harm. Evangel. cap. 84. Deut. 14. 22. & 26. 12. & alibi.

Pro his facere videtur, quod passim in Lege, quoties de deci-

mis agitur & nomen תבואה *proventus* adhibetur, ei ſubjiciantur tantummodo hæ tres ſpecies, frumentum, oleum & muſtum.

*Deut. 14 2 ·.& 18.4. & alibi. R. Salomo ad Deut. 26.

Item quod Ebræi aliquot doctores VII. tantummodo ſpecies rerum ex præſcripto Legis decimatarum enumerarint, ſubdividentès nempe frumentum in V. ſpecies, Triticum, ſpeltam, hordeum, avenam & panicum quod ſpicam vulpis vocant.

Hinc eſt quod reliquorum fructuum & olerum decimationis originem non arceſſant altius quam ab iſto ſeculo quo ſuo ſuperſtitioni & operibus ſuper erogatoriis indulgeri cæptum eſt, quo ut cl. Cunæi verba huc applicem, Moſaïcam religionem hac mercede colere cœperunt, dummodo de ſuo aliquid adderent.

De Repub. Ebr. lib. 2. cap. 17.

Hinc & illud eſt quod ad prædictam Traditionem non τὸ ῥητὸν Legis referant illud quod in Phariſæis ſui ſeculi reprehendit Salvator Matth. 23. & Luc. 11. dum Væ denuntiat iis qui decimabant Rutam, anethum &c. olera, poſthabitis interim miſericordiâ, fide & judicio, quò & reſpexiſſe exiſtimant Phariſæum iſtum Luc. 18. qui inter alia & hoc de ſe refert, ἀποδεκατῶ ὅσα κτῶμαι, decimo omnia quæ poſſideo.

Sic illi. Sed non deſunt qui contra opinatur, urgentes maxime illud ἔδει oportebat Matth. 23. *Hæc oportuit facere & illa* ſc. decimationèm r. a. cum. *non omittere*, ſc. oportuit.

Addi poſſet & locus Levit. 27. 30. qui infringit ternarium iſtum, vel ut alii ſubdividunt, ſeptenarium numerum, Locus verò ſic habet, *omnis decima ex ſemine terræ & pomis arborum Domini eſto.* Licet autem in Ebræo ſit, *& fructus ligni* vel *arboris* (עץ enim utrumque ſignificat) & R. Sal. nulla hic difficultas ſit, utpote qui ſemen terræ *frumentum*, fructum ligni vero *muſtum & oleum* exponit, tamen mihi non perſuaſit ex quo locum iſtum 2. Chron. 31. 5. perpendi, qui ſic ſonat, *& multiplicarunt filii Iſrael primitias* (id eſt, Therumoth) *frumenti, muſti, olei &* דְבַשׁ *& omnis proventus agri* &c. Ut enim linquam illud poſterius quod ἐξηγητικὸν forte dices, quò referes illud דבש? ſive vocem eam *mel* ſive *dactylos palmarum* cum Junio vartas. Certe ſi non olerum decimationem probat, ſaltem ternarium iſtum numerum diſcutit. Nec eſt quod quis vocem ראשית nobis opponat, cum eam Therumoth hic denotare probaturi ſimus & iſtis locis unde iſti numerum illum extruxerunt, etiam adhibeatur, ut Deut. 18. 4. Quin &, ſi non omnium forte quæ decimas debebant, offerebantur Therumæ, tamen omnium quorum Therumæ hoc ſenſu acceptæ offerebantur, debebantur decimæ.

Nec

Nec hic authoritates Rabbinorum desunt, ut Ebræos Ebræis opponamus. Ecce enim Hiscuni ad Levit. 27, 30. *de semine terræ:* Complectitur etiam alium & שחלים (id est, Leonticen vel Leontium vel Leoninum semen Leontopetalium) & גרגיר Phesictha, comprehendit semen alii והשחלים והגרגר Jam vero גרגר genus oleris esse colligitur ex libr. præc. majore, nam in eo disertè: Schachalim & Gargir ושאר ירקות & cætera olera. Rursus ad, *ex fructu arborum:* Phesictha, *comprehendit omnes fructus arborum.* Rursus ad aliud, *de semine terræ:* non de semine omni, quia excipit legumina quæ *non eduntur*, ut semen rapæ & Raphani &c.

Atque hoc modo probabiliter olerum decimationem, evidenter autem plurium quam trium vel 7. istarum specierum ostensam à me ex V. T. existimo. Vnde de loco isto Matth. 23. & Luc. 11. & universo hoc negotio sic sentio, cum Lege tamen resiliendi si quis meliora; Ad minimorum istorum præstationem ex Lege ipsos fuisse obligatos, eam tamen progressu temporis Judaïcæ genti incubuisse cœcitatem atque affectatæ pietatis studium, ut, cum minime fuerit, ipsi tamen Pharisæi Christi ævo pro supererogatoria eam habuerit.

Sed ut hæc semel mittamus & cætera persequamur quæ potissimum hic se offerunt consideranda, hæc tria ordine observanda sunt. 1. Primitiæ. 2. Oblatio Theruma dicta. 3. Decimæ. Hic autem ordo inverti aut immutari non poterat. R. Sal. Exod. 22. *non invertendus est ordo separationum istarum, ut theruma primitias, aut decimæ Therumam antevertant.*

Primitiæ erant frugum maturescentium, quarum Omer, id est, manipulum sacerdoti, altero festi paschalis die, nimirum XV. vel ut alii numerant XVI. Martii sive Nisar (qui *a*) inde nomen Abib obtinuit), offerebant. *b*)

Primitiæ
a Ex. 13. 4.
b Lev. 2. 14. & 23. 10. & innuitur Deut. 16. 9.

Hæc oblatio messem præcedebat, unde primitiæ Messis (è vestigio scil. subsecuturæ) passim appellantur ut Ex. grat. Levit. 23. 10.

Theruma verò non nisi de fructibus jam elaboratis id est, ut Scaliger loquitur, frumento vannato, oleo & musta offerebatur. Ubi & hoc observavit magnus ille & incomparabilis Heros, Ejusmodi fructus Ebræis demum vocari פירות הנגמרות ut contra, nondum elaboratos שבל.

Theruma.

Hæc offerebatur in festo Pentecostes, ut sancitum passim in

c Lev. 23. 15. Num. 28. 26. Deut 16. 9.
d Deut. 18. 4.

Lege eſt *c*. Eratque prima oblatio quæ de elaboratis ſeparabatur & ſolis ſacerdotibus *d)* cedebat. Eam Græci ἀφαίρεμα μέγα vel ἀφορισμὸν μέγαν dixerunt, Oncelos vero אפרשותא id eſt, ſepatationem.

Hanc oblationem præcedaneam Moſes nuſquam definivit, verum Νομοδιδασκάλοις placuit ut ne eſſet minor parte quadrageſima aut quinquageſima aut ſexageſima ad mininum. Quadrageſimam dixere oblationem oculi boni. Quinquageſimam oculi mediani. Sexageſimam oculi mali id eſt, parci & illiberalis. Sic R. Salom. ad Deut. 18. 4. Ubi & iſti Πατροπαραδότῳ traditioni fundamentum ſubſternit ex Ezech. 45. 13. Ubi Deum voluiſſe Sacerdotum avaritiæ modum ponere multis etiam ex noſtris placuit. Verba prophetæ hæc ſunt; *Iſta eſt oblatio quam offeretis, ſextam partem Ephæ &c.* Et, *ſextabitis Epham de Homer hordeorum.* Verba R. Salomonis quibus locum iſtum illuſtrat hæc ſunt, *Sexta pars Ephæ eſt dimidium ſatum. Quando tu ponis dimidium ſatum de Coro* (vel Homer) *Ecce habes unum de ſexaginta. Corus enim ſeu Homer continet triginta ſata.* Sed & elegantem de hoc loco ex Hieron. diſcurſum videbis apud Cl. Druſ. Præcept. noſtrum ad loca difficiliora V. libr. Moſis pag. 591.

N. B. Homer ſeu Cor. continet X. Ephas. Epha vero 3. ſata.

Sed & hic ſanctimoniæ laudem affectarunt Phariſæi dum in utroque termino communes Leges exceſſere. Liberalitatis; dum trigeſſimam partem frugum darent, aliis quadrageſimam conferentibus. Parſimoniæ: quod ultra quinquageſimam numquam deſcenderint, Quibus verbis Polyhiſtor ille Caſaub. explicat verba illa B. Epiphanii, τριακοντάδας καὶ πεντηκοντάδας ἐδίδουν.

Sed miſſas faciam Therumas ubi illud prius monuero Tyronem quod me non rarò de his meditantem tardavit, hanc oblationem nempe nomine רֵאשִׁית & בכורים / quod utrumque primitias Interp. Latini, ἀπαρχὰς Græci tranſtulerunt, frequenter in Lege occurrere, ut E. g. Deut. 18. 4. & 26. 2. & 2. Chron. 31. 5.

Hinc & Pentecoſte Num. 28. 26. vocatur dies & feſtum primitiarum. Et contra ipſam vocem תרומה 2. Chron. 31. & alibi Lxx ἀπαρχὰς, Vulg. & Pagn. *primitias* tranſtulerunt.

Fuit enim hæc oblatio revera primitiæ, non quidem meſſis & adhuc ſtantium frugum, ut iſtæ priores, ſed jam elaboratarum.

Obſer-

Observa itaque hanc Reg. *Quoties vox* Rescith primitiæ, *jungitur cum frumento, oleo, musto &c. fructibus elaboratis, tunc Therumam hanc, de qua jam loquimur significat.* Quam si observassent nonnulli Interpretes & Lexicographi non confudissent tam crebrò primitias cum Therumoth, nec quæ de his prodiderunt Ebræorum Dd. illis applicuissent. Atque hæc de primitiis & oblationibus impræsentiarum suffecerint.

Regula.

Hac delibatione fructuum universitate factâ & sacerdotibus tradita, tunc de reliquo acervo *a* decima dabatur Levitis. Ebræis dicta מעשר ראשון decima prima, Græcis *b* δεκάτη πρώτη.

a Num. XVIII. 21. 24. 26. 27. 28.

b Tob. 1. 7.

De hac decima prima Levitæ pendebant decimam *c* sacerdotibus, quam Textus ibi vocat decimam de decima & Therumam DOMINI, Rabbini verò & inter eos R. Sal. ad locum istum, תרומת מעשר oblationem decimæ. Quæ omnia diligenter annotare volui, saltem ad διάκρισιν alterius Therumæ quam magnam vocant, de qua supra actum est. Vocatur & decima sanctitatum 2. Chron. 31. 6.

c Deut. 18. 26. 27. &c.

Hæc decima decimæ Levitis *d* accepta ferebatur, non vero colonis à quibus ipsi acceperant. Hâc delibata reliqua Levitis erant quasi profana & ubivis *e* locorum extra Jerusalem consumi poterant, *etiam in coemeterio*, inquit R. Sal, At Abenezra, *in omni loco mundo.* Eoque pervenerant ut חולין גמורין teste R. Sal. dicerentur, id est, profana consummata.

d Num. 18. 27.

e Vers. 31.

Jam vero quod reliquum erat de Theruma magna & decima prima, dicebatur חולין ut Scaliger observavit id est, profana. Est enim חולין / inquit ille, universitas fructuum de detracta Theruma & decima prima.

De illis pendenda Colono adhuc erat altera decima quam Ebræi מעשר שני decimam secundam, Græci vero *f* δεκάτην δευτέραν vocant.

Ea expresse sancitur in Lege, scil. in *g* Levit, & in *h* Deut. Et clarè à prima distinguitur, ut mirum sit *i* quosdam eas confudisse. Patet enim vel hinc discrimen, quod decima prima detractâ decimâ decimæ profana fieret & extra urbem S. absumi poterat: hæc vero sacra erat, nec ea nisi *k* intra septa Templi coram Deo vesci licebat.

f Tob. 1. 7.

g Lev. XXVII. 30. 31. 32. 33.

h Deut. 14. 22. & 23.

i Lyra ad Deut. 12. & 14. vide & Jansen. cap. 48. Harm.

k Deut 14. 24. 25.

Amplius, decimæ primæ necessariò aut à colono ipso aut ejus vicario Hierosolymas deportandæ erant: decimæ verò secundæ aut Hierosolymam deferendæ erant aut si impeditior

erat via longiorve, adærari poterant à colono, & ex pecunia inde redacta vinum, oleum, mustum, victimasque Hierosolymis denuo coemebat, ut ex illis epulum instrueret (quod Ebræis זורזי χαριστήριον dictum annotavit Scaliger) & ad illud Levitas & Sacerdotes in atrio Templi invitaret Deut. 14. 24.

Sed quando secunda illa decima divendebatur, quintam partem decimæ adhuc addi solitam ex Lege Levit. 27. 31. collegerunt Ebræi, ut, inquit Scaliger, quæ in speciebus erant decem de centum, in adæratione fuerint XII.

Ita quod restabat fructuum, חולין מתוקנים id est, profana ἡτοιμασμένα dicebantur & præparata, polluta id est usibus profanis exposita.

Addam locum ex Josepho contra eos qui has decimas confuderunt. Is autem libro Ant. 4. 8. sic introducit Mosem morti jam vicinum: *Sit autem & decima separatio vobis frugum, præter eam quæ Sacerdotibus & Levitis debetur*, χωρὶς ἧς διετάξατε τοῖς ἱερεῦσι καὶ λευίταις δίδοσθαι. Pergit Jos. ἣ πιπρασκέσθω μὲν ἐπὶ τῶν πατρίδων, εἰς δὲ τὰς εὐωχίας ὑπηρετείτω καὶ τὰς θυσίας αὐτῶν ἐν τῇ ἱερᾷ πόλει, id est, quæ divendatur quidem in patriis, sed insumatur pecunia inde redacta in convivia & sacrificia in sancta urbe.

Clarus etiam est Tobiæ locus 1. 8. καὶ τὴν δευτέραν δεκάτην ἀπεπραγματιζόμην, καὶ ἐπορευόμην καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱεροσολύμοις. id est, secundam decimam vendebam & ibam & expendebam ea in Jerusalem.

Restat tertium decimarum genus quod tertio quoque anno recurrebat unde Trietericum vocant Tob. 1. 7. τὴν τρίτην δεκάτην. quod his verbis in Deut. sancitur, *A fine trium annorum depromito omnes decimas frumenti tui provenientis isto anno & relinques intra portas tuas. Quem venientes Levitæ, peregrini, pupilli & viduæ, quæ sunt intra portas tuas, comedant & saturentur &c.* Ubi nota quod pro *à fine* in Ebr. sit מקצה (in) extremo vel extremitate id est, in principio tertii cujusque anni, utraque enim rei extremitas קץ & מקצה dicitur. Sic Deut. 15. 1. alibi.

Deut. 14. 28. 29.

Et quia pauperibus hæ etiam cedebant, πτωχοδεκάται dictæ Hieronymo sunt & Rabb. מעשר עני.

Sed quæri hic video an hæc decimatio, tertio quoque ab anno Remissionis anno, utrumque primo & secundo anno usitatam peremerit, an verò nullam, aut an unam tantum, & si unam, utram? an primam an secundam.

Sunt

Sunt qui eam loco secundæ fuisse aut quod idem est eo anno secundam omissam asserunt. Sunt qui neutram.

Quid illos induxerit fateor me non videre. At hoc decepit quod Tob. 1.7. vocatur δεκάτη τρίτη, cum tamen ea nihil aliud sit quam decima tertii anni.

Magnus autem ille Scaliger vult nihil aliud eas fuisse quam decimas primas, quæ primo & secundo item quarto & quinto anno Hierosolymam à colono deportabantur in manus Ephemeriæ Levitarum tum Ministerium obeuntis, tertio autem & sexto anno hebdomadis annalis in horrea, cellas & apothecas condebantur, Levitis, viduis, orphanis & peregrinis in ostio coloni erogandæ.

Licet verò rationes suæ hujus sententiæ non afferat, non tamen sine ratione hoc statuisse putandus.

Hoc tantum vide. Aut fuit prima aut secunda, vel, aut fuit loco primæ aut secundæ, vel, aut peremit primam aut secundam. Utramque enim si peremisset, miserè cum Sacerdotibus actum fuisset.

Non secundam, quæ in atrio præsente colono absumebatur, quia sic toto anno multum esurivissent sacerdotes, utpotè cum nihil expectandum fuisset præter decimas decimarum Levitarum & Therumas, quarum pars quotidiano victu insumenda, pars anno sexto in annum remissionis seu Sabbathicum (quo ut nulla messis ita nullæ decimæ, nulla Theruma) reponenda. Quantillæ etiam istæ decimæ decimarum fuerint ad tantum numerum Sacerdotum per integrum annum nedum duos alendum, præter Therumam & ea quibus ex sacrificiis & pecoribus fruebantur, judicabit quicunque apud Josephum legerit quamque classem sacerdotum (quæ XXIV. erant) suo ævo ultra V. millia sacerdotum habuisse.

In Apol. adversus App.

Ergo primam. Ut hoc pacto sacerdotibus tantum decimæ decimarum, Levitis tantum illud quod in Orphanos, viduas & pauperes conferebatur, decesserit. Atque ita exiguo utriusque ordinis dispendio à sapientiss. Legislatore communi egestati consultum est. Quæ omnia secus essent, si, ut quidam opinantur, hæ trietericæ decimæ secundas peremissent.

Hæc

Hæc omnia sic melius patebunt: Habet colonus in reditu hujus anni frumenti modiûm 6000.

Synopsis prout à Scalig. posita est.

6000.	Proventus anni.
100.	Theruma sacerdotibus tradenda à colono parco minusque liberali.
5900.	Residuum de Therumâ bis decimandum.
590.	Decima prima quæ dabatur Levitis.
59.	Decima decimæ quam Lev. dabant sacerdotibus.
5310.	Residuum de Ther. & decima prima adhuc semel decimandum.
531.	Decima secunda quæ absumebatur in Templo.
4779.	Residuum deductâ Ther. & utraque decima de 6000.
1121.	Utraque decima conjuncta quæ est ad 5900. ut 19. ad 100.

FINIS.



ANTI-

ANTI-BARBARI BIBLICI LIBER I.

ERROR GENERALIS I.

Græcam Interpretationem Vet. Test. quæ LXXII. *Interpretibus vulgò adscribitur, esse θεόπνευστον.*



UNC errorem primaria primitivæ Ecclesiæ columina errarunt, ex quo innumeri alii propullularunt. Tali enim uno absurdo posito, quî fieri potuit aliter? Minus hîc culpandi fuêre Græci Patres, qui & Ebraicè & Latinè imperiti, unum & alterum excipio, aliis Editionibus non fuerunt usi. Eò fidentius suæ Editionis αὐθεντίαν assertum ivêre. Accessit recepta & credita vulgo fabula de LXXII. cellulis, queîs boni illi viri, singuli seorsim inclusi, versionem hanc eo consensu elaboraverint, uti ne in minima quidem particulâ dissenserint. Fabulam voco cum viris magnis, qui & hoc & alia quæ vulgo de hac translatione circumferuntur, diligentissimè pensitarunt. Ædicularum nec *Aristeas*, μεγίστη τῆς ἱστορίας ταύτης σάλπιγξ, & qui universi hujus negotii director fuit, nec *Philo*, nec nobilissimus scriptor, suæque gentis studiosissimus *Iosephus* meminêre. Inter antiquissimos hujus opinionis assertores *Iustinus Martyr* est, cujus facilitate nimium abusi sunt fallaces Judæi. Is parænetico ad Græcos ait, Ptolomæum non in urbe suâ, sed in Pharo insulâ interpretibus assignasse locum, illic extrui jussisse ἱσαρίθμους τῶν ἑρμηνευόντων οἰκίσκους μικρούς, i. *ædiculas pari cum interpretibus numero*, ut sigillatim interpretationem adornarent, injunxisse vero iis qui inservirent, ut à congressu mutuo illos prohiberent. Subjungit autem, se ipsum in insulâ Pharo τὰ ἴχνη τῶν οἰκίσκων vidisse, & rem ita se habere, ab incolis qui id à majoribus acceperant, audivisse. Ex eo hauserunt *Cyrillus*, *Augustinus*, *Hilar.* *Ter-*

tull. Philaſtrius, *Iſidorus*, *&c.* Et ex recentioribus *Serarius*, *Baronius*, *Leo Caſtrius*, *Salmeron* & alii. Quod verò *Iuſtino* à Iudæis impoſitum dixi, non mirabitur, qui ipſi quoque Hieronymo à propudiis iſtis ſæpe os ſublitum fuiſſe, & Iudæis hoc ſolenne eſſe novit. Vt autem ſcias apud Iudæos hanc eandem extare fabulam, deſcribam verba ipſius *Thalmud* quæ extant in *Maſſechet Sopherim*, cap. I. Halacha 8. שוב מעשה בתלמי הלמך שכנס שבעים ושנים זקנים
והושיבם בשבעים ושנים בתים ולא גלה להם על מה כנסם:
נכנס לכל אחד ואחד מהם. אמר להם כתבו לי תורת משה רבכם
נתן המקום עצה בלב כל אחד ואחד מהם והסכימו דעתן לדעת אחת
וכתבו לו תורה בפני עצמה ושלשה עשר דבר שינו בה וכול'/ Hoc eſt, *Rurſus exemplum in Ptolemæo Rege, qui convocavit* LXXII. *ſenes, collocavitque eos totidem ædiculis, cumque nondum aperuiſſet iis, quâ de re convocati eſſent, ingreſſus ad ſingulos, ait, Scribite mihi Legem Moſis magiſtri veſtri. Porro Deus ita omnium mentem dirigebat, ut cum ſcriberent ſinguli, eandem unam undequaque legem omnes ſcriberent, unoque concentu in tredecim locis ab Ebræo diſcederent.* Hæc illi. Mirantur ergo merito viri docti, unde * *Epiphanius* eumque ſecutus *Iuſtinianus*, Novella 146, de 36. cellulis, ut bini cellulis incluſi fuerint, ſominaverint. Sed audiamus magni *Hieronymi* de hac re judicium, *Neſcio*, inquit, præfat. in Pentateuchum, *quis primus author ſeptuaginta cellulas ſuo* MENDACIO *extruxerit, quibus diviſi eadem ſcriptitarint, cum Ariſtæas ejuſdem Ptolemæi* ὑπερασπιστὴς *& multa poſt tempora Ioſephus nihil tale retulerint; ſed in una baſilica congregatos contuliſſe ſcribant.* Et Prologo in Paralip. LXX. *cellulæ, quæ vulgò ſine auctore feruntur.* Hæc & alia moverunt eruditiſſimos viros, *Maſium* præfat. in Ioſuam, *Titelmannum* prologo Apolog. pro Edit. vulg. *Bellarminum* lib. 2. de V. D. cap. 6. & alios, ut hanc de cellulis fabulam exploſerint.

* in libro de menſuris & ponderibus.

Adhæſit tamen pleriſque illorum eadem de mirabili conſenſu Interpretum in una baſilica congregatorum opinio, unde non minorem ei authoritatem, quàm cellularum defenſores, conciliare ſtuduerunt. Namque & hi τ̃ LXX. Interpretationem, προφητείαν, eoſque non tam vertiſſe, quam prophetaſſe, dixêre. Vide *Philonem* de vita Moſis, *Clem. Alexand.* Strom. lib. 1. *Auguſt.* de Civit. Dei l. 18. cap. 42. 43. 44. & de doctrinâ Criſti. 2. 15. Ipſe quoque *Hieronymus* qui præfat. in Pentat. *eos non vates ſed interpretes fuiſſe* dixerat, Prefat. in Paralip. *Spiritus ſancti afflatum* illis tribuit. Bellarmi-

larminus *peculiarem Spiritus S. assistentiam, ne quâ in re errarent*, illis adscribit, *ut non tam Interpretes quàm vates fuisse videantur.* Et *Gretzerus* Spiritum propheticum illis impartitur, ejusque vim constituit 1. in eo, quod tam fuerint concordes, 2. quod tam brevi temporis spacio, vid. 72. diebus, opus suum absolverint.

Habuerunt ergo juxta illos Spiritus S. peculiarem assistentiam, ut nulla in re erraverint. Hoc Græcos Patres sensisse minus mirandũ esse suprà dicebam. Illorum enim vix ullus Fontes adire potuit, aut ex vulgatâ Latinâ meliorem multorum locorum versionem discere. Quod enim ad Aquilam, Theod. Symmachum & alios Grecos Interpretes attinet, cum vel Iudæi vel hæretici illi fuerint, non mirum si ipsorum fidem suspectaverint. At *Hieronymum* subinde, & *Augustinum* ubique, ut de cæteris Latinæ Ecclesiæ Patribus nihil dicam, tam præclaram de ipsis fovisse opinionem, quis non miretur? Agnoscit August. in Ebræo legi Ion. 3. *adhuc* XL. *dies & Ninive peribit.* Noverat eundem locum in LXX. sic legi, *Adhuc tres dies, &c.* Hic sudat bonus pater, & celerem mentem nunc hùc nunc dirigit illùc, nec tamen se extricare valet, ut suo loco videbimus; Mordicus enim tenet id quod semel apprehenderat, * *Spiritum qui in Prophetis erat cum illa dixerunt, eundem ipsum fuisse etiam in* LXX. *cum ista transferrent.* Sed quid *Augustinum* memoro? *Salmero* & *Gretzerus*, qui plurima à LXX. addita, detracta & mutata vel ex sola vulgata deprehenderant, tantum abest, ut ex eo de versionis istius authoritate dubitare cæperint, ut totum hoc singulari Spiritus S. impulsui transcribant. Sed videant hi quid responsuri sint *Andradio*, cujus insignem hac de re locum infra ad errorem generalem de puritate fontium, cap. 3. producemus. Ille dictos interpretes labi potuisse asserit, & *Bellarm.* dictæ versionis sphalmata & ab Ebræo textu discrepantiam librariis imputat. Namque eorum versionem *nunc adeo corruptam & vitiatam* agnoscit, *ut omnino alia esse videatur. nec dicendum*, inquit idem, *textum Ebr. esse corruptum ubi à Græco discrepat, ne fateri cogamur* (Nota hoc Lector, καὶ ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσι) *vulgatam Editionem, quam Concilium Trid. authenticam esse judicavit, totam quoque esse corruptam. nam excepto Psalterio, Latina Editio magis convenit cum Ebræo, quàm cum Græco.* Ad obtentum vero impulsus Spiritus S. ab *Augustino* aliisque adhibitum, à *Gretzero* verò & *Salmerone* aliisq; probatum, candidè respondet idem *Bellarm. Patres istos piè quæsivisse rationes ex-*

* De Civit. D. 18. 43. vide & 15. 23. & 18. 44.

cusandi & defendendi eam versionem, quâ tunc Ecclesiæ utebatur.

Sed satis ostensum arbitror, in quod præcipuè intendebam, Patres non solùm Græcos, sed & Latinos plerosque, qui Latinâ Editione ex Græcâ τῶν LXX. traducta utebantur, *summum scelus duxisse*, verba * *Andradii, à LXX. Interpretum versione quovis modo dissidere, eosque non aliter pro 70. Interpp. quàm pro ipsis divinis oraculis pugnasse & divino afflatu fuisse in interpretando actos, existimasse. Hoc negari non potest, hoc liquet*, inquit Andradius, ut mirum non sit, * *Hieronymum propter suam ex Ebræo versionem non minorem invidiam sustinuisse, quàm novi nunc Interpretes apud quamplurimos sustinent.*

* Defens. Trident. Fidei l. 4. fol. mihi 356.

* Idem fol. 355.

In hujus erroneæ sententiæ confutatione non ero prolixus. Præcipuum ejus fulcrum fuit illa de cellulis opinio. Eo sublato, ruit illa alto à culmine. Iam diximus, à quibus & quibus de causis ea fabula explosa sit. Adde, omnia ferè quæ de universâ illa Interpretatione traduntur, adeò diversis authorum opionibus involvi, ut vix quippiam certi sit. Controversum est, utrùm sub Ptolomæo Lago, an Philadelpho ea elaborata sit; an solius Pentateuchi, an verò totius Vet. Testamenti versionem dederint; an omnes conjuncti inter sese contulerint, atque ita à capite ad calcem perrexerint, an vero in LXXII. vel pauciores particulas Scripturâ distributâ, vel singuli vel bini suum pensum absolverint: Controversum est an ex singulis tribubus seni delecti, an Demetrius Phalareus ullas sustinuerit partes in hâc fabulâ. Duo enim hæc posteriora negat *Scaliger*, animadversionibus ad Eusebium & *VVowerius* in Syntagmate de Græcâ versione c. 3. Ostendunt enim, neminem hoc tradidisse preter Aristæam; ex eo verò hoc hausisse Ecclesiasticos scriptores. Ostendunt eum Regi Philadelpho fuisse invisum, produnt odii causam, docent à Philadelpho sub initium regni sui in exilium ire jussum, atque in eo periisse: Bibliothecæ Alexandrinæ non fuisse præfectum, nullum antiquorum Scriptorum, qui vitam ejus descripsêre, hujus rei ullam mentionem scriptis suis inseruisse. Ad summam, tota Aristææ narratio in dubium vocatur à viris magnis. Epistolæ quæ ad Iudæos scriptæ finguntur, apud diversos authores diversæ. Ajunt esse scriptum ab Alexandrinis Iudæis confictum, Aristææ suppositum, more istis sæculis tralatitio, & Iudæis proprio, utpote qui ab omni ævo sine ulla religione, neglectâ omni specie veri, mentiri ausi sunt, quasi tota posteritas Midæ aures fabulis eorum recipiendis assumsisset.

Sed

Sed demus hæc omnia vera esse, LXXII. Senes, ex singulis tribubus senos, ab Eleazare Pontifice ad petitionem Ptolomęi Philadelphi, à Demetrio Phalaréo Bibliothecario suo moniti, Alexandriā missos, ibique totum vetus Test. in basilicâ unâ congregatos, summo consensu 72. dierum spacio, cum peculiari assistentia Sp. S., sine errore, vertisse, quomodo hæc definivit *Bellarminus*, illa tamen restabit difficultas, utrùm illa, quæ in Græco textu ab Ebræo manifestè discrepant, quæ ad eum addita, vel mutata sunt, cum *Augustino*, *Salmerone*, *Gretzero*, &c. Spiritui S. an verò librariorum incuriæ adscribenda sint, sicuti volunt *Andrad. Bellarm. Masius* & alii. Si prius dixeris, oportet ut vel textum Ebræum ibi corruptum dicas, ubi à Græca discrepat, & sic vulgatam quoque Latinam incusari, *Andradius* & *Belarm.* suprà monuerunt, vel ut cum *Augustino* utramque Spiritui S. adscribas lectionem, spiritumq; illum veritatis non solum à semet ipso diversum, sed & sibi ipsi subinde contrarium facias, id quod sine insigni Spiritus S. injuria fieri non potest. Si posterius eligas, ut vid. librariis imputetur ea Græci textus ab Ebręo discrepantia, etiam illud largiendum erit, vetustissimam istam esse universi ferè textus curruptionem, cum antiquissimi etiam Patres loca ferè omnia eo modo, quo etiamnum leguntur, corrupta, citaverint, atque iis ipsis suos errores superædificârint. Id quod ad illud quod nos intendimus, satis est. Sive enim ab ipsis Interpretibus, sive à librariis commissi sint errores isti, qui celebratissimam istam interpretationem deturpârunt, illud videbunt semper Lectores, eos, dum per linguæ Sanctæ ignorantiam, nec in erratis librariorum, nec hæreticorum depravationibus, nec in varietate lectionis nec in ambiguitate vocis vel sententiæ, vel similibus casibus, ne dum in locis malè versis ad fontes recurrere, atque ex iis se extricare potuerunt, eâ ipsa ceu sacrosanctâ & θεοπνεύςῳ fuisse usos. Sed & nos suo loco evidentissimis exemplis ostendemus, ipsos illos Interpretes multos quoque admisisse errores, homines enim fuere, non Dii; Interpretes non Vates. Et manifesta passim indicabimus vestigia, quibus illi insistentes, ab Ebraïcæ viritatis linea non semel aberrarunt Certè * *August. Steuchus Eugubinus*, Episcopus Xisamensis, non erubuit pronunciare, LXX. *Interpretes non adeo exquisitè Grammaticam Ebræam calluisse*, atque ex hoc fonte quamplurimos errores ebullivisse. Sed jam dixi meæ intentioni sufficere ingenuam Bellarmini & aliorum confes-

* in Recogn. vet. Testam. ad Gen. 4.7. De Verbo Dei 2.6.

confessionem, adeo multis eam versionem erroribus librariorum & descriptorum esse depravatam, *ut omnino alia esse videatur.* Iam suo sæculo quiritabatur *Hieronymus*, post confusas *Origenis* notas (vid. *obeliscos*, quibus ex aliis editionibus adjecta confoderat; *asteriscos*, quibus detracta aut si quæ Theodotionis irrepserant, notaverat; *lemniscos*, quibus discrepantes lectiones variorum librorum consensu firmatas, & *Hypolemniscos*, quibus paucorum librorum testimonio probatas indicaverat) versionem eam adeo fuisse vitiatam, ut vix unicum potuerit reperiri exemplar, in quo pura & integra τῶν LXX. interpretatio extaret. *Orignem* exceperunt *Lucianus* presbyter Antiochenus, & *Hesychius*, qui huic versioni emaculandæ & pristino nitori restituendæ manum admoverunt. Unde postmodum tres quasi Editiones matres extitêre, de quibus Hieronym. Præfat in Paralipom. *Alexandria & AEgyptus*, inquit, *in* LXX. *suis Hesychium laudat authorem. Constantinopolis usque in Antiochiam Luciani Martyris exemplaria probat. Media inter has provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius vulgaverat, totusque orbis in hâc trifariâ varietate compugnat.* Ecce tres primarias editiones versionis τῶν LXX. singulas à correctore & recognitore suo denominatas.

vide Epiphā de pond. & mensuris, è lib. 2. contr. hæreses, hæresi 64.

Quid verò de Latinâ versione, ex LXX. traductâ, quâ usque ad Hieronymi tempora usa est Ecclesia Latina, quam tanti faciebat *Augustinus*, ut de *Hieron.* laboribus non admodum benè senserit, dicemus? Si adeo corrupta fuit Græca, quid de ejus rivo, Latinâ, miramur? Ex hac, inquit *Augustinus* de Civit. Dei 17. 43. LXX. interpretatione etiam in Latinam linguam traductum est, quod Ecclesiæ Latinæ tenent. Hujus Editionis tot fuisse exemplaria quot codices, & unumquemque pro suo àrbitrio vel addidisse vel subtraxisse, quod ei visum fuit, queritur *Hierony.* Præfat. in Iosuam. Res ipsa etiam loquitur, ejus Interpretem Latinum multos librariorum errores transtulisse, ut E. G. Ps. 132. χήραν *viduam*, ubi in Ebr. צֵיד / quod θήραν redditum erat ab ipsis LXX. & in vocibus ambiguis eam sæpe elegisse notionem, quæ minimè quadrabat, ut Psal. 110. ἀρχὴ quod ille *principium* reddit, cum principatum reddere debuerit. Et quidem de his talibus porro præbebitur disserendi oportunitas.

ERROR

ERROR GENERALIS II.

Vulgatam translationem Latinam utriusque Testamenti, quæ vulgò B. Hieronymo *tribuitur, mentem Spiritûs S. ubique examussim expressisse; eam esse authenticam, nulloque prætextu à Christianis rejici posse aut debere.*

Distinctê hic propono duo membra; primum Veteris Ecclesiæ Theologis & Scholasticis, qui usque ad Concilii Tridentini vel potius Reformationis tempora eâ usi sunt, oppono. Ex illis multi fuere, qui quâ linguâ Scriptores sacri originaliter scripserint, nescivisse videntur, nedum, ut vel fontes, vel translationem Græcam, vel alterius idiomatis textum consuluerint. Secundum Concilii Tridentini Patribus & qui eos secuti sunt, Romanæ Ecclesiæ defensoribus oppo tum volui, quorum error eò est detestabilior, quò majore linguarum luce Christianum orbem Deus O. M. illustravit.

ERROR GENERALIS III.

Fontes seu orginalem Scripturam hæreticorum & Iudæorum malitiâ ita esse corruptam, ut non amplius norma Christian. dogmatum esse possit.

Hic error natales suos superiori debet. Non potuit enim iste constabiliri, nisi hoc suffultus tibicine. De utroque ergo simul agendum erit. Differam autem de his ὕστερον πρότερον, sequentibus capitibus exhibiturus primò

GENERALEM
DEFENSIONEM
EBRAICÆ VERITATIS:

Deinde vero luculentum tractatum, quo detectum ibo

BONAM FIDEM,
INFALLIBILITATEM &
CONCORDIAM

Romanorum Pontificum & Romanæ Ecclesiæ circa vulgatam vesionem.

CAP. I.

ARGUMENTUM. *Quibus linguis originaliter scriptus sit sacer codex. Prærogativa fontium. Cur veritatis titulo eos insigniverint Patres.* Gratiani *judicium de iisdem. Quando ii corruptelæ incusari cœperint. Et cur, & à quibus. A quibus rursus defensi, vid.* Bellarm. Andradio, Ariâ, &c. *Discordia Ecclesiæ Romanæ. Verus status controversiæ proponitur & explicatur. Agnoscuntur in textu Ebr. variæ lectiones, ex mendosâ codicum descriptione ortæ, ubi de* Keri & Chetib. *Cur hoc nihil patrocinetur vulgatæ. Ostenditur Dei quoque providentia circa has varietates, utpote per quas nec Fidei nec bonis moribus ullum infertur detrimentum. Masorethæ, &c.*

VEtus Fœdus à sanctis Dei hominibus, Spiritus S. instinctu, ea lingua, quam Iudæi omnes intelligebant, vid, Ebraïca, exaratum est, exceptis pauculis in Daniele & Ezra capitibus, quæ Chaldaicè scripta sunt. Novum verò, postquam jam paries ille intergerinus, quo Gentes à Judæis secludebantur, esset ruptus, eâ linguâ consignatum est, quæ tunc temporis in orbe terrarum maximè erat communis, vid. Græcâ: quam tamen ob Ebraïsmorum mixturam eruditi *Hellenisticam*, quod ea Iudæi Hellenistæ uterentur, vocare amant: Ego *Ebræo-Græcam* vocitare soleo. Hisce linguis Sacram Scripturam authenticam esse & sana ratio suadet, & Ecclesia primitiva semper credidit. Hîc enim * *& res & verba à Spiritu S. dictata sunt*, adeo ut originalis textus scriptores ne in minimis quidem errare potuerint. Hinc fontes ipsos præclaro VERITATIS titulo beati Patres insignivêre,& pulcerrimâ contesseratione iisdem eas tribuerunt prærogativas, quas omnes Protestantium Thelogi iis tribuendas hactenus contendêre. Videantur hâc de re Eusebius præpat. Euang. 8. 2. Historiæ Eccles. 3. 10. Origenes apud Hieron. in Iesa. 6. Hilar. Ps. 119. ad literam Lamed. Ambros. de Spiritu S. 2. 6. August. de doct. Christianâ 2. 11. *Latinæ linguæ homines Ebrææ & Græcæ linguæ cognitione opus habent, ut ad exemplaria præcedentia recurrant, si quam dubitationem intulerit Latinorum Interpretum varietas.* Hieron. Epistolâ ad Vitalem, profitetur, se *ad Ebraicam veritatem tanquam ad arcem confugere*, Et Epistolâ ad Suniam & Fretellam, *Sicut in Novo Test.* inquit, *si quando apud Latinos quæstio exoritur, recurrimus ad fontem Græci sermonis, quo novum instrumentum scriptum est: ita in Veteri Testamento, si quando inter Græcos Latinosque diversitas est, ad*

* Gretzerus def. Bellarm. p. 520. additque hoc in translatione non contingere.

est, ad Ebraïcam recurrimus VERITATEM. Et in caput 8. Zachariæ, *Cogimur*, inquit, *ad Hebræos recurrere & scientiæ veritatem de fonte magis quàm de rivulis quærere*. Eadem habet Præfat. in Pentateuchum, & contra Helvid. & alibi. Rursus *August.* de Civit. Dei 15.13. *Cùm diversum aliquid in utrisque codicibus invenitur, quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrumque non potest esse verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.* Ad quæ verba Lud. Vives, *Hoc ipsum Hieron. clamat: Hoc ipsa docet ratio, & nullus est saniore judicio, qui repugnet.* Idem æstimium fontibus mansit, sæculis aliquot subsecutis. Gratianus sententiam illam Hieronymi, quam ex eo ad 8. Zachariæ suprà produximus, inter decreta retulit, distinct. 76. capite, *Iejunium.* Et distinct. 9. cap. *ut Veterum*, non veretur hæc effari, *ut Veterum librorum fides de Ebræis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas Græci sermonis normam desiderat.* Ad quem locum Glossa, *quantumcunque*, inquit, *authenticum sit aliquid, si tamen de ipso in dubium aliquid revocetur, semper exhibendum est illud à quo originem ducit.* His rationibus suffulta præstantissima ingenia, quæ supra vulgus sapuêre, libere à vulgatâ versione, sicubi eam à fontibus recedere arbitrarentur, recessêre, quod vel ex solis *Lyræ Burgensis* lucubrationibus potest constare. At postquam, exoriente Linguarum Originalium, & cum iis purioris religionis, Sole, Theologi Euangelici ad ipsos quoque fontes provocassent, ut errores Papismi detegerent & refellerent, suamque Confessionem stabilirent, Pontificii verò a vulgatâ ad eos abstrahi nollent, ut cum aliquâ specie id recusare viderentur, dicam fontibus scripsêre, Judæosque nefandi sacrilegii, corruptorum vid. ex Christianismi odio fontium, postulârunt. Inter hos eminent *Iacobus de Valentia* Episc. Christopolitanus, Præfat. in Psalt. *Lindanus* de opt. genere interpretandi. cap. 11. *Melchior Canus.* 2.13. *Leo Castrius* in Apologetico, *Salmeron* proleg. 4. in Euang. *Gordonus Huntlæus*, Epitome Theol. contraverf. tomo 1. controv. 1. cap. 8. & seqq. *Serarius* proleg. Bibl. p. 74. & 75. & alii, quos hic recensere omnes & longum & supervacaneum esset. At his, inter se non per omnia tamen consentientibus, cornua obverterunt doctiores & cordatiores Pontificii, *Iohan. Isaac*, Professor olim Ebrææ linguæ apud Colonienses, qui peculiari libello *Lindani* impudentem assertionem retudit. *Driedo* de Dogmatibus Ecclesiasticis, lib. 2. *Arias Montanus*. Præfat. in Biblia Interlin. & Varias lect. tex-

tus Ebr. *Bannes* in Thomam parte 1. p. 56. *Andradius* Defens. Concilii Trid. lib. 4. *Bellarm.* de Verbo Dei lib. 2. cap. 2. *Marinus* Præfat. in arcam Noæ, *Ludovicus de Tena* lib. 1. de Script. Diffic. 3. Sect. 4. *Senensis*, *Acosta*, *Lorinus*, *Sanderus*, ut *Cajetanum*, *Pagninum*, *Hieronym. ab Oleastro* & alios jam prætercam.

Quod ad priores illos attinet, qui textum Ebræum de industriâ à Iudæis corruptum esse clamarunt, eos nihil aliud sibi propositum habuisse, quàm ut vulgatæ Editioni major accederet authoritas & hæreticis contradicerent, verbis *Andradii* & *Bellarmini* docebo. Sic enim ille Defens. Concilii Trid. lib. 4. folio mihi 348. *Principio demonstrabo, valdè inconsideratè à quidusdam fuisse existimatum, Latinæ Editioni ideo plus fidei quam Ebræis voluminibus tribuendum, quod hæc Iudæorum fuerint perfidia corrupta & adulterata.* Et fol. 364. *Amplissimo mihi videntur Ecclesiam spoliare ornamento, qui, ut vulgatam Editionem ab inanissimis vindicent calumniis, Hebræos Codices Iudæorum perfidiâ corruptos fuisse contendunt.* Et ibid. *Satis ergo demonstravimus, quam longè à proposito sibi fine aberrent, qui ut vulgatæ Editionis dignitatem tueantur, Hebræa gravissimis vexant contumeliis.* Bellarm. verò lib. 2. c. 2. postquam de *Thikkun Sopherim* disputasset, & accusationem *Galatini* audacter rejecisset, disputationem illam obsignaturus, sic infit, *Ex quo apparet, imprudenter quosdam, dum se Ebræos oppugnare credunt, Ecclesiam ipsam oppugnare.* Et paulò post, *Aliis etiam occurrendum, qui Zelo quidem bono, at non secundum scientiam, omnino contendunt, Iudæos in odium Christianæ fidei studiosè depravasse & corrupisse multa Scripturarum loca.* Atque hæc eò quoque à me producta sunt, ut æquus Lector judicium ferat, annon nostræ Ecclesiæ meliori jure Pontificios accusent, quod nimio *amore* & studio retinendi vulgatam præ authentica Scripturâ, ipsis fontibus detrahant, quàm ipsi nobis objicunt, nos *odio* vulgatæ nimium tribuere fontibus. *Hæretici hujus temporis*, inquit * Bellarminus *odio vulgatæ Editionis nimium fontibus tribuunt.* Quâ enim fronte hoc nobis objicit cardinalis, cum non ignoret, nos fontes constituere regulam & normam non hujus solum vulgatæ, sed omnium versionum, quales quales eæ sint; cum insuper experientia hoc doceat & Ecclesiarum nostrarum praxis. Falsa ergo hæc criminatio Bellarm. & Pontificiorum est. Nostra contrà ab illis ipsis comprobatur & confirmatur. *Faciunt hoc ex zelo bono*, inquit Bellarm. at quorsum spectat ille zelus? Hoc satis explicat *Andradius*, *ut dignitatem vulgatæ versionis tueantur.* At

* De Verbo Dei 2. 2.

quæ

quæ hæc perversitas est? *Textus Ebraïci* (verba Cl. * Amesii) *puritatem defendi antea dicebat ex odio malo: Eandem autem temerè impugnari vult ex zelo bono.* Sed quid miramur, adeò nullo in pretio esse fontes apud eos, qui eos à Judæis studio depravatos esse sentiunt, cum *Gretzerus* non erubuerit (pag. 447.) asserere, sibi persuaderi non posse, *omnia ad Ebr. textum jam post tot secula corrigenda & exigenda esse, etiam si fons ille nunquam lutulentus, sed semper & ubique limpidus flueret.* Quæ verba obstinati & pervicacissimi propositi vulgatæ versioni mordicus & æternùm adhærescendi, fontibusqne ἄσπονδον πόλεμον indicendi, certum argumentum suppeditant.

* In Bellarm. enervato.

N. B.

Cæterùm qui præter Pontificios, pro ἀφθαρσίᾳ & incorrupta veritate fontium, Judæorumque in conservandis Ebræis codicibus religione, disputàrunt, multi sunt, *VVitakerus, Lubbertus, Iunius, Amesius, Rivetus*, & alii. At qui in particularibus locis, quæ à Pontificiis quibusdam vel suspectantur vel palam incusantur, vindicandis plus præstiterit, non vidi quempiam præter *Salomonem Glassium*, virum eruditissimum, qui in Philologia sua Sacra 72. loca veteris, 20. verò novi Fœderis vindicavit. In quem si vel *Huntlæo* vel *Marsenno* vel ejusdem gregis alteri cuipiam prolubium fuerit incurrere, abunde invenient quod agant. Nobis igitur ad particularia loca in hoc argumento descendere non est propositum. Fiet hoc & factum est in Censura. Mihi illud sedet, ex ipsis Pontificiis objectiones Pontificiorum diluere, ad quæ si accesserint ea, quæ à Theologis suprà nominatis super hac eadem quæstione disputata sunt, nescio quid harum controversiarum studiosus ultrà possit desiderare.

Monendus autem hîc initio lector est, Quæstionem de textu Originali veteris Instrum. (nam de Græco Novi postea dicetur) hanc esse, *an textus Ebræus à Iudæis studiosè* (ut Bellarminus loquitur) .i. *studio & de industria, odio Christianæ religionis corruptus sit.* Dixi, *studiosè & odio Christianismi.* Haud enim * negare ausim, & injuria temporum & descriptorum incuria, errata quædam & sphalmata in textum Ebræum irrepsisse. Hoc autem dum admittimus, authoritati textus Ebraïci nihil detrahimus. Manet n. nihilominus textus authenticus & omnium versionum norma. Hanc prærogativam ipsi relinquunt illibatam omnes versiones, excepta unica vulgata. Huic principatum quærit Rom. Ecclesia, cum ignominiosa fontium dimissione. At hîc nihil obtinebit vulgata. Et ca-

* Ita & Cl. Rivetus p. 106. Isagogos.

vent prudentiores Pontificii hac machina authentiam fontium oppugnare. Paucula enim illa ſphalmata ſunt, pro tanta librorum iſtorum antiquitate, pro tam variis & aſperis Iudæorum calamitatibus, diſperſionibus & exiliis. Sed & inſuper *non tanti ea ſunt momenti*, verba * Ballarmini, *ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent, ſcripturæ ſacræ integritas deſideretur. Plerunque enim tota diſcrepantia variarum lectionum in dictionibus quibuſdam poſita eſt, quæ ſenſum aut parum aut nihil mutant, &c.* Sic eſt profecto: Ex omnibus illis variantibus lectionibus nulla producetur una, unde vel orthodoxæ fidei, vel pietati ullum detrimentum inferri poſſit, Certe his talibus nullam interveniſſe Judæorum malitiam, non tantum hinc apparet, quod nullum ex iſtis Judaïcæ perfidiæ patrocinium exſculpi poſſit, ſed & ex eo, quod fontes variantium Lectionum aſſignari poſſint, inter quos primarii ſunt, affinitas ſoni, e.g. לא & לו/ vel affinitas figuræ conſonarum, ut הוא & היא/ כארו & כארי/ vel indifferentia ſenſus. Multa n. occurrunt loca, in quibus adeo pulchrè utraque quadrat lectio, ut nulla Logica vel Grammatica definire poſſit, utra lectio genuina ſit, ſicuti prolixius in diſſertatione noſtra de Keri & Chetib, quam Coronidi noſtræ ad Grammaticam Martinio-Buxtorfianam præmiſimus, oſtenſum eſt. Atque hîc illud quoque non poſſum diſſimulare, me haud gravatim adduci ut credam, *fieri etiam potuiſſe*, verba * Bellarmini, *ut ex pravo affectu & odio in Chriſtum* (addo, vel in Chriſtianos) *ea lectio interdum ipſis magis probata ſit, quæ minus Chriſtianis favebat.* Neque enim hæc adverſari iis puto, quæ paulo ante de ſumma Judæorum, in Bibliorum integritate conſervanda, fide, dixerat *Bellarminus*, id quod unico exemplo facile oſtenſum dabo. Pſ. 22. pro כארו *foderunt*, irrepſit in pleroſque codices ex affinitate duarum literarum, כארי/ hanc eſſe variam lectionem ipſe *R. Iacob Ben Chaijim* in Maſora magna teſtatur, qui & illud addit ſe libros emendatiſſimos vidiſſe, in queîs Textus habuerit כארו / margo vero כארי / Originem ſi ſpectes, nulla hic malitia, ipſo Bell. judice. At ſi quæras, cur hodiè adeò præfractè illud כארי tueantur, ut ne in margine quidem alteram lectionem tolerent, non putarem à vero aberraturum eum, qui hoc eorum pervicaciæ, pravoque in Chriſtianos affectui, queîs nihil gratificari volunt, adſcripſerit, uti in Coronide noſtra ad Pſ. 22. oſtendimus. Sed dices, dum admittuntur tot variæ Lectiones in veteris Fœderis codice, deflorari laudem illam religioſæ

Biblio-

* De Verbo Dei lib. 2. cap 2.

* De V. D lib. 2. cap. 2. in fine.

Bibliorum conſervationis, quam & patres, ipſique adeo moderatiores Pontificii ipſis tribuunt Reſpondeo, manere ipſis ſolidam laudem, quod textum ſacrum ſtudio non corruperint. Cætera temporis longitudo, exiliorum & calamitatum aſperitas, errandi in ſcriptura Ebraïca proclivitas apud æquos & quos ſtudium illud ἀνθολκὺς non afflavit, facile excuſaverint. Potuiſſet quidem Deus ab his quoque erratulis divinas literas præſervare & ſupernaturali quadam gratia & ope omnibus, qui exemplaria Ebraïca exſcripsêre, adeſſe, ſicuti primorum exemplarium θεοπνεύστοις ſcriptoribus adſtitit, at quia id non fecit, an ideo cum eo expoſtulabimus? Magnum ſatis illud beneficium, & cui dignas ſatis grates rependere non valemus, quod pro cœleſti hoc Chirographo ſuo ita zelaverit Deus, ut adverſus malitioſam depravationem illud ſartum tectum conſervaverit. Quin & illud conſideratione dignum, in his humanæ infirmitatis erratis & παροράμασι, non dormitaſſe vigilem iſtum divinæ providentiæ oculum, dum cavit diligentiſſime, ne vel minimum ulla orthodoxæ fidei particula, vel pietas, ex eorum ullo (ſicuti ſuprà quoque dicebamus) detrimentum caperet. Vis exemplum? Vnum illud ex multis mihi conſidera. Plurimis in locis pronomen Maſc, הוא in fœmininum היא / & contrà hoc in illud demigravit, non alia de cauſa, quàm literarum *Iod* & *Vau* affinitate. At facilè in ſingulis locis ex antecedentibus vel conſequentibus advertitur error. Ab hoc tamen mendo præſervavit Deus locum illuſtrem Gen. 3. 15. ubi primum Euangelium extat; Illic enim in omnibus ad unum uſque codicibus, atque adeo ipſo Interlineari anno 1572. edito, quod ſacrilega manus temeravit, conſtanter lectum fuit & etiamnum legitur הוא / de quo, ubi ad locum iſtum pervenerimus, plenius dicendi dabitur occaſio.

Agnoſco itaque cum *Bellarm. Bannes. Senenſi* & aliis, errata quædam *& errores qui irrepſerunt negligentiâ & ignorantia librariorum & temporis injuriâ.* Sed quid inde lucratur vulgata Editio? An illa hic immunis eſt? nnuquid in illam, ætate cum fontibus Ebraïcis haudquaquam comparandam, longè plura librariorum (de erroribus enim ipſius Interpretis jam non loquar) errata irrepsêre? Quantam variantium lectionum farraginem comportarunt Lovanienſes? Eſto librariorum incuria corruptus locus unus & item alter in originali textu. An propter unum nævum auferetur palma

pulcherrimæ virgini, dabiturque alteri toto corpore deformi? jam & illud mihi considera, ea quæ in textu Ebraïco librariorum incuria & temporum injuriâ corrupta fuerant, loca, Masoretharum indefessam diligentiam restituisse. Dum verò *Masorethas* nomino, non tantùm illos intelligo, quos Tiberiade, tempore confecti Thalmud, convenisse Elias Levita in Masoreth Hammasoreth tradidit; Originem & initium celeberrimi Masoretharum collegii & sanctissimi hujus, circa Sacri textus emendationem, laboris, ab ipso *Ezrâ*, ceu Præside Synagogæ magnæ, cum magno illo *Buxtorfio* arcesso. Habuit iste *Ezras* collegas, *Haggæum, Zachariam, Malachiam, Nehemiam, Zorobabelem, Iosuam* & alios. Et quidem huic *Ezræ* ipse *Bellarminus* tribuit lib. 2. cap. 1. *quod Scripturas ordinaverit in unum corpus, & etiam emendaverit, si quæ depravata erant negligentiâ scribarum.* Cui astipulatur *Genebrardus* Chronol. lib. 2. referente D. Buxtorfio. Quæ verò post horum tempora in eosdem & ipsorum quoque *Ezræ, Malachiæ, Haggæi, &c.* libros irrepserunt sphalmata, (id quod præcaveri non potuit, quamdiu integram Masoram non habuêre) eorum, qui ipsis, continuis aliquot sæculis, successerunt, diligentia restituit. Illud enim sciendum est, Masoram, quam hodie habemus, seu illud notarum Masorethicarum corpus, quod hodie in Venetis & Basileënsibus extat, non esse ab uno aut altero homine aut collegio, paucorum quorundam annorum spatio, compositum, sed esse farraginem & sylvam variarum observationum, quæ à plurimis hominibus, multis sæculis, ab Ezræ & virorum synagogæ magnæ sæculo, usque ad Tiberiensium seu post-Thalmudicorum Masoretharum tempora factæ sunt, sicuti egregiè docet *Buxtorfius* noster in Tiberiade, Comment. Masoreth. c. 11. Ubi & illud notandum est, non hoc solum Masorethas allaborasse, ut textus sacer ab omnibus librariorum sphalmatis emacularetur, sed & illud intendisse, ut sacer textus, jam emaculatus, in perpetuum purus conservaretur, ut nec sublati semel errores denuò redirent, nec alii de novo irreperent. Quod an assecuti sint, si forte quæsieris audi Iesuitæ *Serarii* judicium, *Diligentiâ incredibili*, inquit, *hoc perfecerunt Masoritæ, ut in Canonicis, quos numerant ipsi, libris, malignè nihil addi, adimi, mutarive deinceps poßit.* Et certè non male judicasse Iesuitam, pronunciabit quisquis eam penitius inspexerit, aut Tiberiadem magni Buxtorfii, librum auro contra non carum, evolverit, aut

Proleg. Biblic. p. 64.

a Ariæ Montani, b Marini, & aliorum de eâ judicia legerit.

Atque hæc eò à me dicta sunt, Primò, ut & illis occurrerem, qui *Keriin & Chetibin* pro variis lectionibus, ex descriptorum incuriâ vel ignorantiâ ortis, non agnoscunt. Tot jam annis, inquiunt, à Masoretharum temporibus in exilio vixerunt Iudæi, & tamen Biblia incorrupta conservant. Quod si ergo variæ lectiones ex mendosa descriptione ortum habent, oportuit numerum earum ab eo tempore fuisse auctum. His jam responsum est. Inter alias causas utilissimus ille Masoræ thesaurus est, quam non immeritò סייג לתורה *sepem legis* vocant. 2. ut ostenderem errores librariorum, de quibus hactenus actum est, Masoretharum industriâ jam esse sublatos· Quod si præter eos putant adhuc restare alios, ut Ps. 19. קִיָּם pro קוֹלָם Ies. 9. 6. יִקְרָא pro יִקָּרֵא & similia, quæ Bellarm. & alii quoque vel incuriæ librariorum, vel ignorantiæ Rabbinorum transcribunt, non persuadebunt, nisi evidentiores rationes & clariora indicia produxerint. Suspiciones vanæ cordatos non movent. Quàm autem pleræque vanæ sint, post omnes diligentissimè & ex professo ostendit *Glassius.*

a Præfat. in Pentateuchũ Bibl. Regiorum, & in libello de varia in Ebr. libris lectione, in Apparatu.
b Præfatione in Arcam Noë.

Vt ergo huic capiti finem imponam, dico,

1. Manifestos errores librariorum à Masoretis esse sublatos, & proinde non ingenuè adversus Ebræum textum objici.

2. Necdum probatum esse à Pontificiis, præter eos insuper restare alios universales errores, qui vid. omnes codices invaserint, qui correctione egeant.

3. Dato, ejusmodi etiamnum superesse, eos tamen, testibus *Bell. Bannes, Senensi, Andradio, Aria Montano,* aliisque, non tanti momenti esse, ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent, sacræ scripturæ integritatem lædant.

4. Nihil hinc derogari authoritati textus Ebraïci, vulgatæ Editionis (à cæteris enim nulla lis movetur fontibus) respectu: id quod cap. 4. prolixius demonstrabitur.

CAP. II.

Bellarminus *minus candidus aut ex professo obscurus. Producuntur ex Patribus* Bellar. Andrad. *& aliis Pontificiis solidissima argumenta, fontes à Iudæis studio & malignè non esse depravatos. Examinantur loca duo Ps. 2. & Ies. 53.*

Supe-

SVperiori capite ſtatum controverſiæ & quæ ei illuſtrando neceſſaria nobis videbantur, propoſuimus. Nunc ad cætera accingamur. Dicimus, *Fontes Ebraicos malitiâ Iudæorum non eſſe corruptos*, ſeu, quod idem eſt, negamus fontes à Judæis odio Chriſtianæ fidei ſtudioſè. i. de induſtriâ depravatos. Hæc eſt ſententia doctiſſimorum Pontificiorum, *Bellarm. Senenſis, Andradii, Ariæ Montani, Bannes, Driedonis, Marci Marini, Acoſtæ, Lorini, Sanderi, Pagnini* & aliorum, quorum verbis ſententiam hanc Euangelicorum confirmatum & argumenta impudentiorum quorundam Papiſtarum refutatum ibimus.

Antequam vero hoc agam, monendus eſt Lector, Bellarminum, dum hanc ſententiam proponit, non candidè ſatis & ingenuè agere. *Scripturæ Ebraïcæ,* inquit, *non ſunt in univerſum depravatæ, operâ vel malitiâ Iudæorum, nec etiam omnino integræ & puræ, ſed habent ſuos quoſdam errores, qui partim irrepſerunt negligentiâ vel ignorantiâ librariorum, &c.* Quorſum enim illud, *in univerſum*? Opponit Bellarminus duas ſententias, quarum unam hæreticis adſcribit, quos dicit odio vulgatæ Editionis nimium tribuere fontibus, eoſque ab omni labe immunes pronunciare, & puriſſimos fontes appellare: Alteram tribuit quibuſdam Catholicis, aitque eos, zelo quidem bono, at non ſecundum ſcientiam (.i. nimio amore vulgatæ Editionis & odio fontium) contendere, Judæos corrupiſſe MULTA Scripturæ loca. Hic Bellarminus ſe interponit Palæmonem & mediam tenet ſententiam, utrique parti contradicendo. Hæreticis enim contradicit his verbis, Scripturæ non ſunt omnino puræ & integræ, habent enim quoſdam errores, &c. Catholicis verò, illis zelotis, hæc opponit, *Scripturæ non ſunt in univerſum depravatæ malitiâ Iudæorum.* At hujus contrarium nuſquam aſſeruerunt illi, adverſus quos poſtea nervoſe diſputat. Hoc n. tantum contendebant, Scripturam in MULTIS Locis à Iudæis corruptam. Aliud eſt, * *in univerſum* aliquid eſſe corruptum, aliud in multis locis. Vt jam taceam, quàm pulcrè hæc propoſitio conveniat cum ſequentibus, quibus nervoſè diſputat, nihil à Iudæis malitioſè & ſtudioſè in ſacris literis corruptum, imò ne corrumpi quidem potuiſſe. Sed tempus jam eſt ut argumenta noſtræ Theſeos verbis Pontificiorum proponamus.

De Verbo Dei lib. 2. cap. 2.

Ameſ. Diſp. 3. Coll Anti-Bell.

* niſi hoc velit Bellar. in univerſū. i. generaliter in omnibus exemplaribus, confer. §. Dicet aliquis. Item §. Quintum & ultimum.

Argum. I. A ratione temporis. *Si Scripturas Ebræi corrupêre, vel id fecêrunt ante Chriſti adventum, ejuſque & Apoſtolorum miniſterium*

rium vel postea. Sed nec ante, nec post, Ergo, &c. Ita ex *Origene & Hieron.* ad Iesa. cap. 6. disputat *Bellarminus.* NON ANTE; hoc sic ostendit *Serarius* p. 73. I. Quia nulla iis tum proprios turbandi fontes causa erat. 2. Quia istiusmodi sceleris nunquam illos Christus vel Apostoli arguerunt, quin ad Scripturas ipsos ablegat Ioh. 5. 39. Dominus, eas apud ipsos explicat, Luc. 4. Ex iis disserit Matth. 22 neque textus depravationem illis unquam objicit. &c. 3. Ita docent *Orig.* lib. 8. in Iesa. *Hieron.* ad cap. 8. Iesaiæ, *Bellarm. 2. 2. Salmero*, qui & superiori utuntur argumento. Hæc *Serarius.* Addo, ne ipsos quidem Apostolos unquam hoc crimen Judæis objecisse, quod tamen Apostolus non dissimulasset Rom. 3. 2. si fuissent infideles custodes oraculorum, quæ à Deo ipsis fuisse concredita isthic loci asserit. NON POST, quia testimonia quæ à Christo & Apostolis ex vet. Test. citantur, eò ferè modo adhuc in Mose & prophetis inveniuntur. Nunquid forte, rogat Bell. sic ea protulerunt, ut per Spiritum cognoscebant depravanda postmodum à Judæis fuisse? Adhæc assignari non potest tempus, quo scripturas corruperint. *Quod si tempus*, inquit Andradius, *illi zelotæ notare, authores atrocissimi sceleris describere, locum designare, cæteraque definire potuissent, quæ Iudæos tam capitalis flagitii convincerent, magnâ nos profecto curâ & sollicitudine liberassent. Verùm si tota causa ex nudâ suspicione & ex Iudæorum singulari dementiâ, perfidiâ, contumaciâ & in Christi sanctissimum nomen inveterato odio pendet, leviora sanè illa sunt, quam ut sacris Hebræorum voluminib. antiquitate illustrissimis, majorum commendatione egregiis & omnium sæculorum testimoniis amplissimis, insignem turpitudinis notam ad ignominiam sempiternam inurere debeamus.* Hæc *Andradius.*

Pergo. Si post Christi & Apostolorum tempora corruptus est Ebr. textus, tunc aut ante Hieronymi tempora, aut post id factum fuisse oportet. NON POST, *qui*, ut *Serarius* inquit p. 74. * *mox eum insecuti sunt Masorethæ. qui, ut vetus R. Aquibæ dictum, Masoreth sejag lethorah. i. traditionem esse sepem legis, sibi vindicarent, diligentiâ incredibili perfecerunt, ut in Canonicis, quos ipsi numerant libris, malignè nihil addi, adimi, mutarive deinceps possit. Nam singulorum librorum versus omnes, singulorum versuum vocabula omnia, singulorum vocabulorum literas omnes dinumerarunt, annotarunt, omnique posteritati transmiserunt. Vt in Masoreth utraque parva & magna videre est, &c.* NON ANTE, sic probat *Serarius*, qui omnia quoque *Bellarmini* argu-

* Interjectis vix 30. annis, ut Genebrardus docet in Chronolog.

argumenta complexus est, *In primis*, inquit, DOMINI *annis quingentis nihil à Iudæis malitiosè in Ebr. textu mutatum, ante Hieron. tempora.* 1. *Quia si quis alius, hoc vidisset & reprehendisset Hieron. At mutatum negat is ipse quicquam.* 2. *Addit etiam is rationem, Si quid à Iudæis malignè ob Christi odium mutatum esset, illa maximè mutata fuisssent testimonia; quæ pro se & de se antea attulisset Dominus, & quæ de ipso & pro ipso Apostoli. Sed ejusmodi nihil ab ipsis factum, Ergo. Patris verba sunt hæc, in 6.cap. Ies.* Si dixerint aliqui, post adventum Domini Salvatoris & prædicationem Apostolorum libros Ebræos fuisse falsatos, cachinnum tenere non potero, ut Salvator & Apostoli ita testimonia protulerint, ut Judæi postea falsaturi erant. *Addo & falsaturos maximè fuisse ea, quæ iis hodiè negotii plus facessunt in Ebræo, quàm in Græco aut Latino textu, V. C. Ps. 2.* Osculamini Filium. 3. *Qui iisdem vixit temporibus idem existimat, S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei, cap. 13. qui & duas subindicat rationes, quárum prior hic tertia sit, Si Christianæ fidei odio vetus T. corrupissent Iudæi, sibi ipsis nocuissent plurimùm, quia suos ipsimet libros & scripturas, in quibus se vitam habere æternam putabant, ut ait Dominus,* Joh. 5. 39. *corrupissent, sibique suam, quam colunt veritatem, abstulissent. Posterior ratio hic* quarta, *In gentes plurimas dispersi tunc fuêre, ut etiam si vellent, non possent omnia ubique corrumpere exemplaria. Neque enim Synodus ab iis eam in rem coacta, neque pactio ulla uspiam legitur.* Absit *inquit S. Pater*, ut prudens aliquis Judæos cujuslibet perversitatis atque malitiæ tantum potuisse credat in codicibus tam multis, & tàm latè dispersis. 5. *Addi & illa ex eodem S. Augustino citato antea cap. 4. qu. 10. potest ratio, ideo varias in partes orbis infelices sparsos Iudæos, ut veteres apud nos scripturas testarentur esse veras, quia in iis, quas nimirum habent, nostræ consentirent, &c.* Hæc *Serarius.* Quibus verbis continetur.

II. Argum. quod ab aliis seorsim huic probandæ thesi adducitur, vid. *Si Iudæi nec voluerunt nec potuerunt Biblia corrumpere, sequitur ea non esse studio ab ipsis corrupta.* Quia vero uturmque assumptionis (*Sed Iudæi nec voluerunt, nec potuerunt. &c.*) membrum prolixius ab aliis quoque Pontificiis illustratum est, paulo diutius iis inversabimur.

NON VOLUERUNT. Audi Bellarm. *Adversus illos*, qui scripturas ajunt malitiosè à Judæis depravatas, *pugnant gravissima argumenta ex Origene, August. Hieron. & Eusebio allata, quibus facile demonstratur, Iudæos, nec per diligentiâm Christianorûm ipsis adversantem*

tem POTVISSE: *nec per Religionem suam* VOLVISSE *textum corrumpere: nam non desuêre Christiani, qui eum integrum servassent, & tanta religione textum Ebræum hodie venerantur, ut si forte contingat a Biblia in terram cadere, publicum jejunium indicant & centies mori se patiantur, potius quam legem in aliquo immutari.* (Eadem habet Joh. Isaac) *Adhæc, si Iudæi falsare voluissent divinas scripturas in odium Christianorum, sine dubio præcipua vaticinia sustulissent; id autem minimè fecerunt, imò sæpe codices Ebræi plus vexant Iudæos, quam Græci aut Latini.* Producit autem Bell. duo loca, 1. ex Ps. 2 ubi textus Ebr. habet, *osculamini Filium*, unde invictum adversus Judæos depromi posse argumentum asserit. Alterum ex Jes. 53. *nos reputavimus eum quasi leprosum* וּמֻכֵּה אֱלֹהִים *& percussum Deum*, cum illîc Vul. habeat, *apprehendite disciplinam*; hîc verò, *percussum à Deo.* Quod autem ad hæc duo loca attinet, non eadem utriusque ratio est. Nam de loco Ps. 2. verissimè pronunciavit Bellarm. Sensus n. hic est, interprete * Andradio, *Huic, quem omnipotens Pater filium esse suum palam profitetur, fasces ultrò submittite, illius vos totos imperio & ditioni sponte subjicite, cujus indignationem fugere nequaquam potestis. Osculo enim manuum, Palæstini, sicut & nos subjectionem notabant.* Ita Andradius. Cujus ego argumentum, quod ex hoc loco cum Bell. format, valde firmari existimo ex sequentibus, *Beati omnes qui confidunt in eo*, quæ Psalmi 2. clausula est. *Beati qui confidunt in eo.* In quo; In Filio. Hoc non inficiabitur Judæus. Jube eum jam cum hoc loco conferre illum Jer. 17.5. *Maledictus vir qui confidit in homine*, & rediges eum ad summas augustias, cogeturque vel invitus pronunciare, Filium illum Psal. 2. non esse ψιλὸν ἄνθρωπον. Quod verò nihil tale ex vulgatâ Edit. extrui possit, ingenuè agnoscunt Bell. & Andrad. Quo concesso, an vulgata etiam in locis ad fidem pertinentibus integra sit, suo loco videbimus. Quod ad locum alterum attinet, non satis solidum est, quod volunt * Bell. & Andrad. *Percussum Deum*, id esset Ebraïcè, אֱלֹהִים מֻכֶּה / Nota benè מֻכֶּה cum Sægol & post substantivum. Ebræi enim solent adjectiva præmittere, nisi prædicatum axiomatis constituant, & tunc est ellipsis verbi substantivi, ut טוֹבָה חָכְמָה *bona [est] sapientia.* Nunc verò, omnibus codicibus conspirantibus est מֻכֵּה אֱלֹהִים / Et quidem מֻכֵּה cum Tzeri, quæ punctatio ostendit vocem illam esse in regimine, ut ad verbum sonet *Percussum Dei*, id est percussum à Deo, Genitivo in talibus causam efficientem denotante

* fol. mihi 352. p. 2.

* Ita quoque Hannibal Rossèlus comm. in Poemandrú Trismegisti lib 4. comm. 9. qu. 2. c. 5.

notante

notante, ut Job.14.1. *natus mulieris*, & in N. Test. Luc.7.28. & alibi διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, & Math. 25.34. *benedicti patris mei*, quod & in affixis, quæ Participiis passivis adduntur, locum habere in Gramat. nostrâ ostendimus: e.g. מְבֹרָכָיו *benedicti ejus*, &c.

Sed redeamus ex hoc diverticulo in viam. Docuimus verbis *Bellar.* & *Serarii* Judæos non corrupisse Scripturam, odio Christianæ fidei, quia si id fecissent, in præcipuas prophetias, eaque quæ ipsorum perfidiæ maximè adversantur, involassent, id quod factum non est. Lubet hîc quoque audire suffragium *Andradii*, * *Me verò illam fateor rationem vehementer induxisse, ut minimè crederem, tanto se Iudæos scelere devinxisse, quod, cum in illud non nisi summâ in Christi nomen invidiâ impelli potuissent, ad ea quidem loca corrumpenda se potissimùm conferre debuissent, quæ ad Christi majestatem illustrandam, gloriam & dignitatem prædicandam sunt amplissima: quæ non modò integra sunt & illibata, sed si Iudæorum quis voluerit petulantiam coërcere, perfidiam coarguere, dementiam reprimere, multò quidem apertiora atque illustriora ex Ebræis quàm ex Latinis Græcisve voluminibus deducet argumenta. Quæ verò major potuisset excogitari dementia, quam * corvi fugam summo studio occultare, Christi verò, quem execrantur, numen atque amplitudinem minimè obscurare? Cum item capitalia quævis & atrocissima flagitia, si cum scripturarum corruptione conferantur levissima illi semper atque inanissima duxerint, quæ furiæ miseros homines exagitare potuerunt, ut inveteratum in Christum odium adulterandis & invertendis, quæ illius dignitatem minimè commendant, declararent? Nam maxima eorum pars, quæ adversarii à Iudæis corrupta esse clamant, ejusmodi sunt ut Christum nequaquam intueantur, aut ipsi non nisi allegoricè poßint accommodari.* Et paulo post, *Si verò legis & prophetarum sententias, quæ Christianæ religionis mysteria continent, diligenter expendamus, facilè quidem videbimus, non solum in Ebræis voluminibus non desiderari, sed multò aptius plerunque Ebræa quam Latina ea ipsa exprimere.* Et rursus pauculis interjectis, *Quin etiam qui Hebræa piè & religiosè tractant, multò in illis ampliora (propter linguæ fœcunditatem) de Christo testimonia, quàm in Latinis Græcisque offendunt*, ut Ps.2.pro *apprehendite disciplinam*, Hebræi habent, *osculamini Filium*, &c. Et post paucula sic concludit, *cum igitur nullam ex Ebræis voluminibus invidiam conflare Christo Iudæi queant, illustrioraque ex illis quàm ex Latinis propter linguæ præstantiam argumenta ad eorundem coërcendam impietatem petantur, non video sanè, quâ ratione corrumpi ab illis potuissent.*

* folio 350. pag. 2.

* hæc contra Melch. Canũ disputat.

Qua de causâ, inquit *Hieron*, *se*, *pudere contentionis nostrorum*, *qui Ebraicam arguunt veritatem*, *cum Iudæi contra se legant*, *& quid pro se sit* (N.B. N.B.) *nesciant viri Ecclesiastici*. Hæc *Andrad.* Quæ firmat Cl. *Glassius* ex collatione Chald. Paraprasium. Cum enim & ab illis, quæ tam illustria de persona & officio Christi continent testimonia, quibus in disputationibus supra modum & sæpè magis quàm ex ipsis fontibus, urgentur, manus abstinuerint, quis patietur sibi persuaderi, eos in ipsos fontes sacrilego ausu involasse; Exemplum unum esto pro omnibus locus Gen. 49. *non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. Quis adeo in Iudaïcis controversiis hospes est, qui ignoret, quàm strenuè & pertinacitèr plerique Iudæi negent, per *Silo* illic Messiam intelligi? At trina Paraphrasis isthic loci vocem משיחא disertè addidit & Iudæis, quibus earum authoritatem haud fas est rejicere, ora obstruit, adeo quidem ut nihil magis horreant, quam cum ejusmodi Christiano confligere, qui Chaldæas Paraphrases & Rabbinorum interpretamenta legit & intelligit. Insignem etiam & in excessu peccantem circa sacras literas religionem in eo ostendêrunt, quod ne manifesta quidem menda in ipso textu corrigere fuerint ausi, veriti scil. ne hoc ipso legem divinam, quâ mortales in divinis literis quippiam mutare, de eâ detrahere, vel ad eam addere prohibentur, temerarent. Vnde satis ipsis fuit, vocis correctionem in margine exhibere, vocisque restitutæ vocales consonis vocis mendosæ in ipso textu subjicere. Cujusmodi præposteram erga sacros codices reverentiam Canus quoque veteribus adscribit lib. 2. cap. 15. Atque hæc de voluntate.

NON POTUERUNT. Id verò Serarii nec non Bellarmini verbis, quæ supra laudavimus, satis superque probatum confirmatumque est. Lubet autem hic adjicere insignem Iustini Martyris locum, qui in sermone ejus ad gentes extat, *Quod si quis*, inquit, *obstinatus neget*, *hos Iudæorum libros ad se pertinere*, *qui usque hodie in Synagogis eorum asservantur*, *dicatque nos frustra inde pietatem discere*, *audiat ipsam Scripturam*, *quod hæc doctrina non illorum sed nostra sit*; *Servari a. etiam nunc apud Iudæos nostram religionem*, *Dei erga nos est providentia*, *qui*, *ne maledicendi occasionem præbeamus iis*, *proferendo illos ex Ecclesiâ nostrâ*, *malumus illos ex eorum Synagogâ proferri*, *ut ex lectione manifestè appareat*, *nostram esse doctrinam*, *&c.* Cum quo egregiam contestationem tenet *Augustinus*, qui in Ps. 41. Iudæos *capsarios* nostros vocat, qui nobis studentibus Codices portent. Et quid aliud hodie

 est gens

est gens Judæorum, inquit idem August. lib. 12. contra Faust. cap. 23. *quàm scriniaria bajulans legem & Prophetas*. &c. Vnde non illepide impostor ille Muhammedes librorum venditoribus eos comparavit, qui libros quidem hùc illùc vehunt & gestant, ex iis tamen neque doctiores neque meliores fiunt. Atque eodem respexit Bellarm. *non verisimile est*, inquiens, *Deum id passurum fuisse, ut verba tot illustrium Prophetarum generaliter falsarentur, cum ad hunc finem Iudæos per totum terrarum orbem disperserit & circumferre eos voluerit libros Legis & prophetarum, ut inimici nostri Christianæ veritati testimonium præberent.*

CAP III.

Proponuntur aliorum Pontificiorum Exceptiones adversus superiorâ Argumenta. Eorum dissensus super hac quæstione, quando Biblia sint corrupta. Diluuntur Pontificiorum Humfredi, Salmeronis, Cani & aliorum argumenta verbis aliorum Pontif. Serarii, Bellarm. Andradii, &c.

THesin nostram, *Textum Ebr. ex odio Christianæ fidei à Iudæis non esse depravatum*, verbis & suffragiis doctissimorum Pontificiorum & Patrum confirmavimus. Restat ut videamus quibus argumentis hanc impugnent alii, & quibus responsionibus ea diluant ejusdem gregis Doctores.

Quoniam Hebraici Codices, inquit Greg. de Valentiâ, Analys. lib. 8. cap. 5. *Rabbinorum fraude sæpe potuerunt depravari, satius est ut aliquando ex nitido fontis rivulo, quam ex turbido fonte aquam ad bibendum hauriamus.* Ita ille. Sed quod reponamus ad hoc POTUERUNT, *Andradius* suppeditat, * *In re tam gravi*, inquit, *non ex nudâ suspicione pronunciandum, aut ex frigidis calumniis accusationes ejusmodi petendæ sunt.*

* Folio mihi 164. fac. 2.

Rursus Pintus in cap. 7. Dan. *Sanè Iudæi Biblia Ebræa corrupêrunt.* Et Sacroboscus Defens. decreti Trid. part. 1. cap. 3. *neque omninò dubito, quin Rabbini Iudæi ex malâ fide, odio ac invidiâ sensum prophetarum in rebus gravissimis mutaverint.* Resp. Lorinus ad cap. 7. Act. *Hoc dicitur, sed non probatur.* Dicitur, sed ab iis, inquit *Bannes*, qui rem non intelligunt. Quis autem ferat cœcos de coloribus judicium pronunciare; *Et quidem ego ipse*, inquit Bannes, *postquam*

postquam abhinc annos 8. Hebraicæ linguæ operam dedi, quantum satis est, In primam partē Thomę quæst. 1. artic. 8. p. 56. col. 2.
ut Rabbinorum sectatores non me fallant, aut quasi ignorantem spernant, quamvis olim opinatus fuerim, Hebræa exemplaria non minùs quàm Græca esse corrupta, jam tamen experientiâ ipsâ convictus ea incorrupta esse, nisi in locis quibusdam paucis, negligentia potius quam Iudæorum malitiâ, judico. Hinc non injuria urget Andradius loco jam producto, ut tempus, locum & personas nominent.

Sed alii sunt, qui licet non ante Christi adventum, attamen ante Hieronymi tempora hanc depravationem factam esse tuentur. Sed & hos & illos eadem premunt incommoda. Et hi Ecclesiam ipsam oppugnant, Ribera ad Hos. cap. 9. Num. 20. *Si Ebræi Codices, tempore Hieronymi depravati erant, cùm ex Ebræis editio nostra deprompta erat, tum hæc quoque Ecclesiæ nostræ Editio depravata est, quo quid turpius dictu est? quid insanius?* Mariana tractatu de Vulg. Edit. Epist. ad Sanderum, *Placet mihi*, inquit, *argumenti tui acumen, quo ex vulgatæ Editionis fide Hebraicos Codices incorruptos esse defendis, cum convincas Ebraicos codices repudiari, incolumi vulgatæ Editionis authoritate non posse.*

Sed cum ad has angustias impudentiores & obstinatiores animi se viderent redactos, unicam rimulam repererunt, per quam se elabi posse arbitrati sunt. Ecce enim *Gordonus Huntlæus*, & *Serarius* sic statuunt, *1. Ante Christi adventum nihil malitiosè à Iudæis in sacrum textum admissum esse. 2. Nihil etiam hisce Domini annis mille & centum. 3. Nec primis quingentis Domini annis, ante tempora Hieronymi.* Scilicet hæc ipsis extorsit non tam vis veritatis quàm vulgatam ab omni corruptionis suspicione vindicandi studium. 4. *Post S. Hieronymi tempora usque ad Domini annum quingentesimum malitiosè ab ipsis, ubi aliqua fuit occasio, mutatum in Ebr. textu est aliquid.* Ita Serar. At in explicatione dicit hoc esse *verisimile* : & proposit. 7. *moraliter tamen non omnino, sed secundùm quid textum Ebræum corruptum esse* dicit, secundum scilicet exemplaria non omnia, sed quædam; Hoc enim vult, malitiosas illas corruptelas, non universales, sed particulares esse, eòque tandem devenit, ut asserat, *posse, si parum attendatur & res modestè agatur, in concordiam venire positas opiniones, ita ut neque à Christianis Iudæi : nec Catholicis hæretici, neque Catholici ab aliis hâc in punctione dissideant.* * Marsennus, *diligenter advertendum est*, inquit, *veritatem Ebräicam, quam D. Hieronymus lectionem Ebræam vocat, esse veram, sanctam & legitimam;* * Animadvers. in Probl. 189. Georgii. Veneti.

gitimam: veritatem verò Ebraïcam, quam noſtri temporis Hæretici & alii nominant falſam, perfidam & Iudaicam lectionem eſſe, mille dolis refertam & ad perverſam Rabbinorum interpretationem, contra Chriſtum Dominum, & contra Apoſtolos ejus & Euangeliſtas & contra omnes Doctores & ſacros Eccleſiaſticos eſſe. Ita ille p. 233. At p. 238. ut videas problematicum ingenium, cum ſectariis prælium depoſcit non tantùm ex his fundamentis, ſed etiam ex Ebræo textu, aſſerens, facillimum eſſe oſtendere, textum Ebr. nuſquam à vulgata diſcrepare. Quid *Huntlæus?* non eo candore hanc controverſiam tractat, quo *Serarius.* Quamvis enim videret quàm frigida eſſet ea accuſatio, non erubeſcit tamen aſſerere, *divina providentiâ factum eſſe, ut ſtatim poſt factam vulgatam Editionem depravaretur textus Ebraicus: ne vid. rejectâ vulgatâ Editione, confugeret quiſpiam ad textum Ebraïcum, ut jam faciunt adverſarii.* Ecce impudens effatum. Textus Ebraïci depravationem divinæ providentiæ audet adſcribere cujus conſervationem *Bellarminus* eidem deberi ſtatuit. In eo tamen à *Serario* diſſidet, quod cum *Marſenno* maximam tunc factam fuiſſe Exemplarium Ebr. & univerſalem corruptionem aſſerit. Quod item audacter aſſignet locum, *Tiberiadem*; Perſonas, *Maſorethas Tiberienſes.* Quid jam requiris ultrà *Andradi?* Tu * tempus locum, perſonas deſignari tibi poſtulabas: Iam tandem prodiit *Huntlæus* & tuo deſiderio ſatisfecit. Sed benè habet, reſpondit ad hoc quoque Bellar. Poſtquam enim Auguſtini teſtimonium pro ſua ſententia adduxiſſet, *dicit aliquis,* inquit, *generalem iſtam depravationem Ebraïcorum codicum poſt Auguſtin. & Hieron: tempora accidiſſe.* Reſpondet autem, *At Auguſtini rationes omni tempore locum habent. Deinde, ſi poſt illorum Patrum tempora depravatio illa contigiſſet, quæ cauſa reddi poſſet, cur Pſalmorum Interpretatio Hieronymiana ita cum textu Ebr. qui nunc extat, in omnibus conveniat, & tamen de Pſalmorum depravatione præcipua querimonia eſt, num ita Hieron. vertit ut Iudæi falſaturi erant?* Quod ad perſonas attinet, egregiam certè gratiam illis referunt *pro incredibili illa diligentiâ, qua perfecerunt,* verba Serarii, *ut in Canonicis libris malignè nihil addi, adimi, mutarive deinceps poſſit,* p. 74. *quâ effecerunt ne corrumpi deinceps amplius poſſint,* p. 75. Quæ autem veriſimilitudo eſt, ejuſmodi viros quippiam depravaſſe conſulto? *Hâc ſuâ diligentiâ fraudi & impoſturæ ſuæ in depravandis quibuſdam locis, velum obtenderunt maximum,* inquit Serarius, *Quis enim opera data corrupiſſe quicquam illos putaret,*

* Vide ſupra p. 28.

NB. NB.

In Prolegomenis Biblicis.

qui

qui tam studiosè minuteque notassent etiam minima? Fraus, inquit apud Livium Q. Fabius, *in parvis fidem sibi præstruit, ut cum operæ pretium est majori mercede fallant.* Hæc Serarius. Egregia certe merces, pauculorum quorundam locorum in quibusdam tantùm exemplaribus (hoc enim suprà audivimus confitentem adversarium) depravatio, quæ tamen, teste eodem prout depravata sunt, *ad verum Christianumque sensum explicari possunt*, pag. 75. Quod autem de כארי rursus inculcat, frustrà est, cum ipse Bellar. & alii hoc erratum non malitiæ, sed vel ignorantiæ, vel librariorum incuriæ adscribant, id quod vel ex eo liquet, quod ipsi Masorethæ & R. *Iacob Ben Chaijim* variam lectionem hic agnoscant, illudque ingenue confiteantur illud כארי hic non significare, *sicut Leo*, quod Vide Masoretam parvam,
certè minimè fecissent, si malitiosè hunc locum depravassent. Accedat jam illud, Masorethas vix interjectis 30. annis, *Genebrardo* teste, post Hieronymum, Masoreth. suam conscripsisse, & quidem ipso *Gordono* fatente, ad incommodo isti, vid. maximæ depravationi & diversitati exemplarium, occurrendum. An verò illud veresimile, 30. annorum spacio tantam depravationem codicum potuisse accidere? An & illa simul subsistere possunt, depravare & depravationi seriò occurrere? Vide Sal. Glassium pag 17.

Sed jam tempus est, opinor, ut ipsa adversariorum argumenta in aciem producam; Spectabis hic Lector, Pontificiorum coryphæos adversis frontibus concurrere, atque in se invicem

——— *sævum convertere ferrum.*

1. Argum. Salmeronis, prout à Serario producitur pag. 72. *Si Ebræus textus corruptus non esset, & quidem sæpe, versiones Græca & Latina forent sæpenumero falsæ, quia ab illo discrepant.*

Respondet Serarius p. 76. *Negatur connexum.* Nec quippiam ultrà addit. Operæ autem pretium erit hoc argumentum paulò pleniùs excutere. Et quidem.

1. Quod conjungit Græcam & Latinam versionem, temerè facit. Audi Andradium, *Hoc ipsum argumentum*, inquit fol. mihi 354. p. 2. *quo Hebr. veritatem (ut Hieron. verbo utar) de gradu dejectam atque eversam nonnulli putant, non vulgatæ tantummodò Latinæ, sed LXX, etiam Interpretum editionis authoritatem firmat & stabilit: quam cum 400. prope annis Christi Ecclesia, florentissimis ipsius temporibus, usurpaverit, tantum veteres illi detulerunt, ut non minorem tunc Hieronymus propter suam ex Ebræo versionem sustinuerit invidiam, quàm*

novi nunc Interpretes apud quamplurimos sustinent. Vt taceam de cellulis, negare certe non possumus, summum veteribus scelus fuisse ab illa quovis modo dissidere. Augustinus eos sæpè prophetas vocat. Epiphanium, Irenæum, Euseb. cæterosque antiquos Patres taceo, quos non aliter, pro 70. Interpretibus quàm pro ipsis divinis oraculis pugnasse liquet, atque divino afflatu fuisse in interpretando actos, existimasse. Quibus constitutis, libenter ab his Hebræorum voluminum adversariis discerem, an veterem Ecclesiam hâc nostrâ fuisse aut eruditionis splendore, aut dignitatis præstantiâ, aut authoritatis excellentiâ inferiorem existiment? Quod si parem in illa ac hac dignitatem agnoscant, cum una & eadem Ecclesia sit, idemque ipse utramque veritatis spiritus instituerit & gubernaverit, rursus quæram, perspiciantne, quantum inter hanc 70. & vulgatam Latinam sit discriminis, & quantum inter se non verbis modò, sed integris etiam sententiis dissideant. Demùm quæram, an existiment corrupta fuisse Hebræa in locis, in quibus à 70. Interpretum Editione, dissentiunt? Quod si corrrupta fuisse, ex veteris Ecclesiæ in 70. Interpretes observantia, evincunt, corruptam etiam adulteratamque nostram esse Editionem oportet, quæ 70. Interpretum versione posthabitâ, Hebræam nobis orationem & sententias aptissimè reddidit; Esset enim infinitum omnia loca recensere, quibus vulgata cum Hebræis mirum in modum, cum 70. verò Interpretib. nulla ratione consentit. Quod si hæc in Hebræis voluminibus loca integra olim & incorrupta fuisse propter Editionis Latinæ authoritatem fatebuntur, cum veteris sanè Ecclesiæ authoritate illam 70. Interpretum labem nequaquam pugnasse, dicant necesse est, atque adeo posse sine ulla Ecclesiæ contumeliâ Hebræa exemplaria & esse incorrupta, & ab illis quibus nunc Ecclesia utitur, versionibus dissidere, neque oportere omnia ea à Iudæis perfidiosè depravata fuisse, quæ cum nostra Editione minimè consentiunt. Atque hæc Andrad.

✠ Ex hoc fundamento disputat Leo Castrius, textum Ebr. esse corruptum, ubicunq; à vulgato discrepat.

Marsennus ad Probl. Georg. Veneti p. 238. cui astipulatur Villalpandus tom. 3. p. 396. *Quod à vulgata discrepat, à primitivi textus veritate discrepat.*

2. Magnam oportet eam esse necessitatem quæ ad has angustias Pontificios redegit, ut defendere cogantur, *Hebræa volumina*, rursus verba Andradii, ✠ *omnibus in locis vitiata esse, quibus à vulgatâ dissentiunt*, fol. 362. p. 2. *At Hieronymus*, inquit idem, *atque Origenes illorum opinionem, qui ut summis se difficultatib. explicarent, Hebræa volumina condemnabant, meram calumniam esse confirmant: cum quibus & D. Thomas in cap. 9. ad Rom. consentire videtur.* Si illud urgerent Pontificii, Hebræa volumina iis in locis vitiata censenda esse, in quibus & Græci & Chaldæus & Latina ab iis pariter dissident, longè plausibilius & verisimilius dicerent. E. G. Psal. 22. Ebræa legunt, כָּאֲרִי *sicut leo*, LXX. Aquila, Latina, Chald. *foderunt*

derunt, quamvis hic alteram quoque expresserit lectionem. Hic, vel Judæis tacentibus, suspectus meritò de mendo textus Ebræus. At Gen. 3.15. Hebr. Chald. Græci, Hieron. & bonæ notæ Codices vulgatæ Editionis legerunt הוא *ipse*, jungiturque idem pronomen in textu cum verbo Mascul. Editio tamen Clementina legit *Ipsa*; Quæ perversitas erit, in solius vulgatæ (cujus ipsius quoque exemplaria hic variant) gratiam, adversus Hebræos, Chald. Græcosque Codices pronunciare? Et tamen alterutrum hic faciendum, aut rejicienda Ebræorum tanquam corrupta (& quidem in loco ad fidem pertinente) aut Latinorum lectio. Alterutrum enim tantum scripsit Moses. Ps. 132. Vulgatus legit *Viduam*, At Hebræus Chaldæusque legunt, *victum*. Manifestè apparet, unde natus sit error. Secutus enim est Græcam versionem, in quam pro θήραν, unius literæ depravatione irrepsit χήραν, ut ingenuè præter alios agnoscit *Genebr.* Et tamen hic quoque jubemur credere, textum Ebræum esse vitiatum, siquidem ab eo Latina dissidet. Moderatius certò *Sanderus* statuit, qui apud *Marianam* tractatu supra citato p. 57. ita à Tridentinis Latinam probari asserit, *ut nec Græca nec Ebræa repudientur: in verò locis, quibus Ebræa à Latinis dissident, ubi post multa remedia nulla via se ostendit utrosq; Codices conciliandi, Ecclesiæ sententiam expectari jubet, quâ renuncietur, utri codices contaminati sint*, &c.

II. Argum. Salmeronis ibidem. *Videtur id prædixisse Ierem. 8. verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.*

Resp. Serarius, Mendax est stylus Scribarum non in textus scripturæ depravatione, sed sensus explanatione.

III. Argum. Salmeronis, ab Inductione locorum undecim. Serarius respondet, *Iam dixi, scripturas istas in loca propria differendas, cum sæpe non ex Ebræo textu, sed aliunde harum vera explicatio petenda sit.* Respondit etiam ad illas *Glassius*. Plane autem hic paratragœdiat *Leo Castrius* Hispanus, qui in Apologetico contendit, plus quam quadringentis locis de industria à Judæis corruptum esse textum. Cujus hominis impudentiam cum ferre non posset *Pineda* & ipse Hispanus Jesuita, merito eum notat hac censura, *Sed is est author, dum in hujusmodi Ebraizationes incidit, vix sui compos, & bono licet zelo, tamen vel ignoratione rerum quarundam, vel vehementiori aliqua affectione, extra fines veritatis & modestiæ rapitur. Et si ex hujusmodi tantum unguibus Leonem illum æstimaremus, non etiam ex aliis præclaris conatibus, aut murem aut vulpem censeremus, aut canem, aut* quidvis

Libr. 5. de rebus Salom cap. 4. Sect. I. p. mihi 352.

quidvis aliud ignobilius.

IV. Argumentum Salmeron. ab authoritate Patrum.

Resp. *Serar. Loquuntur Patres de Græcis, aut translatoribus qui Judaizant, aut Translationibus etiam ipsorum LXX.* p. 76. & p. 74. col. 1. *Quod verò S. Hieron. inter S. Augustini Epistolas undecimâ cap. 6. ait se Biblia vertisse ut ea testimonia quæ à Judæis prætermissa sunt, vel corrupta in medium proferret, Judæos appellat Græcos Interpretes, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, ut ex præfat. priore in Job & illâ ipsâ Epistolâ cap. 5. perspicuum est.* Ita quoque Bellar. & *Ludovicus de Tena*, locis jam sæpius indicatis. Et quod ad locum illum Ps. 95. *Regnavit Deus á ligno*, attinet, ex quo Judæos illud, *à ligno*, sustulisse *Justinus* contra Tryphonem asserit, quod *Justini* testimonium bis hic adducitur, audi Andradium, *Hoc si verum est*, inquit, *quomodo nostræ quæso & 70. Interpretum Editionis, ubi illa etiam desiderantur, dignitatem tueri possumus? aut quæ major esse levitas potest, quam ad latina extollenda, Hebræa verò deprimenda, illa adhibere, quæ aut incerta sunt, aut parem utrique labem aspergunt.* & fol. 364. ad locum Chrysost. sic inquit, *cum Chrys. dicit, Judæos Jesaiæ locum corrupisse, qui pro virgine puellam legunt, non Ebr. codices, sed Aquilam & Symmachum notat, &c.*

V. Argum. *Salmeronis*, Christum eraserunt de cordibus suis Judæi. Ergo & de Bibliis. Hæretici corrumpunt scripturas, ergo & Judæi, &c. Resp. Serarius, *In omnibus penè rationibus negatur connexum.* Et dum proponit hanc V. object. dicit *has rationes esse faciles nec magnopere urgere.* Andradius verò gravius intonat, *Satis opinor demonstravimus*, inquit fol. 364. *quàm longe à proposito sibi fine aberrent, qui, ut vulgatæ dignitatem tueantur, Hebræa gravissimis vexant contumeliis, cum præsertim aliunde illa quàm ex frigidis calumniis petenda sint, ne dum rem tantam infirmis volumus fundamentis constituere, illius præclarissimam authoritatem minuamus. Nam licet solenne fuerit Hæreticis, sacras literas corrumpere, eodem se tamen sacrilegio Judæos etiam devinxisse, nullis video firmis argumentis à quopiam demonstrari.*

VI. Arg. Salmeron. Iudæi fatentur se quasdam mutationes in Bibliis habere, e. g. sæpe legitur לא pro לו &c.

Resp. Serar *Significantur variæ lectiones de quibus supra.* Eæ vero non negantur. Sed hic de malitiosa & quæ consultò facta sit, depravatione agimus.

Atque hæc ferè argumenta *Salmeronis* fuêre, prout ea recensuit

&

& refutauit *Serarius.* Restant paucula aliorum.

VII. Judæi sunt Christianorum hostes. Ergo potuerunt Scripturas corrumpere, inquit *Greg. de Valentia*, loco quem suprà produximus: Vel etiam *corruperunt*, Canus 2.13. Item, Ebræorum Doctores, nostri vid. inimici, multo studio contenderunt textum Ebr. corrumpere, ut V. Test. nostris exemplaribus facerent contrarium.

Respondeo, longè aliud ex hostili Judæorum erga Christianos animo B. Augustinum intulisse, ad Ps. 56. *Propterea*, inquit, *Judæi adhuc sunt, ut libros nostros portent in confusionem suam. Quando enim volumus ostendere, Christum esse prophetatum, proferimus Ethnicis istas literas. Et ne forte duri illi ad fidem dicant, nos Christianos composuisse libros istos, & unà cum Euangelio confinxisse, hinc illos convincimus, quod omnes illæ literæ, quibus Christus prophetatus est, apud Judæos sunt. Proferimus ergo codices ab inimicis Judæis, ut confundamus inimicos infideles. Codicem portat Judæus, unde credat Christianus.*

VIII. Arg. Iidem Judæi, hostes nostri addiderunt puncta: Ergo credibile est, eos sua punctatione multa loca de industria corrupisse. Resp. Moderatius agit *Bellarm.* qui eos subinde in punctatione aberrasse dicit. Ego hanc disputationem de punctis jam non ingrediar. Respondebit *Gordono Bellarminus*, *Errores qui ex punctorum additione addita sunt, nihil officiunt veritati. Puncta enim extrinsecus addita sunt, nec textum mutant.* Addo facilius esse, accusare Judæos falsæ punctationis, quàm convincere. Fiat periculum [Sed operæ pretium erit hic audire Cl. *Rivetum*, qui postquam pag. 102. Isagoges dixisset, plerosque Pontificiorum in istam sententiam, puncta vid. consonantibus non esse coæva, concessisse, quod ea ipsis commoda visa esset ad detrahendam textui Ebraïco authoritatem & certitudinem, pag. 105. sic infit, Sed posita hypothesi illorum, qui volunt pleraque in bibliis esse incerta, si punctis destituantur, corruit certitudo versionis vulgatæ. nisi probent, eum, qui Primus fuit versionis istius author, sive Hieronymus, sive alius fuerit, sive unus, sive plures, à Spititu S. immediatè recepisse necessariarum vocalium revelationem: quam alioquin à Judæorum traditione accepisse certum erit, quæ si incerta fuerit, nutabit per eos omnis authoritas sacri textus. Et tamen neminem existimo tam impudentis oris, qui talem revelationem in lectione textus Ebraïci Hieron. tribuere ausit. Hæc Cl. *Rivetus.*]

IX. Arg. à Judæorum confeſſione. E.gr. tradunt quidam Ebræi 18. loca à Scribis olim mutata ſeu potius depravata, quam mutationem *Tikkun Sopherim* vocant, de quâ multa Galatinus in fine lib. 1. Ad hoc prolixè reſpondit *Glaſſius*, & quidem adeò nervosè, ut quæ ego olim Oxoniæ de iſtis meditatus ſum, lubens premam. Ego Reſponſionem Bellarmini hic exhibebo, qui oſtendit *vulgatam verſionem* (addo & Chald. Paraphraſin) *in pleriſque ita habere, ut Scribæ iſti correxiſſe vel potius depravaſſe dicuntur. Ex quo apparet*, inquit, *imprudenter quoſdam dum ſe Judæos oppugnare putant, ipſam Eccleſiam oppugnare. Si enim illæ correctiones ſcribarum ſint Hebr. textus corruptiones, ſequitur apertè, vulgatam quoque Editionem eſſe corruptiſſimam, quam tamen Eccleſia nobis pro authentica tradidit.* [Ergo 18. errores, quales iſti, fatente Bell. authentiam vulgatæ Editionis poſſent evertere] Dicit a. poſtea, aut non eſſe verum, ullam talem emendationem factam fuiſſe à Scribis, cum origo ejus ſententiæ ſit * Thalmud, liber fabuloſiſſimus: Aut ſi Tikkun Sopherim non eſt fabula, non eſſe corruptionem, ſed veram Emendationem, non factam à quibuſcunque Scribis, ſed ab Ezra & ſociis, &c. Quam ſententiam multis rationibus probabilem reddidit *Glaſſius. Bellar.* hic quoque aſtipulantur *Ludovicus de Tena*, & *Iacobus Bonfrerius* Theol. Duacenus in præloquiis ad S. Scr. c. 12. utriuſque verba videbis apud *Rivetum*, p. 110. Iſag. Sed libet hic/audire judicium clariſs. *Buxtorſii*, quod *Glaſſius* ex authoris Epiſtola ad calcem Philologiæ ſacræ adjecit: Ita autem habet, In neutro Thalmud ulla plane iſtius Tikkun mentio fit, cum aliàs עיטור סופרים / longe minoris negotii, in Talmud commemoretur. Si aliter iſta loca fuiſſent aliquando ſcripta. Oncelos & Jonathan id vel ſemel expreſſiſſent. Nec Joſephus reticuiſſet, qui contrarium Ebræis adſcribit, nullam ſc. unquam literam mutatam fuiſſe in lege ab Ebræis popularibus ſuis, l. 1. contra Appionem. Thalmudiſtæ in Lev. 27. v. ult. diverſis locis notant, nec prophetæ ulli licitum fuiſſe, vel minimum in Lege mutare vel innovare. Quomodo ergo Scribæ quidam vulgares hanc audaciam ſibi arrogaſſent? textum ſacrum in literis & ſenſu corrigere? In ſilentio ergo omnium tibi dico, Sopherim iſtos fuiſſe ipſos auctores ſacros, Moſen & Prohetas, qui nunquam aliter ſcripſerunt, quàm hodie ſcriptum legitur. At Sapientes Ebræorum naſutiores animadvertentes inconvenientiam quandam in iſtis locis, ſcripſerunt, aliter authores iſtos loqui debuiſſe,

* Hoc negat Cl. Buxtorf. Vide pag. ſeq.

buisse, &, secundum cohærentiam propositi textus, sic vel sic scribere, sed pro eo maluisse sic scribere, & id sic efferre, ut illud hodie in textu est. E.g. Gen. 18. 22. lectum scriptum, *Et Abraham adhuc stabat coram Domino.* Itane? ubi legitur inquiunt Sapientes, quod Abraham venerit ad Dominum & steterit coram eo? Contrarium dicitur in præcedentibus, *Deus sc. venit ad Abrahamum,* &c. Ideoque Moses scribere debuit, *Et Dominus stabat adhuc coram Abrahamo.* At ita serviliter de Deo loqui non debuit Moses, unde תיקן correxit & mutavit stylum sermonis, honores majoris causa, & dixit *Et Abraham adhuc stabat coram Domino.* Hinc R. Salomo adjicit, היה לו לכתוב / scribendum ipsi (Mosi) erat, scribere debebat, *Et Dominus stabat adhuc coram Abrahamo.* Non quod aliter sic scripserit antea, & postea id ab aliis Scribis correctum sit aut corruptum. Hinc Aben-Ezra ad aliquot loca ridet nasutos, inquiens; nullo Tikkun opus fuisse, .i. nihil esse quod nasuti isti sapientes putarint, authorem debuisse aliter loqui vel scribere. Vide & eum Iob. 32. 3. Hactenus Cl. *Buxtorfius.*

Atque hæc ferè sunt argumenta, quibus fontium impuritatem à Judæis studio introductam criminantur multi asserentes cum Cano, & Huntlæo, *Hebræa potius ex Latinis, quam Latina ex Hebræis corrigenda, absurdumque esse à nostratibus ad alienos .i. Hebræos & Græcos appellare, & impium, ad Judæorum & Schismaticorum Senatum referre Catholicæ Fidei consultationem.* Cui criminationi non possum quin opponam nervosum Andradii responsum, *Ad Ecclesiæ*, inquit, *dignitatem non minùs sane pertinent sacræ literæ, quæ Græcis, Hebraisque sunt familiares, quàm quæ Latinè sunt conscriptæ, neque minus ex illis quàm ex his decoris atque ornamenti eam sibi comparare liquet. Quare qui Græcos Latinosq; codices de Ebrais supplendos emendandosve esse contendunt, non quidem ab Ecclesia ad externos (ut quidam putant) sed ad ipsammet Jesu Christi Ecclesiam provocant, & ab eâdem illi ipsi præsidia comparant. Nam cum Hebræa etiam volumina, non tanquam aliena, sed tanquam propria & peculiaria Ecclesia habeat & veluti sacra suspiciat, ex emendatis Ebrais aut Græcis vitiata Latina corrigi permittit.* Et paulo post, *Quare amplissimo mihi videntur Christi Ecclesiam ornamento spoliare, qui ut vulgatam Edit. ab inanissimis vendicent calumniis, Hebræa Judæorum perfidiâ corrupta fuisse contendunt: Illud namque si semel persuadeant, nullum ab illis non suspectum, nullum non dubium, nullum non calumniæ obnoxium testimonium peti poterit. Facilè enim quis omnia*

poterit

poterit in dubium revocare — atque ita amplissimum hostium testimonium, divinâ providentia ad Christiani nominis splendorem inter tot procellas & naufragia, conservatum, Christi Ecclesia, nostrâ contentione, amittet. Hæc Andrad. cui non refragatur Bannes, pag. 56. col. 2. in 1. Partem Thomæ, asserens, *ejusmodi homines non multum piam operam Ecclesiæ præstituros, ad conversionem judæorum.* Astipulatur & Mariana, qui p. 62. docet *etiam textum Ebraicum esse possessionem Ecclesiæ.* Et postea, *Angustè eos de rebus ac præposterè sentire* dicit, *qui Ecclesiam longo indormiisse tempore, in eâ viros doctos fuisse arbitrantur, penes quos divini libri tum Græcè tum Ebraicè conservati ab omni temporis injuriâ & adversariorum insidiis tuti essent. Sit ergo fixum,* inquit, *non minus ad Ecclesiæ curam Hebraicos & Græcos codices quàm Latinos pertinere. Vnde primum efficitur, neque eos codices potuïsse in uniuersum in re majoris momenti corrumpi, continuo enim accurrisset Ecclesia, quæ divino instinctu & inflatu regitur, & viri docti, quorum numerus semper fuit aliquis, periculum indicassent, &c.* Iuvat hic etiam adscribere *Ariæ Montani* verba ex commentatione ejus, Bibliis Interlinearibus secundæ editionis præmissâ, quibus non obscurè invehi mihi videtur in Guidonem Fabricium Boderianum, qui teste *Hartio*, privata authoritate in primâ Edit. Gen. 3. 15. Masc. הוא in fœm. הִיא mutaverit. Is itaque postquam dixisset se in isto opere exemplar Complutense, *ut pote cui omnia alia,* inquit, *quæ punctis vocalibus instructa sunt exemplaria astipulantur,* secutum fuisse, sic addit, *nec enim aliter citra Rom. Ecclesiæ judicium & doctorum omnium sententiam fieri poterat, sine sacrilegio & nefario scelere. Sed Ecclesiam ipsam minimè permissuram esse, ut aliquid de consueta & constanti omnium Ebraicorum exemplarium lectione mutaretur, hoc profecto cumprimis intellexeramus, vel ex co, quod tot jam seculis retrò elapsis, ex quo sermo ille ortus est, quo quærebatur, an aliqua lectioni Ebraicæ mutatio Judæorum vel incuriâ vel inscitiâ, vel fraude acciderit, nec ne, tamen nihil Rom. Ecclesia de ea re, adversus eas, quæ nunc constant, Lectiones decernendum duxerit, nihil decreverit. Quamobrem hujusmodi audaciam, ut plane nobis id religiosum vel cogitare fuerat, ita à mente omnino nostra alienum fuisse declaramus.* Et columna sequenti recensens rationes, cur sententiam illam de non corruptis fontibus amplexetur, etiam has ponit, 1. *quod prudentissima & piissima Ecclesia Romana, quanquam argumentum hoc identidem ad singulares disputationes abreptum fuerit, nec apicem nec jota unum de communi Ebraïca lectione mutari hactenus passa est.* 2. quod maxima

Protestatio Ar. Montani. N B.

sit

ſit conſtantia exemplarium Ebraïcorum per univerſum terrarum orbem. 3. quod hoc pacto pernitioſiſſimum Mahometicæ doctrinæ fundamentum evertatur, *quo seductor ille ſua ſomnia pro divinis oraculis venditabat: aſſerens ſc. Veteris Teſt. libros à Judæis; novi vero à Chriſtianis fuiſſe depravatos. Sibi vero certa divinitus eſſe data reſponſa, quibus utraque corrigetur lectio.*

Concludimus ergo, *Textum Ebræum, Maſorethicis notis inſtructum & correctum, ab omni malitioſâ depravatione omnino eſſe immunem, à librariorum verò & fortuitis erratis ita eſſe purum, ut non ſolum iſtis caſibus, quos* a Bellarminus & b Canus *recenſent, ad eum ſit recurrendum, ſed etiam in cujuſvis loci, genuino ſenſu eruendo, in omni fidei & morum diſputatione; atque ad eum examinandas eſſe omnes, quà veteres, quà recentes, nullâ exceptâ, verſiones, id quod Bellarm. quoque ſuo exemplo, nominatim in loco Dan. 2. l. 1. de Invocat. Sanct. c. 13. comprobavit. Verbo, eum etiamnum eſſe normam, regulam & Canonem omnium verſionum.* Seu, ut verbis *Acoſtæ* Ieſuitæ utamur, *Hanc Ebraicam Editionem eſſe authenticam, dubitare non poſſumus.* libro 2. de Chriſto revelato, cap. 16. Qui idem Jeſuita cap. 10. primævam Bibliorum linguam *incorruptum judicem* nominaverat.

a lib. 1. de V. D. cap. II. 1. Quando in Lat. codicib. eſt error aliquis librariorum. 2. vel varia lectio 3. quando verbum vel ſententia in Lat eſt anceps. 4. ad energiam & proprietatem vocabulorũ & phraſium intelligendam.

b lib. 2. 15. Quæ omnia etiam in diſputationibus fidei & morum, locisve ad fidẽ moreſve pertinentibus ſæpe uſu venire poſſint, &c.

Verbum addam de fontibus Novi Teſt. quos à variantibus Lectionibus minime immunes eſſe agnoſcimus. Eas librariorum incuriæ & inſcitiæ meritò tranſcribimus. Agnoſcimus, in N. Teſtamentum, ſi librorum molem, numerum & Antiquitatem cum veteri conferamus, paucis annis longe plures irrepſiſſe lectionum varietates, quam in vetus aliquot ſæculis. Cujus rei cauſa non poſtrema eſt defectus Maſoræ, quâ ſi Eccleſiarum Antiſtites novi Teſt. libros muniviſſent, conſtantiorem haberemus N. T. lectionem. Sed benedictus ſit Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, cujus providentiæ & hoc debemus, quod nec fides nec pietas ullum detrimentum ex earum ulla paſſa ſit. Hæc autem ingenua noſtrorum confeſſio nihil patrocinatur Pontificiis. Si enim variantes aliquot lectiones αὐθεντίαν alicujus textus poſſunt evertere, tum certe de vulgata actum erit, cujus variantes lectiones immane quantum exſuperant. Sed dicunt, Græcos fontes ab hæreticis ſtudio eſſe depravatos. Hæc certe gravior accuſatio eſt. Sed quam & Senenſis libro 7. Biblioth. hæreſi 1. & Bellarminus lib. 2. de V. D. cap. 7. & alii exploſerunt. Verba Bellarm. *Etſi hæretici multa depravare conati ſunt, nunquam tamen defuerunt Catholici, qui eorum corruptelas*

detexerunt, & non permiserunt libros sacros corrumpi. Et certe non benè de Matre Ecclesia merentur, qui fontes ab hæreticis depravatos clamitant. Quid enim; Annon pudendum stigma ei inurunt; Cujus quæso erat providere, ne quid detrimenti caperent sacræ tabulæ, si non Matris Ecclesiæ? Annon illa se unicam depositariam hujus codicis jactitat? Et quid si illa forsitan post tot noctium inconnivas vigilias dormitante, zizania sua in hoc agro sevissent hæretici, annon illius & opis & muneris erat, illis extirpatis radicitusque evulsis, codicem illum suo nitori restituere? *Scriptura utiq;*, teste Bannes, *præcipuè est in corde Ecclesiæ, secundariò vero in libris.* Sed quot tandem sunt loca, quæ sacrilega Hæreticorum manus depravavit; Tentaverint corruptionem multorum locorum. Perfecerint eam in quibusdã codicibus. Quid hoc ad nostros codices? In illis corruptelæ istæ monstrandæ erant. Et si fortassis in quibusdam earum extarent vestigia. quid hoc ad rem; Nec enim puritatem omnium codicum præstare quisquam nostrum præsumsit. Frustra ergo hac oberratur chordâ. Quod si prolubium esset descendere ad particularia loca, queîs librariorum incuria grave vulnus inflixerit, & hic liqueret, quam sterilem paratragædiandi materiam habeant Pontificii. Bellarminus ultra VI. vel VII. loca eruere non evaluit, quorum tamen nullus stringit. Cum interim singulis capitibus vulgatæ versionis, Interpretis manifesta sphalmata, præter variarum lectionum farraginem, ostendi possint. *Sed fingamus*, inquit Cl. Rivetus, *Pauca in textum Græcum N. T. irrepsisse vitia, annon manifestissimum est indicium, purissima & sincerissima esse exemplaria, quæ ad infestissimorum animorum calculos revocata, adeo in paucis in dubium vocantur?* Sed quia omnia fere illa, quæ huc spectant ex superioribus, quæ de textu Ebræo disseruimus, peti possunt, hic abrumpam orationis telam, & concludam verbis Glassii, *Textum Græcum N. Testamenti, in probatis codicibus, (licet diversitate lectionum aliquantum discrepantibus) asservatum à corruptelis, sive eæ ab Hæreticis per malitiam, sive à librariis per incuriam illatæ esse dicantur, ita esse immunem, ut exacta norma & certa regula esse possit, ad quam omnes omnino versiones, & præsertim versio vulgata (ut ad fontem rivuli) exigi, examinari, & sicubi opus, corrigi possint & debeant.*

In part 1. Thomæ qu. 1. art. 8.

CAP.

CAP. IV.

Transitur ad vulgatam Editionem. Quanta sit versionum authoritas, Patrum & Euangelicorum judicium concors. Collatio Fontium & vulgatæ, quò ad errores librariorum. Andradii *ingenua confeßio; Monstrosum Tridentinorum de vulgatâ Edit. decretum. Proponuntur quinque in sequentibus ordine tractanda.*

HAbemus ergo jam regulam & normam, ad quam omnes V. & N. Test. versiones examinari opportet. *Ea demùm habenda est interpretatio bona* inquit[a] Jesuita Acosta, *quæ concordat Originali linguæ. Authoritas divina tota penes illam, in qua sacer scriptor edidit primum.* [b] *Veterum librorum fidem de Ebræis voluminibus examinandam esse* docet Gratianus, quod decretum *Gregorius* XIII. in nuperâ Editione Juris Canonici suâ authoritate editi, retinuit.

[a] de Chro. revelato 2. 15.
[b] distinct 9. cap. ut veterum.

Vnde jam & illud liquet, quid de versionum authoritate judicandum sit. Pulcram hic contesserationem cum [c] Patribus, meliorisque notæ Scholasticis & inter se Euangelicæ Ecclesiæ tenent, dum docent, nullam versionem recipiendam esse pro verbo Dei, nisi quatenus cum authentico exemplari convenit; solum originalem textum, utpote qui tam quoad verba, quam quoad res à Spiritu sancto sanctis Dei hominibus inspiratus est, esse infallibilis veritatis. *Omnes contra versiones esse rivos*, [d] verba Cl. Junii, *ex purissimis istis fontibus ductos humanâ operâ, ac proinde sordibus ex infirmitate hominis inquinatos, authoritate cum authenticâ formâ non comparandos:* adeo ut nulla dari possit versio, quæ in omnibus cum authenticis tabulis conveniat, divinosque illos Majestatis, gravitatis & energiæ, quos Spiritus S. authentico textui impressit, characteres valeat exprimere: ut proinde nulla versio, qualiscunque ea sit, textui Ebraïco æquari, nedum præferri possit.

[c] vide supra cap. 1.
[d] in Orat. de ling. Ebr.

Ita Protestantes de omnibus versionibus veteribus & recentibus ad unum sentiant omnes. Præter Patres aliosque supra indicatos, idem quoque nobiscum statuunt Pontificii quamplurimi, Cajetanus, Oleaster & alii. Quin in ipsa vulgata, eorum quamplurimi, qui post Concilium Tridentinum scripserunt, errores, ipsius Interpretis incuriâ vel ignorantiâ admissos, agnoscunt, & multa insuper alia in eâ desiderat Iesuita *Serarius*, uti infrà videbimus. Et

 quid

quid quæso te, cordate lector, æquius esse potest? Irrepserint in quosdam codices sphalmata, incuriâ librariorum & injuriâ temporum. Paucula ea sunt, fatente Bannes, exigui momenti sunt, inquit Bellar. Sed & illa in Ebræo textu à Masorethis indicata & restituta sunt. Et ut restituta non essent, vel paucula forsan adhuc restituenda superessent, tamen ejusmodi ea esse agnoscit Bellar. *ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent, scripturæ integritas desiderari non possit.* Irrepserint ergo in fontes paucula aliquot menda; in vulgatam, ætate cum Ebraïcis codicibus neutiquam comparandam, millena aliquot irrepsere. Id quod ingenuè agnoscit Andradius pag. mihi 367. *Qui errores librariorum si Ebræorum voluminum authoritatem extinguere & opprimere valent, quid in Græcis Latinisque ponderis inerit? Tot enim illa atque tantis errorib. sunt conferta, ut doctorum hominum vigilantiâ exhauriri vix possint* Dices in vulgatâ quoque Clementis VIII. industriâ & jussu, quamplurimos sublatos esse errores. Agnosco, sed & illud agnosces vicissim, quamplurima loca quæ emendari potuisse, medicamque manum postulare ipsi * Bellar. Bandinus, Brugensis, Serarius aliique agnoscunt, etiamnum in mendo cubare. Adhæc, in textum Ebr. universale erratum amplius irrepere non posse, idque Masoræ beneficio, *Serarius* agnoscit, id quod de vulgatâ asseri sperarive nequit. Illud ergo, omnium, queîs sanum sinciput est, judicio stabit, nisi sphalmatum textus originalis numerus longe excedat numerum sphalmatum, quæ textum vulgatæ Latinæ deformârunt, manere textus originalis debitam prærogativam. Sed dato (id quod tamen longè à veritatis regione aberrat) hâc in parte eandem esse textus originalis & vulgatæ Latinæ rationem, paribusque passibus ambulare, annon alia insuper erunt, quæ vulgatæ versioni Textum Ebraïcum præferent? *Plenitudo & integritas Ebræi textus habet prærogativam istam*, inquit * Gretzerus, *quod non modò res significata, sed & ipsa verba immediatè sint à Deo, quod in translatione non contingit, cum verba suppeditet interpres & quidem humano studio, non illo peculiari ductu & instinctu, quo scriptor Canonicus ducitur ac regitur.* Nihil jam dicam de aliis defectibus, quos in vulgata multi Pontificiorum agnoscunt, fontibus verò non nisi impudentissimi audent adscribere.

* Vide infrà cap 12.

* Pag. 520.

Cum autem hæc ita sese habeant, non immeritò quæsierit aliquis, quæ causæ Concilium Tridentinum impulerint, ut vul-

gatam versionem, deturbato de solio textu originali, Ecclesiæ Dei tanquam authenticas tabulas obtruserint. Sic enim Sessione 4. Decreto 1. intonant.

Si quis libros ipsos integros, cum OMNIBUS suis PARTIBUS, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consuevêrunt, & in VETERI VULGATA LATINA EDITIONE habentur, pro sacris & Canonicis non susceperit, ANATHEMA SIT.

Et Decreto 2.

Insuper eadem SS. Synodus considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiæ Dei, si ex omnibus Latinis Editionibus, quæ circumferuntur, sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habendâ sit, innotescat, statuit & declarat, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quæ longo tot seculorum usu, in ipsa Ecclesiâ probata est, in publicis Lectionibus, disputationibus, prædicationibus & expositionibus pro authenticâ habeatur, & ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.

Prodigiosum certè decretum, & cujus cordatiores Pontificios, & tunc cum illud cuderetur, puduit & etiamnum dispudet. Nobis propositum est, hoc decretum brevi aliquo Commentario illustrare. Gratificabimur hanc operam juventuti, & ordine hæc V. expendemus. 1. Quis sit hujus versionis author. 2. Quæ & quanta huic versioni collata sit à Synodo authoritas, seu quis sit decreti sensus. 3. Quæ causæ impulerint Synodum ut hoc decretum scifcerent. 4. Quibus difficultatibus hoc decretum ab ipsis Catholicis prematur. 5. Et ab ipsis quoque Pontificibus, Sixto V. & Clemente VIII.

CAP. V.

Quis sit vulgatæ Editionis author, & an spiritu prophetico inter vertendum illustratus fuerit, discors Pontificiorum sententia. Serarius *hæsitat & quæstionem indecisam relinquit.*

DE authore Versionis non una inter ipsos Pontificios sententia est. Alii, ut *Pagninus* & *Driedo* eam *Hieronymo* simpliciter abjudicarunt. Quidam, & inter hos *August. Steuchus Eugubinus*, eam universam *B. Hieronymo* adscripsêre. At audaculam hanc assertionem a *Bellarminus*, b *Azorius*, c *Maldonatus*, d *Sacroboscus*, e *Lindanus* & alii flagellarunt. Communis sententia hæc est, f novum Testamentum non esse ab Hieron. ex Græco versum, sed solummodo recognitum: vetus verò esse ex Hieronymi versione, quam ex Ebræo confecit, exceptis Psalterio, Sapientia, Ecclesiastico & libris Machabæorum: His *Salmeron* addit Baruch & Epist. Jeremiæ. Hieronymum enim bis vetus Test. Latinè vertisse, semel ex Græca LXX. Interpretum, semelque rursus ex Ebræo: atque ex duabus illis Editionibus, vulgatam in quibusdam libris, e. g. Regum & Proverbiis, esse mixtam: Psalterium autem esse ex versione B. Martyris *Luciani*, &c. *D. VVitakerus* & *Junius* volunt eam mixtam esse ex Veteri Latina, tempore Hieronymi vulgatâ & receptâ, quam *Italam* vocat *Augustinus*, (de qua supra p. 10.) ex Hieronymi Emendatione. Licet autem hic valde tumultuetur more suo *Gretzerus*, & nil nisi mendacia piis & eruditissimis illis Heroïbus objiciat, tamen ex ipsis Pontificiis nonnulli eandem sententiam amplexi sunt, vid. g Duacenses Theologi, & *Fortunatus Fanensis*, publicis scriptis, non ita pridem evulgatis, asserentes, *versionem prædictam, licet aliquando Hieronymi credita fuerit, tamen ut majoribus nostris*, inquit Fanensis, *quasi per manum traditum est, partim ex antiquißimâ & vetustißimâ Editione Latina, quam Hieronymus communem & vulgatam, Augustinus Italam, & Gregorius veterem appellant, retentam esse, partim, &c.* Sed & omni exceptione major Præfatio quæ Bibliis Clementinis præfixa est, pronunciat, *eam partim ex Hieronymi translatione vel emendatione, partim ex Itala* mixtam esse, in quam sententiam quoque descendit *Mariana*, Epistola ad Sanderum p. 57. Egregiè ergo ἀεροβατοῦσι *Sixtus V. Bell.*

a de V. Dei 29.
b Inst. Moral. 8. 3.
c ad Luc 16.
d Part. 1. cap. 3. de vulg. V.
e de opt gen. interpretandi lib. 3.
f Bellar. ubi suprà
g Præfat. in vetus Test.
In Præfat. de variis translationibus.

Coc-

Coccius, *Gretzerus* & cæteri, dum hanc Editionem ab authore, vid. eruditissimo *Hieronymo*, passim commendant, eique ab eximii istius Patris authoritate authentiam conciliare satagunt. Sed ad rem. Posteriorem hanc *VVitakeri*, *Junii*, *Fanensis*, &c. sententiam probant etiam *Baronius* tom. 2. & *Sixtus Senensis* lib. 8. ad obj. octavam, & alii, quos hic recensere omnes nihil attinet. Sed & illud adde, Serarium in prolegomenis Biblicis p. 102. disertè asserere, præter pauculos V. Test. libros, e. g. Job, Psalterium & libros Salomonis, nihil ab Hiero. ex Græco translatum. Me quod attinet, non reciprocaverim super hâc re contentionis serram cum quopiam. Esto majore ex parte Hieronymi, seu Interpretis seu recognitoris, & videamus quantum ponderis ex eo ad versionem, de qua in præsens nobis sermo est, queat accedere. *Hieronymum*, ut & 70. Interpretes, spiritu prophetico versiones suas confecisse, multorum opinio est. Audiamus i *Melchiorem Canum*, qui non veretur asserere, *aut veterem Interpretem, Spiritus S. peculiari dono, sacras literas convertisse, aut Ecclesiam Latinam multis retrò sæculis non habuisse Dei Euangelium, sed hominis. Non fuerit Propheta, habuit tamen ut Titelmannus asseverat, & rectè, Spiritum quendam prophetico vicinum & Proximum.* Prodeat k & *Gretzerus*, qui statuit, *Deum Interpretis manum & calamum ita direxisse, ne V S P I A M à Spiritus Sanct. mente in translatione aberraret*, Et pag. 541. *Deum mentem Interpretis singulari ope ita rexisse & direxisse, ut N V S Q V A M à Spiritus S. mente deflecteret*, quæ rursus inculcat pag. 542. 545. & alibi. Quin etiam de Theodotione homine à Christianâ religione alienissimo non erubescit asserere, l *Si quid est in vulgatâ pertinens ad dogmata fidei & morum, desumptum ex Theodotione, in iis Theodotionem non errasse, idque singulari protectione Dei, interpretem illum, quamvis perditum & impium, iis in locis, quæ Ecclesia aliquando tanquam authentica approbatura erat, ab errore custodientis.*

i de Locis. Th. 2, 14.

k Defens. Bellarm. lib. 2. cap. 10.

P. 537.

l p. 563.

Alia opinio censet, *S. Hieronymum*, verba m Serarii, *ordinariâ, quâ homines, qui benè aliquid actitant, prosequi solet Deus, ope, ac generali tantummodo concursu fuisse adjutum in Bibliis vertendis aut emendandis. Quæ etiam opinio idcirco eum in isthoc opere velut hominem errare potuisse, ac fortaßis etiam interdum errasse fatetur. In eâ opinione è Catholicis videntur esse* Joh. Driedo *lib. 2. propos. 3. & 4. ac in solutione argumenti 1. 3. 4. & in 3. conclus. fol. 42.* Andradius *lib. 4. dum fol. 255.*

m pag. 110. Proleg. Bib.

Ita quoque statuit. Mariana, & adversa P. Sutoris argumenta dicit esse futilia.

255. & *256. copiosè satis hoc affirmat & ad* Driedonem *relegat, dumque postea fol.* 292. (mihi 411.) ait se nolle interpretem nostrum extra omnis reprehensionis aleam positum, & se labes, quibus omnium mortalium lucubrationes respergi solent, in eo agnoscere, &c. Et Vega *lib. 15. cap. 9. apertissimè.* Bellarm. *lib. 2. 11. ad Arg. 2.* Admittimus, *inquit* Interpretem non esse prophetam & errare potuisse, *Quamvis verò subjungat,* tamen dicimus eum non errasse in ea versione, quam Ecclesia approbavit, *non ideò asserit, peculiari SPIRITVS S. lumine illustratum fuisse. 1. Quia potest aliquis in aliqua versione non errare, qui solâ humanâ peritiâ & diligentiâ utitur. 2. Quia non simpliciter dicit,* Interpretem non errasse, *sed cum restrictione quadam,* non errasse in eâ versione quam Ecclesia approbavit, *quasi concederet, eum alicubi quidem errasse, seu in aliquâ loci aut verbi alicujus versione. hanc tamen ab Ecclesia non approbatam, &c.*

Quid tandem Serarius concludat, expectas audire Lector? Ille recusans se hic interponere Palæmonem, *utra opinionum istarum probabilior sit, mihi quidem nondum satis liquet,* inquit. *Ratio, quia videntur opinionis utriusque argumenta posse non improbabiliter solvi.* Sed quia hac de re in sequentibus plura dicenda erunt, tollam manum de hac tabulâ.

CAP. VI.

Circa interpretationem Decreti dissidium Rom. Ecclesiæ. Quæ turbæ hinc in Hispania exortæ. Marianæ & Bannesii *testimonia. Genuinum decreti interpretamentum, vulgatam ipsis quoque fontibus prælatam, ex* Pinedâ, *congregatione* Cardinalium, *Inquisitoribus Hisp.* Valentiâ, Harto, Sacrobosco, Azorio, Ribera, *&c. ostenditur. Quid sit* authenticum *in jure. Alia.*

CIrca hujus decreti sensum discors est Pontificiorum Schola, verèque hoc decretum appellaveris *pomum Eridos*; adeo magnas inter ipsos, præsertim in Hispania, excitavit contentiones. Testis omni exceptione major mihi, *Joh. Marianus* erit, Jesuita Hispanus, qui in tractatu de vulgata versione cap. 1. sic infit, *Opus molestum suscipimus, periculosam aleam, ac qua nescio an ulla disputatio his annis inter Thelogos, in Hispania præsertim, odio partium magis implacabili agitata sit, usque adeo ut à probris & contumeliis, quibus se*

mutuò fœdabant, ad tribunalia ventum sit. Atque quæ pars magis sibi fidebat adversarios de religione postulatos gravißime exercuit, quasi impios, qui divinorum librorum authoritatem atque eam versionem, quæ vulgata Editio vocatur, audacter elevarent, novis interpretationibus prælatis, invectisque contra Concilii Trid. decreta. Tenuit ea causa multorum animos suspensos expectatione, quem tandem exitum habitura esset, cum viri eruditi è vinculis cogerentur causam dicere, haud levi salutis existimationisque discrimine. Miseranda virtutis conditio, quando pro laboribus, quos susceperat maximos, compellebatur, eorum, à quibus defendi par fuisset, odia, accusationes & contumelias perferre, quo exemplo multorum præclaros impetus retardari, viresque debilitari & concidere necesse erat. Omnino fregit ea res multorum animos, alieno periculo considerantium, quantum procellæ immineret liberè affirmantibus quæ sentirent. Itaque aut in aliorum castra transibant frequentes, aut tempori cedendum judicabant. Hæc Mariana. Prodeat in hanc quoque scenam magni nominis Dominicanus, *Fr. Dominicus Bannes*, & ipse Hispanus, qui suam in proferenda animi sententia (quam tamen satis innuit) pusillanimitatem manifestè prodit his verbis queis disputationem hanc obsignat, *Sed jam tandem*, inquit, *circa gravißimam difficultatem dicendi finem faciamus. Si ergo quæris, quænam istarum opinio mihi probabilior videatur, sit sexta conclusio*, In re tam gravi expectanda est Ecclesiæ Catholicæ censura. *Vnde neque audeo neque debeo Ecclesiæ judicium meâ sententiâ prævenire. Scio quidem, si ab Ecclesiâ interrogarer, quid vivâ voce responderem; interim tamen pio justoque silentio me contineo. Hoc unum duntaxat dixerim, vehementer me desiderare, ut contentio hæc, inter pios Theologos exorta, summi Pontificis authoritate decideretur ac componeretur. Alioquin si Ecclesiâ prudente & sciente hæc inter Theologos varietas permittitur, perinde est ac si Ecclesia diceret, unusquisque in suo sensu abundet, dummodo fidei veritas, Ecclesiæque Catholicæ authoritas defendatur.* Hæc Bannes. Ecce gravissimam hanc vocat difficultatem: atque ut Judæi suarum difficultatum decisionem ab Elia, ita isti hujus & id genus aliarum à Pontifice expectant. Sed unde hæc tanta difficultas? Si fontes malitiosè carrupti sunt, si vulgatæ author errare in sua versione non potuit, quid restat? Quid nodum in scirpo quæritis? Quid tantos fluctus excitatis in simpulo? Credite concilio, ejus est imperare, vobis obsequii gloria relicta est. Nullam hîc vident difficultatem delegati Cardinales; neque hic aqua hæret Villalpando, Lu-

 dovico

dovico de Tena Cano, Rhemenſibus, Pinedæ, Zuareſio, Valentiæ & aliis, qui licet inter ſe in multis particularibus diſſentiant, conſpirant tamen in eo, prædictam verſionem ita eſſe declaratam authenticam, ut ne prætextu quidem textus Ebraïci, ab eâ liceat provocare. Sic enim *Pineda* Jeſuita in tractatu de rebus Salomonis lib. 4. cap. 7. ſect. 2. *Ita de vulgati Interpretis lectione Latinâ honorificentiſſimè & graviſſimè ſentiendum, loquendumque, ut commiſſam illam nobis diligentiſſimè tuendam eſſe intelligamus, non ſolum in univerſum, ſed etiam in ſingulis membris atque particulis, uti præcepit Tridentina Synodus, ſeſſ. 4.* Libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſiâ Catholicâ legi conſueverunt, & in veteri vulgatâ habentur, pro ſacris & Canonicis ſuſcipiendos. *Quod decretum Illuſtriſſimorum & Reverendiſſ. DD. Cardinalium congregatio, Concilii Tridentini Interpretum enucleatè declaravit, 17. Januarii anni 1576. cenſens,* nihil poſſe aſſeverari, quod repugnet vulgatæ Latinæ Editioni, etiam quod eſſet ſola periodus, ſola clauſula, vel membrum, ſive vox, vel dictio ſola, aut ſyllaba jotave unum, *Et acriter reprehendit Vegam, qui libro 15. de Juſtific. cap. 9. tam audacter locutus eſt, quoad oppoſitionem textus Græci aut Ebraici cum Latina vulgata Editione.* Hæc Pineda. Nota hoc judicium delegati Cardinalium Senatus, cordate Lector. Id quod Serarium ita patefecit, ut in Proleg. Bibl. cap. 19. qu. 11. neſciat, quid reſponſurus ſit. *Nam primo,* inquit, *reſpondeo, iſtiuſmodi declarationum, ſive judicum ſententiæ, ſive Doctorum opiniones, ſive ſapientum reſponſa, ſive hujuſmodi aliud quippiam ſint, authoritatem, uti par eſt, reverendo, dubitari poſſe, an ſine depravatione ac mendo editæ ſint. 2. Typothetæ operæque aliæ, ac iſtarum herus hæretici fuerunt, &c.* Sed fruſtra eſt Serarius, nam præter Pinedam etiam Turrianus in Thomam & Ludovicus de Tena Iſag. lib. 1. Diff. 6. ſect. 1. ita citant hanc deciſionem, ut ne vel minimam ſuſpicionem vel de depravatione, vel ὑποβολῇ ingerant. Ne quid tamen diſſimulem, poſteriora illa, quibus Vega reprehenditur, in Exemplari meo declarationum, Coloniæ 1609. edito, non comparent, ſed hæc ſubſtituta ſunt, *Quoad oppoſitionem autem textus Græci aut Ebraici cum Latinâ vulgata editione, congregatio remiſit ad tertiam regulam Indicis ſub Pio IV. editam.* Idem Pineda libro eodem pag. 229. *Nos qui omnino tenemur tueri Latinam vulgatam Lectionem cum omnibus ſuis particulis, piaculum exiſtimamus aſſerere, non ſolùm in re pertinente ad fidem, ſed*

etiam

etiam ad rem Geographicam aut aliam cujuscunque generis, Latinum Interpretem, si non omnia semper assecutus est, neque prorsus sensum omnem verborum exhausit, aliquando aberrasse deceptumque fuisse. Vnde & in Indice litera V. hæc comparent, *vulgatæ Lectionis authoritas & vel solus apex retinendus.* Et, *Latinus Interpres nunquam aberrans.* Vbi illud non injuriâ quæri posset, quomodo illa Pinedæ verba, *si non omnia semper assecutus est*, &c. & eodem tendentia Grezeri, *quædam reperiri in vulgatâ vocabula non satis aptè conversa* pag. 560. cum spiritu prophetico, quo Hieron. seu quemcunque alium vulgatæ authorem illustratum asserunt, possint subsistere. Item an is qui putat se omnia aptè reddidisse, & tamen id assecutus non est, nunquam aberrasse dici possit.

[Ludovici de Tena, Isagog. ad Scripturam l. 1. Diff. 6. sect. 1. hæc est decisio, *Latinam Editionem vulgatam, in omnibus suis locis & partibus, ita esse authenticam, ut non solum nullum contra fidem errorem contineat, sed etiam infallibilem veritatem & Spiritus S. mentem in omnibus suis partibus, quantumvis minimis, non minus quam originalis Scriptura, unde fuit transumpta. Neque ut fidem faciat, indigere recursu ad illam vel aliam. Sed adhuc quando ab Ebræa nunc existente dissentit, esse veram regulam fidei*, &c. Et Sect. 3. *Non solum in iis quæ gravia sunt & ad fidem moresque pertinent, sed etiam in omnibus aliis, quantumvis levibus, vulgatam nullum habere errorem. Quia cum concilium jubeat eam habere pro authentica regula sine ulla limitatione, absque ea debet admitti, cum lex generaliter loquens, pariter sit intelligenda, & ubi ea non distinguit, pariter distinguere non debeant. Præterea, quia concilium non solum ad errorem gravem aut perniciosum, sed ad nullum prorsus inducere potest: Induceret autem, si in vulgata aliquis error, etiam levis existeret*, &c. Et ibidem, *Licet essent nunc incorrupti codices Græci & Ebræi, tamen cum eorum voces habeant tam varias significationes, nec Ecclesia hactenus definierit, quæ earum sint retinendæ, bene tamen in vulgata; Hinc est, istam esse priori loco venerandam, ad eamque ut lapidem Lydium seu ut clarius loquar, tanqvam ad authenticam regulam fidei, semper esse recurrendum, etiam in levibus.* * Possevinus eam insignit hoc elogio, *Columna veritatis & portus, ad quem ex tot dissentientium versionum fluctibus debeamus appellere.* Nihil etiam dissimulant qui Indicem expurgatorium in Hispania compilârunt, *Licet ea*, inquiunt, *quæ Augustinus & Hieron. docuerunt* (nempe de authotitate fontium) *vera sint, tamen post Concilii Tri-*

* Biblioth. sel lib. 1. c. 8.

dentini decretum non licet vulgatæ versionis testimonia quovis prætextu rejicere. Unde iidem quoque ex verbis Fr. Georgii Veneti Problem. 107. *quod indicant verba veri textus*, voculam *veri* expunxêrunt, idque *rectè*, judice Marsenno in examine dicti problematis, *nec enim textum aut versionem ullam recipimus*, inquit, *præter vulgatam Latinam.* Audiamus etiam Gregorium de Valentia qui privatâ Epistola ad Serarium, 16. Octobris 1590. datâ, sic inquit, *Summa, mi Pater, hæc est, existimare me, authoritate & definitione Concilii Tridentini vulgatam Editionem Latinam omnibus Editionibus, cujuscunque sit idiomatis, fuisse prælatam.* Uti apud Serarium videre est in proleg. Biblicis p. 119. Eadem mens erat *Harto*, qui in colloquio cum Rainoldo cap. 6. urget verba illa *quovis prætextu*, *Si nemo illam*, inquit, *quovis prætextu rejicere poterit, non prætextu igitur Ebraici scripti.* Egregiè certè & nervosè. *Nullum enim prætextum admittit, qui quemvis excludit*, inquit Mortonus. Hoc volunt, hoc sentiunt omnes illi Theologi, quos Mariana notat his verbis *nostrâ ætate Theologi quidem statuunt tempora jam esse mutata, post promulgationem Concilii Trid. probatâque vulgatâ versione, Græca & Ebræa uno impetu concidisse.* p. 99. Et quid sibi aliud volunt illi, qui interpretem Prophetam faciunt, ut inter alios etiam Petrus Sutor de translat. Bibliorum & Titelmannus de Edit. vulg. nec non isti, qui in eâdem tantùm errores librariorum agnoscunt, ut Gregorius de Valentia Analys. Fid. 8.5. Christoph. Sacroboscus defens. Conc. Trid. pro vulg. vers 2.9. & alii, *Alias eam ab omni errore emendatissimam*, & nefas esse ei vel in minimis contradicere, statuentes. Quid Azorius Instit. Moral. 8.3. *Et si per Hypothesin concedamus, Interpretem in versione errare potuisse, tamen non potuit Ecclesia in approbanda versione vulgatâ errare aut decipi.* Et paulo post, *mihi autem videtur verior eorum sententia, qui existimant Latinam, non modo in rebus fidei & morum, sed & in cæteris OMNIBUS errore carere.* Nec defugiet, scio, authoritatem Ribera, si & ipsi hanc mentem adscripsero, Sic enim ille ad Habacuc cap. 1. Num. 13. *mihi & omnibus, quibus vulgatæ Editionis sancta & inviolabilis est authoritas longè alia mens est. Neque enim fas esse duco credere, Ecclesiam aliquid pati in ista Editione, quod non sit dictatum à Spiritu Sancto.* Et ut finem tandem faciam, quid sibi vult Regula 3. Pii IV. quâ *piis & doctis viris conceduntur, Episcoporum Judicio, aliorum versiones, modò hujusmodi versionibus tanquam elucidationibus*
(non

(non fontium, sed) *vulgatæ versionis utantur*? Cur in hanc solam edunt commentaria? Cur hanc in vernaculas linguas solam transfundi curant? Habes ergo, mi Lector genuinam decreti Tridentini interpretationem, non ab hæreticis, sed germanis Ecclesiæ Romanæ filiis editam. Et quid authoritatibus allegandis me delassavi? nunquid contextus verborum id disertè indicat? *Authentica* pronunciatur vulgata Editio. Quid est *authenticum*? Juris Civilis Doctoribus *authenticum* idem est quod *originale*. Vnde *authenticæ tabulæ*, *authenticum instrumentum*. Sed hanc notionem non admittent, spero Pontificii in præsenti decreto. Dicent vocari *authenticam*, quod ex originali sine errore translata sit. Gregorius de Valentia Analys. Fidei lit. 8. cap. 5. *Esse versionem aliquam authenticam*, inquit, *nihil aliud est hoc loco, quàm esse eam* OMNINO *in sententiâ conformem scripturæ originali*. Scilicet ex hac sententiâ *Tridentini Patres fuerunt quasi Notarii publici*, utor verbis Cl. Amesii, *à Deo constituti, ut post institutam diligentem collationem hujus exempli sive copiæ, ut vocant, cum originali instrumento, & accuratam examinationem, certam ei fidem facerent*. Illud ergo manet, decreto huic non posse suas constare rationes, nisi *cum piis Theologis, qui pio utilique animo*, verba Bannes, *affecti sunt, decretum sic intelligamus, vulgatam nullo prorsus in loco interpretis ignorantiâ aut vitio esse depravatam, sed omnino per omnia, etiam minima, rectè fuisse interpretatam*. Id quod prolixè in sequentibus sub Doctorum istorum nomine explicat & confirmat.

CAP. VII.

Quæ causæ impulerint Romanam Eccl. ut rogarent hoc decretum. Recensentur tres. Barbaries, pervicacia & diffidentia. De Barbarie confessio Espensæi. *Querela* Cani *&* Cochlæi *de Hæreticorum superbia. Quo loco fuerint Biblia ante* Lutherum. *In quas angustias redacti fuerint Pontificii tempore* Lutheri. Pagnini *laus. Cur ejus versio non Canonizata. Cur vulgata ei prælata.*

VIdimus mentem rectumque Interpretamentum decreti. Postulat ordo, ut causas videamus, quæ Romanæ Ecclesiæ hoc decretum extorsêre. Video eas reduci posse ad tria hæc capita. Barbariem istius ævi, Pervicaciam & causæ diffidentiam.

De barbarie vel ſolus *Claudius Eſpenſæus*, Epiſcopus, omni exceptione major teſtis erat. Conqueritur ille commentariis in 1. ad Timoth. cap. 3. circa Reformationis initia eam inter ipſos quoque Clericos graſſatam fuiſſe linguarum originalium ignorantiam & barbariem, *ut in Latinis authoribus Græcè noſſe ſuſpectum fuerit, Ebräicè prope hæreticum.* Etſi vero bonus ille Epiſcopus non evaſerit Expurgatorum cenſuram, honoratur tamen à Catholiciſſimo Genebrardo libro 4. Chronol. hoc elogio, *quod ab hæreticorum furiis fuerit alieniſſimus. Lutherani contrà*, inquit [a] Cochlæus, *de peritia linguarum ſuperbiebant. Quod ſi quis novitatibus eorum contradiceret, prætendebant ſtatim lectionem Græcam vel Ebraicam, & continuò in Græcarum & Hebraicarum literarum ignaros plenis convitiorum plauſtris invehebantur.* [b] *Præterea* inquit Canus, *Authores Scholaſtici CCC. integris annis ſolam Editionem Latinam retinuerant, quippe linguæ Græcæ & Ebraicæ non habuerunt peritiam. Et tamen in dogmatibus Theologicis confirmandis aut etiam in hæreſibus refellendis multum confecêre.* Ideoque nec hæreticæ pravitatis inquiſitores his magis naſutos eſſe decet. Multò minus cogi poterant, aut etiamnum poſſunt, *ut in refutandis hæreticis & puniendis, ad Græcam & Ebræam VERITATEM, QVAM MINIME NOVERVNT, recurrant, indignumque eſt, ut à RE PRORSVS INCOGNITA graviſſimi Tribunalis pendeat judicium. Abſurdum inſuper eſt, à noſtratibus ad alienos, id eſt, Ebræos & Græcos apellare: Impium denique eſt ad Judæorum & Schiſmaticorum Senatum Catholicæ fidei conſultationem rejicere.* Atque hæc omnia eò tendunt, ut doceat Latinam Editionem inconcuſſè tenendam eſſe. Sed & notatu digna ſunt conſequa ejus verba, *Enimverò*, inquit, *qui hanc noſtram Editionem infirmare cupiunt, videntur mihi nihil aliud moliri, niſi occultum quoddam hæreticorum patrocinium. Nempe Inquiſitores deſpicient, qui ſcripturam Latinam tanquam certam regulam tenent, cum veritatis Græcæ & Ebräicæ ignorantia teneantur; Scholaſticos authores deſpicient, qui vulgari Latino Interpreti ſuam fidem alligarunt, &c. Diſpicient ſanctos etiam priſcos, qui Ebräicæ etiam linguæ peritiâ caruêre.* Hæc Canus. Sed hæc ipſa quoque Latina Editio ante *B. Lutheri* tempora à paucis verſabatur. Annos ſuos conſumebant in Decretis & Decretalibus, Thoma, Scoto, Magiſtro Sententiarum & Ariſtotele. Hos authores publicè prælegebant, in hos ſcribebant gloſſas & commentaria. Moſes, Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli conſileſcebant. Si quis ad Scripturæ lectionem accede-

ret,

[a] apud Canum. 2. 13. in margine.

[b] Canus ibid.

ret is jam provectæ ætatis erat. *Ante paucos annos*, inquit * Stephanus, *quidam ex Sorbonâ sic loquebatur, miror quid isti juvenes nobis semper allegent novum Testamentum, Perdiem, ego plus habebam quam quinquaginta annos, quod nesciebam quid esset novum Testamentum.* Addit, eos, siquando rogarentur, quo loco novi Testamenti aliquid scriptum esset, respondere solitos, se illud quidem apud Hieronymum aut in decretis legisse, quid verò novum Testamentum esset, ignorare. *Carolostadius*, teste * *Luthero*, Biblia non nisi octavo post impetratum supremum in Theologiâ gradum, anno, legere cœpit. *Albertus* Archi-Episcopus Maguntinus, cum anno 1530. in Comitiis Augustinis Codicem Biblicum, quem in mensa collocatum reperiebat, obiter aperuisset, foliaque ejus aliquot perlustrasset, hæc tandem dixisse fertur, *Equidem nescio quid hoc libri sit. Illud video, omnia quæ eo continentur, nobis adversa esse.* Cardinalem *Hosium* in confessione Petrocoviensi eò impietatis prolapsum fuisse scribunt, ut dicere haud erubuerit, longe meliori talo res Ecclesiæ (Romanæ videlicet) staturas fuisse, si nullum Euangelium scriptum fuisset. Quid miramur ergo, eos omnes ingenii vires in hoc unum intendisse, ut hunc librum perpetuis tenebris sepelirent. Accedit & illud, quod multi inter Pontificios, iique non infimi subsellii, Scripturæ Latinæ Interpretes, nesciverint, quo idiomate *Paulus* Epistolas suas scripserit, sicuti de Remigio ostendit *Lud. Vives*, comment. in August. de Civit. Dei 2. 21. Plerique autem omnes, qui in tantâ otiosorum hominum multitudine Scripturam versabant, eam ita exponebant, & ad qualiacunque dogmata sic trahebant, ac si cereus alicuis nasus fuisset. Cardinalis *Cusanus* docebat, scripturas alio atque alio modo pro temporis ratione accipi & exponi posse, id quod Duræus in Anti-Witakerianis, fol. 45. utroque pollice approbavit. Hi fuerunt natales, atque hæc educatio monstri istius informis, quod *Theologiam Scholasticam* vocamus. Fontes autem sic oderant, ut plusquam probabile hæreseos argumentum fuerit, si quis eos versaret, iis adhæresceret, atque ad eos provocaret, id quod *Reuchlinus*, *Erasmus*, & istius ordinis quamplurimi alii, cætera Pontificii, abunde experti sunt.

* Præfat. ad Censuram Theol. Paris. 1532.

* apud Serarium in Proleg. pag. 137.

Sed de babarie res ita nota est, ut frustra futurus sim, si vel verbum amplius addam. De pertinacia & diffidentiâ causæ videamus amplius. Primi Reformatores nolebant Aduersarios suos hâc

ripâ

ripâ ſequi. Nihil apud ipſos ponderis habebant Scholaſticorum placita, vel Traditionum μοϱμολυκεῖα; Provocabant ad Scripturam. Hic laborabant Monachi, hic ſudabant, hic timidis refugiebat ſanguen, atque exalbeſcebant metu. Magis verſati erant in ſcriptis humanis quam divinis. Sed non hoc termino ſtetit cordolium. Non contenti iidem vulgatæ Latinæ textu, ad ipſos fontes provocabant. Cogita Lector, quid animi bonis iſtis viris fuerit. Quid enim? an hoc gratificarentur hæreticis, ut linguas Originales diſcerent, ut fontes, Chriſtianorum dogmatum principia agnoſcerent? An æquum erat, ipſos inquiſitoribus & Scholaſticis, qui harum linguarum ignari fuêre, eſſe naſutiores? Ipſi feliciter ſatis adverſus hæreticos depugnaverant: Cur non hi facerent idem? Iam hæreſeos maculam inuſſerant iis, qui linguis iſtis navabant operam, legentes hâc in re veſtigia *Pauli* II. qui teſte *Platina*, *humanitatis ſtudia ita oderat, ut ejus ſtudioſos ad unum omnes hæreticorum nomine verberare conſueverit*. Et quid, quæſo te, fuiſſet ſtultius, quam admittere eum textum, quem legere non poterant? *In conciliis generalibus aut pauciſſimos aut interdum nullos fuiſſe linguæ Ebrææ peritos*, ingenua *Bellarmini* confeſſio eſt, de V. D. lib. 2. 10. non meliora de ſui ævi Epiſcopis & Abbatibus promittere ſibi audebat Paulus III, quando Concilium Tridenti indicebat. Ipſi Patres ſuæ ſibi hac in parte tenuitatis optimè conſcii erant. Quàm inconſideratè itaque & temerè, addo & pueriliter feciſſent, ſi iſtas Editiones, quas illi ne legere quidem poterant, quas ſemper crepabant hæretici, quas pleriſque erroribus ſuis adverſari, vel ex nova *Pagnini* verſione colligere poterant, declaraſſent authenticas? Videbant tamen ſe honeſtè Scripturam rejicere non poſſe. Videbant aliquem textum ſignandum eſſe, qui pro authenticis Scripturæ tabulis reciperetur. Providendum ergo cenſuerunt Eccleſiæ de ejuſmodi textu, quem non omnes Laïci, (ἑκὰς ἑκὰς ἔϛε βέϐηλοι) ſed omnes ſaltem Epiſcopi & Clerici intelligerent. LATINAM ergo delegerunt, quam ab omnibus Epiſcopis intelligi, hoc ipſo nobis voluêre perſuaſum, licet * *Alphonſus de Caſtro* de pleriſque Pontificibus, Epiſcoporum Epiſcopis, diſertè aſſerat, *eos adeo fuiſſe illiteratos, ut Grammaticam* (Latinam intelligit) *penitus ignorârint*. Sed nec Latinam ſine delectu. Variæ Editiones Latinæ circumferebantur. *Pagninus ex ordine Prædicatorum Monachus cum animadvertiſſet* (verba Sixti Senen-

* adverſus Hæreſes l. 1. cap. 4.

Senensis) *Vulgatam vel temporum injuriâ, vel hominum incuriâ maximâ ex parte fuisse corruptam, Leone X* * HORTANTE, *consultis optimis Ebræorum exemplaribus, quantâ valebat fide & industriâ, omne V. Test. Ex Ebraicâ veritate Latinitate donaverat.* Hanc multi probabant;

* Imò jubente inquit Steuchus, Præfat. in Recognitionem, quo nomine Pontificem repræhendit.

Ἀλλ' οὐκ Ἀτρεΐδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ.

Non conveniebat ea Patrum instituto. Quin & si fortè convenisset, atque hoc modo considerata cum vulgatâ æquis passibus inambulasset, tamen honorem istum *Pagnino* & Dominicanorum ordini invidisset livor. Itum ergo ad Latinam veterem est, quam plerisque Ecclesiæ Romanæ erroribus haud leviter patrocinari, longo annorum usu didicerant. Irrepserat in codices ejus vox IPSA. Gen. 3. 15. Inde idololatricas B. Virginis laudes stabilitum ivêre. Ex locis Gen. 6. 5. & Luc. 2. 14. pravè conversis viribus liberi Arbitrii quæsitum fuit velamentum. *a* Missam, *b* purgatorium, *c* limbum, *d* meritum congrui & condigni, *e* adorationem Sanctorum, *f* imaginum, *g* rerum sacrarum, *h* infallibilitatem conciliorum, *i* incertitudinem gratiæ, aliosque insuper errores loca ejus aliquot vel manifestè vel in speciem staminabant, quibus ex textu originali aliisve versionibus nihil sperabant patrocinii.

a Gen. 14. 19.
b Gen. 23. 3.
c Gen. 37. 25.
d Gen. 4. 13. & Ebr. 13. 16.
e Gen. 48. 16.
f Ebr. 11. 21.
g Psal. 99. 5.
h Ioh 14. 26.
i Eccl. 9. 1.

CAP. VIII.

Sectio I. *Quibus difficultatibus in ipso concilio pressum sit hoc decretum.* Aloïsii Catinæi *libera vox.* Cajetani *judicium. Proponuntur difficultates IV. post concilium à Catholicis notæ. 1. difficultas eorum, qui statuunt in vulgatâ esse errores Interpretis. Quomodo illi sudent in conciliandâ sua sententia cum verbis decreti. Quos patronos suæ limitationis advocent. Qui rursus adversentur & quibus argumentis. Iterum de voce* Authentica. *Ipse Hieron. fatetur se errasse. Quid ad hoc respondeatur.* Sectione II. *proponitur secunda difficultas, eorum, qui textum Ebr. pro incorrupto habent, & fontibus nihil derogatum statuunt. Quomodo hi explicent decretum.* Gretzeri *Sophistica & contradictiones.* Sectione III. *hæc proponuntur. III. diff. eorum qui dicunt ex decreto, ut vulgo exponitur, sequi, Græcos non habuisse Editionem authenticam. IV. Diff. Ante Concilium Trid. Ecclesiam non habuisse Scripturam authent.*

bent. Imo ne quidem ante annum 1590, quo emendata prodiit. Examinatur articulus ille decreti de emendatissimâ Editione. Ostenditur, eum Typographos concernere & præter mentem concilii ad correctionem Papalem extendi. Quâ occasione id factum sit. Ex hypothesi proponuntur 4. consectaria in seqq. prolixius declaranda.

Vidimus sensum mentemque decreti. Vidimus causas. Restat ut proponamus difficultates, quibus ipsi Catholici hoc ipsum pressere, atque etiamnum exagitant. In ipso concilio non deërant, qui illud iniquum esse asserebant. Fr. *Aloisius Catanæus* disertè pronunciabat, nullam omnino versionem eo modo recipi posse, salvo decreto, *ut veterum*, quod in jure Canonico extat. Citabant Cardinalem *Cajetanum*, asserens, eum, postquam 1523. in Germaniâ Legationem Pontificis nomine obiisset, dicere fuisse solitum, unicum hæreticos refellendi & convertendi medium ex genuino intellectu sensus literalis in Originali linguâ petendum esse, ipsumque huic studio XI. reliquos vitæ suæ annos impendisse. Addebat, *Cajetanum* dicere solitum, eum qui Latinum solummodo textum intelligeret, dici non posse infallibile Dei verbum intelligere. Talis enim, inquiebat solummodò intelligit vocem interpretis, qui errare potest. Sæpe denique optasse, eum SS. Literas intepretandi modum à superioris ævi doctoribus observatum & excultum fuisse, plenèque fuisse persuasum, Lutheranas hæreses non fuisse exorituras. Post peractam Concilii fabulam, variæ, uti supra attigimus, opiniones circa hoc decretum proponi & defendi cœperunt. Alii asserebant, authorem vulgatæ Latinæ Prohetam fuisse ac errare non potuisse, aut saltem, ut ut Interpres errare potuerit, Ecclesiam in approbanda eâ versione errare non potuisse. Vulgatam prædictam non solum in iis quæ ad fidem & mores pertinent, sed & in cæteris OMNIBUS omni errore carere, ac proinde nullo prætextu, ne textus quidem originalis, eam esse rejiciendam: quorum verba cap.6. produximus. Alii contrà docebant, hoc decreto Concilium nihil voluisse Fontibus derogatum, Interpretem hominem fuisse ac proinde non solùm errare potuisse, sed & errasse. Testor Jesuitam *Azorium*, cujus hæc sunt verba, Instit moral. lib.8. cap.3. *Multi*, inquit, *qui post Concilium Tridentinum scripsêre, ut Vega, Sixtus Senensis, Andradius, Lindanus, Canus, fatentur ali-*

Histor. Conc. Trid. Edit. Lat. p. 174.

quos esse in vulgatâ Latinâ errores, non solum vitiô scriptorum, sed etiam ipsius Interpretis incuriâ vel ignorantiâ. Lyræ, Burgensi, Isidoro Clario, Steucho, Driedoni, Hieron. ab Oleastro, Cajetano, Joh. Benedicto, aliisque vetustioribus eadem mens fuit. An ergo in his quoque ubi Interpres lapsus est, locis & partibus vulgata pro authentica habenda est? An in istis non licet à vulgatâ ad fontes provocare? non certè, si verba decreti, prout sonant, & vulgò à Pontificiis intelliguntur, accipiamus. E. gratiâ, Disputo cum Pontificio de Invocatione Sanctorum. Objicit mihi cum Eccio, Canisio & Monachis Burdigalensibus locum * Gen. 48. 16. Provoco ad textum Ebræum, qui, testibus quamplurimis Pontificiis, exempli gratiâ, Ribera Cajetano, Hectore Pinto, Oleastrio, longè aliud sonat. Quæritur, an consistere possit istiusmodi provocatio cum Decreto? Non putem. Iam enim hanc particulam vulgatæ Latinæ rejicio, & prætextu textus Ebraici eam non admitto. An ergo omnes isti, qui Interpreti errores aliquot asscribunt, decretum insuper habent? Hoc nunquam dabunt, nunquam fatebuntur, Quid ergo? Inventum est effugium. Decreti mens est, inquit Bellarminus, *in iis præsertim quæ ad fidem & mores spectant, nulla esse in hâc versione Interpretum errata.* Subdole adjecit voculam *præsertim.* Ostensum satis superque jam est, Pontificiorum alios hanc versionem in OMNIBUS extra omnis omnino erroris suspicionem ponere: alios contrà eam non ubique, sed in locis ad fidem & mores pertinentibus ab errore immunem pronunciare. Satis ostendit Bellarminus, quarum sit partium, inquit Cl. Amesius, sed tamen ne secus sentientibus adversari videretur, de effugio sibi prospexit in voculâ *præsertim*; Sic enim verba sua posset interpretari. Interpretes vulgatæ immunes ab errore fuisse in omnibus partibus & particulis suæ versionis, sed extra periculum erroris magis adhuc positos fuisse in iis, quæ ad fidem & mores spectant. Quæramus ergo, qui clarius animi sui sententiam expressêre. Canus ergo lib. 2. c. 13. concl. 1. *Editionem hanc retinendam* concludit *in his omnibus, quæ ad fidem & mores spectant,* & concl. 2. *omnes de fide & moribus quæstiones per eam esse definiendas.* Et. 4. *In his, quæ sunt fidei & morum, non esse Latina exemplaria ex Ebraicis & Græcis corrigenda.* Gretzerus quoque, qui aliquando sic loquitur ut eam ubique extra omnem errorem ponat, non semel eadem restrictione utitur. Pag. enim

* Invocetur nomen meum super pueros hosce.

537. Editionis hujus authoritatem ita exponit, *ut Spiritus Sancti sententiam ubique assequatur, quod ad doctrinam & mores attinet.* Vide etiam pag. 542. Et pag. 560. *non ita probavit Ecclesia Editionem vulgatam, quasi nullum in ea reperiatur vocabulum non satis aptè ex Ebræo versum, sed in iis quæ ad fidem & m. pertinent, hanc editionem declaravit authenticam.* Joh. Sacroboscus apud eundem Gretzerum pag. 541. *Cum dicimus*, inquit, *nos habere Scripturam Latino sermone authenticam, aliud nihil volumus, quàm nostram translationem esse verum Dei verbum integrum, incorruptum, ex quo grex Christi doceri, & quæstiones de fide & moribus intrepidè definiri queant.* Vega lib. 15. cap. 9. Versionem hanc ita esse authenticam statuit, *ut certò sciant fideles, nullum inde haberi posse periculosum errorem, & tutò illam & citra periculum legi posse.* Et postea. *Eatenus voluit Synodus eam haberi authenticam, ut certum omnibus esset, nullo eam defœdatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus colligi posset.* Eadem est *Driedonis* sententia lib. 2. cap. 1. Quos duos citat & sequitur *Andradius*, Defens. Conc. Trid. lib. 4. Ita quoque statuunt *Senensis* in fine lib. 8. Biblioth. & *Serarius* Proleg. Bibl. cap. 19. qu. 11. Summa huc redit, In rebus fidei & morum vulgatam à Tridentinis authenticam esse declaratam. In cæteris non item. Lapsus enim subinde est Interpres. Quid ad hæc Patres Tridentini dicerent si viverent? Quid illi Decreti Interpretes, Cardinales & Theologi quos * supra produximus? Illi ajebant vulgatam omni in OMNIBUS errore carere, retinendamque ad minimum jota & apicem; Interpretem prophetam fuisse, ac errare non potuisse: Et ut ut errare potuerit Interpres, Ecclesiam tamen in approbanda ista versione non potuisse errare. Contrà Driedo, *Hieronymus traducens sacram Scripturam*, inquit, *egit quidem negotium totius Ecclesiæ quæ non fallitur, sed non inde consequens est, editionem ejus nusquam aberrare ab Ebraica veritate. Aliud enim est jussu Ecclesiæ novum Test. castigare, aliud est id quod castigatum est, jussu Ecclesiæ, in singulis libris sic approbare, ut non liceat unquam hæsitare aut dubitare, ne forte interpres non rectè verterit. Neque enim tenemur*, inquit, *credere, cujusquam Editionem sic esse in omnib. consonam, nisi vel eam ad suum fontem conferentes, talem esse videamus, vel Ecclesia universalis aut Spiritu S. aut experientiâ edocta, authoritate suâ definiat, eam penitus sic consonam esse*, nihil autem horum factum esse credit Driedo. Quid ad hæc alii? Quin, inquiet adver-

* pag. 71. 72. 73. & seqq.

versarius, nunquid vides vocem *Authentica* in decreto? Quid est authenticum annon vel orginale, vel exemplum ex originali sine errore transumptum? Respondet pro Driedone Andradius, fol. mihi 361. *An* Authentici *vocabulum, quo Synodus utitur, tantam hanc cum Ebræis fontibus convenientiam præ se gerat, non desunt Viri eruditi qui dubitent. Juris enim consulti, sumpto ex Græcis vocabulo, Authentica ea scripta appellant, quæ fidem in judiciis faciunt, & certam ac publicam authoritatem habent. Quare uir eruditissimus, Fr. Andreas Vega, qui Concilio Tridentino sub Paulo tertio maximâ cum laude interfuit, multis confirmat, Tridentinos Patres, cum vulgatam authenticam pronunciârunt, nihil aliud significare voluisse, quàm nullo eam defœdatam errore existere, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide & moribus, colligi posset. Ne vero hanc Concilii mentem fuisse dubitare quis posset, testem ea de re citat gravissimum Cardinalem S. Crucis, Concilii tunc Legatum, omni virtutum genere clarissimum, postea verò Pontificem Optim. Maxim. & Marcellum II. appellatum, à quo illud se inquit pridie quàm hoc decretum rogaretur, accepisse, & postea id ipsum confirmantem & obtestantem non semel audivisse.* Eadem habet *Mariana* in tractatu de Vulgatâ Versione cap. 20. & 23. nec non *Serarius*, qui & illud insuper addit, *Hoc scripsit Vega, cum Cardinalis ille adhuc superstes esset, possetque de totâ re interrogari.* Huic testi alium addit Mariana, vid. *Jacobum Laines*, Iesuitarum generalem, qui & ipse concilio interfuerit, quorum testimoniis eam fidem habet *Serarius*, ut audacter concludat, Eam, quæ à Conc. Trid. Vulgatæ versioni tribuitur, authoritatem non esse infinitè accipiendam, sed definitè, certis cum modificationibus. Tanta eos sollicitat cura, ut lectoribus suis persuadere possint, suam sententiam decreto nequaquam adversari. Sed frustà, Quod enim ad *Vegam* attinet, Collegium delegatorum Cardinalium nullas agit ei gratias, quin potius acri eum notat censurâ, quod tam audacter hac de re locutus sit. Nec etiam Cardinalis S. Crucis licet postea Pontificis, *& Jacobi Laines* testimonia efficere potuerunt, quominus Theologi aliquot, in Hispania, in vincula & carceres hoc solo nomine compacti fuerint. Et ut ut *Vega* ex verbis ipsis decreti, aliisque consuetis concilii approbationibus, eam, quam ipse Decreto affingit mentem, probare satagat, tamen nulli cordato persuadebit. Etenim si hæc vel Concilio, aut majori saltem ejus parti, aut summo, sine cujus approbatione nulla

nulla concilia ullius sunt authoritatis, Pontifici mens fuit, cur non hanc vel similem aliquam limitationem adhibuêre? Cur non delegati Cardinales ita interpretati sunt? Et cum gravissimæ hac de re contentiones inter Catholicos ortæ sint, quarum hodieque magnâ animorum impotentia reciprocatur serra, cum tot devoti Romanæ Sedis Filii, Pontificis decisionem ardentissimis precibus expetant, cur nihil definit Pontifex? Cur nullis exorabulis se exorari sinit; Et si verum dicendum est, valde frigidum hoc effugium est, eam authenticam solummodo pronunciatam in rebus fidei & morum, atque ita declaratam esse authenticam, ut certò sciant fideles, nullum inde haberi posse periculosum errorem & tutò illam posse legi, &c. Quid enim tunc prærogativæ hoc decreto ad vulgatam Editionem accessit, quod non versioni quoque Pagninianæ (ut de hæreticorum Editionibus taceam) tribui possit. Eam enim Thologi Lovanienses, & Arias Montanus, non sine Pontificis, Hispaniarumque Monarchæ approbatione, *omnium TUTISSIMAM judicarunt, quæ in Regiis Bibliis Ebræo textui adnecteretur.* Et quod ad illam glossam, quam ad ravim usque moderatiores isti ingeminant, *in rebus Fidei & morum*, attinet, ubi hoc dicit decretum? non est distinguendum ubi lex non distinguit, cum verbo unico distinguere atque hoc pacto sententiam jam tum à multis defensam constabilire potuisset. Si major concilii pars aut Pontifex illud gratificandum hæreticis censuisset, in vulgata esse errores aliquot Interpretis, licet in levioribus, nunquam certe eam & simpliciter indefinitè authenticam & nullo prætextu rejiciendam pronunciasset: nunquam eam cum omnibus suis partibus, sub pœna anathematis, recipiendam decrevisset. *Sancta Synodus absolutè loquitur*, inquit Bannes, ex Azorii, Pinedæ, Valentiæ & duriorum sententiâ, *cum tamen hujusmodi limitationem facile potuisset adjicere. Deinde*, pergit Bannes, *in publicis disputationibus non solum de rebus ad fidem & mores pertinentibus, inter doctores controversatur, ergo etiam ubi non fuerit disputatio de fide & moribus, editio vulgata pro authenticâ habenda est. Præterea quænam res sit ad fidem & m. pertinens in sacris literis, non erit cujusvis judicare: At vero si semel hæc janua aperiatur, facile quis audax dicere poterit, plurima esse errata ab Interprete, quia plurima non judicabit pertinere ad fidem, atque adeo historiarum narrationem & illarum circumstantias, quæ in Scripturis habentur, commutabit ad libitum, hujusmodi prætextu.*

Vide Præfat. Ariæ Mont. ad Interlin.

quod

quod non pertinent ad fidem moresque. Amplius, nihil videtur esse in Scriptura, quod ad fidem non pertineat. Pergit, *Quod si nos Catholici semel aliquos in eâ errores esse fateamur facile imperitum vulgus hæreticorum dogmati consentiet, quos in linguarum peritia peritißimos esse judicat, ac proinde sacrarum literarum illibatam veritatem in illorum translationibus quæret.* At postremæ huic duriùs sentientium rationi idem Bannes moderatiorum nomine sic occurrit, *Qui aliquot interpretis errata in vulgatâ agnoscunt,* inquit, *non se hæreticis, favere sed potius verè & fortiter contradicere arbitrantur. Idque prudentius & efficacius se efficere putant, quam prioris sententiæ sectatores. Ratio est, quoniam cum fiant argumenta ad solvendum difficillima & quæ more humano videntur convincere, quædam esse errata in vulgatâ* Editione, *quæ non sunt magni ponderis, si hæc ipsa negaverimus, fortaßis hæretici nos ignorantiæ aut proterviæ redarguent, atque apud suos infamabunt, & reliqua magni ponderis & quæ ad fidem moresve pertinent, quæ ipsi in vulgata Editione errata esse contendunt, putabunt nos simili protervià clausis oculis defendere. Et hæc eorum ratio,* inquit idem Bannes, *à simili confirmari potest. Quoniam inter Theologos communior & probabilior sententia est, quod summus Pontifex, ut particularis persona, errare poßit in fide. Tametsi quidam, ut est Pigius lib. 4. Eccles. Hierarch. cap. 6. & 8. pietate quâdam (nescio an secundum scientiam) susceperit hanc causam defendendam, nullum summum Pontificem hactenus errasse vel errare posse. Ratio autem cur prior sententia probabilior & tutior existimatur; hæc est, Quoniam Apostolicæ sedis infallibilitatem nolumus dependere ab alicujus personæ particularis fide, præsertim cum experientia testata fuerit, unum aut alterum summum pontificem, ut personam particularem, circa fidem defecisse. Id quod tam magnis argumentis probatur, ut oppositum sine aliqua temeritate defendi non poßit. Ad hunc ergo modum editionis vulgatæ auctoritatem magis piè & tutò se defendere arbitrantur, qui leviculos quosdam errores in eâ deprehensos ingenuè fatentur, corrigibiles tamen Apostolicæ sedis authoritate. Et quemadmodum ejusdem Apostolicæ sedis infallibilis authoritas non pendet ex fide particularis hominis, quem contingit esse Pontificem, sed pendet ab aßistentia Sp. Sancti, qui illum in rebus fidei Pontificis officio fungentem errare nunquam permittet, sic etiam S. Scripturæ infallibilis per omnia authoritas & integerrima in omnibus veritas non pendet ex omnimoda incorruptibilitate alicujus Editionis, sed ejus incorruptibilitas omnimoda in corde Ecclesiæ ita conservatur, ut cum opus fuerit, oportunè provideat, ipsosque codices corrigat & emendet.* Hæc Bannes.

nes. Et quid verbis opus est? Ipse Hieronymus, inquiunt, agnoscit & profitetur, se aliquoties in translatione suâ errasse, e. g. Isai. 19. *caudam incurvantem & refrænantem*, Quâ ergo fronte negari potest, ullum ab Interprete commissum errorem? Interpretes potuerunt errare. Hieronymus agnoscit suos errores. Et tamen non erravit. Hæc certè valde paradoxa sunt, quæ obtusa Belgarum pectora non capiunt. Quod enim Bellarm. ait, Ecclesiam (cujus judicium majus est judicio Hieron.) multa judicasse non esse mutanda, quæ Hieron. mutavit aut mutanda censuit in commentariis, frivolum est. Ostendere enim debuerat, quænam Ecclesia & quod concilium contra Hieronymum pronunciaverit. Certe nimis jejunum est quod addit, *certè non videtur casu factum sed judicio posteritatis vel potius ipsius Ecclesiæ.* Ubi enim extat tale judicium? Et quæ fuit, in magna illa barbarie, illa posteritas, quæ de Hieronymi laboribus potuit judicare? Certê non concilia potuêre. In iis enim, Bellarmino teste, aut nulli aut quàm paucissimi fuêre Ebrææ linguæ periti. Quod ad Tridentinos attinet, licet illic nonnulli fuerint linguarum periti, tamen nuspiam legimus, nuspiam narratur, versionem vulgatam cum fontibus, & Hieronymi commentariis, in iis quæ ipse castigavit, conferendi, & singula expendendi provinciam ulli fuisse demandatam. Et quàm grande hoc paradoxum, *Hieronymum inter vertendum majore & pleniore luce dum verteret, quam dum commentaretur, fuisse illustratum*, sicuti Ribera docet in Abd. num. 114. & Salmeron Proleg. 3. observat. 5. atque hoc Tridentinis post tot annos innotuisse, quamvis Hieronymo id fuerit ignotum. Plura huc possent accongeri; sed illud jam clare satis ostensum arbitor, non parvam esse illam difficultatem, qua Concilii Trid. decretum illi premunt, quoquot vulgatæ Editionis authoribus errores aliquot adscribunt, & proinde decretum illud cum certis limitationibus accipiendum esse tradunt. Neque est quod Serarius hic metuat, hæreticos, ægrè laturos, aut, culpaturos Romanam Ecclesiam, si in hoc negotio bonas adhibeant modificationes. Est magis cur metuat, ne Pontifex & duri-cervices isti Thelogi ipsum culpent, quod modificationibus istis decretum eludere satagat. certe si in Hispania esset, & rerum potirentur illi, de quibus Mariana conqueritur, non ferret impunè. Illud autem quorsum spectat, quod dicit hæreticos quoque suarum versionum authoritatem variè modi-

modificare & restringere? Quid enim? An unquam Reformatæ Ecclesiæ versiones suas declararunt authenticas? An unquam ullo decreto in ullo Euangelicorum cœtu cautum est, ne quis versionem ullam quovis prætextu rejiciat? Planè ergo alienè hoc adduci etiam illi judicaverint, qui nondum ære lavantur.

Sed alia aliunde exurgit tempestas. Namque plusquam decumanos fluctus illi excitant (& non infimi subsellii eos esse supra vidimus) qui textum Ebræum Judæorum malitia ullibi corruptum esse intrepidè & maximis rationibus negant. Sint in eo errores pauculi librariorum. Vulgata longè plures habet. Sed sint hac in parte pares. Illud tamen magnum fontium privilegium est, quod omnes uno ore Pontificii ipsis tribuunt, Sanctos illos homines, quorum opera in consignandis sacris literis Deus O.M. usus est, nusquam errasse, cum non solùm res, sed & verba ipsis dictarit. Vnde æquum esse colligunt, fontibus debitum manêre æstimium, addentes, concilio nihil minus fuisse propositum, quam vulgatam Editionem fontibus anteferre. Ita Bellarm. videtur sentire cap.10. lib.2. ubi mendacium impingit *Calvino*, aitque, decretum nulla fontium mentione factâ, vulgatam omnibus Latinis versionibus, quæ nunc circumferuntur, ante posuisse. Et Serarius cap. 19. quæst.12. concl.1. *Non antetulit Ebræis Græcisve fontibus Versionem Latinam Trid. Synodus.* Ita & Salmeron Proleg. 3. in secundâ disp. de Latinâ vers. Ita Mariana, Vega, Andrad. & alii. Sed quomodo hæc cum istis decreti verbis, *quovis prætextu*, conciliari possint, non vident illi, quos ceu fideliores decreti Interpretes suprà produximus. Et certè candidius illi agunt, laudandusque eorum candor est, qui sine verborum involucris dicunt quod sentiunt. Quid enim? Poteruntne in Ecclesia tolerari duo authentici textus, adeo inter se infinitis locis discrepantes? At eò adacti sunt moderatiores nostri Catholici. *Fontibus emendatis emendativam nostram Latinam, quoad sententiæ consensum, æquiparat rite Trid. Synodus*: inquit Serarius concl. 2. Et Gretzerus, *Sufficit nobis exæquatio, non postulatur prælatio*, pag. 537. Et pag. 563. *non puris fontibus prælata est sed summum æquata, quoad infallibilitatem fidei & morum doctrinam.* Sed quam sincerè Bellarm. & Gretzerus hic agant, judicet Lector ex iis quæ jam proferam. Bellarminus, dum Calvinum mendacii arguit, videtur fontibus nihil derogare. Dum etiam cap. 2. profitetur, *pauculos istos librariorum errores, qui in*

Sectio II. Difficultas 2.

in textum Ebræum irrepsère, non tanti esse, ut in iis quæ ad fidem & mores pertinent, Scripturæ integritas desideretur, videtur fontibus sic satis deferre. At cap. 11. postquam hanc posuit objectionem, *magis credendum esse quod verbum Dei illud sit, quod habetur in fontibus, quàm quod habetur in rivulis versionum,* ita respondet, *negari non potest quin fontes sint anteponendi rivulis, quando constat fontes non esse turbatos. Nunc autem fontes multis in locis turbidi fluunt.* Multis in locis, inquit Bellarm. id est quinque locis non enim plures ex fontibus Ebræis adduxit; Locis quinque, quæ tamen ipsomet confitente, Scripturæ integritatem non vulnerant. *Sustinet Bellarminus,* verba Sacrobosci & Gretzeri p. 576. *& fontes & versionem nostram in iis quæ ad fidem & mores pertinent esse incorrupta,* ac proinde authentica. Cur ergo negat fontes esse anteponendos? Cum extra controversiam sit, sacros scriptores in scribendo nunquam errasse, ut de aliis fontium prærogativis taceam. Gretzerum quod attinet, quoties purorum fontium meminit, iisque vulgatam statuit coauthenticam, ludere videtur. Non enim definit, utrùm in iis quæ ad fidem & mores pertinent, puri sint nec ne, nec apertè Bellarmini sententiam probat vel improbat. At pag. 541. responsurus Witakero, qui ait Pontificios nolle, ut Latina Editio ad fontes examinetur, sic ait, *Quod verò subjungit, nos nolle nostram versionem ad fontes examinari, per fontes intelligens eos codices Græcos & Ebræos qui modo habentur, jure id facimus. Non enim constat eos cum suis fontibus, id est, primis exemplaribus convenire, quibus tamen conformem esse nostram versionem nos certos facit Ecclesia. Itaque sicubi exemplaria Ebræa aut Græca discrepant à Latinâ, quod attinet ad fidei & morum dogmata, ea potius ad Latinam, quam istam ad illa comparandam & conferendam esse dicimus.* Et pag. 1061. *Sicubi sit dissensus inter Fontes & vulgatam, dicam potius corruptum esse textum Ebr. quàm versioni inesse vitium. Et hoc dicam innixus Ecclesiæ columnæ & firm. veritatis, quæ hanc versionem ut authenticam repudiari nullo prætextu sinit.* Quid censes Lector, Estne hoc Latinam fontibus æquare an præferre? Quicquid enim ad aliud ceu normam & regulam corrigitur, id non authenticum sed normæ authenticæ obnoxium, non norma, sed (sit venia verbo) normatum est. Et quid hoc, quæso te, est, non constat Pontificiis, fontes, prout hodie extant, cum primis exemplaribus convenire. Quare? *Quia non habemus,* inquit Gretzerus p. 537. *ejusmodi decretum de fontibus, prout hodie*

extant. At unde constat illis, Latinam Editionem iis esse conformem? Ex judicio Ecclesiæ. *Quia habemus judicium Ecclesiæ,* inquit idem p. 537. *& decretum, eam nunquam à mente Sp. sancti deviare,* &c. *Itaque si, quod ad dogmata fidei vel morum, fontes à vulgatâ discrepent, intrepidè eam hujusmodi fontibus præferimus.* Sed iterum hic rogandus est Jesuita, unde constet Ecclesiæ de tali conformitate Latinæ Editionis cum primis fontium Exemplaribus, an ea unquam inspexit Trid. Synodus? Hæc enim est Ecclesia. Non putem. *Libri enim Canonici,* teste Bannes in 1. partem Thomæ quæst. 1. art. 8. *quos sacri scriptores suis manibus exararunt, non habentur in Ecclesiâ Christi. Nec est necessarium ut hujusmodi libri materiales in Ecclesiæ Christi deposito permanerent.* Quod si dixeris cum eodem Bannes, Sacram scripturam primariò esse in corde Ecclesiæ, atque ita Ecclesiam Tridenti congregatam potuisse de hac conformitate Latinæ cum primis exemplaribus judicare, quærendum esset amplius annon eadem operâ de conformitate fontium, prout hodie extant, cum iisdem primis exemplaribus potuerit judicare, & si potuit, cur non fecerit? Sed expediam me, ubi unum insuper locum ex Gretzero addidero ex Append. 2. ad lib. 2. Bell. pag. 1055. *Certum esse debet,* inquit, *ob infallibilem Ecclesiæ authoritatem, si quando vera & realis incidit dissonantia, quod ad dogmata fidei & morum attinet, Latinæ versionis & Hebr. sive Græci textus, Ebræum textum corruptum, Latinum verò sincerum & intaminatum censeri oportere.*

[A quo non diversus abit Lud. de Tena, qui in eos arietans, qui asserunt per Decretum Trid. fas esse subinde ad fontes recurrere, sic inquit, *Quæ si vera essent, sequeretur vulgatam nihil majoris certitudinis quoad nos; aut approbationis à concilio accepisse ac antea habebat, sed esse cuique liberum ab ea discedere, sub prætextu discordandi ab Ebræo vel Græco textu, & ita non esset satis consultum liti, quæ in hoc agebatur: cum non solum esset de discordia Latinarum Editionum inter se, sicut falso supponit Serarius in Proleg. c. 11. qu. 12. sed etiam de dissensu à Græco aut Ebræo: imo hanc litem quæ frequentior erat, voluit Trid. Concilium sedare & quieti communi consulere.*] Sed ut redeamus ad Gretz.

Iterum tuum appello judicium Lector, utrùm hoc sit Latinam fontibus æquare, an verò potius præferre. Et iterum, utrùm sincerè agat Gretzerus, dum ejusmodi conditionem semper crepat, sine ulla assumptione, quâ eandem vel tollit vel ponit. Ego

hæc solummodo afferre volui, ut ostenderem, quantarum difficultatum materiam famosum illud decretum Doctorum cathedris suppeditaverit. Sic enim statuendum arbitror, *Aut Latinum interpretem*, accommodabo hùc verba Andradii, *sensus à Sp. Sancto in Sacris literis consignatos, aptè fideliterque reddidisse*, aut ita se gessisse, *ut minimè in ejus sit nobis interpretatione, sed in Ebraïcis voluminibus acquiescendum. Quod si fidelis interpretis munus pro dignitate obivit* (id quod necessariò statuendum, si decreto Trid. sua constabit ratio & authoritas) *vitiatos profectò & corruptos Ebræos codices esse plurimis in locis necesse est, cùm diversam plerunque à Latinis sententiam contineant, sin integri illi sunt & incorrupti, in summâ quidem maximarum rerum ignoratione Christi Ecclesiam versari, crassissimisque tenebris involutam esse confiteamur oportet, cum integris incorruptisque exemplaribus huc usque caruerit, &c.* Hæc ex Andradio.

SECTIO III.

Difficultas 3. & 4.

Restant duæ insuper aliæ difficultates, quas movet Bannes, pag. 48. col. 2. Prior, *Ecclesiam Græcorum non habere scripturam sacram in Editione authenticâ, ex cujus testimonio certò & infallibiliter argumentamur. Quoniam Tridentina Synodus Latinam Editionem duntaxat tanquam authenticam pronunciavit.* Hanc auget Andradius f. mihi 363. *Christi Ecclesia*, inquit, *quæ á Rom. Pontifice Romanæ nomen accepit, non exiguis occidentis finibus, quibus Latina Editio familiaris est, continetur, sed per omnes hujus universitatis oras dispersa, omnes gentes & nationes, quæ Christo Jesu nomen dederunt, continet. Neque enim ad illam magis Itali, Galli, Germani & Hispani, quam Scythæ, Indi, Græci, Brachmanesque pertinent, dummodo Christum verâ fide prosequantur: & tamen Latinam linguam cum non intelligant, in vulgata Editione sunt prorsus surdi. Vnde sanè fit, ut si sacram script. veram incorruptam in solâ esse vulgatâ Editione putemus, maximam atque amplissimam Ecclesiæ partem illius splendore spoliemus. —— Quare qui Græcos Latinosque codices de Hebræis supplendos emendandosve esse contendunt, non quidem ab Ecclesiâ ad externos* (*ut quidam putant*, Canum perstringit) *sed ad ipsammet Christi Jesu Ecclesiam provocant, & ab eâdem illi ipsi præsidia comparant.* Posterior, apud eundem Bannes loco eodem, his verbis proponitur *Ante prædictam Concilii Trident. definitionem non fuisse Theologis certum argumentum ab authoritate sacræ scripturæ, si quidem non habebant authenticam Editionem, unde sacra verba desume-*

rent. Hoc negabit Gretzerus, qui passim docet, vulgatam semper in se fuisse authenticam, eamque authoritatem acquisivisse à Deo, interpretis manum & calamum ita dirigente, ne USPIAM à spiritus sancti mente aberraret; Concilium verò nihil fecisse aliud, quàm quod eam authenticam declaraverit & promulgaverit, pag. 537. At regerit Bannes, ex sua sententia, *Vulgatam majoris authoritatis esse propterea, quod ab Ecclesia ut authentica approbata est, quam proterea quod Interpres spiritum quasi propheticum habuerit*, p. 56. col. 2. At ego παχύς τις ὤν, non capio, quomodo concilium potuerit hanc versionem declarare authenticam, nisi statuamus, Latinum Interpretem, qui certè homo fuit, extraordinariè à lapsu præservatum fuisse, Deo mentem ejus illuminante & calamum dirigente. Difficultatem hanc auget Serarius, & cum eo alii, dum vulgatam Editionem simpliciter declaratam authenticam & fontibus æquatam negat, *ea quæ vulgatæ Editioni à Trid. Synodo tribuitur authoritas, non est infinitè accipienda, sed definitè, certis cum modificationibus* pag. 117. col. 1. Inter eas modificationes prima est, *ut versio hæc sit emendata vel potius emendatissima*, col. 2. Et Paginâ 115. col. 1. *rectissimè huic vulgatæ nostræ versioni, sed emendatæ tributam ab eodem concilio auctoritatem. Dixi, sed emendatæ*, pergit Serarius, *quia de tali loquitur concilium, ut ex eâdem perspicuum sess. 4. dum decernit, ut hæc deinceps quam emendatissimè imprimatur.* Addit, idem monuisse Andradium, Vegam, Salmeronem, Gregorium de Valentia, &c. Verba Andradii, quibus Kemnitium arguit, hæc sunt, *neque enim potuit non illam decreti partem perlegere, quâ S. Synodus statuit, ut posthac sacra Scriptura, potissimùm hæc ipsa vetus & vulgata Editio, quàm emendatissima imprimatur, ut demonstraret illam à se vulgatam Editionem solùm approbari, quæ ab omnibus sit erratis summâ diligentiâ expurgata.* Equidem illa quoque juxtà tecum verba lego, Andradi, sed nec in eodem, nec hunc immediatè sequente, sed in alio decreti articulo, qui ad solos impressores primario spectat. Sic enim habent verba,

Sed & impressoribus modum hâc in parte, ut par est, imponere volens, jam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quicquid libet, sine licentiâ superiorum Ecclesiasticorum, ipsos S. Scripturæ libros & super illis annotationes & exposi-

tiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & quod gravius eſt, ſine nomine authoris imprimunt, alibi etiam impreſſos hujuſmodi libros temerè venales habent, decernit & ſtatuit, ut poſt hac ſacra ſcriptura potiſsimùm verò hæc ipſa vetus & vulgata Editio quàm emendatiſsimè imprimatur, nullique liceat imprimere vel imprimi facere quoſvis libros de rebus ſacris, ſine nomine authoris, neque illos vendere, &c.

Equidem falli poſſum, nec pertinax ero, ſi quis errorem mihi monſtrârit: Puto tamen Pontificios nunquam cogitaturos fuiſſe de arripiendis his voculis, *quàm emendatiſsime imprimatur*, niſi Reformati Theologi hoc decretum tot difficultatibus & abſurdis urſiſſent. 1. enim hic articulus ad impreſſores ſpectat. Docet hoc exordium. 2. Exigit ut in excudenda vulgatâ Editione Typographi ſingularem curam gerant, ut quàm emendatiſſimè ſine vitiis Typographicis excudatur. 3. Hoc ipſum exigit ab iiſdem in excudendis etiam aliis Editionibus S. Script. puta, Bibliis Ebræis, Græcis, Verſione Pagnini, ſic enim dicit, *ut poſthac ſacra ſcriptura, potiſsimùm verò hæc ipſa vulgata Editio, quàm emendatiſsimè imprimatur.* Exigit itaque, ut etiam aliæ Editiones quàm emendatiſſimè excudantur. 4. Agit inſuper hic articulus etiam de aliis libris, commentariis, &c. 5. Nihil promittit hic articulus de emendatione, recognitione, aut reviſione vulgatæ aut alicujus alterius Editionis, authoritate Sedis Apoſtolicæ, inſtituendâ. 6. Illud à Typographis exigit hic articulus, quod in ipſorum poteſtate eſt, quod ipſorum officii eſt. At vulgatæ Editionis correctio ad ſedis Apoſtolicæ curam pertinet, inquit Præfatio in Editionem Clementinam. 7. Non interdicit hic articulus Typographis Editione vulgatæ verſionis, uſque dum emendatiſſimam eam daret Sedes Apoſtolica, id quod videtur decernendum fuiſſe, ſi hæc verba, *quàm emendatiſsimè imprimatur*, ad ſolos Typographos correctores & Typographiarum Inſpectores non ſpectant. 8. Delecti Cardinales in Decreti hujus expoſitione nihil tale meminerunt, quod tamen prætermitti non potuiſſet, ſi eodem modo articulum iſtum interpretandum cenſuiſſent. 9. Bellarminus de Sacr. Euchar. lib. 4. cap. 24. ad locum 1. Cor. 10. diſputans, ſic

sic inquit, *Concilium Trid. non statuit recipiendam quamlibet lectionem vulgatæ Edit. sed eam quam constat esse lectionem vulgatæ Edit. Alioqui non jussisset idem concilium vulgatam Edit. quàm emendatissimè imprimi.* Non dicit, *Apostolicâ authoritate corrigi*, sed simpliciter *imprimi*. Istæ rationes me movent, ut putem, decreti hujus authores, tunc cum illud rogabant, non ita hæc verba accepisse, nec etiam sic accipi posse, ut Serarius aliique, difficultatibus tantis pressi, ea accipiunt. Sed gratificemur hic Serario & cæteris Pontificiis, demusque hæc verba istum, quem illi volunt, habere sensum, annon inde sequentur hæc consectaria? 1. Versionem authenticam in concilio nominatam seu declaratam esse, antequam extitit, ineptamque proinde esse ac planè ridiculam illam delectorum Cardinalium decisionem, de quâ supra. 2. Quamdiu versio illa in mendis suis cubuit & non fuit emendatissima, Romanam Ecclesiam caruisse authenticis verbi divini tabulis. 3. Ecclesiam eandem ne nunc quidem authenticam habere Sacrarum literarum Editionem, cum necdum sit emendatissima. 4. Nimis probabiliter, nimisque verisimiliter astrui, plurimùm quoque errare potuisse, atque errasse à vero eandem, cum, quam sequeretur certò constanterque in veri investigatione ac dijudicatione, Cynosuram ac normam non haberet, ac indubitato authenticoque textu careret. Et quidem hæc ex sequentibus clariora ac liquidiora evadent. Adeo verum est vetus illud,

Incidit in Scyllam qui vult vitare Charybdin.

CAP. IX

SECTIO I. *Primi consectarii probatio. Vulgatam Editionem pronunciatam esse authenticam XLVI. annis antequam extitit. Tot enim anni intercesserunt, antequam prodiit emendatissima. Historia partitudinis istius.* Lucas *Brugensis.* Sixtus *V. quâ Papa, anno 1590. dedit Editionem emendatissimam. Ejus Bulla & insueta in corrigendo diligentia.* SECTIO. II. Clemens *VIII. biennio post aliam Editionem dedit, infinitis locis à Sixtinâ discrepantem, eâque emendatiorem. Ejus fraudes & imposturæ, ne in* Sixto *periclitaretur Pontificis infallibilitas.* Th. Jamesii *Bellum Papale. Ostenditur, nulla veritatis specie dici posse, ea quæ in Sixtinâ emendavit Clemens, vitio præli in Sixtinam irrepsisse. Hoc*

evidenter ostenditur. Item de Sixti *curiosâ diligentia. Excutitur Bulla* Sixti. *Inscriptio in Vaticana* Sixto *V. posita. Variorum Pontificiorum varia de hac geminâ Editione judicia. Lepida* Catharini *adversus* Cajetanum *disputatio.* Alponsi de Castro *judicium liberum de infallibilitate Papæ. Atque ita hoc capite & seqq. ostenditur, quantis difficultatibus ipsi Pontifices,* Sixtus *&* Clemens *hoc decretum involuerint, id quod quintum fuit in fine cap. 4. propositum.*

SECTIO I

Primi consectarii veritas liquido apparebit, si observetur, hanc emendatissimam Editionem XLVI. post factum hoc decretum anno, demùm prodiisse. Quadraginta enim sex integris annis Ecclesiam Romanam hanc Editionem parturivisse liquet ex Præfatione ad Editionem Clementinam. Decretum hoc rogatum est anno 1546. Ex eo *Pius IV. & post Pius V.* verba Præfationis, *in hac emendatione laborârunt, negotio dato lectißimis aliquot Rom. Ecclesiæ Cardinalibus. Verùm conventum istum ob gravißimas Romanæ Sedis occupationes* (poteſtne ergo major esse hâc occupatio?) *jamdudum intermissum, Sixtus V. ad Pontificatum evectus revocavit & opus tandem confectum publicavit*, anno Domini 1590. Habes intervalum XLIV. annorum. Monstri simile est, utor verbis Rev. Mortoni, versionem aliquam pronunciari & decerni authenticam, priusquam sit & extet emendatissima, illudque perinde esse ac si quis infantem in utero matris baptizare præsumeret, quod tamen legibus Pontificiorum prohibetur. Nec video ego, cur non etiam ex his fluat consectarium illud secundum, *Tot annis Ecclesiam Rom. sine authenticis Scripturæ tabulis fuisse, aut habuisse tabulas corruptißimas pro authenticis.* Si prolubium est scire, quantam corruptelarum copiam suo judicio sustulerit Sixtus V. non suaserim, ut ejus Editionem cum pejoribus conferas, molestum enim nimis hoc esset: Compendifecit tibi laborem istum *Lucas Brugensis* Theol. & Decanus Pontificius, in libello cui titulum fecit, *Romanæ correctionis*
Fol. 361. *loca aliquot insigniora.* Magna fuit hujus correctionis expectatio. * *Cum ab Apostolica sede*, inquit Andradius, *veterem vulgatam Editionem quàm emendatißimam acceperimus, omni erimus curâ & dubitatione liberi.* Compotem ergo hujus voti Ecclesiam Rom. tandem Sixtus V. fecit. Et ne ullus Catholicorum animis relinqueretur scrupulus,

in Præfatione seu Bullâ suæ isti Editioni præfixa primo asserit Sixtus, Ad se pertinere negotium emendationis. *Ad nos*, inquit, *in ejusdem Petri Cathedrâ in quâ ejus vivit potestas excellit authoritas, Deo sic disponente, constitutos, totum hoc judicium propriè ac specialiter pertinet.* Cui concinit is, qui in Editionem Clementinam biennio post editam præfatus est, Is enim expressè dicit, *executionem generalium conciliorum, ipsamque scripturarum integritatem & puritatem ad curam Apostolicæ sedis potissimum pertinere.* Et Gretzerus p. 1059. *Sacrarum literarum*, inquit, *ultima & authentica emaculatio & recognitio primariò pertinent ad sedem Apostolicam* Secundò asserit Sixtus, se nihil intermisisse aut neglexisse, quod faceret ad hujus emendationis promotionem, *Adeo ut*, pergit in præfatione Sixtus, *in hoc laboriosissimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum deligendo.* Addit, se *aliquot Romanæ Ecclesiæ Cardinales & insigne collegium doctissimorum virorum, fere ex omnibus Christiani orbis nationibus & celeberrimis studiorum generalium Universitatibus, amplis opulentisque reditibus dotatum in societatem hujus laboris & curæ coöptasse, & ad rem illam felicius perficiendam, quamplurimos codices Latinos, tam impressos quàm manuscriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curasse.* Tertiò, ne quis putaret eum solummodo directorem & ἐργοδιώκτην hîc fuisse, ait se quoque manus huic operi admovisse & quidem *summâ diligentiâ.* Angelus Roccha Bibliothecæ Vaticanæ præfectus, p. 227. Bibliothecæ Vaticanæ, ei hoc perhibet testimonium: *Quarta quæ sequitur Inscriptio*, inquit, *ingentem indicat curam & verè Pontificiam, quam Sixtus V. toto suscepit conatu pro Bibliis vulgatæ Editionis emendandis & imprimendis, juxta Concilii Trid. præscriptum. Quâ in re præstandâ tot ac tantos die noctuque perpessus est labores, quantos nemo unquam verbis exprimere posset, ut mihi persuadeo. qui hujus generis labores re ipsa videns non semel tanquam oculatus testis obstupui. Universa enim Biblia, antequam prælo committerentur, ad verbum perlegit, etiamsi quotidie in omnes totius Christiani orbis curas, & gravissimas quidem, totus incumberet. Si igitur paginam perlegit universam & emendavit: atque ita ut omnes sacri codices juxta ejusdem concilii decretum cum omnibus suis partibus legantur, prout in Ecclesiâ Catholicâ legi consuevêrunt, & in veteri vulgatâ Latinâ Editione habentur. Nec eo contentus, universa item Biblia sic emendata & recenter impressa de in-*

integro perlegit, ut omnia fideliter recognita in lucem prodiret. Hæc Roccha, oculatus testis. Ipse Sixtus V. in Bulla sua, *Eaque res,* inquit, *quò magis incorruptè perficeretur, nostrâ nos ipsi manu correximus si qua prælo vitia obrepserant.* Quartò, ne quis desideraret infallibile Pontificis judicium, *Ad laudem,* inquit, *& gloriam omnipotentis Dei, hac nostra perpetuò valiturâ constitutione de venerabilium Fratrum nostrorum Cardinalium deputatorum consensu & consilio, de certa nostrâ scientiâ, & Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus & declaramus, eam vulgatam sacræ, tam veteris quam novi Testamenti, paginæ Latinam Editionem, quæ pro authenticâ à Concilio Tridentino recepta est, sine ulla dubitatione aut controversiâ censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in Vaticanâ Typographia impressam, in universa Christiana Rep. atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes eam, prius quidem unerversali sanctæ Ecclesiæ ac SS. Patrum consensione, deinde verò Generalis Concilii Tridentini decreto, nunc etiam Apostolicâ nobis à Domino traditâ auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica & indubitata, omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus prædicationibus & explanationibus recipiendam & tenendam esse* Adeò quidem ut expressè sanciat, *Bibliorum codices juxta hoc suum exemplar in posterum exprimendos esse, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta: cætera verò exemplaria tam manuscripta quam impressa ejusdem vulgatæ Editionis, quæ vel ob characterum vetustatem, seu ob aliquod insigne codicis ornamentum, sive ob impreßionis præstantiam, vel ob marginales notas asservantur ad hoc emendentur: Alias ea in iis quæ huic Editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullam authoritatem habitura esse.* Quin insuper *majoris excommunicationis sententiam, à qua nisi mortis articulo constitutus ab alio quam pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi non poßit,* ei denunciat, qui ad hanc suam Editionem Biblia sua non correxit.

Totam hanc Bullam in fine hujus tractatus Lectori repræsentabimus.

SECTIO II.

Atque ita vidimus quam strenue Sixtus gesserit, Pontifex errare nescius, infallibilis judex in negotio ad Apostolicam sedem primariò & propriè pertinente. Certè credidissent omnes Catholici, versionem suam jam ab omnibus erroribus esse emendatissimam, nisi *Clemens VIII.* ipsorum conscientias turbulentasset. Is enim biennio post, Anno * 1592. cum jam Sixtus mortalitatem ex-

* Nunc habes, Lector, XLVI. annos.

plef-

plesset & in fata quoque concessissent *Vrbanus VII. Gregorius XII.* & *Innocentius IX.* aliam Editionem Bibliorum procuravit, jussu suo recognitam, quamplurimis locis auctiorem, in plurimis mutilatam, in multis contrariam adeoque diversam, ut diversæ versiones non immeritò censeri possint. Ostendit hoc ad oculum Rev. Theologus Thomas Iamesius, amicus noster benemeritus, Bodlæanæ Bibliothecæ Proto-Bibliothecarius in Acad. Oxoniensi, qui utramque Editionem, Sixtinam & Clementinam, diligentissimè inter se contulit, variantibusque utriusque lectionibus volumen sic satis crassum explevit, cui titulum fecit, *Bellum Papale.* Quo in libro præter innumeras varietates ad bis mille lectiones produxit, quæ à *Sixto* authoritate Apostolicâ adversus Ebræam & Græcam veritatem confirmatas, Clemens eâdem authoritate refinxit & ad fontes reformavit. Cum autem animadverterent Romani Patres, hinc accepturos Hæreticos oppugnandæ Pontificiæ vel infallibilitatis vel sanctitatis argumenta, de velamento, quo hoc Ecclesiæ Rom. pudendum tegeretur, cogitarunt. Conversus ergo ad dolos & fraudes Papa Clemens, Bullæ Sixti V. in perpetuum exilium actæ (in nullis enim Editionibus ea amplius comparet) suam ipsius Sanctionem substituit, & tamen hæc nova *Clementis* VIII. recognitio & Editio in *Sixti* V. nomen data est. Idem mansit titulus *Biblia S. vulgatæ Edit. Sixti V. Pontificis M. jussu recognita & edita* Et quomodo Sixti? Annon ille 1590. suam Editionem a Clementinâ immensum discrepantem publicaverat? Audi figmentum. *Sixtus* V. inquit Præfatio in Clementinam, *hoc opus tandem confectum typis mandari jußit. Quod cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in S. Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur, totum opus sub incudem revocandum censuit & decrevit. Id verò cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIII. qui Vrbano VII. successerat, perficere aggessus est, amplißimis aliquot Cardinalibus, aliisque viris doctis ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque & qui illi successit, Innocentio IX. brevißimo tempore de hac luce subtractis, tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. opus in quod Sixtus V. intenderat, Deo bene juvante, perfectum est.* Et Gretzerus p. 1058. appendicis ad librum 2. Bellarm. de V. D. *Biblia priora,* inquit, *quæ Sixtus ediderat, ipsemet Sixtus sub incudem revocare & accuratus recognoscere decreverat, offensus mendarum, quæ irrepserant,* mul-

multitudine. Quam tamen cogitationem suam praepropera morte abreptus, reipsa perficere non potuit. Quod ergo Sixti consilium imperfectum mansit, tandem Clemens perfecit, & mentem voluntatemque Sixti ad rem contulit, recognitis illis Sixtinis Bibliis, Quae causa cur & Sixti nomen praescriptum gerant, &c. Videris praetextum Clementinae correctionis. Vitia illa, si illis credimus, quae Clemens sustulit, fuerunt Typographica & praeli vitio in Sixtinam Editionem irrepserant, ac proinde ea suppressa fuit. Licet enim hoc expresse non dicat Praefatio, tamen non obscurè innuit, dum inquit, *Quod opus cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret.* Non dicit, *cum jam esset excusum & in lucem emissum & Bullâ praemunitum.* Videtis, inquam praetextum, sed nimium quantum pellucidum. Quis enim credat, chiliadas sphalmatum praeli vitio in eam Editionem irrepsisse, quam adeò inusitatâ diligentiâ Sixtus procuraverat, quam Sixtus, antequam praelo mandaretur, à capite ad calcem perlegerat, quam emendatam & recenter impressam de integro perlegerat, ut omnia fideliter recognita in lucem prodirent, quae & de se Sixtus in Bulla, & de eo Roccha testatus est. Quis credat tot sententias & voces praeli vitio in Sixtinam irrepsisse, quas Clemens sustulit, E. gr. 1. Sam. 24. 8. & 25. 6. & 2. Sam. 6. 12. & 8. 8. & 19. 10. Prov. 24. vers. ult. Hab. 1. 3. Math. 24. 41. Act. 14. 6. Et contrà tot ex Sixtinâ ejectas, quas Clemens restituit, ut Num. 30. 11. Lev. 20. 9. Jud. 17. 2. 3. Prov. 25. 24. Math. 27. 35. 2. Chr. 2. 10. Quis sibi persuadeat, tot contrarietates praeli vitio admissas, ut Deut. 17. 8. Jos. 2. 18. & 11. 19. tot denique & tantas diversitates in numeris. Certè nisi haec loca multis retrò saeculis variè fuissent lecta, persuaderi hic praetextus imperitioribus paulo facilius potuisset. At dum nulli fere loco manum admovit *Sixtus*, nisi ubi librariorum incuria atque ex eam nata Lectionum diversitas Lectorem tenebant suspensum, & de veriori lectione dubium, ubi necessitas postulabat, ut una aliqua authoritate Apostolicâ signaretur, dum passim Editionem Lovaniensem sequitur, quis credet in tam multis locis Typographica negligentia Editionem Sixtinam discrepare ab ipsius Sixti mente, quam Clemens sua se Editione dicit expressisse? Quin &, unde constabit nobis de hac Sixti mente & intentione? An reliquit ullas hac de re lucubrationes? Unde sciam, Sixtum, si supervixisset, Biblia sic correctu-

ctorum fuisse, ut Clemens correxit? Vnde liquet hoc votum & desiderium Sixti, quod solum Bello Papali Jamesii opponit Gretzerus? nimis elumbis est hæc responsio in re tam seriâ. Aliis defensoribus hæc causa eget. Dicam aliquid amplius. Editio Sixtina ex Pontificis istius unde denominatur, mente adeò prodiit emendata, ut in exemplaribus ejus, 26. locis, errata præter Sixti intentionem inter excudendum à Typographis commissa, partim calamo, si erratum fuit leviusculum, partim recusis novis vocabulis iisque voci mendosè excusæ superimpositis, & agglutinatis ubi videlicet difficilior fuisset correctio per calamum, sublata sint. Eorum catalogum in Præfatione Belli Papalis recensuit *Th. Jamesius.* E. g. Judith. 1. 2. excusum erat in Sixtinis, *in latitudinem.* Hoc vel per errorem Typographi factum fuit, vel ipse Sixtus post excusum hoc folium mutavit sententiam. Jussit ergo iisdem characteribus in minutis chartulis excudi, *altitudinem*, easque in exemplaribus, antequam distraherentur, voci alteri jussit imponi, id quod per ejusmodi pultem, qua librorum compactores utuntur, adeo artificiosè erat factum, vix ut animadverti potuerit correctio. Quis ergo dicet illud *in altitudinem* præli vitio in Sixtinam irrepsisse? Et tamen Clemens in suam Editionem revocavit vocem *latitudinem*, quam Sixtus superimposita voce *altitudinem*, tegi & expungi jusserat. Quod si præter hæc 26. errata, tantus insuper numerus occurrisset Sixto, proculdubio universam Editionem suppressisset. Cur ad hoc nihil respondet Gretzerus? Cur hic pisce mutior? Prodiit in lucem hæc Editio, præfixa Bulla, jussi sunt omnes Typographi hanc editionem in posterum sequi, ne minimâ quidem particula mutata, addita vel detractâ, jussi sunt omnes docti juxta eandem suos codices corrigere, dispersa sunt exemplaria in omnes Christiani orbis provincias, & credemus Clementi & Gretzero, chiliadas sphalmatum præli vitio irrepsisse? Aut enim observavit ipse Sixtus hæc sphalmata, ante Bullam editam, vel post. Si ante, tunc certè oportet hominem eum fuisse valde temerarium & profanum. Quis enim prudens decernet Editionem aliquam esse emendatissimam, jubebitque eam ad minimas usque particulas recipi, quam scit in millenis aliquot mendis cubare, quarum nullam annotat? Si post; tunc certè larva detracta est omnibus Pontificum bullis, tunc mendacem & vanum hominem si quis Sixtum vocaret, non longe à veritatis re-

regione aberraret. Quid enim, quæso te, esset fallere, si hoc non esset, *de certa scientiâ & Apostolicæ potestatis plenitudine statuere & declarare, vulgatam Editionem quam Tridentini pro authenticâ receperunt, sine ulla dubitatione aut controversia censendam HANC IPSAM veram, legitimam, authenticam & indubitatam, &c* Item profiteri, se sua manu correxisse, si quæ præli vitio obrepserant? Et quid magis stultum & ridiculum, quàm anathema denunciare omnibus, quicunque huic mendosissimæ Editioni sacramento dicere detrectabunt. Valeant ergo hæc κενοφύγελα.

Non obtusa adeo gestamus pectora Belgæ. Fefellit Catholicos Clemens, & pia fraude hic usus est. Adeo ut hic periclitetur in Sixto Pontificum infallibilitas, & in Clemente eorundem sanctitas. Quod enim ad Sixtum attinet, certa res est eum turpiter errasse, non quâ privatus doctor est, sed quâ Pontifex, vid. in negotio *ad Apostolicæ Sedis curam*, ipsis Papistis testibus, *primariò & propriè pertinente*. Videbat hoc Pontificius ille Doctor, quem citat Jamesius in Apologiâ Belli papalis? Is enim ingenuè confitebatur, Biblia illa Sixtina planè & omnino ad mentem Sixti fuisse edita; fuisse eum hominem præcipitis judicii, indulgentem affectibus, iracundum, tenacem propositi, ac proinde obnoxium erroribus: eum hoc habuisse propositum, ut hæc sua Editio esset authentica, à qua provocare nefas esset, etiam usque ad minimum jota & accentum. Quod decretum, inquiebat idem Doctor. si processisset, Periclitata fuisset, Papæ, supremi controversiarum judicis, infallibilitas, & jam triumphassent hæretici, Papam in rebus ad fidem pertinentibus in judicando errare posse, quo semel concesso, actum de Papatu fuisset. Dicebat itaque, Deum misertum Ecclesiæ suæ, præservando visibile ejus caput ab omni erroris periculo, bonum illum Sixtum, antequam animi sui consilium explere potuerit, rebus humanis exemisse. Sed & hic prætextus pellucet. Superavit enim Sixtus Editioni suæ. Biblia edita à capite ad calcem relegit, &, quæ vitio præli irrepserant, menda, ipse sua manu correxit, atque ad ejus correctionem, omnia exemplaria, partim calamo, partim eo, quem suprà diximus. modo, correcta sunt, antequam foràs prodirent, quorum 4. vel 5. sic correcta Jamesius se in Anglia vidisse affirmat. Ipse insuper bullam præfixit suam, atque in eâ statuit, vulgatam Editionem *censendam hanc ipsam*, inquit, *quam jam EVVL-*

GAMUS. Ecce dicit se evulgare, evulgat bullam, approbant omnia delegati Cardinales, distrahuntur exemplaria, eidem in Vaticano aureis literis positum hoc Elogium, *Sacram paginam ex Concilii Trid. præscripto quàm emendatissimam divulgari mandavit, &c.* & interim jubemur credere, illum non evulgasse sua Biblia. Puduit hujus effugii ipsum Gretzerum, dum inquit, *Clementem priorem Editionem, quæ sub Sixti nomine* PRODIERAT, ABOLEVISSE, p. 1059. Caditque adeo illud quoque quorundam commentum Biblia quidem illa fuisse edita, Bullam paratam, at non fuisse publicatam, intercedente nimirum Cardinalium collegio. Ita sibi à quodam Pontificio Doctore, cui nomen *Bagshaw*, responsum narrat D. Jamesius, qui & plateam & domum nominat, ubi hac de re collatio fuit instituta. Sed & illud friget. Distracta n. fuit illa Editio, nullo intercedente, nullo revocante aut recolligente exemplaria. Nec etiam Gregorius XIV. nec Vrbanus VII. nec Innocentius IX. quicquam tale tentarunt. Doctor *Bishop*, ipse Pontificius, agnoscebat decretum, sed ajebat hoc fuisse decretum Sixti non quà Pontificis; sed quà privati Doctoris. Ex quo & illud scire velim, annon & hoc magno cum Ecclesiæ Rom. periculo asseratur, Pontificem ita posse errare, ut putet adeoque in Bulla declaret, se, quà Pontificem, aliquid decernere & definire, cum interim privati tantùm Doctoris munus explet. Nec enim dicet quispiam, privati Doctoris esse Bullas edere, ex Apostolicæ authoritatis plenitudine decernere, declarare, denunciare anathema, &c. *Hæc enim ex Doctorum sententia*, inquit * Marsennus, *signa sunt, Papam ex Cathedrâ ut Papam loqui, Si contrarium sentientes anathemate feriat, vel cum rem, quam definit, toti Ecclesiæ proponit acceptandam, vel cum ait se ex consilio fratrum definire, tunc illa definitio à sede Apostolicâ oriri dicitur.* Sed & hujus distinctionis subtilitatem (quà Papa, & quà privatus doctor) si ego me non satis capere dixero, habebo meæ hebetudinis socium, non incelebrem illum Cajetani adversarium, *Catharinum*, Episcopum Compsensem. Ille enim castigaturus Cajetanum, qui ad Math. 14. asserebat, Herodem contristatum fuisse quà Rex erat, non quà Herodes, *Ego verò*, inquit, *picturam hanc non perspicio. Si enim verè contristatus est rex, & Rex est Herodes, cogor fateri juxta meam Logicam, etiam tristatum fuisse Herodem. Et, Herodes vult occidere Johannem, Rex vult occidere.* Et si

* pag. 919. comm. in 8. priora cap. Gen.

Rex

Rex fingit nolle se occidere Johannem, etiam Herodes fingit. Vt Herodes rex, sic Sixtus est Papa. Si Sixtus erravit, etiam Papa, qui tunc erat, erravit. Si Papa, qui tunc erat, erravit, etiam Sixtus erravit. In societatem hanc etiam coït animosus ille Hæreticorum malleus Alphonsus de Castro, qui l. 1. cap. 3. *Omnem hominem etiam in fide errare posse*, dicit, ETIAM SI PAPA SIT. *Nam de Liberio Papa constat fuisse Arrianum & Anastasium favisse Nestorianis, qui historias legerit non dubitat. Quod autem alii dicunt, eum tunc non esse Papam, ac per hoc affirmant Papam non posse esse hæreticum, est in re seriâ verbis velle jocari. Ad hunc enim modum posset quis citra impudentiam asserere, nullum fidelem posse in fide errare. Nam cum hæreticus fuerit, jam desinet esse fidelis. Non enim dubitamus, an hæreticum & Papam esse, coire in unum possint, sed id quærimus, an hominem, qui aliàs in fide errare potuisset, dignitas pontificialis efficiat à fide indeviabilem. Non enim credo aliquem esse adeò impudentem Papæ assentatorem, ut ei tribuere hoc velit, ut nec errare, aut in interpretatione sacrarum literarum hallucinari possit. Nam cum constet, plurimos eorum adeo illiteratos esse, ut Gramaticam penitùs ignorent, quî fit ut sacras literas interpretari possent?* Sed nos hæc missa faiamus, & veniamus ad Clementem VIII. Is alieno periculo edoctus cautius se gessit. Quin optimam ille operam vulgatæ Editioni navarit, ne ipsa quidem invidia negaverit. Infinitis enim locis, pejore lectione, non obstante tot annorum præscriptione & Sixti judicio, in exilium ire jussâ, meliorem & fontibus congruam postliminio restituit. Id quod aliquot locorum (quæ ex magna sylva in libro Anglicano exhibuit Jamesius) inductione Lectori ad oculum demonstrabo. Eò autem libentius hanc operam Lectori gratificabor, quia ex his unâ operâ duo illa colligit Lector, 1. Vix aliis locis medicam manum admovisse Pontifices, quam istis, quæ jam antea variè legebantur, de iis verò quæ manifesto errore ab ipso Interprete malè conversa erant, planè securos fuisse. 2. Prætextum illum de præli vitiis, quæ Sixtinam deformarint & Clementem ad novam Editionem impulerint, immane quantum esse pellucidum. Videbit enim quisquis præjudicio occœcatus non est, Sixtinam in iis locis, ubi à Clementina variat, ex Lovaniensi maximam partem expressam esse.

CAP. X.

Specimen diligentiæ à Clemente adhibitæ. Eum magis spectasse fontes, quàm Sixtus fecerat. Ostenditur illud quoqve his exemplis, quam sit inanis ille prætextus de preli vitiis.

SECTIO I

Initium fiat à sententiis vocibusque, quas à *Sixto* malè omissas, *Clemens* benè restituit.

Num. 30.11. *Vxor in domo viri*, usque ad finem versus, qui desinit in hæc verba, *Et Dominus ei propitius erit.* Hæc leguntur etiam in Chald. Ebræo & Græco. Lucas Brugensis, in locis insignioribus Romanæ correctionis, nullam hujus correctionis facit mentionem,

Prov. 25. 24. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa & in domo communi.* Et hic versus restitutus est ex Ebr. Ch. Græco. Lucas Brug. hanc varietatem non notavit.

Math. 27. 35. *Vt impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Hæc ex Gr. Syriaco, & vetustis codicibus restituta sunt. Lucas Brug. tacet.

Levit. 20. 9. *Patri matrique maledixit.* Ex Ebr. Ch. Gr. & Lovaniensibus Bibliis restituit hæc *Clemens* nihil annotante Lucâ.

Jud. 17. vers. 2. 3. *Reddidit ergo eos matri suæ; quæ dixerat ei, consecravi & vovi hoc argentum.* Ex Ebr. Chald. Gr. & Lovan. Lucas tacet.

1. Sam. 4.21. *Quia capta est arca Dei.* Ex Ebr. Chald. & Lovan. At *Sixtus* ea omisit, quòd in Gr. non extarent.

1. Reg. 12. 10. *Sic loqueris ad eos.* Ex Ebr. Ch. Gr.

2. Chron. 2. 10. *Et vini viginti millia metretas.* Hîc Lucas Burg. *Mirum est,* inquit, *omitti à plerisque libris illud*, Et vini viginti millia metretas, *contra Ebraici fontis & Græcæ Interpretationis fidem.* Idem observaverunt Lovan. in margine. Et tamen & ille & *Sixtus* hæc verba scientes volentes omisêre. *Clemens* restituit.

SECTIO II.

Sententiæ & voces, quas à *Sixto* male interpolatas, *Clemens* benè expunxit.

1. Sam. 24. 8. *Vivit Dominus, quia nisi Dominus percusserit eum, aut dies ejus venerit ut moriatur, aut descendens in prælium perierit, propitius mihi sit Dominus, ut non mittam manum meam in Christum Domini.* Hæc expunxit *Clemens*, quia nec in Ebr. nec Chald. nec Gr. nec codicibus aliquot Latinis apparent.

1. Sam. 25. 6. *Ex multis annis salvos faciens tuos & omnia tua.* Hæc non comparent in Ebr. Chald Gr. ipsis quoque Lovaniensibus testibus. *Sixtus* tamen, qui ea in Lov. reperiebat, non sustulit. Lucas ait ea redundare, & meritò (à Clemente) sublata esse.

2. Sam. 6. 12. *Dixitque David, Ibo & reducam arcam.* Nec in Ebr. nec Ch. nec Gr. nec multis vetustis cod. extant. *Meritò censuerunt Romani Patres*, inquit Lucas, *hæc omittenda.* Intelligit correctores à *Clemente* delegatos. *Sixtus* enim ejusque delegati Patres (quorum Lucas nunquam distinctè meminit) hæc approbaverant & civitate donaverant.

2. Sam. 8. 8. *De quo fecit Salomo omnia vasa area, in templo & mare æneum & columnas & altare.* Hæc verba non esse hujus loci, sed 1. Chron. 18. 8. annotavit Lucas. Nec Ebr. nec Chald. nec Græci codices ea legunt. Erant tamen in quibusdam codicibus Lat. & Lovan. Et à *Sixto* approbata.

2. Sam. 19. 10. *Et consilium totius Israel venit ad Regem.* Hæc ab Ebr. & Ch. absunt, etiam ex vetustis MS. exulant, confitentibus Lovan. Lovanienses tamen & Sixtus ex LXX. ea huc transtulerant.

Prov. 24. vers. vlt. *Vsque quo piger dormies usque quo de somno consurges?* Ita Lov. & Sixtus. At in Ebr. Chald. Græcis & vetustis MS. non extant. Ideo Clemens expunxit. Lucas silet.

Sap. 1. vers. pen. *Injustitia autem mortis est acquisitio.* Lovanienses, cum nec in originali nec in vetustiss. & optimis MS. hæc invenirent, ejecerunt ea ex textu in marginem. *Sixtus* V. ut pontifex & legitimus hujusmodi controversiarum judex, restituit ea in integrum; *Clemens* & ipse Pontifex, *Sixto* authoritate nequaquam

quam inferior, ea rursus ejecit, & ex textu & ex margine.

Habac. I. 3. *Quare respicis contemptores & taces, concultante impio justiorem se? Et facies homines quasi pisces maris & quasi reptilia non habentia ducem.* Hæc verba non esse hujus loci, sed vers. 13. & 14. ex Ebr. Ch. & Gr. judicavit *Clemens.* Ideo ea expunxit. Lovaniensem Edit. secutus fuit *Sixtus.*

Math. 24. 41. *Duo in lecto, unus assumetur & unus relinquetur.* Circa has voces variæ opiniones sunt. Codices tam Græci quam Latini, Patres Orientalis & Occid. Ecclesiæ Pontificesque ipsi hîc dissident. *Hentenius* secutus eorum sententiam, qui eas ex Lucâ hùc translatas judicârunt, eas ejecit. *Sixtus* eas restituit. Supervenit tandem *Clemens* & secundum *Hentenium* adversus *Sixtum* pronunciavit.

Act. 14. 6. *Et commota est omnis multitudo in doctrina eorum: Paulus autem & Barnabas morabantur Lystris.* Hæc leguntur in quibusdam Gr. codicibus. At in melioribus & Syr. desunt. *Sixtus* ea retinuit: *Clemens* ejecit. Lucas quasi dubius non facilè ea addenda esse ait.

Act. 24. vers. 18. *Et appehendêrunt me clamantes & dicentes, tolle inimicum nostrum.* Hæc verba nec in Gr. nec Syr. nec MS. reperiri notârunt Lovan. *Sixtus* tamen retinuit. *Clemens* ejecit.

2. Joh. 2. 11. *Ecce prædixi vobis, ut in die Domini non confundamini* Hæc *Sixtus* contra judicium Lovan. & fidem Græcorum codicum & plerorumque MS. recepit. *Clemens* ejecit.

SECTIO III.

Manifestæ diversitates, contradictiones, aut contrarietates inter Editiones *Sixti* & *Clementis*

Ex. 23. 18.	Sixtus & Lovan. *Tuæ.*
	Clemens, Eb. Ch. Gr. *meæ.*
Num. 34. 4.	Sixt. & Lov. *ad meridiem*, ex Gr.
	Clem. Ebr. Chald. *à meridie.*
Deut. 17. 8.	Sixt. & Louan. *inter lepram & non lepram.*
	Clem. Ch. Ebr. *inter lepram & lepram.*
Lucas Brug.	nequaquam est addenda negatio.
Jos. 2. 18.	Sixtus ex Rabano. *Signum non fuerit.*
	Clem. Ebr. Ch. Lov. *Signum fuerit.*

Ios. 4. 23. Sixtus, Lovan. *Deo nostro.*
Clem Ebr. Ch. Gr. & quædam MS. *Deo vestro.*
Lucas Brug. *Secundæ personæ non sunt mutandæ in primas.*
Jos. 11. 19. Sixt. ex Gr. & MS. *quæ se non traderet, &c.*
Clem. Eb. Ch. *quæ se traderet*, &c.
Lugdunenses tamen in Edit. anni 1600. negativam restituêrunt.
Jud. 14. 13. Sixt. Lovan. *Tuo.*
Clem. Ebr. Ch. Gr. *meo.*
1. Sam. 4. 9. Sixt. Gr. *Nobis.*
Clem. Ebr. Ch. *Vobis.*
1 Sam. 20. 9. Sixt. Lov. *à me.*
Clem. Ebr. Ch. Gr. MS. *à te.*
2. Sam 9. 11. Sixtus ex xv. MS. *super mensam suam.*
Cl. Ebr. Ch, Gr. Lovan. *super mensam meam.*
2. Sam. 22. 36. Sixtus, Lov. & MS. *mansuetudo mea.*
Clem. Ebr. Ch. Gr. *mansuetudo tua.*
1. Reg. 7. 9. Sixt. Lov. & quædam MS. *intrinsecus.*
Clem. Ebr. Ch. Gr. *extrinsecus.*
2 Ezræ 4. 22. Sixt. Lovan. & 2 MS. *Vobis.*
Clem. Ebr. Gr. Ch. *nobis.*
Ps. 136. 9. Sixt. Lov. *parvulos suos.*
Clem Eb. Ch. Gr. & 6 MS. *parvulos tuos.*
Prov. 19. 26 Sixt. Lov. *Qui — fugit matrem.*
Cl. Ebr. Ch. Gr. *Qui — fugat matrem.*
Sap. 2. 11. Sixt. Lov. *Lex injustitiæ.*
Cl. Gr. & optima MS. *Lex justitiæ,*
Sirach. 7. 4. Sixt. Lov. *noli quærere ab homine ducatum.*
Cl. Gr. — *à Domino* —
Sirach 8. 8. Sixt. Lov. *& in gaudium volumus venire.*
Clem: cum. 12. MS. — *nolumus* —
Sirach 21. 15. Sixt. Lovan. *insipientia.*
Clem. Gr. & MS. *Sapientia.*
Sirach 51. 26. Sixt Lov. *In Sapientiâ ejus luxit anima mea & ignorantias meas illuminavit.*
Clem. Gr. *& insipientiam ejus luxi : animam meam direxi ad illam.*

Lucas Brug. Hæc est germana hujus loci lectio, à multis vindicata mendis, Rom. Patrùm industriâ.

Ezech.

Ezech.14.22. Sixt. Lov. *egredientur.*
Clem. solus, *ingredientur.*

Nota benè, hic Sixtinam lectionem congruere cum Ebr. Chald. & Gr. Eò magis miror, *Clementem* hic lectionem illam mutasse.

Habac.1.13.Sixtus. *Quare non respicis.*
Cl. Eb. Gr. Ch. *Quare respicis.*

Hebr. 5. 11. Sixtus. *interpretabilis.*
Clem Gr. Syr. & 10. MS *ininter pretabilis.*

Lucas, servanda est syllaba *in* duplicata in voce *ininterpretabilis.*

2. Petr.1.16.Sixt. Lov: *indoctas.*
Clem. Gr. *doctas.*

Discrepantiæ in numeris.

Exod.32.28 Sixt. Lov. *triginta tria millia hominum.*
Clem. *viginti tria millia hom.*

Lucas Brug. notat in quibusdam codicibus legi, *tria millia,* aitque his favere Hebræa, Græca & Chaldæa.

Exod. 24.5. Sixt. *vitulos duodecim.*
Cle. Eb. Gr. Ch. & MS. *vitulos*

2 Sam.15.7. Sixt. *Post quatuor annos.*
Cl. Eb. Ch. Gr. *post quadraginta annos.*

Alii codices legunt *quinque*, alii *sex.* Lucas Brug. non est *quadraginta* mutandum cum *quinque*, nec cum *sex*, acne cum *quatuor* quidem:

2. Sam.16.1.Sixt. Lov. *duobus utribus vini.*
Cl. Ebr. Gr. Ch. 6. MS. *utre vini.*

1 Reg.4.42. Sixt. *quinqve millia.*
Cle. Ebr. Ch. *quinque & mille.*

2.Reg.14.17.Sixt. & Lo. *viginti quinque annis.*
Cl. Eb. Ch. Gr. *quindecim* —

2.Reg.25.19.Sixt. Lo. & MS. multi, *Sex viros.*
Cl. Ebr. Ch. Gr. *sexaginta* —

1.Chr.8.vers.ult.Sixt.Lov.&MS.multi, *centum quinquaginta millia.*
Cle. Ebr. Gr. *centum quinquaginta.*

2.Chr.13.17.Sixt. Lov. *quinquaginta millia.*
Cl. Eb. Gr. *quingenta millia.*

2.Chro.25.5.Sixt. Lo. & MS. *triginta millia.*

Clem. Ebr. Gr. *trecenta millia.*
2. Chr. 32. 29. Sixt. Lov. MS. *urbes sex.*
Clem. Ebr. Gr. *urbes.*
2. Esd 2. 66. Sixt. Lovan. *Sexcenti.*
Cl. Ebr. Gr. *septingenti.*
1. Esd. 2. vers. penult. Sixt. Lo. & MS. *quadraginta millia.*
Cl. Ebr. Gr. *sexaginta millia.*
2. Esd. 7. 12. Sixti Lovan. *Octingenti,*
Cl. Ebr. Gr. *Ducenti.*
2. Esd. 7. 21. Sixt. Lov. *nongenti octo.*
Cl. Ebr Gr. & 13. MS. *nonaginta octo.*
2. Esd. 7. 66. Sixt. Lov. *Sexcenti.*
Clem. Ebr. Gr. *trecenti.*
2. Machab. 13. 15. Sixt. & MS. *quatuordecim millia.*
Clem Lov. Ebr. *quatuor millia.*
Marc. 2. 1. Sixt. & MS. post dies octo.
Clem. Gr. Syr. Lov. *post dies*, subaudi aliquot.
Joh. 6. 13. Sixt. *ex quinque panibus ordeaceis & duobus piscibus.*
Clem. Gr. Syr. Lov. *ex quinque panibus ordeaceis.* tantùm.

SECTIO. IV.

Manifestæ differentiæ in locis de industria mutatis.

Gen. 24. 24. Sixt. Lov. & pauca MS. *filia sum Bathuelis filii Nachor, quem peperit ei Melcha.*
Clem. Eb. Ch. Gr. & 15. MS. *Filia sum Bathuelis filii Melchæ, quem peperit ei Nachor.*

Deut. 17. 12. Sixt. Lov. *Qui autem superbierit, obedire nolens sacerdotis imperio: ex decreto judicis moriatur homo ille.* Ita hunc locum citat & Coccius tom. 1. p. 850 & Bellarm. tribus locis. Vid. Tom. 1. p. 175. 176. & 959. multumque præsidii in hoc loco ponunt & illi & alii, ut probent Papæ superemimentem potestatem, eumque solum esse judicem in controversiis religionis. At si Bellar. aut alius quilibet Papista existimat sibi hunc locum ulli posse esse usui, fallitur. Nam Clemens locum sic restituit, *& decreto judiciis.* Adi jam ad locum hunc lib. 2. Antibarb.

Jos. 3. 17. Sixt Lovan. *contra Jordanem.*
Cl. Ebr. Ch. Gr. *contra Jericho.*

1.Sam.3.vers.2.3.Sixt. Lov. *nec poterat videre lucernam Dei, antiquam expectaretur.*
Clemens, *nec poterat videre: Lucerna Dei antequam extingueretur,* &c.

1.Sam.2 28. Sixt. Lov. *ad Salomonem.*
Cl. Ebr. Ch Gr. *ad Joab.*

Vtra lectio melior esset (dissentientibus codicibus) quæsitum à multis. Clemens ex fontibus controversiam illam diremit.

2.Reg.15.29.Sixt Lov. *in Thersam.*
Cl. Ebr. Ch. Gr. *in terram.*

Judith 1. 2. Sixt. Lov. *in altitudinem 70. cub.*
Clem. Gr. *in latitudinem 70. cub.*

Hæc verba *in altitudinem* excusa sunt in Sixtinâ iisdem characte-bus, queîs tota Biblia, in exiguo chartæ segmento, & valde artificiosè glutino imposita his vocibus, *in latitudinem.* Sic enim antea fuerat excusum. Quod ipsum manifestum indicium est magnæ istius industriæ, quam Sixtus adhibuit in Latinâ Editione quàm emendatissimè ex sua sententia & mente edendâ. Et adhuc reperiuntur, qui nobis persuadere satagunt, Editionem illam, valde negligenter impressam & editam, ipsumque Sixtum decrevisse totum opus sub incudem revocare? Quis negare ausit, hanc correctionem ex certo animi proposito & judicio factam? Apage ergo calvam istam excusationem, præli vitio, ea quæ Clemens correxit, irrepsisse. Corrector fuit Sixtus, *nostra nos ipsi manu correximus, si qua præli vitia obrepserant,* inquit ipse Sixtus, atque hujusmodi correctio fuit deliberatus actus.

Ibidem, Sixt. Lovan. in latitudinem 30. cub.
Clem. Gr in altitudinem 30. cub.

Job. 31. 7. Sixt. Greg. & Lov. *Si secutus est oculus meus cor meum.*
Clem. Ebr. Ch. Gr. *Si secutum est oculos meos cor meum.*

Ps 41. 3. Sixt. Lov. *ad Deum fontem vivum.*
Cl Eb. Gr. & 14. MS. *ad Deum fortem vivum.*

Lucas Br. *Constanter retinenda est vox, fortem,* &c. Editio tamen Fortunati Fanensis, quæ prodiit Venetiis, 1609. retinuit

vitiosam lectionem, *fontem*. Vnde apparet, quo loco editio *Clementis* sit apud Pontificios. Et tamen gravissimam majoris excommuniciationis pœnam *Clemens* iis denunciat, qui hanc suam editionem non ad minimam usque voculam in posterum expresserint. Hæc *Jamesius*. Ad quæ illud adjiciam, editionem quoque Parisiensem 1618. privilegio Regis editam legere *fontem*, insuper habitâ correctione *Clementis*. Et tamen Theologi Parisienses, Garnier & Bazot testantur, *se illam Editionem diligenter cum exemplari, Romæ, Sixti V. Pontificis* (id est Clementis VIII. ut supra dictum est) *jussu excuso, contulisse & illam huic in omnibus conformem reperisse, præter aliqua quæ inter errata rejecta sunt.* At in erratis altum de hoc loco silentium, cum tamen ex hoc eodem Psalmo vitium Typographicum ibi annotatum sit. [Sed fortassis in eodem luto hæserunt cum Acosta Jesuita, qui de Christo revelato, 3. 20. postquam professus fuisset, se non dubitare de veritate hujus correctionis, hæc subjungit: *Et Ecclesia pergit legere*, fontem vivum, *delectata contemplatione illius, apud quem est fons vitæ. Recipiendus est iste quoque sensus, tanquam divinitus provisus atque intentus.* Peccavit ergo, hoc judice, Clemens, quod sensum illum à Deo intentum loco moverit, aut saltem ei in margine locum non reliquerit. Cæterum, errorem istum levem & nequaquam perniciosum fuisse, lubentes concedimus, sed eum à Spiritu S. intentum & provisum fuisse, non sine pernicioso errore dici potest. Vide Cl. Rivetum pag. Isag. 221.]

Prov. 20 25. Sixt. Lov. Gr. *devorare sanctos*-
Cl. Ebr & 18 MS. *devotare sanctos.*

Aliæ lectiones erant, *devocare*, & *denotare*. De hoc loco, Deo volente, dicemus prolixius ad Proverbia.

Sap. 6. 11. Sixt. Lovan. *qui — custodierint justa, justè justificabuntur.*
Clemens. *qui — custodierint justitiam, justè judicabuntur.*

Sap. 18. 9. Sixt. Lov. *Patri omnium decantantes laudes.*
Clem. Gr. 2. MS *Patrum decantantes laudes.*

Sirach 16 9. Sixt. Lovan. — *peregrinationi illorum,*
Clem. — *peregrinationi Loth.*

Sirach 24 41 Sixt. Lovan. *Ego quasi fluvius Dorix.*
Clem. *Ego quasi fluvij Dyorix.*

Alii

Alii codices legebant *Dorax*, alii *Vorax*.

Sirach 38.25 Sixt. Lov. *Sapientiam scribe* —
Clem. Gr. *Sapientia scribæ* —

Sirach 42.9. Sixt. Lov. — *adultera*.
Clem. Gr. — *adulta*.

Sirach 46.17. Sixt. Lov. *vidit Deum Jacob*.
Clemens. *vidit Deus Jacob*.

Jesaiæ 46.11. Sixt. *vocans ab oriente avem*.
Cl. Ebr. Gr. *vocans ab oriente justum*.

Lectionem, *avem*, ejecerant Lovan. in marginem cum censurâ. *Sixtus* restituit eam. *Clemens* verò rursus eam ejecit, ne in margine quidem eam tolerans.

Jerem. 17.9. Sixt. Lovan. *cor hominis*.
Cl. Eb. Gr. Ch 9. MS. *cor omnium*.

Jerem 50.39. Sixt. Lovan. *fatuis ficariis*.
Clem. *faunis ficariis*.

Baruch 3 23. Sixt. Lovan. *terræ*.
Clem. Ger. *Merrhæ*.

Baruch 6.26. Sixt. Lovan. *humeri illis apponentur*.
Cl. Gr. *munera eorum illis apponentur*.

1. Mach. 12. vers. 19.20. Sixt. — *quod miserat Oniares Spartiatarum: Oniares Jonathæ sacerdoti magno salutem*.
Clem. Gr. Lov. — *quod miserat Oniæ: Arius rex Spartiatarum Oniæ sacerdoti magno salutem*.

1. Mach. 15.22. Sixt. Lovan. *Arabæ* — *& Sampsamæ*.]
Clem. *Ariarathi & Lampsaco*.

2. Sam. 6.8. Sixt. Lov. *in pariete erat* — *in parte erat domus*.

CAP. XI.

Clemens *longe modestior quam* Sixtus. *Disputatur de authoritate Præfationis, quæ Clementinæ præfixa est, contra* Serarium. *In eâ asseritur, Biblia non esse à* Clemente *accuratissimè castigata, sed multa adhuc esse relicta sine emendatione. Cur hoc factum sit. Infertur ergo, ne nunc quidem Ecclesiæ Rom. de authentica Edit. prospectum esse. Necdum enim est emendatissima.*

VIdes itaque, benevole lector, *Sixtum* V. ferè Lovaniensem editionem secutum esse. Vbi ergo prætextus sphalmatum

Typographicorum? vides & illud, correctionem Clementis propius accedere ad textum originalem, id quod primariò ostendere satagebam. Nihilominus *Clemens*, veritus fortassis, ne successorum aliquem alius incesseret genius, atque ita novâ procellâ concuteretur arx Pontificiæ infallibilitatis intra terminos modestiæ se continuit, tàm in præfatione, quàm in Bullâ. Quod ad Præfationem attinet, ea licet Clementis nomen non præferat, tamen non nisi eo volente & jubente & approbante, tam primæ editioni, quam omnibus ex eâ expressis præfixa est, ut frustrà sit *Serarius*, qui admodum anxiè de hujus Præfationis authoritate disputat, cap. 19. quæst. 16. Satis est, eam ex mente & sententiâ *Clementis* conceptam esse & editioni præfixam; Satis est, nullum ex eo Pontificem eam revocasse. In hunc usque diem omnibus Latinæ correctæ versionis editionibus præmittitur. *At nullius Pontificis præscriptum est nomen*, inquit Serarius, *nullius Synodi*. Quid tum postea? *Prudenti consilio hoc factum esse* innuis, quæst. 18. An persuadebis cuipiam, Serari, Pontificem, ad cujus curam & munus decretorum Synodicorum executio, imprimis verò sacræ scripturæ puritas & integritas pertinet, in editione à se procurata tolerarurum fuisse hanc præfationem, si vel minimam particulam ipsius menti adversantem habuisset? Sed quid tandem habet illa Præfatio? *Accipe itaque Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pont. annuente, vulgatam S. Scripturæ Editionem, quantâ fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicut omnibus numeris absolutam pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita cæteris omnibus quæ huc usque prodierunt, emendatiorem & puriorem esse, minimè dubitandum.* Horum, ut & subsequentium verborum, quem dabo fideliorem Interpretem ipso Serario? Is ergo in his verbis primò observat voculam ANNUENTE, non verò JUBENTE prudenter adhibitam. *Prodiit*, inquit, *hæc emendatio Pontifice* ANNUENTE, *non autem* JUBENTE, *non omnia & singula quæ in illa sunt, sive magna sive parva* censente *ac* mandante. *Constat verò*, pergit Jesuita, *in re aliquâ, quæ sit, differre multum hæc*, annuere *vel* permittere *rem illam fieri*, & approbare *vel* jubere *illam fieri*. Et paulo post dicit Præfationem non dicere, *Editionem hanc correctam à Papâ, omnino & quoad singula approbari & imperari, sed tantummodo annui*. Secundò hic observat Serarius ista verba, *quantâ fieri potuit diligentiâ*. Intelligitur, inquit, *non absolutè & Metaphysicè*, quan-

quanta omnino poßibilis fuit, *sed moraliter*, *quanta illo tempore*, *loco*, *per illos*, *cum illis adjumentis*. *Si verò alio loco & tempore plus quiddam aliunde oportunitatis & adjumenti accedat*, *non negatur major adhuc aliquâ in re castigatio*. III. observat illa verba, *Eam omnibus numeris absolutam esse pro humanâ imbecillitate affirmare difficile est*. *Potest igitur adhuc*, inqvit Serarius, *in aliquo numerus deesse aliquis*. *Et vel Cardinalibus vel doctis hominibus*, *qui in castigatione ista laborârunt*, *omnis humana videtur negari imbecillitas*, *si omnia eos menda vidisse*, *omnia correxisse*, *nihil usquam correctione adhuc aliquâ dignum reliquisse dicantur*. IV. notat illa verba, *cæteris omnibus*, *quæ usque prodierunt*, *emendationem*, &c. nota, inquit, hoc præteriti temporis verbum *prodierunt*. *Quia si adhuc in isto opere tàm feliciter cœpto*, *ac*, *quantum fieri potuit*, *perfecto pergat Apostolicæ Sedis vigilantia*, *non negatur*, *quin poßint deinceps aliquæ prætereà Editiones prodire correctiores ac perfectiores*. Sequuntur in eâdem Præfatione alia, quæ hùc quoque adducit Serarius. Ergo ut compendium faciam, proponam ea ipsis verbis Serarii, quibus ea interpretatur. V. *Disertè dicitur*, (in eadem vid. Præfatione) in vulgato Vetere Bibliorum Interprete quædam visa fuisse mutanda, quæ consultò immutata relicta sunt. *Illorum igitur ipsorum*, *qui correctioni huic præfuerunt*, *judicio*, *possent adhuc mutari nonnulla*. VI. *causam addunt isti*, *cur quæ mutanda judicarent*, *mutare tamen noluerint*, *triplicem*. 1. *est quorundam offensio*. 2. *suspicio de posteriorum sæculorum* * *libris*, quod fortasse minus puri & integri evaserint. 3. *Institutum ipsorum*, *quod non novam facere voluerint Bibliorum versionem*, *vel antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare*, *sed ipsam veterem ac vulgatam Latinam à mendis veterum librariorum nec non pravarum Emendationum erroribus repurgatam suæ pristinæ puritati*, *quoad ejus fieri potuit*, *restituere*. *Vnde argumentor*, *si aliquâ in re cesset illa offensio*, *adimatur etiam illa suspicio*, *poterit aliqua adhuc in istis Bibliis correctio fieri*. VII. *notandum etiam in illa suspicione illud* fortasse. *Significat enim hâc in re certi nihil esse*, *estque Particula*, *quæ Christianæ fidei objectis omnique negotio removenda*. *Et sicut fortasse fuerunt libri posteriores minus puri*, *sic fortasse in istis locis*, *quæ mutanda videbantur & mutata non sunt*, *puri fuerunt & integri*. *Tam enim hoc* fortasse *certum ac illud*. Hæc Serarius ex Præfatione. Ex quibus omnibus apparet, opinor, veritas tertii consectarii in fine cap. 8. propositi, vid. ne nunc quidem post geminam *Sixti* V. & *Clementis* VIII. correctionem, Eccle-

* Ebræos & Græcos, intelligit.

 siam

ſiam Rom. habere authenticam Scripturam. Necdum enim eſt emendatiſſima. At huic ſoli, concilium Trid. authenticam authoritatem detulit.

Cap. XII.

In Clementinâ Præfat. & Serarii deductionibus committuntur inter ſe Pontifices, Oſtenditur hîc laborare bonam fidem, & infallibilitatem Pontificum. Confeſſio Bellarm. Bandini, &c. quod Biblia necdum ſint accuratiſſimè emendata. Lucæ Brug. catalogus locorum adhuc corrigendorum. Catholicorum ſpes miſere eluſa. Requiſita textus authentici. Quæritur, an Pontifex non voluerit, an potius non potuerit Biblia accuratiſſimè caſtigare. Examinantur cauſæ cur non omnia caſtigata ſint.

SVperioribus capitibus oſtendimus veritatem tertii conſectarii, *ne nunc quidem Eccleſia Rom. de emendatiſſima, ac proinde authentica Scripturâ proſpectum eſſe.* Antequam pergamus ad alia, illuſtranda & examinanda ſunt ea, quæ ex Præfatione Clementinâ deduxit Serarius. Primam ejus obſervationem circa voculam *annuente* quod attinet, Si non aberrat in ejus interpretatione, ut vid. *annuere* hic opponatur τῷ *approbare* & *mandare*, tum certè non obtuſo aculeo hic Sixtus pungitur, qui vocibus *declaramus, ſtatuimus, decernimus*, &c. in ſua bullâ uſus, certam ſcientiam & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudinem obtenderat. Nec capio etiam quomodo hæc unâ ſubſiſtant, Clementem tantùm *annuere*, & nihilominus in Sanctione declarare, *hanc Edit. quàm accuratiſſimè mendis expurgatam eſſe*, ſimulque mandare, ut correctus iſte textus in poſterum ita edatur, *ut ne minima quidem particula mutetur, addatur, vel detrahatur*, id quod ſe ſua quoque Editione in Apoſtolicis illis literis ſanxit Clemens. Et tamen poſt Serarium ea quoque fuit fiducia *Leonardo Mario*, Theologo Colon. ut aſſeruerit, *Correctiones à ſede Romana, non eſſe evulgatas, quaſi præciſe nos obligent, aut quaſi præter eas nullæ adhuc ſuggeri aut diſquiri poſſint, ſed ut probabiliſſimas correctiones, quas pia erga ſacras literas reverentia & obſervantia explicare, imò & augere poſſumus.* Proleg. in S. Script. ſect. 6. Probationem autem primam ex eadem vocula *annuente*, depromit, quæ diverſa ſit ab iſtis, *præcipiente, præſcribente.* Concilient

hæc

hæc cum Bullis qui possunt. Mihi hic aquam hærere lubens agnosco. 2. Observ. fuit circa illa, *quantâ fieri potuit diligentiâ.* Hic multa dicit Serarius de loco, tempore, adjumentis, & ipsis correctoribus. At cur nihil de ipso Papâ? Illi enim adscribitur omnis correctio. Et sicuti nulla concilia ullius authoritatis sunt, nisi ab ipso approbata, ita & hæ correctiones, à delegatis Cardinalibus & Doctoribus elaboratæ, nullam authoritatem acquirunt, nisi ab eo probatæ, ad quem solum *ultima & authentica sacrarum literarum emaculatio & recognitio primario pertinet*, ut loquitur Gretzerus pag. 1059. unde idem Gretz. pag. 1062. de ipso Pontifice sic ait, *qui* (Clemens VIII.) *veterem ac vulgatam Editionem, quantâ fieri potuit diligentiâ, castigatam dedit.* Sed an satis commodè de Pontifice sic loquantur, viderint Pontificii. Pontifex enim quâ Pontifex, sive in judicando diligentiam adhibeat, sive indiligens sit, infallibiliter semper definit, ut ait Valentia, Analyt. Fid. 8.3. Et licet in mediis & argumentis hallucinari possit, in concludendo tamen nunquam impingit, Staplet. de principiis, 8.14. Idque propter prærogativam istius sedis & perpetuam Sp. sancti assistentiam.

III. Observatio fuit circa illa, *Eam omnibus numeris absolutam esse, pro humanâ imbecillitate difficile est affirmare.* Hic rursus de correctoribus agit Serarius, de Pontifice altum rursus silentium. Iterum hic pungitur Sixtus, qui de certa scientiâ & Apostolicæ potestatis plenitudine magis magnificè de sua Editione senserat & sanxerat. Quod si hic quæsierit aliquis, quomodo hæc cohæreant, dubitare an Editio aliqua sit omnibus numeris absoluta, & postea affirmare, multa in eâ consultò relicta esse quæ mutanda videbantur, quæ distinctio satisfaciet? Observ. IV. circa illa, eam omnibus Editionibus, *quæ prodierunt.* emendatiorem esse. *Non ergo dicit eam emendatissimam*, infert Serarius, & rectè. Accedit testimonium *Bellarmini*, qui in Epistola quâdam datâ Capuæ 6. Dec. 1603. ad Fr. Lucam Brugensem sic inquit, *De libello ad me misso gratias ago, sed scias velim, Biblia vulgata non esse à nobis accuratissime castigata, multa enim de industriâ justis de causis præterivimus, quæ correctione indigere videbantur.* Quibus verbis id quoque innuit Cardinalis, se ex numero correctorum fuisse. Eadem mens fuit *Joh. Baptistæ Bandino*, Typographiæ Vaticanæ Præfecto, qui in literis jussu *Baronii* ad Moretum, Romæ 1604. prid. Kal. Au-

Citatur in Præfat. Lucæ ad Blasæum Episc Audomaropol quam præmisit alteri libello, quo collegit loca, quæ adhuc emendari possent.

* citantur. hæc ibidem.

Augusti datis, sic inquit, * *fateor, in Bibliis nonnulla adhuc superesse quæ in melius mutari possent; quædam etiam nescio quo pacto sic impressa reperiuntur, ut e.g. 1. Sam. 2. 17.* retrahebant homines à sacrificio, *cùm libri omnes & impressi & MS. habeant*, detrahebant homines sacrificio. Vnde Luc. Brug. ausus fuit alium conscribere catalogum, quo repræsentavit loca, *quorum correctione post* Sixti & Clem. curas, *perfectior reddi posset feliciter cœpta correctio, si accederet Pontificis auctoritas*, quem catalogum Genev. quoque Typographi ad calcem Bibliorum Interlin. nuper adjecere, ex quo nos quoque ea, quæ ad Pentateuchum pertinent, excepta in censura nostrâ exhibuimus. Biblia ergo de industria non sunt accuratissimè castigata. Iterum ergo perstringitur *Sixti* temeritas. Et quomodo hæc concessio stare potest cum ipsius quoque Clementis, ut de Sixto jam taceam, sanctione, qua textus *accuratissime mendis expurgatus* dicitur? Quomodo etiam satisfactum est Pii IV. qui has curas auspicatus est, desiderio, ut Biblia ACCURATISSIME, ut loquitur Præfatio, castigarentur? Quomodo etiam satis fit Decreto Tridentino, quo huic versioni EMENDATISSIMÆ ex communi Pontificiorum interpretatione, authentica tribuitur authoritas. Quomodo stare potest illa inscriptio, quâ Sixtus V. in Vaticana honoratus est, quod vulgatam Editionem *quam emendatissimam* divulgari mandaverit. Quomodo defendet Gretzerus illud, quod p. 1059. tam audacter asserit, *Quicquid cum hâc* Clementis *Editione congruit, ratum gratumque accidet, quidquid disconvenit, irritum ingratumqueqnid eveniet, sive sit ex Hentenii. sive ex* Lovaniensium, *sive ex cujuslibet alterius officina depromptum.* Quid enim? An valebit hoc quoque in locis illis mendosis, ubi de industria nulla facta fuit correctio? Et quid denique diceret *Andradius*, si ad nos rediret? Is enim ut supra vidimus, adeo accuratam expectavit correctionem, *quæ Catholicos ab omni curâ & dubitatione liberos* redderet. Pontifices ergo & concilium mandarunt, ut Biblia quàm accuratissimè emendarentur & quàm emendatissima prodirent. Pontifices *Sixtus* & *Clemens* in Bullis suis declararunt illud jam esse præstitum, & quidem ille de certâ scientiâ, Et tamen Bellarminus, qui correctorum pars magna fuit, affirmare audet, Biblia non esse accuratissimè castigata. Et ipse & Bandinus & Serarius & sæpius jam citata Præfatio, & qui integrum catalogum relictorum errorum edere ausus fuit, Lucas Brug. agnoscunt, multa adhuc superesse,

quæ

quæ emendari possent. Ego, quomodo hæc cohæreant, libenter edoceri velim. Sic enim statuo & statuam, donec meliora edoctus fuero, æquissimum & necessarium requisitum esse, ut illud, quod sub Anathematis pœna ab omnibus, secundum omnes sui partes, pro authentico haberi debet, à quo nulli datur appellatio quocunque prætextu, à quo ne in minima quidem particula Typographis recedere fas est, quod denique ad minimum Iota à Catholicis tenendum est, omnis omnino erroris, si præstari id ullo modo queat, expers sit. Nunc illud quærere mihi liceat, an Pontificis, infallibilis istius judicis, in cujus pectore omnes Sapientiæ thesauri clausi sunt, vires excedat, vulgatam versionem ab omnibus librariorum & pravarum emendationum mendis accuratissimè castigare? Poteſtne hoc præstare Pontifex? Si dixeris, non posse, cur ergo hanc provinciam ei demandavit concilium? Cur ergo tam præfidenter locutus est Sixtus? Ubi ergo ejus infallibilitas, ubi assistentia Sp. sancti in istis quæ ad munus ejus Pontificale, inter quæ hæc Bibliorum emaculatio censetur, pertinent? Si dixeris *posse*, quid ergo sibi volunt illa verba, *quantâ fieri potuit diligentia*, Et, *omnibus numeris absolutam esse pro humanâ imbecillitate difficile est affirmare.* Quid potuisset dici minus, si vel ab umbratico quodam Theologo processisset hæc Bibliorum recognitio? Sed dices, potuisse hoc Ponficem si voluisset. Certè noluisse Pontificem omnia emendare, videntur innuere illa Præfationis verba, circa quæ versabatur V· observatio Serarii, *multa quæ videbantur mutanda, immutata relicta sunt*, &c. Itemque illa Bellarmini; *Biblia non sunt à nobis accuratissimè castigata, multa enim de industrâ justis de causis præterivimus*, &c. Quid? an ergo Ecclesiæ suæ invidit correctissimam Editionem summus ille Pastor? An forte aliæ causæ subsunt? Ita certè persuadere nobis satagit Præfator, qui tres enumerat. circa quas fuit VI observatio Serarii, 1. *ad offensionem populorum vitandam.* Ita quippe omnes actiones suas instituunt, eòque omnia dirigunt Pontifices, ut offensiones ovium suarum vitent, ut scandala tollant. Scilicet. Sed quod ad rem præsentem attinet, eandem quoque affert causam Bellar. cur 8. isti versus Psal. 13. & alia insuper quædam Typogr. vitia in eâdem Edit. tolerentur, de V. D. lib. 2. cap. 2. § Dices. Dico 1. me non videre quomodo hæc conveniant cum illo obtentu *humanæ imbecillitatis*, quem paulò ante adhibuit Præfatio. Qui enim ad offen-

offensam vitandam aliquod sphalma relinquit, is utique sciens & volens id facit. Dico 2. cur magis hic metus offensæ valuit in istis erratis quæ relicta sunt, quàm in iis quæ sublata? Dico 3. alia mens Oleastro, qui Præfat. in suum ad Pentateuchum commentarium, non veretur asserere, *nullum extimescendum scandalum, & nullum fore incommodum, si Paulus IV.* (sub quo ille vivebat) *ad instar Damasi, vulgatam versionem ad fontes corrigendi provinciam viris linguarum peritis demandaret.* Idem judicabat Lucas Brugensis, qui in præfat. postremi sub catalogi locorum adhuc castigandorum, citat insuper testimonium celebris cujusdam SS. Th. Professoris, in hæc verba, *Et verò quod de vitandâ eorum qui secus assueti sunt, offensione allatum est, idque exemplo B. Hieronymi: non quidem planè negligendum est, in dies tamen minus minusque retinet virium: quoniam per notationes variarum Lectionum, hactenus à Catholicis & eruditis viris editas, jam prælusum est castigationi, ita ut novitate jam antea magnam partem detritâ, vix quicquam offensionis pariat, quo deinde subsequitur, Bibliorum legitimâ authoritate facta emendatio, sed reverentiam potius & gratitudinem.* Et quod ad Hieronymum attinet, ejus exemplum malè à Præfatore allegari audacter asserit Lucas. *Nam &, ut idem alias me monuit* verba Lucæ, *Hieronymus versabatur in corrigendis erratis Interpretum, quorum versiones receptæ jam fuerant; hic vero laboratur non in corrigendo interprete, sed in versione Interpretis emendanda ex ejusdem versionis exemplaribus .i. in notariorum erratis auferendis, quâ re minus facile quis potest offendi.* Quod autem postea subjicit Lucas, *Sive autem consultò sivè fortuito sint omissa ejusmodi loca, quæ in melius fortè mutari potuerant,* &c. miror servile doctissimi viri ingenium. Quorsum enim dubitat qui alterâ pagina ipsissimam Bellarmini, quem & ipse inter correctores fuisse ait, confessionem profert, ex qua liquet, consultò ejusmodi correctionem fuisse omissam. Et quorsum illud *forte*? Cum postea dicat se isto libello exhibere loca, quæ *suo aliorumque judicio adhuc possent corrigi*? II. Causa fuit *suspicio* de posteriorum sæculorum libris minus puris. Hoc est, viderunt quidem multis in locis varietatem lectionis, quarum hæc vel illa lectio fontibus magis respondebat, sed non ausi fuerunt eam semper præferre, quia animis eorum semper inhæsit de corruptis fontibus suspicio, E.G. Genes. 3.15. Alii codices legebant *Ipse*, alii *Ipsa*. Viderunt in fonte legi *Ipse*, sed quia suspicio fuit, ibi olim fuisse pronomen fœm.

non ausi fuerunt illud *Ipsa* corrigere. Ita nudâ rursus suspicione fontes παραδειγματίζονται. Sed hanc suspicionem egregiè exagitavit *Serarius* & sustulit *Andradius*, uti supra visum est. III. Causa, *Institutum correctorum. Non fuit ipsis propositum, Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare, sed ipsam Interpretationem à mendis librariorum & pravarum emendationum erroribus repurgare.* At si hoc ipsis fuit propositum, cur non fecerunt? Cur multa, quæ corrigenda erant, non correxerunt? Cur multa de industria prætererunt? Equidem hæc verba non capio. Redditur his verbis, ex analysi Serarii, ratio tertia, cur multa quæ mutanda videbantur, non mutaverint, videlicet, Quia ipsis nihil aliud & amplius fuit propositum, quam versionem à mendis librariorum & pravarum emendationum erroribus repurgare & quidem hoc ab iis præstitum, ipso Clemente teste, ACCURATISSIME. An ergo per illa verba [*quæ mutanda videbantur*, Et, *antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere,*] innuunt errata ab ipso interprete commissa? Ita certe optimè quadrabit non solum hæc ratio tertia, sed etiam duæ priores. Quæri enim posset cur nulla interpretis errata sustulerint correctores? Respondent se noluisse hoc facere, non fuisse hoc sibi injunctum vel propositum. Nec enim, quæ mea stupiditas est, video quodnam detur tertium inter errores Interpretis & librariorum. Sed quomodo rursus hæc interpretatio consistet cum fidelissimorum Interpretum Decreti sententiâ, vid. in vulgata nullos omnino esse errores Interpretis, sive quod is Propheta fuerit & proinde errare non potuerit, sive quod Ecclesia, ut Azorius & Bell. tradunt, in approbanda hac versione errare non potuerit. Et quomodo hæc eadem rursus consistet cum declaratione Bellarmini, quam supra produximus, quæ de librariorum erratis studio relictis agit, nec non cum ipsa experientiâ, quæ docet, innumera menda librariorum relicta, E.Gr. Genes. 3.15. notârunt Lovan. Ebr. Ch. & 2. MS. legere *Ipse.* Correctores tamen mordicus retinuerunt *Ipsa.* Gen. 8.7. & fontes & *codices 6. MS. magnæ authoritatis*, inquit Sacroboscus, *non legunt negationem.* Et tamen, his non obstantibus, *Correctores Romani non judicarunt*, inquit Lucas Brug. in locis insignioribus, *notam negationis omittendam.* Exod. 20.23. Ebraïcè legitur, *ne faciatis mecum Deos argenteos.* Sic & codices MS. & unus, *coram me.* Tamen *Romani correctores non judicarunt addendum* mecum,

etsi Ebraïce legatur, quæ rursus verba Lucæ sunt. Jes.40.2. Ebraïcè legitur, *quia completa est* צְבָאָהּ *militia ejus*, quo sensu legimus Job.7. *nonne militia* (.i. tempus præfinitum) *est homini super terram?* At vox ea corrupta est in *malitia*. Quid hic Romani correctores? *Non judicarunt corrigendum esse*, militia, inquit Lucas. Joh. 21. 22. *Si eum volo manere* habent Græca. Ita legunt MS. Chrysost. Cyrillus. Illud *Si* corruptum est in *sic*. Iansenius, Benedictus, Erasmus & alii quoque monuerunt de mendo. Romani tamen correctores & hic nihil mutandum censuêrunt.

Summa summarum hùc redit, versionem vulgatam, ipsius Præfatoris, & Bellarmini & Serarii & Bandini & Lucæ Brugensis & aliorum confessione, necdum esse emendatissimam, quod Præfatio imbecillitati humanæ adscribit, Bellarminus vero & alii consultò & de industria factum esse asserunt, & proinde quod 3. Consectarium erat, Ecclesiæ Romanæ necdum de authenticis Scripturæ tabulis prospectum, Conciliique Tridentini decreto prout vulgò exponitur, de versione ea emendatissimè & accuratissimè castigandâ, necdum esse satisfactum.

CAP. XIII.

Ex superioribus deducitur consect. IV. supra in fine cap 8. propositum. Pontificiorum quorundam limitatio. Nihil leve est in S. Scriptura. Difficile est definire quis locus ad fidem pertineat vel non. Pontificiorum quorundam pertinacia. Serarii discursus, quo probat posse adhuc fieri versionem aliquam vulgatâ meliorem. Responsio ejus ad argumenta in contrarium à Gretzero & aliis producta.

SI in multis mendis librariorum adhuc cubat vulgata Editio, ut suprà ostensum, Si in eâ multi sunt errores Interpretis, quod supra quoque doctissimi Pontificiorum confessi sunt, & innuere videtur Præfatio, quibus corrigendis nunquam admoverunt manum, non malè, opinor, inde extruetur 4. consectarium, plurimùm quoque errare potuisse, atque errasse à vero eandem, cum, quam sequeretur certò constanterque, in veri investigatione ac dijudicatione, Cynosuram ac normam non haberet, ac indubitato authenticoque textu careret. Hic Pontificii obvertunt suum illud Medusæ caput, quo in saxa convertunt intuentes, *Eccle-*

sia non potest errare. Fuerint tot in vulgata Editione tolerata Librariorum menda. Cubet adhuc in mendis. Sint etiam in eâ aliquot errores ipsius Interpretis. Quid tum postea ? Ea fidem & mores non spectant, nullum inde Fidei vel moribus periculum. *Nullus est error*, inquit Serarius, *qui veritati, fidei, bonis moribus ac tutissimæ Lectorum obedientiæ sit adversus*, p. 120. Levicula illa sunt, & parvi momenti. Manet nihilominus vulgata Editio, textus authenticus & certa norma. Respondeo 1. quam verè dicantur suis locis in censurâ nostrâ ad Pentateuchum ostendimus, & porro, Deo volente, ad cæteros libros ostendemus. 2. Eodem modo à Bellarmino aliisque excusari fontes. Qua fronte ergo vulgata præfertur Fontibus, qui utut hic pari passu cum vulgatâ incederent, id tamen habent prærogativæ, quod nulli istis insint errores ab authoribus commissi. 3. Oppono Basilium, qui Epistolâ ad Amphilochium gravissimè, *nihil esse in scriptura*, inquit, *quod non sit magni momenti, etiamsi nobis nihil aut parum esse videatur.* Nec non Possevinum, qui in Bibl. selecta inquit, *in Ebr. Scriptura tot esse Sacramenta, quot literæ; tot mysteria, quot puncta : tot arcana, quot apices.* Ipsum denique Bannes Dominicanum, qui Tomo 1. ad Thom. p. 46. *Omnia quæ in Scr. continentur, utilia esse* dicit, *etsi minima videantur. Quia Deus author Scripturæ nihil sine causâ dixit. Omnia enim refert ad gloriam suam & utilitatem hominum*, Jes. 48. Rom. 15. 2. Tim. 3. Dico 4. cum eodem Bannes, difficile esse dicere, quis locus pertineat ad fidem, quis non. Dico 5. Quò leviores sunt isti errores, quò minoris momenti, eò minori operâ & labore potuisse corrigi. Cur ergo hoc factum non est, aut etiamnum fit? Hic occines mihi rursum causam secundam ex Præfatione, vid. suspicionem de libris posteriorum sæculorum minus puris. Et Bellarm. in Epistola ad Lucam Brug. cujus fragmentum extat in præfat. Lucæ ad Libellum, idem mihi innuere videtur, *Si videro*, inquit, *textum ipsum certò in melius mutari posse, significabo id summo Pontifici & Cardinalibus Deputatis. Sed tu ipse facile vides, non facile hujusmodi mutationes in sacro textu esse faciendas*, &c. Q. d. Tu quidem, Luca, valde urges, ut plura emendentur, sed non temere ejusmodi mutatio facienda est. Certò constare debet de mendo. Codicum alii sic, alii aliter legunt. Quis erit judex? Pontifex? Ille quidem errare in his talibus non potest, & hæc causa ad illum pertinet. At non vacat ei ad has minutias semper

descendere? Fontes? At illi turbidi sunt & minus puri, quàm ut ad eos versiones (& imprimis hæc vulgata) possint examinari & corrigi. Est quidem ita, olim aliter sensi, cum in controversia de verbo Dei inter casus queîs ad fontes liceat recurrere, etiam hos posui, *Quando in codicibus est error aliquis librariorum: aut varians lectio*, (lib. 2. cap. 11.) nunc aliter statuo, &c. Quin propugnator *Gretzerus, Sicubi inter fontes & vulgatam*, inquit, *sit aliquis dissensus, dicam potius corruptum esse textum Ebræum, quàm versioni inesse vitium. Et hoc dicam innixus* (En iterum caput Medusæ) *Ecclesiæ, columnæ & firmamento veritatis*, &c. pag. 1061. Si ergo adeo corrupti sint fontes, quænam affulget spes melioris & emendatioris alicujus versionis? Omnem spem præcidunt illi, qui adeò abjectè de fontibus sentiunt, vulgatam contrà tantopere sublimant. Vnde enim fieret melior, id est, fontibus magis consentanea, nisi ex fontibus? Sed pro fontibus quantum satis est, disputavimus cap. 1. 2. 3. Mihi satis erit hoc loco zelotis istis opponere discursum Jesuitæ *Serarii*, p. 123. col. 2. & 3. *Si autem quærat quis*, inquit, *Primò*, An possit fieri versio aliqua vulgatâ melior? *Videtur negare Bellarmini* * *propugnator* lib. 2. cap. 10. *dum in 2. Bell. argumento contra Hunnium disserit p. 540. Negandi tamen necessitas nulla; vel causa idonea. Nam 1. quæ bona sunt, possunt fieri meliora, dum ex eo rerum genere sunt, quæ bonitatis ac perfectionis intensionem ac remissionem admittunt. Hujusmodi autem est Bibliorum è fontibus Ebræis vel Græcis versio. 2. Interpretationis sermonum charismæ potest majus & minus à Deo dari. Potest enim majore similiter aliquem ornare sapientiâ, intellectu, consilio, efficientiâ miraculorum. Cur non & majore sacras literas transferendi facultate? non est ejus restricta vel abbreviata manus Jesa. 59.1. 3. Posset D. Hieronymo aliquis existere doctior, linguarum callentior diligentior & sanctior; Deo ipsi devotior & gratior. Quid huic ergo, quò minus meliorem nobis ederet versionem, deesset? 4. Si vel Pontifex vel Oecumenica Synodus, unum vel plures doctissimos, linguarumque scientissimos, qui & virtute & fide & timore Dei excellerent, uni ejuscemodi conficiendæ versioni admoveret, deinde confectam ab iis versionem totam vel uno aliquo tempore simul, vel paulatim & per partes diligenter examinaret & expenderet, nonne fieri aliquid posset perfectius? Si in Calendario, si in Bibliorum nostrorum & Breviariorum & Missalium correctione id potuit, cur non & in aliâ posset Bibliorum translatione? 5. Accipiantur omnia ea versionis nostræ loca, quæ faten-*

* Gretzerus.

tentur Catholici Theologi versa obscurius, & ad fontes, ubi de eorum cœno aliquo suspicandi causam non habent, minus etiam accommodatè; Si omnia hæc ab Ecclesiâ verterentur clarius & ad eosdem fontes accommodatius, in terimque retinerentur nostræ versionis alia omnia, nonne talis foret Editio melior? Sumatur exemplum ex uno duntaxat Ps.67.alias68.13.&14. Rex virtutum dilecti, &c. Si dormiatis inter medios cleros, &c. 6. Et verò fieri hoc posse significat non obscurè Præfatio, quæ in Latinis Bibliis correctis ad lectorem est, dum ait in ea correctione propositum non fuisse, novam aliquam editionem cudere, quasi diceret, quod fieri quidem posset: necessarium tamen & utile jam non fuit, ideoque nec tentatum. 7. * Nec omnino id infirmat ulla, quæ objici posset, ratio. Verbi causa. 1. Nostra est nunc quoad declarationem authentica & semper in se talis fuit. 2. Hanc Spiritus S. præ aliis omnibus conservavit, &c. 3. Si melior aliqua fieri posset, posset itidem nostra hæc aliquo prætextu rejici, cum posteriores jam partes teneret. 4. Damnat Recognitorum nostrorum Bibliorum præfatio eorum judicium, qui quam S. Hieronymus meliora aut certè pariæ præstare se posse confidunt. Respondeo ad primum. posse duas esse versiones authenticas, quæ adventitiâ tantum perfectione ac bonitate differant. Vtraque enim bona esset, altera verò tantum melior. Ad secundum, Posset eandem porro adhuc conservare Deus, vel si nostram tolli vellet, suffecisset ejus in locum aliam perfectiorem. Ad tertium, Etiamsi nostra hæc meliori alicui postponeretur, non ideo tamen velut prava & vitiosa rejiceretur, ut supra quæst. 12. expositum. Ad quartum, confidendi, quo præfatio illa utitur, verbum, temeritatem, arrogantiam & audaciam importat. * Si quis autem vel ut S. Hieronymus, à Damaso aliquo, vel Concilio Sancto monitus id susciperet operis, non confidentia aliqua, sed obedientia, charitate, Spirituque S quod aliàs diffideret, faceret. Si quærat quis secundo, An talis aliquando futura sit perfectior Editio? Respondeo 1. cum Amos 7. vers. 14. Nec sum propheta, nec prohetæ filius 2. Si ex præteritis capienda esst conjectura, ea in utramque partem capi posset aliqua, &c.

N B.

* Diluit argumenta Gretzeri in contrarium & aliorum.

* Nunquid Pagninus Leone X. hortante teste Senensi, hoc præstitit?

CAP. XIV.

Transitur ad occasionem & scopum nostræ Censuræ. Consilium nostrum de ejus continuatione, Ariæ Montani Vaticinium de Iesuitis. Marino Marsenno cur respondendum censuerimus.

VIdimus hactenus genuinum decreti interpretamentum: Vidimus difficultates, quibus doctissimi Pontificii, ipsique adeò Pontifices Sixtus V. & Clemens VIII. idipsum pressêre, atque etiamnum premunt. Audivimus vota devotorum Ecclesiæ Rom. Filiorum, ut vel semel tandem gravissima illa circa decretum hoc exorta controversia à Romano Pontifice decidatur. At cum surdam iis aurem obvertat Pontifex, cum non revocet declaramentum illud, quod delecti Cardinales anno 1576. Januarii die 17. dedêre; cum in Hispaniâ, ubi Sanctæ Inquisitionis primaria Sedes est, moderatiores illi decreti interpretes malè mulctati sint, in eam planè descendi sententiam, eos ex mente Pontificis Rom. (in eum enim ultimò semper resolvitur Ecclesiæ speciosum nomen) atque ex dignitate celeberrimi concilii, decretum illud esse interpretatos, qui statuerunt, versionem vulgatam non modò in rebus Fidei & morum, sed & in aliis omnibus omni omnino errore carere, & proinde ne prætextu quidem fontium qui jam turbidi fluunt & malitiâ Judæorum corrupti sunt, rejiciendam. Hinc existimavi semper, optimè de Ecclesiis Euangelicis fuisse meritos qui huic decreto masculè intercessêre, qui non tantum hoc sibi agendum putârunt, ut incorruptam textus Ebr. veritatem astruerent, sed etiam ostenderent.

> *Eam versionem, quæ tot locis corrupta est, vitiosa, ambigua, & ob id sæpe periculosa, quæ multis locis vana, superflua, mutila, quæ Sp. Sancti mentem, etiam ubi exprimi potuisset, non exprimit, majestatem verò nusquam assequitur, quæ denique sat lucis in se non habet ad Scr. phrasin & sententiam illustrandam, nullo modo vel solam vel unà cum fontibus posse esse authenticam.*

Verum enimverò cum Syllogismi, cujus illa major est, minorem, *vulgatam vid. talem esse*, nullus, quod ego quidem sciam, ex professo susceperit probandam, seriò aliquoties cogitavi, nunquid cum fructu in singulos vulgatæ libros Censura institui posset, atque in unum volumen redigi, tum quicquid in eam à Theologis tam Euangelicis quàm Pontificiis sparsim & per occasionem noveram animadversum, tum quicquid ab iis posterorum indu-

striæ

ſtriæ videbatur relictum. Hic poſtquam Theologi quidam ex Anglia nos conſiliis & hortamentis ſuis animaſſent, ſuccurit etiam judicium Cl. Theol. *VVitakeri*, qui in accuratiſſimis ſuis de Scriptura diſputationibus contr. 1. qu. 2. cap. 10. circa finem, poſtquam aliquot errores vulgati ex Geneſi obiter indicaſſet, ſic tandem deſinit, *Et verò cùm multi SS. literas ex fontibus in varias linguas tranſtulerint, hujuſque vulgatæ Editionis errores in ſuis verſionibus correxerint, ii ſanè mihi laborem perutilem præſtare viderentur, qui librum de hujus verſionis erroribus ſeparatum diligenter & accuratè conſcriberent. Ex hoc enim labore omnes id commodi perciperent, ut quantum inter Ebrææ veritatis puriſſimos fontes & hujus cœnoſos rivulos intereſſet, videre poſſent.* Quod magni viri judicium cum ad aliorum conſilia acceſſiſſet, accinxi lumbos meos, & cum priorem operis partem quæ circa Moſen verſatur, elaboraſſem, adhibitis in conſilium Theologis Belgicis, eam evulgavi. Quo in opere ſic verſatus ſum ut craſſiora tantum ſphalmata detexerim, ne in immenſum iret & labor & ſcriptum. Produxi paſſim advocatos ipſos Pontificios, quorum multi & commentariis & alibi extra diſputationis calorem liberè ſatis vulgatam caſtigârunt. Eminent autem hic duo Romanæ Eccleſiæ lumina, Cajetanus, & Auguſt. Steuchus Eugubinus. Feci hoc edoctus à Jeſuita Serario, qui his potiſſimùm caſibus hæreticos nominandos & citandos eſſe docet, Minervalis lib. 1. cap. 6. *Primò cum committendi ſunt inter ſe AEgypti. 2. cum ſententiæ alicui, ut firmior apud alios Novatores ſit, quædam veluti ἐρείσματα & anterides aſtruendæ, ut eorum, ne illas duntaxat oppugnent acrius, linguarias cohibeant machinas.* Multa quæ ipſi Papiſtæ carpsêre, tranſmiſimus, non quod putaremus, ea injuſtè cenſoria virgula ab iis fuiſſe notata, ſed 1. quia ipſi aliquod velamentum prævidebamus, quo ea aliquatenus tegi & obvolvi poſſent. 2. Ne videremur nimiâ carpendi prurigine & ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς laborare. 3. Quia prævidebamus vel ſola inexcuſabilia ſphalmata ſatis fore ſic ſatis craſſo volumini implendo. Paucula tamen quædam periculo verbiſque ipſorum Papiſtarum, e.g. Cajetani, Steuchi, Lyræ, Joh. Benedicti, &c. taxavimus, cujus rei rationes nobis non defuère. Sciens volenſque nunquam prævaricatus ſum, nullumque adeo locum meis verbis caſtigavi, de cujus excuſatione poſt ſeriam meditationem non deſperavi, niſi fortè novum Lexicon & novam Grammaticam, Rom. Ponti-

fex

ſex procuderet. Dixi & profeſſus tunc ſum, me iſtis quæ ullo modo excuſabilia mihi videbantur, præteritis, ea ſolummodo perſecutum eſſe, quæ manifeſtè vitioſa, corrupta, ſuperflua, mutila & periculosè ambigua, quæ denique eam lucem ad Spiritus S. mentem exprimendam non habent, quam habere poſſent. Ne verò regererent Pontificii, vulgatam verſionem, iis, quæ nos annotavimus, locis, ab Ebræo quidem textu, ut nunc extat, id eſt, ut Gretzerus loquitur, impuro & corrupto, diſſentire, at non ab eo qui fuit olim, limpido vid. & puro, produxi paſſim LXXII. interpretes, queîs vulgò communis, quæ jam extat, Græca verſio adſcribitur, & Chaldæum Paraphraſten, nec non Fragmenta Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, &c. qui omnes Hieronymo, quem vulgatæ patrem faciunt, antiquiores. Certè quâ fronte aſſeret adverſarius, ea loca textus Ebraïci poſt Hieronymi ætatem corrupta, quæ ante eum eo quo etiamnum leguntur modo lecta fuêre. Quod ideo notandum duxi, ne quis eas ideo à nobis productas arbitraretur, quod vitioſum putemus, quicquid ab iis diverſum abit. Ariam Montanum & Pagninum in prima parte rariſſimè citavimus, eò quod præclaros iſtos viros eodem ferè cum hæreticis ordine ab impudentioribus Papiſtis habitos atque etiamnum haberi non ignoraremus. Ariam certè ob præclaram illam operam, in Bibliorum Regiorum Editionem inſumptam, variarum hæreſium apud Romanum Pontificem poſtulatum ex Apologia ejus conſtat, quam Hiſpanicè conſcriptam & in expugnatione Caletana ante annos aliquot inventam Angli in patriam ſuam detulerunt, atque in Oxonienſi Bibliotheca etiamnum aſſervant. Vtinam verò tandem Cl. Theologus, *Thomas Jameſius*, quod ſæpe promiſit, ejuſve in curà Bibliothecæ ſucceſſor, ſcriptum illud Latine verſum univerſo orbi communicaret! Sed quid verbis opus eſt & ad ἀνέκδοτα confugio; Vel ſola Ariæ in Biblia Interlinearia præfatio docet, quam laborum gratiam ipſi retulerint Jeſuitæ. Eos enim ab illo perſtringi plane indubium eſt. *Eroſtratus*, inquit, *cum Pagninum vivum habere non potuit, noſtrum pro aliis omnibus nomen proſcindendum ſuſcepit, nactus fortaſſis opportunitatem in quorundam animis & conſiliis, qui cum ſoli ſapere, ſoli benè vivere, JESVMQVE propius inſequi & COMITARI ſibi videantur, me, qui minimum atque adeo inutilem Jeſu Chriſti DISCIPVLVM ago, odio habuerunt gratis.* Atque hi aliorum, quos ad

iam rem occultè inducere possunt & ingeniis & nominibus abutuntur. Horum autem nos nec artes fallunt, nec gregem prodere aut cognomen indicare juvat. Vtuntur illi quidem magno & ad res suas agendas inaccessibili mysterio, sed quod facilè pelluceat, quodque non nisi post multos annos tandem aperiendum est, virtute illius qui illuminat abscondita cordis & occulta tenebrarum, Hæc Arias. Secuti sumus denique textum vulgatum, quem Clemens VIII. recognovit, minus ingenuum rati, ea exagitare, quæ ille sustulerat. Passim quoque annotavimus, quinam errores ex prava versione vel ortum & incrementum sumpserint. Prætereo alia quæ in Proleg. meis tunc edisserui.

Cum verò Ecclesiis Euangelicis placere eum laborem intellexissem, perrexi ad libros Historicos, in quibus paulò liberius nos diffudimus, difficiliora loca etiam à vulgata non male translata, ex fontibus præstantiorumque Interpretum versionibus illustravimus. Cum & illos absoluissem, animus mihi διάνδιχα μερμήριξε, utrùm illam quoque partem seorsim ederem, an verò eam eo usque premerem, donec cæteros quoque V. T. libros percurrissem. Interim oblata mihi fuit occasio translationem nostram Belgicam, quæ ex Germanicâ B. Lutheri traducta est, cum fontibus & accuratioribus versionibus conferendi, cujus molesti operis, ut & Grammaticalium meorum opusculorum editio haud paucos mihi menses eripuit. At dum laboribus istis exantlatis ad vulgatam redeo, moneor à Rev. & Clarissimo Theologo, *Andreâ Riveto*, Theologum quendam Parisiensem in Censuram meam strinxisse calamum. Communicat mihi ejus scriptum, opus grande in folio, promittens quæstiones celeberrimas in Genesin cum accurata textus explicatione & vulgatæ Editionis ab hæreticorum calumniis vindicatione. Dum vero illud evolvo, video non ultra octavum Geneseos caput opus illud ab authore productum. Profitetur se monachum ordinis minimorum *S. Francisci de Paula*, vocat se omnium hominum minimum. At dum pergo, video eum, instar Aristarchi cujusdam & censoris, præstantissimis Heroibus non solùm Euangelicis, sed & Pontificiis insultare. Ibi misellus ille Grammaticaster *Amama*.

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.

Quid facerem? Planè stabat sententia, insuperhabito hoc Theologo, in pertexendâ meâ censura, eâque in omnes V.T. libros

edenda diligenter pergere, atque in Præfatione prædictum Marsennum amicè invitare, ut vulgatam, quo ad ejus fieri posset in locis à me notatis, defenderet; Putabam enim me tunc majori operæ pretio Apologiam meæ Censuræ editurum. At cum in libris Propheticis multa mihi adhuc deesse subsidia viderem in hoc præsertim Belgii angulo, ubi & libris & Bibliothecis non ex voto instructi sumus, opus illud non duxi esse præcipitandum. Interim hoc mihi opus Misologi nostri extorserunt, in quod illos quoque vulgati Interpretis lapsus conjeci, ex quibus alii errores vel nati vel constabiliti sunt, reliquos censuræ ex professo institutæ reservaturus. Interim ne *Marsennus* à longiori silentio meo cornua sumeret, placuit hîc quoque in ipso limine libri 2. censuras nostras, suis quasque locis, adversus ejus convitia & dicteria defensare.

Quia Bulla *Sixti* V. cujus sæpius in superioribus facta est mentio, in nullis amplius Bibliorum Editionibus, quæ tamen ab ipso *Sixtina* denominantur, comparet, neque in posterum comparebit, non existimavi pio Lectori fore nolenti, si eam hic repræsentarem.

SIXTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

ÆTERNUS *ille, cœlestium, terrestriumque rerum omnium conditor ac moderator Deus, Ecclesiam sanctam veluti deliciarum Paradisum, suâ ipsemet dextrâ, tanquam providus Agricola, variis plantis, stirpibusque mirificè conseuit, simulque uberrimo sacrarum ean-*

dem scripturarum fonte, pluribus quasi fluviis, in universum terrarum orbem diffusis, sic irrigavit, ut sancta mysteria, oraculaque divina, quæ sacris continentur libris, sicut in cunctarum gentium salutem parabantur, ita à tribus illis potissimum enunciaretur linguis, quæ in omnium auribus nationum maximè percrebuerunt, nec non sanctissimæ crucis titulo consecratæ, Salvatoris nostri Regnum, Hebræis, Græcis ac Latinis literis prædicarunt. At callidissimus humani generis hostis, cujus invidia mortis aculeus, cujus superbia peccandi magisterium fuit, nullum non movit lapidem, ut cælestem divini verbi sementem, quantum in ipso erat, aut nascentem opprimeret, aut extirparet enatam, aut adultam vitiaret, id verò præcipuè omni conatu, ac machinatione tentavit, ut sacrorum quædam corruptissimæ Bibliorum editiones prodirent, atque ita impietas sub pietatis figura delitesceret, ac populis scoria pro argento, fel draconum pro vino, pro lacte sanies obtruderetur. Cumque non in Hæreticis tantum, sed in Catholicis etiam quibusdam, tametsi consilio dissimili, subortum sit nimium quoddam nec planè laudabile studium, & quasi libido scripturas Latinè interpretandi: idem malorum omnium artifex Satanas per illos, licet tale nihil cogitantes, ex hac ipsa tam incerta ac multiplici versionum diversitate & varietate sumpta occasione, sic miscere omnia atque in dubium revocare, &, si fieri posset, rem eò perducere contendit, ut dum scripturarum verbis diversi interpretes aliam atque aliam formam, ac speciem induunt, nihil in iis certi, nihil rati ac firmi, nulla denique inviolabilis auctoritas sine magna difficultate reperiri posse videretur, ita ut hoc seculo valdè timendum fuerit, ne in priscum illud editionum Chaos rediremus, de quo B. Hieronymus inquit: Apud Latinos tot sunt exemplaria quot codices: & unusquisque pro arbitrio suo addidit vel subtraxit, quod ei visum est; & utique non potest verum esse, quod dissonat.

In præfat. in Iosu. & in præfat. quat. Euang. tom. 3.

In lib. 2. c. 11. de doctr. Christiana tom. 3.

Itidemque sanctus Augustinus dixit, Latinos scripturarum interpretes nullo modo numerari posse. Vt enim (ait) cuique primis fidei temporibus in manus venit codex Græcus & aliquantulum facultatis sibimet utriusque linguæ habere videbatur, interpretari ausus est. Quare huic morbo sacrosancta Tridentina Synodus mederi cupiens, statuit ut ex omnibus, quæ circumferuntur sacrorum librorum Latinis editionibus, ipsa vetus, ac vulgata, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata est editio, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur, & nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat. Hæc autem vulgata editio cum una esset, variis lectionibus in plures quodammodo distracta videbatur. Quarum licet nonnullas, aut veterum codicum, aut sanctorum patrum invexisset auctoritas plurimæ nihilominus vel ex injuria temporum, vel ex librariorum incuria, vel ex impressorum imperitia, vel ex temerè emendantium licentia, vel ex recentiorum interpretum audacia qui, Ecclesiæ filii dum sint, minus tamen Ecclesiæ doctoribus, quàm judæorum Rabbinis morem sibi gerendum putarunt: vel demum ex hæreticorum scholiis ad marginem, captiosisque fallaciis obrepserant. Et, quamvis in hac tanta lectionum varietate nihil hucusque repertum sit, quod fidei & morum causis tenebras offundere potuerit, verendum tamen fuit, ne crescente magis ac magis in dies addendi, detrahendi temeritate, hæc probatissima scripturarum Editio, quam vinculum pacis, fidei unitatem, charitatis nexum, dissentientium consensionem, certissimam in rebus dubiis normam esse oportebat, plerisque contrà, schismatis, & hæresis inductio, dubitationum fluctus, involutio quæstionum, discordiarum seges, & piarum mentium implicatio multiplex evaderet. Quod in 70. interpretum Græca editione beatus Hieronymus, in Latina verò sanctus Augustinus olim accidisse commemorant,

Sess. 4. decreto de editione & usu sacrorum librorum.

In Præfat. in Esdram & Nehemiam Idem in priori præfat. in Paralipom, tom. 3. Epist. 10 ad Hieronymum tom. 2.

rant. Tanta autem labes ne adhuc ulterius serperet, sensimque in vulgatam editionem nostram manaret, sapienter eadem Oecumenica Synodus Tridentina decrevit, ut hæc ipsa vetus, & vulgata editio post hac quàm emendatissimè imprimeretur. Verum quia nihil profuisset hujus editionis auctoritatem gravissimo sanxisse decreto, si illius quæ germana esset lectio nesciretur, sacerque textus ita disputantium pateret arbitrio, ut is qui adversus perfidum hostem, tanquam validissimus mucro districtus fuerat, idem & Clypeus fieri posset, quo debilitati jam, cæsique hostis latera tegerentur: Id igitur nos indignè ferentes, eòque indignius, quòd per hosce * viginti duos annos, *qui a dicti Tridentini Concilii decreto, ad nostri usque Pontificatus exordium interfluxerant, licet hujusmodi opus aliquando cœptum fuerit, tamen ob alias fortasse occupationes intermissum, nullumque huic imminenti malo remedium adhibitum fuerat: ac propterea tanto impensiore cura ac studio id prosequendum censentes, quantò magis & ab omnibus Dei Ecclesiis expetitur, & a synagogis Satanæ reformidatur; Cum primum ad Apostolicam beati Petri sedem divina nos miseratio, meritis licet imparibus evocavit; nihil tandem antiquius habuimus, quàm ut primo quoque tempore, optatissimam istam vulgatæ editionis emendationem aggrederemur. Itaque viros complures doctos, qui sanctarum scripturarum, sacra Theologia, multarumque linguarum scientia, ac diuturno variarum rerum usu, acrique, cum aliquid discernendum est, judicio, ac solertia, præstarent, delegimus, ac simul congregavimus, ut in germana sinceraque sacri textus editione perquirenda, strenuè laborarent, nobisque adjumento forent. Nos enim rei magnitudinem perpendentes, ac proinde considerantes, ex præcipuo ac singulari Dei privilegio, & ex vera ac legitima successione Apostolorum Principis B. Petri, pro quo Dominus ac redemptor noster, ab æterno Patre pro sua reverentia proculdubio* Hebr. 5.

* N B. terminum à quo ipsi esse annum 156. quo finitum est. conciliú. Nobis vero supra p. 64. annum 1546. quo rogatum fuit hoc decretum.

 exau-

exauditus, non semel tantum, sed semper rogavit, ut ejus fides non humana carne & sanguine, sed eodem Patre inspirante ei revelata, nunquam deficeret. Cui etiam Dominus injunxit, ut cæteros Apostolos in eadem fide confirmaret: qui denique sicuti confidimus, divinam pro nobis opem usque ad consummationem sæculi, Ecclesiæ Catholicæ promissam, implorare non cessat, ad nos in ejusdem Petri cathedrâ, in qua ejus vivit potestas, & excellit auctoritas, Deo sic disponente constitutos, totum hoc judicium propriè ac specialiter pertinere, Dei omnipotentis auxilio suppliciter invocato, & ipsius Apostolorum Principis auctoritate confisi, ob publicam sanctæ Dei Ecclesiæ utilitatem haudquaquam gravati sumus, inter alias Pontificiæ solicitudinis occupationes, hunc quoque non mediocrem accuratæ lucubrationis laborem suscipere, atque ea omnia perlegere, quæ alii collegerant, aut senserant, diversarum lectionum rationes perpendere, sanctorum doctorum sententias recognoscere: quæ, quibus anteferenda essent, dijudicare, adeo, ut in hoc laboriosissimæ emendationis curriculo, in quo operam quotidianam, eamque pluribus horis collocandam duximus, aliorum quidem labor fuerit in consulendo, noster autem in eo, quod ex pluribus esset optimum, deligendo: ita tamen, ut veterem multis in Ecclesia ab hinc seculis receptam lectionem omninò retinuerimus. Novam interea Typographiam in Apostolico vaticano Palatio nostro ad id potissimum magnificè extruximus, atque ad ejus curam, congregationem aliquot sanctæ, Rom. Ecclesiæ Cardinalium, & insigne collegium doctissimorum virorum ferè ex omnibus Christiani orbis nationibus, & celeberrimis studiorum generalium universitatibus, amplis opulentisque reditibus dotatum deputavimus, ut in ea emendatum jam Bibliorum volumen excuderetur: eaque res quo magis incorruptè perficeretur, nostra nos ipsi manu correximus, si qua prælo vitia obrepserant, & quæ confusa. aut facilè confundi posse videban-

Marginal notes: Luc. 22. — S. Leo serm. in Nativit. S. S. Petri & Pauli. — N.B.

bantur, ea intervallo scripturæ, ac majoribus notis, & interpunctione distinximus. Cæterum nostri ne hujus consilii, institutique rationes ignorentur, sed potius universæ Ecclesiæ Catholicæ, ipsique posteritati notissimæ, ac testatissimæ relinquantur, cunctique facilè intelligant, quisnam ordo in hoc opere conficiendo, quæ lex aut methodus inita, quæ indagandi veri norma à nobis servata sit: Illud sanè omnibus certum atque exploratum esse volumus, nostros hos labores, ac vigilias, nunquam eò spectasse, ut nova editio in lucem exeat, sed ut vulgata vetus ex Tridentinæ Synodi præscripto, emendatissima, pristinæque suæ puritati, qualis primùm ab ipsius interpretis manu stiloque prodierat, quoad ejus fieri potest, restituta imprimatur. In hac autem germani textus pervestigatione, satis perspicuè inter omnes constat, nullum argumentum esse certius ac firmius, quam antiquorum, probatorumque codicum Latinorum fidem, quos tam impressos, quàm manuscriptos, ex Bibliothecis variis conquirendos curavimus. In quacunque igitur lectione plures vetustiores, atque emendatiores libri consentire reperti sunt, ea jure optimo tanquam primigenii textus verba, aut his maximè finitima, retinenda decrevimus. Id verò ad germanam editionem constabiliendam, præsidium sic ubi desideratum est, tunc sanctorum patrum, veterumque expositorum enarrationes, quibus diversa scripturarum loca, & libros illustrarunt, subsidio fuere: è quibus quicquid è re nostra observatum fuit, id in hujus operis partem adscitum est. In iis tandem quæ neque codicum neque doctorum magna consensione satis munita videbantur, ad Hebræorum, Græcorumque exemplaria duximus confugiendum, non eo tamen, ut indè Latini Interpretis errata corrigerentur, sed ut in eorum verborum locum, quæ, cum apud Latinos ambigua sint, potuißent, quo non oporteret, inflecti, certum aliquid, atque indubitatum sufficere-

re-

retur sive ut, quod apud nos variantibus codicibus inconstans, diversum, ac multiplex erat, id uniforme, consonum, uniusque modi, ipsorum fontium veritate perspecta, sanciretur. Sapienter enim B. Hieronymus in explanandis sacris scripturis doctor maximus admonebat, ut quemadmodum in Novo Testamento, si quando apud Latinos quæstio exoritur & est inter exemplaria varietas, ad fontem Græci sermonis, quo novum Testamentum est scriptum, recurri solet: Ita si quando inter Græcos Latinosque diversitas est in Testamento, tunc ad Hebræam recurramus veritatem, ut, quicquid de fonte proficiscitur, hoc quæramus in rivulis: Quod etiam B. Augustinus iis qui scripturam tractant, inter alias regulas tradidit. Laudabilem itaque sanctorum Patrum consvetudinem religiosè secuti sumus, dum in iis, quæ apud Latinos nimis ambiguè dicta, seu variata habentur, Hebrææ Græcæque linguæ fidem & codices inspeximus, sed ne id licentius fieret quam æquum erat, solers cautio adhibita fuit. Neque enim ignoramus multos esse, qui plerasque Latinæ hujus editionis voces ac locutiones propriè, aut eleganter, aut perspicue, aut breviter, aut copiosè magis, aut tanquam verbis ad verba demensis, à Latino interprete verti potuisse existiment; verum de his minuta nimium & angusta concertatio videtur: neque enim tanti sunt, ut non iis & antiquioris Ecclesiæ religio, & sanctissimorum Patrum jure anteponatur auctoritas; prorsusque indignum est, B. Gregorio teste, ut sub Donati regulis verba cœlestis oraculi restringantur: ac tanta per se est vulgatæ editionis auctoritas, tamque excellens præstantia, ut majorem desiderare, penitus inane videatur Qui namque in ea libri continentur (ut à majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) retenti sunt partim ex communi, & antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus Hieronymus vulgatam editionem, B. Augustinus

In Epist. ad Suniam & Fretellam, tom 3.

S. Aug l.2. de Doct. Christiana c.14. & 15. tom 3. & lib. II. contra Faustum cap. 2. tom. 6.

Epist ad Leandr. in expos in Iob. cap. 5.

Ita

Italam, sanctus Gregorius veterem translationem appellant, quam sanctus itidem Augustinus cæteris, quæ tunc plurimæ in usu erant etiam præferendam censuit, quod esset verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ; partim ex sancti Hieron. translatione adsciti fuere, quibus idcircò quantus honor deferendus sit, is facile intelligit, qui eorum Interpretis dignitatem agnoscit. Fuit enim sanctus Hieron. (ut inter cæteros idem B. Augustinus testatur) Græco, Latino & Hebræo eruditus eloquio, & ex occidentali ad orientalem transiens Ecclesiam, in locis sanctis, literisque sacris, ad decrepitam usque vixit ætatem: atque omnes, qui ante illum ex utraque orbis parte doctrina Ecclesiastica scripserant, pene vidit aut legit: cumque non modo Augustinus, Chromatius, Paulinus, cæterique sanctissimi Episcopi, sed etiam Damasus Pontifex Rom. de scripturarum locis consulebant. Nec immerito tantam apud omnes nominis celebritatem, in sanctarum præsertim scripturarum scientia adeptus fuerat. Cum ad eam consequendam, nullis vigiliis, nullis peregrinationibus pepercerit, & doctissimos quosque in Gallia audiverit: Constantinopoli Gregor. Nazianzenum, Alexandriæ Didymum, & alios alibi conquisiverit, usus denique clarissimis Hebrææ linguæ magistris: Non enim uno aliquo doctore contentus fuit, sed plurimos eosque eruditissimos adhibebat: non rerum modo, verum etiam nominum sedulus indagator. Quinimò & loca ipsa, quæ in scripturis sæpè commemorantur, inspexit, idque ad intelligentiarum scripturam summopere sibi profuisse testatur. Quicunque igitur tanti Interpretis sanctitatem, ingenium, eruditionem, solertiam, Magistros, labores, illud, in quo vixit, seculum, cum linguarum omnium, ac præsertim Hebrææ studia florerent, diligenter spectaverint, facile judicium damnabunt eorum, qui aut tam eximij Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, aut etiam meliora seu paria præstare se posse confidunt. Multò sanè

S. Hieron. comment. in Isaiæ c. 49. tom. 4.

S. August. lib. 2 de doct. Christ. c. 15. tom. 3.

lib. 1. contra Iulian Pelagium tom 7.

In præfat. in Paralipom. ad Domnionem & Rogatianum tom. 3.

rectius sanctus Isidorus, venerabilis Beda presbyter, sanctus Remigius, Alcuinus, Fortunatus, Rabanus Maurus, sanctus Anselmus, B. Bernardus, Haymo, Richardus, & Hugo Victorinus, Petrus Cluniacensis, Rupertus Abbas aliique complures egregii doctores, qui per mille ab hinc annos in Ecclesia claruerunt, qui Hieron. versione ita in omnibus disputationibus, enarrationibus, declamationibus usi sunt, ut cætera, quæ penè innumerabiles erant, quasi lapsæ de Catholicorum Patrum manibus obsoleverint. Ideòque legimus apud sanctum Isidorum, quoniam de Hebræo in Latinum eloquium sanctus tantummodo Hieron. sacras scripturas convertit, ejus Editione generaliter omnes Ecclesias usquequaque uti, eo quod veracior est in sententiis & clarior in verbis. Et ante Isidorum B. Gregorius Magnus ferè idem senserat. Nec Latini modo Patres, sed Hebræi quoq; Græcique cum Latinos alios Interpretes negligant, aut ignorent, Hieronymum tamen amplissimo suo testimonio & honore dignum esse censuerunt. Nam de Hebræis idem Augustinus: de Græcis autem ipsemet sanctus Hieronymus scribit, à Sophronio viro optimè erudito Psalterium, & Prophetas, quos Hieronymus ex Hebræo in Latinum verterat, in Græcum eleganti sermone translatos fuisse. Quemadmodum ergò laudabile est, ubicunque nostri codices ipsi per se aut conciliari, aut intelligi non possunt, linguarum externarum præsidia quærere; ita, cum id necessarium non est, levissimis de causis majorum nostrorum sanctitatem, sapientiam, consensum, vetustissimamque Ecclesiæ consuetudinem non vereri, temeritas planè, pertinaciaque censenda est. Atque idcircò B. Hieronymus qui Hebræos, Græcosque interrogandos esse dubiis in rebus admonet, idem etiam sentit, eo non nisi parcè, & quantò rarius fieri potest (ne, quæ longo recepta sunt usu, fluctuent) recurrendum. Qua de causa ad Novi Testamenti translationem, quamvis hortante Damaso Pontifice, tardior fuit, pium appellans laborem,

lib. I. de officiis divinis cap. 12.

lib. 20. Moral c. 24 tom. 2.

lib 18. de civit. Dei c. 43. tom 5. De viris illustribus in Sophronio.

In præfat. quatuor Euangeliorum tom 3.

rem, sed periculosam præsumptionem judicare de cæteris, ipsum ab omnibus judicandum, senis mutare linguam & canescentem jam mundum ad initia retrahere parvulorum. Quis enim doctus pariter, vel indoctus, cum in manus volumen sumpserit, & à nativa, quam semel imbibit, viderit discrepare quod lectitat, non statim erumpat in vocem, falsarium illum clamitans, & sacrilegum, qui audeat in veteribus literis addere, mutare, corrigere? Notissimumque est illud de Ionæ cucurbita, quæ in veteri editione legebatur; pro quo cum Hieronymus hederam posuisset, quodam in Africa Episcopo interpretationem Hieronymi in Ecclesia lectitante, factus est tantus tumultus in plebe propter unius vocis dissonantiam, ut coactus sit Episcopus, ne sacerdotio dejiceretur, damnare quod legerat. Quare meritò sacra Tridentina Synodus veteris vulgatæ editionis libros non aliter, quam prout in Ecclesia legi consueverit, pro Canonicis suscipiendos decrevit. Nos autem ut hæc vetus editio, quæ nunc prodit, nostro excusa prælo, ejusdem Synodi præscripto modis omnibus responderet, non solum veteres, & ab Ecclesia receptos loquendi modos conservavimus, sed etiam apocrypha rejecimus, authentica retinuimus. Nam tertium & quartum Esdræ libros inscriptos, & tertium Machabæorum, quos Synodus inter Canonicos non annumerat, assentientibus etiam in hoc prædictis Cardinalibus congregationis super Typographia Vaticana deputatæ, ab hac editione prorsus explosimus. Orationem etiam Manassæ, quæ neque in Hebræo, neque in Græco textu est, neque in antiquioribus manuscriptis Latinis exemplaribus reperitur; sed in impressis tantum post librum secundum Paralipomenon affixa est, tanquam insutam, adjectam, & in textu sacrorum librorum locum non habentem, repudiavimus. Non-nullas etiam aliquando sententias, quæ aliunde accersitæ, vulgatæ editioni interpositæ erant neque in antiquis

Epist. 10. & 11. tom. 1.

Sess. 4.

exemplaribus, neque in sanctorum commentariis inveniebantur, delevimus. Hanc denique editionem à variis, qui vitio multorum irrepserant, erroribus accuratè emendavimus, & purgavimus, atque in pristinam veritatem summa diligentia restituimus. Neque verò est quod quispiam miretur, si aliqua sacra loca aliter in sanctis quibusdam doctoribus legerit, quàm in hac editione conscripta sunt. Nam Ambrosius, Augustinus & alii plurimi septuaginta interpretum editionem plerunque secuti fuerunt. N. B. *Ad laudem igitur & gloriam omnipotentis Dei, Catholicæ fidei conservationem & incrementum, ac sacrosanctæ universalis Ecclesiæ utilitatem, hac nostra perpetuò valitura constitutione de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super Typographia vaticana deputatorum consilio & assensu, quorum opera & industria in hac ipsa vulgatæ editionis emendatione, in rebus præsertim gravioribus usi sumus,* N. B. *& ex certa nostra scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine statuimus, ac declaramus, eam vulgatam sacræ, tam veteris, quàm novi Testamenti paginæ Latinam editionem, quæ pro authentica à Concilio Trident. recepta est, sine ulla dubitatione, aut controversia censendam esse hanc ipsam, quam nunc, prout optimè fieri potuit, emendatam, & in vaticana Typographia impressam in universa Christiana Repub. atque in omnibus Christiani orbis Ecclesiis legendam evulgamus, decernentes, eam prius quidem universali sanctæ Ecclesiæ, ac sanctorum patrum consensione, deinde verò generalis Concilii Tridentini decreto, nunc demum etiam Apostolica nobis à Domino tradita auctoritate comprobatam, pro vera, legitima, authentica, & indubitata in omnibus publicis privatisque disputationibus, lectionibus, prædicationibus, & explanationibus recipiendam & tenendam esse. Districtis verò inhibemus, ne unquam perpetuis futuris temporibus,*

nova

novæ vulgatæ editionis posthac Bibliorum sine expressa Apostolicæ sedis licentia textus imprimatur: neve quisquam privato aut peculiari suo sensu aliam editionem sibi confingere, neve hanc ipsam veterem vulgatam à nobis, ut præfertur, restitutam editionem, intra decem annos à datis præsentium numerandos, tam citra, quam ultra montes, alibi quam in nostra Typographia vaticana, imprimere audeat, vel præsumat. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo sanctas scripturas typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographia vaticana excuso, eodemque Inquisitoris hæreticæ pravitatis ejus provinciæ, vel si Inquisitor in ea provincia non sit deputatus, Epsciopi ejusdem loci manu propria subscripto, juxta illud, ne minima quidem particula mutata, addita vel detracta. Postquam verò libri sacri sic fideliter excusi fuerint, ne tunc quidem vendantur, aut evulgentur, nisi prius delato rursus ad inquisitorem, vel deficiente inquisitore, ad Episcopum exemplari, ab eis anteà subscripto, iidem libri juxta illud impressi, cum eo diligenter ac accurate collati, & Inquisitoris, vel in eventum prædictum, Episcopi signo, aut Chirographo quod inter se prorsus concordent fidem faciente, & attestante, approbati exstiterint. Verum, quoniam ex variis, quæ hactenus ad marginem adscribi consueverat, lectionibus illud sequitur incommodi, ac molestiæ, quod, cum primum hujusmodi varietas oculis objicitur, lectoris animum ab eo, quod tunc instat agendum, avocat, illumque alieno planè tempore ad ea, quæ codicibus dissonant, inter se conferenda traducit, nec facile est in tanta lectionum multiplicitate scripturas inoffenso pede percurrere, & ea quasi silva diversitatis oblata, quæ quibus præponenda sint, internoscere: Nos optimum factu, piisque omnibus gratum fore arbitrati, ut Ecclesiæ filii ab his perplexitatibus ejusdem Ec-

clesiæ judicio, liberentur, utique eos quibus unum baptisma, una fides, una spes vocationis est, dissentiens non dividat lectio scripturarum, quarum potissimum indifferens consensio eos debuit in unitatem spiritus copulare; Auctoritate & tenore præmissis mandamus, ut vulgatæ editionis Biblia posthac nonnisi uniformia imprimantur, nec aliquid à textu diversum in margine scribatur. Quæ verò antehac quibuscunque in locis impressa sunt, juxta hunc nostrum textum ad verbum & ad literam corrigantur idque tam in impressis, quam in imprimendis Missalibus, Breviariis, Officiis Beatæ Mariæ virginis, Psalteriis, Ritualibus, Pontificalibus, Ceremonialibus & aliis Ecclesiasticis libris, quoad eas tantum scripturæ lectiones & verba, quæ ex vulgata editione sumpta, atque in ejusdem libris inserta fuisse constat; ubique servetur. Si quis autem Typographus in quibuscunque regnis, Civitatibus, Provinciis & locis tam nostræ, & S. R. E. ditioni in temporalibus subjectis, quàm non subjectis, Biblià sacramque scripturam intra decennium prædictum quoquomodo; lapso autem decennio aliter quam juxta hujusmodi exemplar ab Inquisitore, seu in ejus defectum, ab Episcopo sibi tradendum, etiam minima aliqua particula mutata, addita vel detracta, aut ad marginem, vel in textu adscripta etiam per modum scholiòrum, annotationum, vel glossæ, typis mandare, aut sic quidem codices impressos, & emendatos, sine tamen dicto signo, & attestatione, quod cum priori exemplari, sibi, ut præfertur, tradito concordent, vendere, venales habere, aut alias edere, vel evulgare; aut siquis Bibliopola à se vel ab alijs quibusvis, etiam ad hanc usque diem, vel in futurum ante vel post Dat: præsentium literarum impressos libros, seu imprimendos, à præfata per nos restituta, & correcta editione in aliquo discrepantes, vel juxta eam ad unguem non emendatos, ac similia Inquisitores, seu Episcopi, subscri-

ptione

ptione non approbatos, seu additionibus, aut varijs lectionibus ad marginem conscriptis excusos, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit, is, qui in supradictis casibus, sive eorum quolibet nostræ huic constitutioni non paruerit, ultra amissionem omnium librorum & alias temporales arbitrio infligendas pœnas, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurret, à qua, nisi in mortis articulo constitutus, ab alio, quam pro tempore existente Rom. Pontifice absolvi non possit. Quod si Inquisitor aut Episcopus aliud exemplar ab eo, quod in vaticana typographia impressum est quoquo modo discordans Typographo ad imprimendum tradiderit, vel impresso suo signo, aut subscriptione approbaverit; quod revera ab eo discordet, in eum, si Antistes fuerit, etiamsi Archiepiscopali Primatiali, Patriarchali, vel alia majori præfulgeat dignitate, interdicti ingressus Ecclesiæ, si autem inferior, excommunicationis sententiam ab ipso facto incurrendam ex nunc per præsentes ferimus, ita ut ab alio, quam Rom. Pontifice absolutionis aut relaxationis beneficium consequi nequeat. Et nihilominus tam inquisitor, seu Episcopus ipse, qui hujusmodi libros à præfata impressione vaticana differentes approbaverit, quam etiam Tyhographus, seu Bibliopola, qui nostris superius expressis præceptis, ac prohibitionibus in aliquo non obtemperaverit, in congregatione Cardinalium sanctæ Romanæ & universalis Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem pro tempore deputatorum, seu coram judice vel judicibus ab eadem congregatione delegatis, de hujusmodi facto in districto judicio rationem reddere teneatur, ac pro modo culpæ, severis pœnis ejusdem congregationis, seu judicis, vel judicum, ab ea deputatorum arbitrio puniatur. Cæterum si manuscripta, vel impressa Biblia hujus etiam vulgatæ Editionis, ob Characterum vetustatem, seu ob aliquod insigne codicis ornamentum, sive impressionis

præ-

præstantiam, vel notationes ad marginem scriptas asservantur, & juxta nostrum hoc exemplar emendata non fuerint, ea in iis, quæ huic nostræ editioni non consenserint, nullam in posterum fidem, nullamque auctoritatem habitura esse decernimus ac declaramus: Mandantes universis & singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & locorum etiam Regularium prælatis, per universum orbem constitutis, ut præsentem constitutionem in suis quisque Ecclesiis, Provinciis, Civitatibus, Diœcesibus, & jurisdictionibus curent perpetuò, firmiter & inviolatè ab omnibus observari, contradictores & inobedientes per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, & facti remedia, appellatione postposita, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, atque in generalibus, Provincialibus vel Synodalibus Conciliis editis, nec non quarumcunque Ecclesiarum, Ordinum, congregationum, collegiorum atque universitatum, etiam studiorum Generalium, juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore pacificè observatis, Privilegiis quoque, Indultis & literis Apostolicis illis, eorumque vel earum prælatis, Superioribus, & personis per quoscunque Romanos Pontifices, Prædecessores nostros, ac nos, & sedem prædictam motu proprio, & certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, & alias sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & aliis decretis in genere vel in specie quomodolibet concessis, & sæpius approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis etiam si in eis caveatur expressè, quod illis nullatenus, aut non nisi de consensu certarum personarum, vel

nisi

nisi sub certis modo & formæ inibi expressis, derogari possit, & aliàs factæ derogationes nullæ sint eo ipso, ac pro illorum sufficienti derogatione, de illis eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expresse mentio habenda, seu quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret; tenores hujusmodi pro expressis habentes ad effectum præsentium duntaxat, derogamus, ac nolumus illa cuiquam adversus præmisa in aliquo suffragari, aut, si aliquibus communiter, vel divisim ab Apostolica sit sede indultum quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expreßam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem præsentes literas in valvis Basilicæ Lateranensis, ac Principis Apostolorum de urbe ac Cancellariæ Apostolicæ de more publicari, & intra quatuor menses, eos, qui citra montes sunt; qui verò ultra montes, intra octo menses à die publicationis hujusmodi numerandos, perinde arctare, & afficere, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent: Decernentes ut earum transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, ac sigillo Prælati Ecclesiastici obsignatis, eadem ubique habeatur fides, quæ ipsis originalibus exhibitis vel ostensis haberetur. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostri statuti, declarationis, derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorùm ejus se noverit incursurum. Dat. Romæ apud sanctam Mariam Majorem, Anno incarnationis Dominicæ 1589. Kalendis Martii

Pontificatus nostri anno Quinto.

Lubet huic subjicere Breve illud Apostolicum, quod Clemens VIII. ceu propylæum quoddam suæ Editioni præstruxit, quod itidem in quibusdam Editionibus Bibliorum jam desideratur. Illud vero excipiet Præfatio Editioni Clementis VIII. præfixa.

CLEMENS P. OCTAVVS,

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM sacrorum Bibliorum vulgatæ Editionis Textus summis laboribus ac vigiliis restitutus, ac quam accuratissimè mendis expurgatus, benedicente Domino, ex nostrâ Typographiâ Vaticana in lucem prodeat, nos ut in posterum idem textus incorruptus, ut decet, conservetur, opportunè providere volentes, authoritate Apostolica tenore præsentium districtius inhibemus, ne intra X. annos à data præsentium, numerandos, tam citra quam ultra montes, alibi quam in nostrâ Vaticanâ Typographia à quoquam imprimatur. Elapso autem præfato decennio, eam cautionem adhiberi præcipimus, ut nemo hanc SS. Scripturarum editionem typis mandare præsumat, nisi habito prius exemplari in Typographiâ Vaticana excuso, cujus exemplaris forma, ne minima quidem particula de textu mutata, addita vel ab eo detracta, nisi aliquid occurrat, quod Typographicæ incuriæ manifestò adscribendum sit, inviolabiliter observetur. Si quis vero Typographus in quibuscunque regnis, Civitatibus, provinciis & locis tam nostræ & S.R.E. ditioni in temporalibus subjectis, quàm non subjectis, hanc eandem S. Scripturarum editionem intra decennium prædictum quoque modo; elapso autem decennio, aliter quàm juxta hujusmodi exemplar, ut præfertur, imprimere, vendere, venales habere aut alias evulgare vel edere, aut si quis Bibliopola à se vel ab aliis quibusvis post datam præsentium hujus Edtionis impressos libros, seu imprimendos à præfato restituto & correcto textu in aliquo discrepantes, seu ab

alio quam à Typographo Vaticano, intra decennium excusis, pariter vendere, venales proponere, vel evulgare præsumpserit, ultra amissionem omnium librorum & alias arbitrio nostro infligendas pœnas temporales, etiam majoris excommunicationis sententiam eo ipso incurrat à qua nisi à Rom. Pontifice, præterquam in mortis articulo constitutus, absolvi non possit. Mandamus itaque & universis & singulis, Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum & locorum, etiam regularium Prælatis, ut præsentes literas in suis quisque Ecclesiis & jurisdictionibus ab omnibus inviolatè perpetuò observari curent & faciant. Contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliaque opportuna juris & facti remedia, appellatione postpositâ, compescendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis: non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ac in Generalibus, Provincialibus, vel Synodalibus Conciliis editis, generalibus vel specialibus, ac quarumcunque Ecclesiarum, Ordinnm, congregationum, collegiorum & universitatum, etiam Studiorum generalium, juramento, confirmatione Apostolica, vel quamvis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, ac privilegiis, indultis, ac literis Apostolicis in contrarium, quomodocunqne emanatis & emanandis: quibus omnibus ad hunc effectum latissime derogamus & derogatum esse decernimus. volumus autem ut præsentium transumptis etiam in ipsis volumnibus impressis, eadem in judicio & extra, fides ubique adhibeatur, quæ ipsi præsentibus adhiberetur, si forent exhibita vel ostensa. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 9. Nov. 1592. Pontif. nostri anno I.

Præfatio ad Lectorem,

Præmissa Editioni Clementis VIII.

Quæ in locum *Sixtinæ* Bullæ successit.

IN *multis magnisque beneficiis, quæ per sacram Tridentinam Synodum Ecclesiæ suæ Deus contulit, id in primis numerandum videtur, quòd inter tot latinas editiones divinarum Scripturarum, solam veterem ac vulgatam, quæ longo tot sæculorum usu in Ecclesia probata fuerat; gravissimo Decreto authenticam declaravit. Nam ut illud omittamus quod ex recentibus editionibus, non paucæ ad hæreses hujus temporis confirmandas licenter detortæ videbantur: ipsa certè tanta versionum varietas atque diversitas, magnam in Ecclesia Dei confusionem parere potuisset. Iam enim hac nostra ætate illud ferè evenisse constat, quod sanctus Hieronymus tempore suo accidisse testatus est, tot scilicet fuiße exemplaria, quot codices: cum unusquisque pro arbitrio suo adderet vel detraheret. Hujus autem Veteris & Vulgatæ Editionis tanta semper fuit auctoritas tamque excellens præstantia, ut eam ceteris omnibus editionibus longè anteferendam esse, apud æquos judices in dubium revocari non possit. Qui namque in ea libri continentur (ut à majoribus nostris quasi per manus traditum nobis est) partim ex sancti Hieronymi translatione vel emendatione, suscepti sunt, partim retenti ex antiquissima quadam editione Latina, quam sanctus Hieronymus communem & vulgatam, sanctus Augustinus Italam, sanctus Gregorius veterem translationem appellat. Ac de veteris quidem hujus sive Italæ editionis sinceritate atque præstantia, præclarum sancti Augustini testimonium exstat in secundo libro de Doctrina Christiana, ubi Latinis omnibus editionibus, quæ tunc primò circumferebantur, Italam præferendam censuit, quod esset, ut ipse loquitur, verborum tenacior cum perspicuitate sententiæ. De sancto verò Hieronymo multa exstant egregia veterum patrum testimonia, cum enim sanctus Augustinus hominem doctissimum ac trium linguarum peritissimum vocat; atque ejus translationem ipsorum quoque Hebræorum testimonio veracem esse confirmat. Eundem sanctus Gregorius ita prædicat ut ejus translationem, quam novam appellat, ex Hebræo eloquio cuncta verius transfudisse dicat: atque idcircò dignissimam esse, cui fides in omnibus habeatur. Sanctus autem Isidorus non uno in loco Hieronymianam versionem cæteris omnibus anteponit, eamque ab Ecclesiis Christianis communiter recipi ac probari affirmat, quod sit in verbis clarior, & veracior in sententiis. Sophronius quoque, vir eruditissimus, sancti Hieronymi translationem non Latinis modò, sed etiam Græcis valdè probari animadvertens, tanti eam fecit ut Psalterium & Prophetas ex Hieronymi versione in Græcum eleganti sermone transtulerit. Porrò qui secuti sunt, viri doctissimi, Remigius, Beda, Rabanus, Haymo, Anselmus, Petrus Damiani, Richardus, Hugo, Bernardus, Rupertus, Petrus Lombardus, Alexander, Albertus, Thomas, Bonaventura ceterique omnes, qui his nongentis annis in Ecclesia floruerant sancti Hieronymi versione ita sunt usi, ut ceteræ, quæ penè innumerabiles erant, quasi lapsæ de manibus Theologorum penitus obsoleverint. Quarè non immeritò Catholica Ecclesia, sanctum Hieronymum Doctorem maximum, at-*

Præfat. in Iosu.

S. Hieron. in c. 49. Ies.

S. August Libro 2. Doctrin. Christ. cap. 15.

S. Greg. Epist. dedicat. ad Leandrum c. 5. in fine.

S. Aug. ubi supra. Lib. 18. de civit. Dei cap 43

Lib. 20 Moral 24.

Lib. 6. Etymol. cap. 5.

que ad scripturas sacras interpretandas divinitus excitatum, ita celebrat, ut jam difficile non sit illorum omnium damnare judicium, qui vel tam eximij Doctoris lucubrationibus non acquiescunt, vel etiam meliora, aut certè paria, præstarse posse confidunt. Ceterum ne tam fidelis translatio, tamque in omnes partes Ecclesiæ utilis, vel injuria temporum, vel impressorum incuria vel temerè emendantium audacia, ulla ex parte corrumperetur, eadem sacrosancta Synodus Tridentina illud Decreto suo sapienter adjecit, ut hæc ipsa vetus & vulgata Editio emendatissimè, quoad ejus fieri posset, imprimeretur: neque ulli liceret illam sine facultate & approbatione Superiorum excudere. Quo decreto simul typographorum temeritati ac licentiæ modum imposuit, & Pastorum Ecclesiæ, in tanto bono quàm diligentissimè retinendo & conservando vigilantiam atque industriam excitavit. Et quamvis insignium Academiarum Theologi in Editione vulgata pristino suo nitori restituenda magna cum laude laboraverint: quia tamen in tanta re nulla potest esse nimia diligentia; & codices manuscripti complures & vetustiores Summi Pontificis jussu conquisiti atque in Vrbem advecti erant; & demum, quoniam executio generalium conciliorum & ipsa Scripturarum integritas ac puritas, ad curam Apostolicæ sedis potissimum pertinere cognoscitur: Ideò Pius IV. & Pontifex Maximus, pro sua in omnes Ecclesiæ partes incredibili vigilantia, lectissimis aliquot sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Cardinalibus, aliisque tum sacrarum Literarum, tum variarum linguarum peritissimis viris eam provinciam demandavit, ut vulgatam editionem Latinam adhibitis antiquissimis Codicibus manuscriptis, inspectis quoque Hebraicis Græcisque Bibliorum fontibus; consultis denique veterum Patrum Commentariis accuratissimè castigaverunt. Quod itidem institutum Pius V. prosecutus est. Verum Conventum illum, ob varias gravissimasque Sedes Apostolicæ occupationes jamdudum intermissum, Sixtus V. divina providentia ad summum Sacerdotium evocatus, ardentissimo studio revocavit, & opus tandem confectum typis mandari jussit. Quod cum jam esset excusum, & ut in lucem emitteretur, idem Pontifex operam daret, animadvertens non pauca in sacra Biblia præli vitio irrepsisse, quæ iterata diligentia indigere viderentur; totum opus sub incudem revocandum censuit atque decrevit. Id verò, cum morte præventus præstare non potuisset, Gregorius XIII. qui post Vrbani VII. duodecim dierum Pontificatum Sixto successerat, ejus animi intentionem executus, perficere aggressus est, amplissimis aliquot Cardinalibus, aliisque doctissimis viris ad hoc iterum deputatis. Sed eo quoque & qui illi successit Innocentio IX. brevissimo tempore de hac luce subtractis; tandem sub initium Pontificatus Clementis VIII. qui nunc Ecclesiæ universæ gubernacula tenet, opus in quod Sixtus V. intenderat, Deo benè juvante perfectum est. Accipe igitur Christiane Lector, eodem Clemente Summo Pontifice annuente, ex vaticana Typograhia Veterem ac Vulgatam Sacræ Scripturæ editionem, quanta fieri potuit diligentia castigatam: quam quidem sicuti omnibus numeris absolutam, pro humana imbecillitate affirmare difficile est, ita ceteris omnibus, quæ ad hanc usque diem prodierunt, emendatiorem, purioremque esse, minimè dubitandum. Et verò quamvis in hac Bibliorum recognitione, in codicibus manuscriptis, Hebræis Græcisque fontibus, & ipsis Veterum Patrum Commentariis conferendis, non mediocrè studium adhibitum fuerit: In hac tamen pervulgata Lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consultò immutata relicta sunt: tum quod ita faciendum esse ad

Epist. ad Suniam & Fretellam- Præfat. Euang. ad Damasum.

offensionem populorum vitandam, sanctus Hieronymus non semel admonuit: tunc quod facilè fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam codicum emendatiorum, habuerint, quam ij, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt; qui fortasse, tam longo tempore identidem describendo minùs puri atque integri evaserunt: tum denique quia sacræ congregationi Amplissimorum Cardinalium, aliisque eruditissimis viris ad hoc opus à Sede Apostolica delectis, propositum non fuit, novam aliquam editionem cudere, antiquum Interpretem ulla ex parte corrigere vel emendare; sed ipsam veterem ac vulgatam editionem Latinam, à mendis veterum librariorum, nec non pravarum emendationum erroribus repurgatam, suæ pristinæ integritati ac puritati, quoad ejus fieri potuit, restituere, eaque restituta, ut quam emendatissimè imprimeretur juxta Concilij Oecumenici Decretum, pro viribus operam dare. Porrò in hac editione nihil non Canonicum, nihil adscititium, nihil extraneum opponere visum est: atque ea causa fuit, cur Liber tertius & quartus Esdræ inscripti, quos inter Canonicos libros sacra Tridentina Synodus non annumeravit, ipsa etiam Manassæ regis Oratio, quæ neque Hebraicè, neque Græcè quidem exstat, neque in manuscriptis antiquioribus invenitur, neque pars est ullius Canonici Libri, extra canonicæ scripturæ seriem positasint: & nullæ ad marginem concordantiæ (quæ posthac inibi apponi non prohibentur) nullæ notæ, nullæ variæ lectiones, nullæ denique præfationes, nulla argumenta ad Librorum initia conspiciantur. Sed sicut Apostolica Sedes industriam eorum non damnat, qui concordantias locorum, varias lectiones, præfationes sancti Hieronymi, & alia id genus in aliis editionibus inseruerunt: ita quoque non prohibet, quin alio genere Characteris in hac ipsa vaticana editione ejusmodi adjumenta, pro studiosorum commoditate atque utilitate, in posterum adjiciantur; ita tamen, ut lectiones variæ ad marginem ipsius Textus minimè annotentur.

ERROR GENERALIS IV.

Linguarum istarum, quibus sacræ literæ originaliter exaratæ sunt, vid. Ebrææ & Græcæ, totiusque adeo politioris literaturæ, quam* Philologiæ *seu* humanitais *nomine complectuntur, studia, hodie esse supervacanea.

Hic error dici vix potest, quàm latam sibi in Ecclesiis Euangelicis grassandi viam fecerit.

τοὔνεκ᾽ ἄρ᾽ ἄλγε᾽ ἔδωκεν ἑκηβόλος, ἠδ᾽ ἔτι δώσει,

nisi de studiosorum, eorumque queîs Scholarum & examinum cura commissa est, pulmonibus revellatur. Nos ante triennium tentavimns, non infelici apud quosdam successu. Deus O.M. benè faxit piis istis animis, quæ sanctum hoc opus promovêrunt.

Vt

Vt autem intelligat poſteritas, quibus rationibus ſubnixæ Belgicarum provinciarum Synodi peſtilenti huic errori iverint obviam, ipſiuſque Barbariei jugulum petierint, ſubjiciam primò meam ſuper hoc negotio parænefin, quibus hunc errorem abunde confutatum, omnes, opinor, pii agnoſcent. Poſtea ipſa Synodorum quarundam decreta Lectori communicabo. Duo autem hic obſervet Lector, I. ea quæ uncinulis incluſa videbit, ad primam editionem acceſſiſſe. II. Philologiæ ſecularis ſeu profanæ (liceat mihi eam ſic vocare διακρίσεωςἕνεκα) patrocinium Rev. D. *Scultetum* ex profeſſo ſuſcepiſſe, oratione, qua preſeſſionem Theol. in Acad. Heidelbur. auſpicatus eſt. Extat ea in Deliciis ejus Pragenſibus & curriculo vitæ, hoc titulo, *oratio de Philologiâ cum Theologia conjuncta, ſeu de quæſtione, utrùm Theologo Scripturam interpretanti, externas etiam diſciplinas & ſcriptores profanos in ſubſidium advocare liceat?* Lege Lector & non pœnitebit



SIXTINI AMAMA

SUPPLEX

PARAENESIS

Ad Synodos, Episcopos & Super-Intendentes Ecclesiarum Protestantium, de excitandis SS. Linguarum studiis.

NON ingnoratis Reverendi Patres & Fratres, primarium Sacri Codicis è superiorum seculorum tenebris eruti, Tenebrarum Papismi discussarum, Religionisque repurgatæ instrumentum fuisse Solem Ebrææ & Græcæ linguæ, qui multis retrò sæculis Christianismo non illuxerat. Cum enim Gregorius Tifernas, decreto Concilii Viennensis subnixus, circa annum DOMINI 1470. Academiæ Parisiensis Rectori indicasset, sibi propositum esse literas Græcas profiteri, postulato etiam stipendio, demirabantur omnes hominis peregrini, nec ab Academiâ accersiti, audaciam. Cum autem ille urgeret decretum, quod Scholæ etiam Parisiensis mentionem faciebat, Rectorque ad Senatum retulisset, introducta in Scholam illam fuit ea professio, quæ tot seculis jacuerat. In eadem ferè tempora incidit linguæ Ebrææ παλιγγενεσία. Joh. Reuchlinus, aliàs Capnio dictus, postquam fundamenta linguæ S. à Judæo quodam Abdia (cui pro singulis horis singulos aureos pendebat) Romæ in legatione didicisset, princeps Ebræas literas in Academ. Germanicis docuit, editis etiam Grammatica & Dictionario. Sed nec illud vos latet, quanto cum furore efferatus ille humani generis hostis per Colonienses, Lovanienses & Sorbonicos Theologos, atque adeò universam Monachorum conflugem, his initiis intercesserint. Quid enim intentatum reliquerunt? Quid non passi Reuchlinus, Erasmus, Pagninus, Arias Montanus & alii, cætera Pontificii, non aliam ob causam, quàm quod in propagationem linguarum incumberent. Adeo enim tristis erat facies istorum temporum, * *ut in authoribus Latinis Græcè nosse suspectum fuerit: Ebraicè autem, prope hæreticum.* Sed magis notæ sunt istæ Tragœdiæ, quam ut opus sit iis recensendis immorari. Videamus progressum. Quò magis æstuabant Monachi in extinguenda hac luce, eò magis beata & divinitus excitata ista ingenia in eâ fovendâ & propaganda laborabant. Et sicuti palma quò magis premitur, eò insurgit vehementius, & nostri animos sumebant ab impotentibus Monachorum declamationibus, ipso quoque Leone X. (ubi digitum Dei agnoscitis) & Cardinali Grimano studia humaniora promoventibus. Ex eo, Vulgata illa res suas sibi habere jussa, Textûs Ebræus in V. Græcusque in N. T. authenticus haberi cœpit. Ex eo aditus apertus ad limpidissimos Israëlis fontes, quos Romanorum Pastorum invidia tot seculis obthuraverat. Ex eo

* Claud. Espensæus Episc. Gallus ad 2. Tim. 3.

Biblia, liber tot seculis plebi incognitus, in omnium manus devênere. Ex eo Versiones S. Codicis, non ex lacunis Vulgatæ, sed ipsis fontibus derivatas, omnes fere nationes consecutæ sunt. Hâc ratione Sol Euangelii vestris Ecclesiis illuxit. Adeo non fefellit Diabolum ejusque instrumenta triste augurium; nec frustrà Paulus 2. jam tum omnem movebat lapidem, ut omnia humanitatis studia extingueret. Quippe adeo oderat ea, * *ut ejus studiosos ad unum omnes hæreticorum nomine verberare consveverit. Vnde & Romanos sæpius admonuit, ut filios suos diutius in literis occupari paterentur. Satis esse, si legere & scribere duntaxat didicissent.* *Novi*, inquit alicubi B. Lutherus. *quantopere mihi contra hostes meos profuerit linguæ Ebr. notitia. Certè*, inquit, *quamvis exigua illa sit, cum omnibus tamen totius mundi Gazis eam non commutarem.* Eadem magno a) Melanthoni sententia. Experti sunt id ipsum Monachi & Inquisitores, quâ de re lamentabilem Cochlæi & b) Melch. Cani querelam c) alibi produximus.

* Verba Platinæ.

Comm. in Ps. 45.

a Tom. 4. Orat pag. 471.
b De locis lib. 2 cap. 15.
c suprà in tractatu de vulgata vers. pag. 76.

Sed inæstimabile, hoc Dei donum quomodo excultum fuerit, breviter videamus. *Reverendus Vir Lutherus*, inquit d) Melanth. *quam graviter nos ad linguarum studia sæpe hortatus est. & negligentiam studiosorum castigavit? Videbat eum* inquit Melanth. *non aliam Veterem Barbariem reducendum, magis compendiariam esse viam si studia ling. interirent.* e) Musculus quoque Bucerus & alii piè docti Theologi supinam illam juventutis ignaviam κερτομίοις ἐπέεσσι insectati sunt.

d Orat. tomo 4. pag. 465.
e In locis. communibus titulo de linguis Scripturæ.

Sed qui tunc temporis in Academiis studebant, respondere poterant, sibi rem esse cum ejusmodi adversariis, qui & ipsi literas istas ignorarent, ac proindè non valdè necessarium sibi videri linguarum studium. Nostri verò adolescentes quid prætendent? *Pontificii*, inquit * J. Tarnovius, *vigilant, tandem vigilant Photiniani, dum omnes Biblia sacra in fontibus perlustrant, &c. Nos verò maximam partem dormimus securi, nec fontes multùm curamus, versionibus solis delectati.* Atque utinam vel posterius illud de versionibus verum esset. *Optimus Juris-Consultus*, inquit B. Lutherus, *qui in textu versatus. At jam* inquit, *mox ad Commentarios proruunt. Nostri studiosi*, inquit Cl. Amesius, *eas tantùm scripturæ particulas inspicere curant, quas ad locum aliquem communem vel controversiam definiendâm ab aliis vident citari. Linguis perdiscendis nullam impendunt operam, Logicam supervacaneam esse autumant:*

* Clariss. & felicissimus Scripturæ apud Rostochienses interpres.

Postillis, commentariis & sæpè etiam commentis hominum fidunt. Præceptum Servatoris est, inquit beatæ memoriæ * Scultetus, *scrutamini Scripturas. At nostra juventus*, inquit, *magnam partem non scripturas divinas, sed humanas scrutatur, eristicos Magistrorum suorum libellos, quâ de caussâ notiores ei sunt definitiones & distinctiones hominum, quàm Dei, nec, ut Apollo, potens est in Scripturis Dei magno suo, maximo Ecclesiæ damno. Ita ex Sophisticis disputationibus, artem rixandi, altercandi benè dicta pervertendi sibi familiarem reddunt, &c. De linguarum interim studio & investigandò genuino Scripturæ sensu nunquam seriò cogitantes.* Veras esse has Euangelicorum querelas omnes qui Academiis vivunt oculati testes sunt. Magna hæc est ingratitudo viri P. & Fr. magna securitas. Ingratitudo: dum * *oblata donorum Dei facultas adeo contemnitur, & quidem, quod peccatum auget, in ejusmodi locis, ubi dona gratiæ Dei exposita sunt, & sic in promptu, ut etiam fastidientibus obtrudantur.* Securitas, dum videmus hostes Ecclesiæ sese nostris armis armare, & tamen in utramque aurem securi dormimus. Magna hæc rerum vicissitudo est, & agnosco hic profundum Satanæ stratagema. Initio Reformationis, cum apud illos plus quam Cimmeriæ tenebræ in Ecclesiis nostris florebant linguæ & S. Scripturæ studia. Magnos & incomparabiles, eosque quamplurimos Scripturæ interpretes & qui cum ἐξουσίᾳ, potentes in Scripturis, docebant, habuerunt illo seculo Protestantes. At postquam illos Sudor ad hæc quoque studia coëgit, eadem apud nos frigere cæperunt. Celebris ille Dominicanus Bannes alicubi ait se in extremâ senectute Ebræam linguam didicisse ne amplius ab hæreticis rideretur. Campanella querebatur, Hæreticos Belgas, totumque adeò Arctorum orbem adversus Papatum Grammaticule bellum gerere, ideoque quæstiones Grammaticas cum Hæreticis abrumpendas, eosque à studiis istis abducendos suadebat. Hoc consilium quò felicius illis successit, eò diligentius in linguarum studia incubuêre. Testes sunt Jesuitarum Scholæ & Scripta. Testes illorum Grammaticæ, Orationes & Ellogia ex quibus unicum protulisse sufficiet, eò magis mirandum, quia est & Hispani & Monachi. * *Dico*, inquit, *non posse verò dici Theologum, qui in Ebraicis literis non mediocriter fuerit institutus.* Quod elogium Jesuita Serarius a) suo quoque calculo approbavit, & testimonio b) Villa-Vincentii firmavit. [Hic autem non possum non intertexere particu-

* Prēfat. in Exercit. Euangel, quæ cygnea beatæ animæ cautio fuit.

* Verba Musculi, loco supra indicato.

* Alphonsus Mendoza Augustinianus, Præf in Acad, Salamant- in Quæst. positivis, quæst. 10. [& Marsennus, Theologus Paris- in observ. ad probl. G. Veneti p. 366. *Operæpretium esset*, inquit, *ut Christiani diligentius Ebrææ linguæ incumberent*]

a Proleg. Bibl. p. 207.
b Lib I. de rat. studii Theolog. cap. 19.

lam dissertationis, quam *Andreas Valerius Desselius*, Juris-consultus & Linguæ Ebrææ Professor publicus in Academiâ Lovaniensi, ante pauculos annos habuit. Quæstionem proponit, annon hæretici commodissimè convinci possint, si proprio quis eos jugulet gladio, quoties ad scripturam & linguas provocant. *Circuitione opus non est*, inquit, *De linguis, quia eæ professionis meæ sunt, id nunc dicam, ad solum sacrarum scripturarum linguarumque, quibus eæ conditæ sunt, scopum collimandum esse. In manu palma erit, sæpe etiam ante conflictum.* Et paulò post, *Miramur*, inquit, *in hæreticis linguarum & literarum studium, rident illi in plerisque nostrum contemtum earundem, Notam istam eluamus, & cum principe illa scientiarum jungamus linguarum scientiam. Videbit mox quilibet, præter literas & linguas nihil fere in illis esse reliqui. In his pueros torquent adhuc rudimentarios, & ad altiores istas disciplinas aditum patere volunt, nulli, qui in trivialibus scholis Græcas & Ebr. literas non didicerit: adeoque quarundam id apud eos statutum est, ut non prius dignos scientiarum dent titulos & honores, quàm facti in linguis fructus profectusque specimen quis dederit. Hoc nimirum est quod nuper sanctißimus Paulus V. Pont. Max. brevi, ut vocant, Apostolico constituit*, ut in promotione ad gradus doctoratus & ad alios sui ordinis honores, illi, cæteris paribus, præferantur, qui in cognitione trium linguarum ita profecerint, ut ad docendas illas apti sint, *Hortatur excitatque ad linguas summus Pontifex. Sequamur hortantem & excitantem volentes, lubentes,* Hæc Andreas.

Utinam!

Cum autem hæc ita se habent, ut negari haud queant, duo ponam. 1. Omnibus Theologiæ studiosis annitendum esse, ut ad mediocrem peritiam Logices & Latinæ linguæ (quæ, licet ne unicum quidem originalis Dei verbi apicem possideat, tot tamen annos imo florem juventutis sibi vindicat) adjungant mediocrem Ebrææ & Græcæ notitiam. 2. Ut autem S. Ministerii Candidati hac in parte officium suum in Academiis faciant, in VV. RR. potestate esse ostendam.

Quod ad 1. attinet, illud vel ex eò satis superque probatum videri possit, quod prædictæ linguæ à [e]) Patribus [d]) jure Canonico, omnibus Theologis Evangelicis ipsisque adeò Socinianis & eruditissimis Iesuitis, hujusque ævi Monachis numerentur inter *necessaria Theologiæ instrumenta*. Sed ut distinctius & pressius id agam quod intendo, sic progrediar.

[e] Hieron. Epist. ad. Sun. & Fret. & in Zach. 8. August. de Doctr. Christian. 2. 11.
[d] Distinct. 9. cap. ut Veterum.

1. Tex-

1. Textum Ebr. in Vet. Græcum in N. T. esse authenticas fidei Christianæ tabulas, apud nostros in confesso est. Quin & illud necessariò dabunt e) ex Pontificiis illi, qui in Vulgatâ Latinâ multos errores Interpretis. in textu autem Ebræo paucula tantum librariorum errata agnoscunt. Hoc fuit Reformationis fundamentum. Pro hâc thesi primi Protestantium Theologi tantis animis decertârunt. Eritne ergo jam istarum linguarum studium adiaphorum?

e Vide supra in tract. de vulg vers. cap. 8.

2. Et illud constat, utrique tantùm isti textui, Græco & Ebræo, competere magnificum & augustum illum authentici & infallibilis Verbi divini seu authentici instrumenti fœderis, titulum. Nulli enim versioni ista competunt, nisi cum hâc restrictione, QUATENUS cum authenticis tabulis convenit.

3. Nec illud Euangelicorum quisquam, cui sanum sinciput est, negaverit, versionem nullam dari posse, cui in omnibus cum authenticis tabulis conveniat. Ut omnes linguæ, ita Ebræa suas habet proprietates aliis imperceptibiles. SpiritusS. qui non solum materiam sed & verba suis amanuensibus inspiravit, ejusmodi characteres Majestatis, gravitatis & ἐνεργείας huic authentico textui impressit, quos nulla interpretatio valeat exprimere. *Vndè præclarè judicabant omnes Veteres*, verba a) Junii, *singulas translationes rivos esse, ductos ex purissimis fontibus humanâ operâ, ac proindè sordibus ex infirmitate hominis inquinatos, authoritate cum authenticâ formâ non comparandos.*

a in Ellogio ling. S. quod Grammaticæ ejus præmissum est.

4. Cavebunt Euangelici (certè caverunt hactenus) ne suis versionibus plus tribuant, quàm Pontificii Vulgatæ Latinæ, quod ad authoritatem attinet. Jam verò b) Vega, Senensis, Canus, Andradius, Lindanus, Eugubinus, Olcaster, Cajetanus, &c. agnoscunt in sua versione multos errores Interpretis. Serarius Jesuita c) adversus Grezerum defendit, meliorem & perfectiorem versionem dari posse, cujus argumenta d) alibi produximus. Frater Aloysius Catanæus, sententiam suam Tridenti dicturus de authenticatione, ut sic dicam, Vulgatæ Versionis, ajebat inter alia, *Card. Cajetanum dicere solitum, eum qui Latinum solummodo textum intelligeret, dici non posse infallibile Dei verbum intelligere, Talis enim, inquiebat, solummodo intelligit vocem Interpretis, qui erroribus obnoxius est, &c.* Cui ignoti sunt 4. isti Casus queis, judice * Bellarm. ad Fontes recurrendum est, quod enim hoc voluerit, ex-

b Vidè supra in tract de vulg. vers. cap. 8.
c Proleg. Bibl. p. 120. col. 2.
d supra. p. 92. & seqq.
* de verbo Dei lib. 2. cap. 11.

exempla quæ adducit, satis ostendunt. 1. inquit *cum in Lat. Codicibus est error librariorum.* 2. *Aut diversa lectio.* 3. *Aut aliquid anceps in Verbis aut sententiâ.* 4. *Aut cum in Versione energia aut proprietas vocabulorum intelligi non potest* * Canus inter alios hos quoque addit, *quædam loca intelligamus, quæ clarius verti potuissent, & quæ sine linguarum notitiâ explicari non possunt.* 5. *Ad intelligenda Ebræa vocabula, quæ ob rationes in Versionibus remanserunt.* Judicate viri P. & Fr. annon totidem defectus in Vulgatâ agnoscant. Qui eosdem illos in versionibus nostris non agnoscunt, næ illi originalis Scripturæ pretium, & quid versioni præstet, omnino nesciunt. Hoc ergo rogare mihi liceat, utrùm is idoneus verbi D. Interpres haberi possit, qui per puram putam inertiam, & voluntariam inscitiam, ex prædictis istis casibus, puta variis lectionibus, erroribus librariorum & ambiguitatibus, ad fontes recurrendo, se extricare non potest? Qui proprietatem & emphasin verbi D. ubi haberi ea potest, intelligere non vult, atque adeò multa loca, quæ sine originalis linguæ cognitione ex ipsorum Pontificiorum judicio intelligi non possunt, explicare non potest? Accedant hùc duo alii casus, 1. *Cum locus malè versus est.* 2. *Cum alicujus variæ & discrepantes interpretationes sunt*, quomodo, quæso vos, is se expediet, qui hunc judicem adire & consulere non potest?

* De locis lib. 2. 15.

V. Illi, quos solis versionibus contentos esse cogit Orig. linguarum inscitia, aliorum oculis vident, *a*) *aliorum manibus credulâ simplicitate ita committunt clavum seu gubernaculum mentis suæ, ut si incerti essent incerto mari.* Hi cum Deo per interpretem loquuntur. Hi aliorum oculis vident. *b*) *Hi cum plebe in atriis stantes è longinquo sacra contuentur.* At qui Scripturam Originalem legit, & intelligit, suis oculis videt, *c*) *& cum sacerdotibus in ipsa penetralia admissus, omnium quæ intus aguntur, ipse arbiter & testis est.*

a Iunius in Elog. ling. Sanctæ.
b Walæus Orat. stud. Theol.
c Idem.

Nunquid res insueta & insolens est, Legatum cum suo, cujus capessit jussa, principe, per interpretem agere? Atque adeò omnia, quæ per Interpretes instituuntur colloquia, non admodum incerta sunt? Themistoclem hoc docuerat experientia. *d*) *Is apud Persas exul & colloquium Regis expetens, animi sui conceptus in Regis sinum per interpretem evaporare detrectavit, Sed ut fideliter mutua darentur & redderentur voces, integri anni spacium linguæ Persicè dis-*

d Plutarchus in ejus vita.

discenda postulavit.

Exemplum hinc sumant Candidati nostri & Naziræi Domini, *qui huc destinantur, ut non semel, sed quotidie & toto vitæ curriculo cum Rege Regum & Domino dominantium de rebus gravißimis, utpote salutem suam & aliorum concernentibus, loquantur, ejusque mandata deferant.*

Erpenius Orat. de l. Ebr.

Mercatores mihi videre. Ut certius res suas agant, Gallicam, Hispan. Ital. Turcicam & quas non linguas magnâ cum molestiâ discunt. *e) Et postquam naves nostræ etiam alium orbem petierint cum Indis loquuntur barbarè.* Tam ingeniosi & curiosi cum illi sint in sua generatione, nostri Naziræi solas illas linguas contemnunt, quas unicas didicisse esset operæ pretium. Sed ut redeat eo, undè delapsus est, sermo, Patrum & Scholasticorum commentaria docent quid sit Sacras literas & Dei oracula ex ore Interpretis accepta, sine Orig. linguarum notitia explicare. *Aperuërunt illi,* inquit Melanthon, *seras securibus, & ligna clavo fiderunt.* Magnus ille Lutherus, * *nunquid hoc te movet,* inquit, *quod sanctißimi Patres in explicandis scripturis âdeo frequenter impegerunt? Et licet subinde rectè aliquid dixerint, incerti tamen fuerunt, an videlicet in Originali ita esset ut illi interprètabantur.* E. G. *Rectè docuerunt, Christum esse filium Dei. Sed quam ridiculos se adversariis nostris præbent dum id probare satagunt ex Ps. 110.* Tecum pincipium in die virtutis tuæ, *cum isthic loci deitatis Christi nulla fiat mentio. Certe Adversarii hac ratione in erroribus suis magis magisque confirmantur. Rogas ergò causam cur Religio nostra sic derideatur? Non alia ea est quam linguarum ignorantia. Atque hic nullum, nisi à notitia linguarum, expectes subsidium.* Et paulo post, Nu sind aller alter Vater außlegung / die ohn sprachen die Schrift haben gehandelt / (ob sie wol nichts unrechts leren) doch der gestalt / das sie oft ungewisse / unibene / und unzeitige sprüche führen / und tappen wie ein blinder ander wand / das sie gar oft des rechten Texts fellen / und machen ihm eine nasen nach ihren andacht. Ad summam, dici non potest quantas frustrationes dictarum linguarum ignorantia Patribus & Scholasticis, quorum multi cætera fuere excellentissimi, attulerit, & *f) quam miserè plerisque in locis cœcutierint.* Etdubitamus adhuc, quin verè dixerint Viri magni, *g) Ebraismorum ignorantiam horrendos errores in Ecclesiam invexisse?*

e Cunæus de Rep. Ebr. Præf. libri 3.

* Epist. de Scholis erig.

f Beza ad Matth. 16.

g Mercerus & Paræus ad Genes. 48. 16.

6. At omnia hæc incommoda mitigari aliquo modo possent, si

aut

aut cum nullis, aut ejusmodi adversariis nobis res esset, qui aut linguas ipsi ignorarent, aut in recipiendâ unâ & certâ versione nobiscum consentirent. At res longè se habet aliter. Ajo itaque nullum Ministrum qui linguarum rudis sit, in arenam posse descendere cum docto Papista, Sociniano, &c. ne dum *h) os posse obthurare adversario*, quod tamen Apost. in Ministro desiderat. Nulla Versio utrinque recepta est. Vltimum principium est originalis Textus.

h) Tit. 1. 9. & 11.

7. Quotquot ex Polonia, Transsylvaniâ vicinisque locis ad nos transeunt, uno ore testantur, Socinianos, tàm laicos quàm Ministros, etiam ætate exitâ, nulla sumptuum habita ratione, in hæc studia incumbere, dummodo vel minimam nancisci possint discendi occasionem. Quid putatis miseros istos mortales intermissuros, si ea offerretur iis opportunitas, qua juventus Belgica fruitur?

8. Dicam quid amplius, inter Anabaptistas, omnis olim eruditionis osores accerrimos, hodiè non desunt, qui utramque linguam callent, Alii iis discendis adhuc fatigantur: sunt etiam qui filios suos linguarum notitiâ imbui curant. Judicent R R. V V. nunquid nostrorum negligentia eos ad hæc studia impulerit, & quid nostris Ecclesiis, nisi alia ineatur via, hinc expectandum sit.

9. [Cum præter alios Pontificios *Marinus Marsennus* promittat, se vulgatam versionem ex ipso Ebræo, prout jam est, defensurum neque usurum isto aliorum præsidio, *Textum Ebræum seu fontes esse corruptos, ubicunque à vulgata discrepant*, observat ad Problem. Georgii Veneti pag. 238.] Cum ex Bellarm. aliisque Pontificiis constet, eos hùc subinde descendere, ut à vulgatâ ad fontes provocent, quæro annon res pudenda sit, inter Euangelicos tot reperiri, qui, tali casu, Pontificio ex fontibus satis facere non possent. Ipsorum doctissimi hodiè textum Ebræum à Judæis corruptum esse negant. & utiliter ad fontes recurri posse, quin subinde necessariò ad eos recurrendum esse, asserunt. *i*) Bellar. & Andradius etiam invecta sæpè ex illis adversus Judæos argumenta peti posse agnoscunt, ubi vulgata nihil suppeditat. Nostri verò, quasi fontes corrupti, quasi pleni viperis & serpentibus essent (ut Monachus quidam olim concionabatur) ab iis abstinent, [Non sine indignatione ante annos aliquot legi in Rosweido

i de Verbo Dei lib. 2. cap. 2.

weido, Jesuitâ nequaquam barbaro, colloquium, quod se instituisse dicit cum Professore quodam Leidensi. Disputatio erat de textu authentico Bibliorum. Ille pro vulgatâ, hic pro fontibus stabat, asserens, se Græcum textum (in novo, opinor, Test.) pro authentico habere. Regessit Jesuita, *quid ergo tot semini-verbii vestri agent, qui Græca ignorant?* Andreas Valerius Professor Ebr. in Acad. Lovaniensi narrat Gubernatorem civitatis cujusdam ad epulas suas invitasse aliquando Ministrum verbi divini & Pastorem, ut ille vocat, Catholicum. Incidit controversia de loco Gen. 3. 15. utrùm *Ipse*, an *ipsa* legendum esset, Minister provocat ad fontes, Hebraïca, inquit, veritas à nobis stat. Quid pastor? Habebat ad manum codicem Ebr. & Ministro nihil tale expectanti exhibet. Is videns rem sibi cum Ebraicæ linguæ perito esse, obstupuit. Et quia legere non poterat eum, ad quem ipse provocaverat, textum, eò confugiebat, se apud Batavos ita fuisse edoctum.]

10. Nullus eruditi Theologi commentarius, uti nec pleraque doctorum Polemica, cum fructu legi potest sine linguarum notitia. Quis intelliget nedum urgebit argumentum, quod à phrasi, voculâ, quin uno sæpè apiculo & accentu depromitur? Et quod ad Comm. attinet, periculum faciant in Hieron. item Calvino ad veteris & Bezâ ad N. fœderis libros.

11. Digna consideratione est ingenua Bellarmini, quam nostri egregiè exagitant, confessio, k) *multa*, vid. *celebrata fuisse Concilia, in quibus aut nulli aut quàm paucissimi fuerint Ebrææ linguæ periti.* l) Patres Concilii Ariminensis ab Arrianorum fautoribus rogati, utrùm in Christum an ὁμοούσιον crederent, ὁμοούσιον abnegantes, se in Christum credere professi sunt. Atque ita vox ea, pro qua tot prælia depugnata erant, in spongiam incubuit. Sed pro istis responderi posset, nullam de Vulgatâ ipsis litem fuisse motam, nullamque omninò tunc fuisse occasionem literas istas discendi. At si nostris Ecclesiis idem aliquando eveniret quæ maria eluere possent tam pudendam ignominiam!

k de Verbo Dei lib 2. cap. 10.

l Ruffinus hist. Ecclef. l. 10, cap. 21.

12. Sed & illud ab omni ævo docuit experientia, studium sacrarum linguarum & Scripturæ indivisos esse comites. Et unde peti possent illæ, nisi ex hâc? Ubi exerceri nisi in hâc? Contrà neglectum & contemptum linguarum semper traxisse secum contemptum Scripturæ. Grassante superioris ævi barbarie, jacebat

Codex ſacer. Thomas, Lombardus, Ariſtoteles, utramque paginam faciebant in Scholis Theologicis. Chriſtus, Prophetæ, Apoſtoli οὐδένι ἐν ἀριθμῷ erant, οὐδὲ τρίτοι, οὐδὲ τέταρτοι. Quod ſi non ineatur ratio, ut ſtudia linguarum magis floreant, *certò certius eſt brevi futurum*, verba Muſculi, *ut doctis aliquot viris è medio ſublatis, priſtinæ errorum tenebræ, imò craſſiores etiam, in Eccleſiis obtineant: Sic puniente Deo præſentium temporum ingratitudinem ac donorum ſuorum contemptum. Eſt enim æquiſſimum, ut qui benedictionem ſcientiæ Dei averſantur, hâc ablongatâ, maledictione errorum & ignorantiæ ad ſummum uſque obruantur.*

13. In primitivâ Eccleſiâ, quando ſumma cum difficultate lingua Ebr. diſcebatur, non defuere in utroque ſex'u, qui animos ſuos ad ea ſtudia appellerent. *Hieron.* quanto labore his ipſis
[m Hieron in Catalogo Scriptorum Eccleſ.] Muſis litavit? m) *Origenes jam grandævus contra naturam ætatis & gentis ſuæ Ebraicè didicit. Auguſtinus* jam progreſsâ ætate Græcè diſcebat, & paſſim dolet, ſibi non licuiſſe Ebrææ notitiam addere. Cum tamen intelligeret, quantas ſibi fruſtrationes afferret ejus ignorantia, hortatur omnes Scripturæ ſtudioſos, ne ullam ejus diſcendæ occaſionem negligant.
[n Hieron. Epit. 27. o Epiſt. 25.] n) *Paula & Euſtochium* Hieronymo ἐμαθήτευσαν. o) *Quin Blæſilla Paulæ Filia paucis diebus difficultates linguæ S. ſuperavit, adeò ut in diſcendis canendiſque Ebraïcis Pſalmis cum matre contenderet.* Hoc Matronæ & Virgines iſto difficili ævo præſtitêrunt. Et quem noſtri Naziræi, qui doctiſſimo hoc ævo vivunt ſuæ inertiæ obtentum quærent? [Audiant
[* De interpretatione Scripturæ pag 55.] graviſſima * Wolfgangi Franzii Theologi Witebergenſis verba. *Ego iis*, inquit, *nullum paro patrocininm, quin jam modò graviter in eam ſententiam, de diligentiâ in Ebræis collocandâ dixi, & eum qui ſecus fecerit, occaſionibuſque adoleſcentiæ & Academicæ vitæ abuſus fuerit,*
[N. B.] *nec fundamenta intima fontium comparare ſategerit, divinam vindictam experturum pronuncio.*]

14. Et ſuperiore & hoc noſtro ſeculo non defuêre Juriſ-Con-
[*[Ioh. Sturmitus LXX. ætatis anno Ebræam linguam didicit.]] ſulti, Philoſophi, Politici, quorum alii, * etiam ad extremam ætatis regulam progreſſi, his ſtudiis ſe applicuêre, alii eadem magno ſtudio inſuper promoverunt, ut *Maſius*, *VVitmaſtadius*, *Veltuykius*, *Picus Mirandula*, *Bartolus*, *Rod. Agricola*, *Eraſmus*, *&c.* [*Non defuerunt his proximis annis*, inquit idem Franzius pag. 56. *omnium ordinum venerandi Senes, qui hoc pietatis exercitium ſuæ ſenectutis divinam voluptatem conſtituerunt.*] Habet & Belgium in utroque

ſexu

ſexu, qui in linguarum Origin. ſtudia ſedulo incumbunt. Et poſtquam jam Grammaticam Ebræo-Belgicam & Dictionarium, quæ adjumenta jampridem Belgis φιλογλώσσοις promiſeram, nacti ſunt, bonæ ſpei ſidus affulget, fore ut propediem plures Ebraïſmi cultores habeat.

14. Provoco tandem ad conſcientias omnium piorum Miniſtrorum, qui aut præceptorum defectu, aut negligentiâ, aut denique mala ſtudiorum directione has linguas in Academiis non didicerunt, annon jam in ſanctiſſimi muneris functione & SS. literarum aſſiduâ meditatione agnoſcant, quantas ſibi fruſtrationes illarum ignorantia afferat. Annon reapſe nunc experiantur, p) *quæſtiones pleraſque, quibus tantum temporis in multis Academiis inſumitur, aut nullum aut omninò exiguum in Miniſterio uſum habere?* [*Certè Picus Mirandula*, teſte * Eraſmo, *& ſummi Theologi deplorarunt, ſe tot annos ſcholaſticæ Theologiæ impendiſſe.* Et quid ſibi vult ingenua illa Joh. Ludovici Vivis, confeſſio, *Quæ in juventute elato ſupercilio credebam eſſe theſauros in Philoſophia, jam converſus & Senex video vix ſtercora eſſe & tantum remoras vitæ piæ & ſtudiorum neceſſariorum fuiſſe.* Dicant ingenuè.] Annon graviter doleant, q) *quod in Trivialibus ſcholis tot annos profanis authoribus diſcendis impenderint?* Annon vera ſit r) magni viri querela, *quam turpiter non ſolum fontes, ſed tota Biblia à pleriſque Theologiæ ſtudioſis, aliiſque, qui eidem dant operam, negligantur?* Item alterius s) Theologi Veterani, *in multis Miniſtris id non immeritò deſiderari, quod fontes rarò inſpiciant, & delectum in dictis allegandis nullum habeant, cum tamen magnâ hic opus ſit diſcretione & prudentiâ, ut dicta primaria à ſecundariis, indirecta à directis, dubia à certis diſtinguantur.* Eloquantur candidè, annon res ita ſe habeat. Ego planè confido, omnes pios affirmativam ituros, ac proindè cum Virgiliano illo exclamaturos ſingulos,

O mihi præteritos referat ſi Iupiter annos!

Rogantur itaque per viſcera miſericordiæ D. noſtri Jeſu Chriſti, ut conjunctis operis id agant ſtrenuè, ut ſanctiſſima hæc ſtudia, temporum injuria propemodum collapſa, in Eccleſia Dei refloreſcant. [*Imitentur nautas, qui cum ipſi, navi ad ſcopulum illisâ, nudi vix enatârint, nihilo ſecius aliis ſolventibus rectè ſolent conſulere, commoſtratis periculis. Si cujus ætas*, inquit Eraſmus, *jam ad hoc præteriit, is ſuam ſortem boni conſulat, modo ne bonæ ſpei juvenibus obſtrepat.*

p Cl. Walæus Orat. de ſtudio Theol.

* in Reſponſ. ad Latomum pag 87.

N. B.

q Wolf. Franzius de Int. Scr. p. I.

r Iohan. Tarnovii Præf. in Ex Bibl. Ed. 1.

s B. Meiſnei apud eundem Tarnov pag. 10.

pat. *Quamquam ego profecto ne senibus quidem author fuerim desperandi.* Huc pertinent ea quæ supra numero 14. dicta sunt. Quibus hæc adjiciam ex Erasmo, *Quatuor nominare possum, viros mihi notos & celebres, quorum unus 48. ætatis anno, non nemo major XL. prima Græcæ linguæ elementa est aggressus. Quò verò profecerint, eorum monumenta ostendunt. Sed & ipse jam 53. annorum ad Ebraica studia recurro, &c.* Et * alibi, *Novi*, inquit, *senes canos & magni nominis Theologos, qui Tyrones Theologiæ hortabantur ut linguas discerent & bonas literas amplecterentur, deplorantes infelicitatem sui seculi, quod ipsis non contigissent eadem, non invidentes junioribus studiorum accessionem.*]

* in Apolog. pag 626.

1. Cæteris, quæ hùc accongeri possent, missis, ad alteram partem transeo, ajoque & RR. VV. muneris & potestatis esse, prospicere, ne vetus illa Ecclesiis & Scholis denuò superinducatur barbaries.

2. Quod ad munus vestrum attinet, non ignoratis illud Apostoli, t) *Ne cui citò manus imponito, neque communicato peccatis alienis* Audite Erasm. u) *Si usquam vobis permittitis cessare, alibi cessate potius; si delinquere, ubivis delinquite potius quam in hoc negotio omnium periculosissimo.* Audite Chrysostomum, *Qui ordinant indignos, iisdem subjacent pœnis, quibus illi qui indigni sunt ordinati.* Nostis illud Hieron. *Qui indoctum* (qualis is est qui adversario os obthurare non potest) *Pastorem ordinat, cœcum animal Deo offert.* Noverat hoc in mediis Papismi tenebris Episcopus Vltrajectensis DAVID Burgundus, Philippi Boni Filius. *Is cum intellexisset inter tam multos, qui sacris initiabantur, paucissimos esse qui literas scirent, voluit ipse rem propius cognoscere. Jussit sibi in aulâ cathedram poni. Proposuit quæstiones. Quid fit? Ex trecentis tres tantùm admisit. Cumque rogaretur, ut moderaretur sententiam suam, reputans, hoc sæculum non gignere Paulos aut Hieronymos, perstitit Episcopus, negans se requirere Paulos aut Hieronymos, sed tamen asinos pro hominibus non admissurum.* Quæ non ita accipi velim, quasi omnes Ebraicè & Græcè ignaros, pro asinis habeam (quæ enim hæc esset vesania?) sed illud volo, indignum esse, hoc & eruditissimo & hæresium feracissimo sæculo, præ quo illud Davidis Burgundi densissima nox fuit, ubi nullo labore aut sumptu linguæ istæ disci possunt, ad Ministerium admitti juvenes, qui, qua lingua Apostoli & Prophetæ scripserint, cujusque idiomatis aut significatio-

t 1. Tim. 5.

u In Eccl. libr. 1

apud Erasmum in Ecclesiastel. 1.

nis

nis ſint iſtæ, quæ nobis quotidie in ore ſunt, voces ſacræ, juxta cum ignariſſimis planè ignorant.

Poteſtatem etiam veſtram hac in parte non ignoratis. Imitamini exemplum Davidis Burgundi & brevi aliam Eccleſiæ faciem videbimus. Sequimini laudabilem Gallicarum Eccleſiarum conſuetudinem, ubi Theologiæ Candidato, in utriuſque Teſtamenti originali textu illud, quod Præſidi Codicem aperienti ſe primò exhibet, caput egendum & interpretandum proponitur. An minor in Angliâ, Germaniâ, Daniâ, Belgio, Helvetiâ cæteriſque Provinciis, linguas illas diſcendi commoditas? An minor neceſſitas, hoſtiumve multitudo aut robur minus quam in Galliâ? An minor veſtra veſtris in regnis provinciiſve authoritas, quam Synodorum Reformatarum in iſthoc regno? Quod ſi id impetrari non poſſit, illud ſaltem in examinib. cognoſcatur, utrùm eos progreſſus in Scholis fecerint, ut in Miniſterio, relictis jam Scholis, proprio Marte poſſint progredi illudque ſanctè promittant, ſe qualemcunque illam notitiam porrò aucturos nec ullo modo commiſſuros, ut ſive negligentiâ ſive inertia effluat. Fundamenta linguæ Grecæ in trivialibus docentur, quarum novi aliquot ſic conſtitutas, ut quotquot ex iis prodeunt, Nov. Teſtamentum Græcum Grammaticè poſſint reſolvere, Novi ſcholas, ubi fundamenta linguæ Ebrææ, magno Eccleſiæ & juventutis bono jaciuntur. Quotquot enim ex illis vel minimam Ebræarum literarum notitiam in Academias inferunt, feliciſſimè & inoffenſo pede videas progredi, dum cæteros ad Elementa illa Alphabetica pudet deſcendere. Vtinam ex Cl. * Franzii voto, *pag. 52. ad iſtarum Scholarum exemplum cæteræ quoque conſtituerentur, & Naziræi noſtri à teneris, dum florida eſt memoriæ vis, ſacris Bibliis aſſuefierent! Vtinam vel ſemel tandem authores ſacri profanis ſubſtituerentur, aut ſi id obtineri non poſſit, ſaltem conjungerentur! * *Ipſa ratio ſuadet*, inquit, *capaciſſimis* *pag. 2. *puerorum & recentis integritatis loculis memorialibus primo loco imponenda & ad cuſtodiendum tradenda eſſe ſacra illa* κειμήλια, *quorum uſus & in hac & in alterâ vita eſt ſummoperè & unicè neceſſarius. Sæpenumero inquiſivi*, inquit, *ex piis alioquin ſtudioſis ordine, quinam eſſent primi verſus*, E. G. *in Eclogis Virgilii, quis eſſet primus in 1.2.3.4. Georgic. AEneidos, &c. Hos verſus iſti mihi expeditiſſimè recenſuerunt memoriter. Cumque ſtudioſos Theol. eſſe ſcirem. è veſtigio interrogavi, quæ eſſent* pri-

prima verba Geneseos, Exodi, &c. Ibi cogitabundi steterunt & ignorantiam suam cum dolore agnoverunt. Causa non alia, quam quod à præceptoribus pueritiæ ad maturam Bibliorum lectionem non fuissent assuefacti, & quod à pueritiâ nil nisi profanos versus ediscere jussi fuissent. Judaica nec mala admonitio est, Filius quinque annorum ad Biblia accedat. *At apud nos barbatus juvenis 25. annorum vix tandem ad Biblia legenda accedit, * ubi arculæ memoriarum istis profanis expletæ & completæ fuerunt.* Ita in solis profanis authoribus, proh dolor! florem ingenii & ætatis deterimus. At dices hanc querelam respectu eorum, qui Theologiæ destinantur, forsan habere locum: at Juris-Consultos, Medicos, Philosophos & Politicos non spectare. Quasi non illi quoque Christiani esse, & Religionis principia imbibere debeant, Quasi non annitendum omnibus esset, *ut sermo Christi inter nos copiosè habitet,* atque ita *notitiâ Domini universa terra,* juxta Vaticinium Jesaiæ 11.9. *repleatur.*

Pag. 4.

Colos. 3. 16.

a) Scriptura non potest intelligi Theologicè, nisi priùs intelligatur Grammaticè, ajebat magnus Melanthon. Quomodo autem intelligetur Grammaticè, nisi calleas ejus linguæ, qua edita ea est, Grammaticam? *b) Qui enim nosse cupit verbum Dei, ut ab auctore Deo fuit promulgatum, citra omnem literarum, vocabulorum, phrasium & sententiarum detorsionem, inflexionem, immutationem, additionem, detractionemque purum putum, is illud non leget aut intelliget, nisi in eâdem linguâ, quâ à Deo primitus est promulgatum.* Itaque *c) Ebrææ & Græcæ linguæ studium deserere non potest Theologus & Theologiæ studiosus, quamdiu huic facultati in his terris operam aliquam navabit*

a Apud Scultetum obs. in Mat. & Marc. cap. 74.
b W. Franzius de Interp. Sc. p. 53.
c Ibidem pag. 14.

Æquissimum ergo est, *d) ut non solum admoneantur, sed etiam vehementer S. Scripturæ Candidati, ut sacrarum linguarum Ebrææ & Græcæ cognitionem studiis suis, non dico quasi πάρεργον adjiciant, sed instar fundamenti in ipsum fundum mentium suarum submittant.*

d Muscul. loco supra citato.

Excusationes & effugia nulla hic admittenda. Olim ea operariorum erat inopia & messis magnitudo, & Academiarum status, ut multos minus benè instructos admiserit necessitas. At nunc ea est linguarum discendarum commoditas & Ministrorum abundantia, ut alios quam idoneos admittere nulla necessitas urgeat. Multos etiam, postquam ad Ministerium admissi, annos aliquot in vocationis expectatione videas consumere. At dicunt aliqui, se mediis destitui, ac proindè sibi festinandum esse. Πρόφασις hæc tantùm est. An magnas opes requirit

Gram-

Grammaticæ, Dictionarii & libelli Ebraici comparatio? Quis adeò à Patronis derelictus est? Rursus, quis horum recusantium adeò religiosus dispensator temporis est, ut non alterum tantum otio, ludo, atque utinam non etiam aleâ, compotationibus & scortationibus, consumat? Quod enim ad Græca attinet, illud extra controversiæ aleam pono, eam in trivialibus comparandam Græcismi notitiam, ut Novum Testamentum Grammaticè possit interpretari, Linguæ Ebrææ mediocriter discendæ bimestris, vel ad summum trimestris industria suffecerit. Tentet aliquis & juxta consilium meum de instituendo hoc studio, quod Coronidi meæ præmisi, studia sua componat, & videbit, me nihil præter verum dicere. Possem ego nominare adolescentes, qui suo exemplo hujus rei veritatem comprobârunt. Mirantur hoc multi & ne expertis quidem fidem habent, vel ipsum credo Picum Mirandulam mendacii postulaturi, qui Epistolâ ad Marsil. Ficinum pag. operum 367. ait, se unius mensis spacio ita didicisse literas Ebraicas, ut citra culpam epistolam dictare potuerit. Sed quid hæreo? Monstretur unum individuum, quod adeò religiosè tempus suum dispenset, ut sanctissima hæc studia, iis in locis ubi ea florent, sine culpa intermisisse dici possit. Certè talis rara avis erit in Scholis, nigroque simillima Cygno. Et si verum dicendum est, Reverendi P. & Fr. Eritne rei angustæ obtentus sufficiens excusatio, quominus aliquis ad Sanctum Ministerium accedat iis dotibus destitutus, quas & Scriptura & Canones Ecclesiastici exigunt? An Rex ad institutionem Filii admitteret inidoneum, eò quod res angusta obstiterit, quominus ea sibi comparare potuerit præsidia, quæ in Principis formatore requiruntur? Non putem. Cur ergò Deo & Ecclesiis se orbtrudere patiamur, qui donis necessariis instructi non sunt? Si hos ex commiseratione promoves, crudelitatem exerces in Oves Christi. Sed & illam quorundam juvenum præsumptionem gravibus decretis notandam omnes pii censent, qui cum ex Trivialibus Scholis crudi aut vix semi-cocti prodierunt, de cæteris functionibus idoneè obeundis disperantes, hanc unicam (de quâ Apostolus exclamat, *quis ad hæc idoneus?*) sibi desdondent, eamque ambire non erubescunt, exactis in Academiâ vix tot mensibus, quot arti alicui Mechanicæ, nedum Jurisprudentiæ aut Medicinæ discendæ, non sufficerent, nihil minus cogitantes 2 Cor. 2 16.

quam

quam illud Nazianzeni, *artem artium & scientiam scientiarum esse animas pascere*, ac proindè olim viros doctissimos & sanctissimos ad Episcopatus, nonnisi invitos, sublimatos fuisse. * *Lucullum eâ ingenii felicitate & magnitudine valuisse ferunt, ut Româ ad Mithridaticum bellum profectus rei militaris omninò rudis, in Asiam venerit perfectus Imperator.* *Aut eadem ingenii felicitate nostri illi intempestivi Candidati valere debent, aut docent postea, quod nesciunt & quod nunquam didicerunt, ne hoc quidem scientes, quod nesciant illa quæ docere debebant.* Sed ut dicam quod res est, mera hæc effugia sunt. & inanes προφάσεις. Solam & unicam causam in pigritia esse, vel id solum argumento est, quod ejusmodi fucos, ne tum quidem, cum jam ad Ministerium admissi, vocationes expectant & in Academiis otiosi vivunt, horum studiorum ulla cura tangat.

* D. Guil. Amesius Orat. ad Academ.

Sed nec alii desunt, qui, ut ingeniosa hic est inertia, doctorum dissensiones obtendunt. Junius, inquiunt, aliter vertit hæc & illa, quàm Lutherus. Piscator rursus à Junio, Beza ab Erasmo, A Beza rursus Piscator, Scultetus & alii dissident. Quorsum ergò linguarum studia? Resp. 1. An ergò doctissimorum istorum Virorum diligentia patrocinium inertiæ præstabit? 2. An omnis ejusmodi dissensus & versionum varietas Ecclesiæ noxia est? Longè aliter hac de re antiquitas judicavit. Namque præter Augustinum, Hiero. Theodoretum, aliosque Patres etiam Origenes credidit, non aliud esse magis idoneum genuinæ loci alicujus sententiæ eruendæ medium, quam diversarum Versionum inter se & cum fontibus collatio. Hoc fine Hexapla & Octapla sua Origenes publicavit. 3. Dicant mihi boni isti viri, cur ergo Grammaticam Latinam, cur Logicam didicerint, cur locis communibus & controversiis operam navarint? An in illis & præcipuè controversiis Theologicis nullæ controversiæ? An in illis nullæ, inter ejusdem etiam confessionis & cathedræ Doctores opiniones dissidentes? 4. Agnosco libens, etiam Ebraicè & Græcè doctis magnas adhuc multis in locis esse tenebras. At quid hoc ignavis patrocinatur? Vel hoc solum calcar esse debebat ad diligentiam. Si enim in multa adhuc caligine versantur & per nebulam vident linguarum periti, quantis in tenebris & quam densa in nocte earum rudes versari putandum est?

Sed porrò instant, versionibus & commentariis satis instructi sumus, & quæ insignis eorum modestia est, nos doctissimo-

rum

cum virorum Junii, Bezæ, &c. versiones non corrigemus, inquiunt. Cur ergò linguas discemus? Quasi dicerent, nos possumus ab aliis duci, cui bono ergò oculi linguarum? *Egregiè*, inquit Martinius, *Erue itaque tibi & oculos corporis. Quidni & iis carere potes Nec enim deerit qui ducat te.*

Sed seriò agendum mihi video in ludicrâ objectione. Resp. itaque 1. Piorum & Doctorum Theologorum Versionibus & Commentariis apud pios & bonos debitum manere æstimium. Et quod ad me attinet, Deo O. M. quotidie ago gratias quam maximas, quod ejusmodi organa superiori ævo excitarit & ornârit, quorum laboribus mihi quoque cum magno meo fructu utifrui datum est. Repeto tamen quod supra dixi, eruditum Commentarium legi non posse, nedum intelligi, sine Græcismi & Ebraismi mediocri notitia. Annon in Hieron. Calv. Bezæ, Drusii, Sculteti, Merceri, Paræi, Pisc. &c. commentariis ad singulas Ebræas voces dicendum tibi erit, *Ebræum est, non legitur?* 2. Versionem nullam eâ, qua à Ministro fieri par est, accuratione & fructu sine earundem notitia legi posse supra Num. 4. demonstratum est. Quæ omnia si quis præfractè negaverit, næ is ostendet, se ea, qua par est, attentione & diligentiâ sacras literas nunquam fuisse scrutatum cum tamen Apostoli mandatum sit, *Intentus esto lectioni, hæc meditare, in his esto.* Resp. 3. 1. Tim. 4. 13. Alios dari notitiæ linguarum fines, quam ut novæ versiones dentur, vel receptæ corrigantur. Nunquid præclari satis fines isti, aut utilitates satis magnæ videntur illæ, quas supra produximus? An nullum ergò operæ pretium erit versiones cum fontibus contulisse, atque in ipsis fontibus sese oblectare? An nihil ergò facit ad certitudinem fidei, Deum ipsum sine Interprete suis aurib. audire loquentem? Audite Melanth. communem Præceptorem, * *Scio* inquit modestissima anima, *me vix primis labris degustasse Ebr. Gr. & Latinas literas. Sed tamen hoc ipsum quod didici quantulumcunque est, propter judicium de religione, omnibus mundi regnis, omniumque opibus longe antepono. Quod eò dico*, inquit, *ut cum mihi & aliis, qui parum didicimus, videatis ad veritatis agnitionem, hanc exiguam doctrinam plurimum prodesse, & ipsi speretis magnum vos operæ pretium facturos si linguas mediocriter didiceritis.* * *Si fundus aut alia quævis hæreditas tibi peregrinanti paterno testamento obtigisset, annon tabulas originales domum redux posceres? atque ex ipsis potius tuis ipsius* oculis

*Tom 4. Orat. p. 471

*Martinus præf. in Technol.

oculis cognoscere, quam ex aliorum relatione accipere malles, quid & quantum tibi relictum esset? Quæ ergò supinitas erit, originale æterni patris de cælesti & æternùm permansurâ hæreditate testamentum despicere? At enim inquis, non est necesse. Verum est, nihil est necesse te ipsum oculos habere, & videre, quæ sint opus. Potes enim & alienis oculis credere: potes, si quò eundum sit, manu à puero tuo duci. Erue igitur tibi oculos, quia carere iis potes. Etenim in sacris libris lumen & oculus, quo divina perspicimus, est Ebræa lingua, cujus scientia & fructu cum te tuâ sponte prives, tum tibi oculos eruis, quibus illa cernuntur & cognoscuntur. Et nota, quod ait, *in sacris libris.* Nam & N.T. libri hoc sole illustrantur. * *Illi enim ita sunt Græci, ut verba quidem singula Græca sint, conjunctio autem & phrasis, ut ab Ebræis hominibus, Ebræa plurimum agnoscatur.* Hinc N. Testamenti Idioma *Ebræo-Græcum* vocitare soleo. * *Licet enim phrasis N. T. originaliter Græca dici possit, non tamen pure fluit, sed liquore Ebræi & Syri sermonis permista est. Quare licet lector N. T. in Græcis literis sit dexterrime institutus, linguarum tamen Ebrææ & Syræ ignarus, in Græca illius lectione infelicissimè versabitur.* Quibus suffragantur Illyricus, clavis parte 2. pag. 664. Calvin. Beza, Pisc. Scult. Drus. Fullerus, Scalig. Buxtorf. Paræus, & alii tam Pontificii, quam Euangelici DD. passim. Quin & causas ejus rei reddit Beza, ad Act. x. in digressione de dono linguarum. [Et tamen adhuc ejusmodi præfractos homines reperias, qui, ut juventutem à sanctissimæ linguæ, tanquam rei nihili & circa quam generosa & subtilia, si DIs placet, ingenia versari indignum sit, studio abstrahant, Ebraismos novo Testamento abjudicant. Quos ego homines vel ad linguæ Ebrææ rudimenta, vel ad magni *Heinsii* Aristarchum sacrum, vel si ne hujus quidem liquidæ demonstrationes eorum pertinaciam valebunt edomare, Anticyras relegandos censeo. Sed missis istis, præteritisque illis quæ ex superioribus inferri possent,] contentus ero ad fontium dignitatem astruendam adjicere insigne Ellogium * Hispani Theologi, *Qui Hebræa*, inquit, *piè & religiosè tractant, multò in illis ampliora de Christo testimonia, quàm in Græcis Latinisque offendent.* Nec non illud * Jesuitæ non infimi subsellii, *In Ebraicâ scripturâ tot esse sacramenta, quot literæ; tot mysteria, quot puncta: tot arcana, quot apices.* Nec omittendum illud B. Lutheri, * *Ebræos Prophetas velle cogere, ut Germanicè* (addo ego quavis aliâ linguâ) *loquantur, perindè esset,*

* Ibidem.

* Iacob. Martinius Præfat. in N. T. Syr. Trostii.

Et Melanchon. Orat. tom. 4. pag. 475.

* Andradii. Defens. Concil. Trid. l. 4.

* Possevini in Biblioth. selectâ.

* Epistolâ ad Lincum, 1528.

ac si Philomelam quis cogeret, dulcissimâ suâ melodiâ relictâ, utrisonam cuculi vocem imitari.

Et ut ad versiones revertar, quæso te, annon & iste præclarus satis finis, ut possis Versionem B. Lutheri, Bezæ, Junii, &c. contra adversarium defendere? An verò eò impudentiæ delabêris, ut versionibus istis tanquam authenticis, adhærescendum tibi putes? [ut, sicuti Sutor & Latomus clamabant, *nobis satis est versio Hieronymi*, ita & tu clames, nobis satis est versio Lutheri, Junii, &c?] At Socinianus & Jesuita tibi non dabunt tam magnum αἴτημα, nec difficile ipsis erit te ex hoc imperitiæ azylo extrahere.

Resp. 4. Si hæc perversa modestia primorum reformatorum animos incessisset, ne nunc quidem ex tenebris Papatus fuissemus electuati. Lutherus Germanicam Versionem, quæ ex vulgatâ traducta erat, correxit, Lutheranam alii aliquot in locis polivêre. Eandem Vulgatam in V. Test. Junius, in Novo Erasmus correxêre. Junianam & Erasmicam Beza, Piscator, Scultetus, Fullerus, Drusius, Graserus, Rainoldus & alii magis magisque perfecêre. An putabimus priores à posterioribus contumelia affectos? aut hac ratione damnum SS. Literis & religioni illatum? Et quæ Logica hanc consequentiam probabit, *Hic aliquid correxit in istius versione, ergò doctior fuit illo, aut saltem videri voluit?* Nihil simul inventum & perfectum fuit. Qui prior aliquid præclari invenit & glaciem frangit, plus laudis meretur, quam qui inventis aliquid addit. Illud non nisi magnis ingeniis datum est: hoc etiam mediocribus concessum est. Præclarè sanè Lutherus, Junius, Tremellius, Erasmus, Beza, de sacris literis meriti sunt, non eo tamen posterorum diligentiæ omnia præripuerunt. Deus liberè & variè sua dona dispensat. Dies diem docet. Multa olim obscurissima, eorum industria illuminavit. Longè plura in quibus ipsis fuerunt tenebræ posterorum diligentia partim illustravit, partim porrò illustratura est. Et ut hoc non esset, quid miramur bonum Homerum aliquando dormitare, præsertim in laborioso versionis opere? Nimis augusta res est, nusquam errare. Atque hæc non eo fine dicuntur, ut beatis illis viris vel tantillum detraham, sed ut ostendam verissimè dixisse Rev. D. * Scultetum, *nec unius, nec plurium, quam libet doctissimorum virorum, versionem Ecclesiæ pro authenticâ obtrudendam.* *Habent*

* Observ. in Matth. & Marc. c. 46.

bent enim omnes, ut suas virtutes, ita & vitia. Liceat mihi ergò de illis usurpare, quod de B. Hieronymo, Hieronymus ab Oleastro Inquisitor, * *Hieronymo*, inquit, *non plus tribuendum in sua Edit. si tamen illius est, quam sibi velit ipse tribui. Ipse verò, utpote vir Sanctus, se aliquando hallucinatum ingenuè fatetur, suamque versionem in multis emendasse. Quæ non in eum finem produximus*, inquit, *ut virum sanctum traducamus, sed ut doceamus, eum non Prophetam, sed hominem fuisse.* Et cur adolescentes nostri non ipsis magnis illis viris Junio & Trimellio aurem substringunt? Illi enim non placere sibi eos profitentur, *qui rivis humanâ opera ductis ita acquiescunt, ut vix uno aut altero anno fontes ipsos investigent.* Et cur quæso? *Quum enim præclarè*, inquiunt, *secum agi existiment, si de rivulo humanitus ducto sorbeant, ubi fons præ foribus est, nihil mirum, si miseri justo Dei judicio tandem eò adducantur, ut palustri ulva implicentur & sordibus inquinentur: quas etsi suo ipsi torpore contrahunt, tamen ut ab aliis arreptas mordicus deinceps retinendas putant. At quantò melius veteres ex doctrinâ Johannis ad libros S. Scripturæ fidem adhibendam, ad sua scripta judicium afferri postulârunt, &c.*

* præfat in Comm. suum in pentat.

præfat in Biblia ad Fred, 5.

Resp. 5. B. Lutherum, Junium, Bezam, Pisc. &c. suas versiones sæpè sub incudem revocasse, multosque errores emendasse, prout vel ipsi, ut dies diem docet, suos errores animadverterunt: vel ab aliis, ut oculi plus vident quam oculus, fuêre admoniti. Et credemus, illorum versionem ultima recognitione ad eum perfectionis gradum pertigisse, ut omnibus postfuturis otia fecerint? Addo, Lutheri & Junii versiones sæpe δις διὰ πασῶν, dissentire. Vbi ergo illi sunt, qui Lutheri in N. Test. pro anthenticis habent, atque in iis securi acquiescunt, nunquam in causas varietatis inquirentes. Dubitas? Confer eas Ps. 68. 20. Jerem. 23. 23. Jezech. 5. 7. Hos. 6. 4. Jon. 2. 5. Mal. 2. 16. Quid ad hæc dicent duricervices isti adolescentes? An duo textus adeò diversi, authentici simul erunt? Non opinor. Vtrum tamen sequeris? Certè nisi aliquid in linguis didiceris, talpâ hic eris cæcior, evenietque tibi illud, quod Hieron. de linguarum imperitis asserit, * *ut, dum putabis te optimam sequi sententiam, pessimam eligas, & uniuscujusque interpretis errorem sequaris.*

* Apol. 2. contra Ruffinum.

Et ut ad commentarios redeat Oratio, in tantâ sæpè Commentatorum varietate quàm miserè hærebis, quam perpetuò

tuò fluctuabis, si nihil judicii ipse ad eorum lectionem attuleris? Cur enim hunc magis quam illum sequeris, verè dictum à Poëtâ, quisquis fuit,

— redit actus in orbem
Ludus in hac mundi scenâ penè unus & idem.

Superiori sæculo Latomus, Sutor & id genus belluæ, cum quibus Erasmo pugnandum fuit, ad suos quoque commentarios provocabant. Hanc viam compendiosam: alteram, dispendiosam vocabant. Erasm. in Apolog. p. 625. Sed quam compendiaria ea via fuerit, duobus exemplis ad oculum demonstravit Erasmus p. 635. quorum alterum ex Ps. 45 alterum ex Thren. 3. desumsit, & nos illa, suo quodque loco, exhibemus. Ego verò in Lutherum, Calvinum, Bucerum & id genus interpretes injurius essem, si accuratissimos eorum commentarios, cum ineptis barbarorum istorum commentis conferrem. Manet tamen illud quod dixi, Fluctuabis semper, ubi illi dissentiunt. Et hîc locum illud habet quod vulgò dicitur, *compendia sæpe dispendia*. Neque enim faber, qui parandis instrumentis horas aliquod impendit, serius absolvet opus, quàm qui, non satis apparatis illis, mox ad opus accingitur. Ego ita semper credidi, Linguæ Originalis notitiam multorum Commentariorum instar esse. [Ac proinde hanc viam maximè esse compendiariam.] Hoc omnes piè docti agnoscunt. Tempore persecutionis verbi divini Minister Commentatorum suorum & Homiliastarum Bibliothecam ad manum habere non potest. O miserum ergò ejusmodi Concionatorem, si ex solis Bibliis suarum Concionum stamen & tramam conficere non possit! Atque hic iterum protestor, me doctissimorum virorum ut versiones, ita & Commentarios non contemnere, dum Scripturæ originalis studio primas defero. Advocatum do magnum illum Rostochiensium Theologum * *Scio*, inquit, *plurimorum ex nostris labores in controversiis enodandis exantlatos, illudque studium sacrum meritò suspicio: scio item extare erudita multorum in libros Biblicos scripta commentaria, quæ uti debeo, veneror, sed in istis TANTVM vel PRÆCIPVE occupari juventutem, neglectis Bibliis, id demum est quod sæpè multumque conqueror.* Defunctum me putabam: Ecce restant aliæ, quæ adversus linguarum studia adhibentur, machinæ. Si Originalis linguæ notitia tantam facem sacris literis allucet, cur ergò tantæ apud Judæos tenebræ? Cur illi ergò tam in-

* Ioh. Tarn. nov. præf. citata.

infelices SS. literarum interpretes? Hujus machinæ impetum jam olim a) Melanthon & b) Flacius retuderunt. Ecce enim, dum cognitionem linguæ Ebrææ Theologi Euangelici urgent, non urgent solùm eam, quæ in verborum flexionibus, aut nominum cum affixis compositione, &c. consistit. Vlterius progrediendum est, vid. ut vocum propriæ significationes ex diligenti locorum collatione investigentur, ut probè intelligatur dictio & phrasis, qua usi sunt sacri Scriptores. c) *Judæi verò magnam partem, tantùm abest, ut phrasin & modum dicendi perspiciant, ut & primam Grammaticæ partem ferè ignorent.* Eruditiores verò, quorum magna apud eos raritas est. Canonem Biblicum Grammaticè quidem, attamen ita explicarunt, d) *ut omninò contemni non debeat illorum labor.* Quod autem in doctrina de Messia & quæ inde dependent, adeò prævaricantur, e) *non tam peccant inscitiâ, quam voluntatis perversitate, ut olim Cajaphas & similes. Sed sit sanè inscitia. Ea ex hac potissimum causa oritur. Vt in arcâ fœderis, Cherubim se mutuo contuebantur, alasque jungebant, ita V. & N. Test. monumenta congruunt. Vetus est fons novi: Novum est lumen Veteris, & collatio utriusque ad utrumque intelligendum necessaria est. Cum autem aspernentur Judæi Christi & Apostolorum interpretationem, & sua somnia de Mundi imperio nolint abjicere, retinent corruptelas ab impostoribus excogitatas. Atque ita* f) *occalluerunt mentes eorum,* inquit Apostolus. Cujus verba consequa huc quoque pertinent. *Nam usque ad diem hodiernum,* inquit, *in lectione Veteris Testamenti manet non retectum velamen illud, quod cordi eorum impositum est: ubi verò converterint se ad Dominum, tunc tolletur velamen illud.*

a Orat. tomo 4. pag. 478.
b Clavis. parte 2. pag. 668.
c Flacius, ibidem.
d Graserus in ult. verbis pag 36
e Melanth. ut litera a.
f 2. Cor. 5 vers. 14. 15. 16.

Illud etiam à nonnullis afferri memini, *Florem ætatis* inquiunt, *in sola linguâ Latinâ discendâ detrivimus, sat vocum studio datum est. Rebus danda tandem est opera. Vita brevis, ars longa. Via longa & viatici parum.* His jam supra abunde satisfactum arbitror. Quod verò de lingua Latinâ afferunt, non de nihilo est. Absit ut ejus studium atro Lapillo notem. Noctua essem, si non ferrem ILLUM Solem. Illud tamen dolor jubet dicere, pudendum esse eam ex solis profanis authoribus disci, tot annos ei impendi, Linguarum sacrarum fundamenta in Trivialibus non unà tradi, Linguæ Latinæ denique eum tribui honorem, ut ejus sola qualiscunque cognitio Ministrum doctum à Laïco seu Idiota discernere censeatur. g) *Scire,* inquit Aristoteles, *est* τὰ πρῶτα

στοι-

χεῖα scire, prima elementa & principia percipere. Jam verò prima Theologiæ Elementa non Latina reperies, sed Ebraica partim, partim Græca. Ne minima quidem Scripturæ particula Originaliter Latinè scripta est. Cur ergò Theologis futuris sola Latina adeò anxiè inculcatur? Quicquid responderint, illud tandem etiam inviti prodent, pluris apud se esse scripta hominum, quam authenticum Dei O. M. instrumentum. Et quod ad scholasticam institionem attinet, quia eò rursus delapsus est sermo, non possum quin hùc transcribam seriam *Caroli Sigonii*, hominis nec Theologi, nec Euangelici, querelam, quam ut omnes Euangelici, quorum in ordinandis Trivialibus Scholis aliquæ partes sunt, ad animum revocent, propter Dominum nostrum Jesum Christum, ad cujus gloriam omnia referri æquum est, supplex rogo & obsecro. *Vehementer erramus*, inquit, *ab iis ferme lustrandis monumentis exordientes, quæ falsorum deorum traditiones, & commentitias fictorum heroum actiones à Græcis, acutißimis hominibus, sed veritatis planè ignaris proditas complectuntur: quibus neque ad aliquem prudentiæ usum, neque ad ullum pietatis fructum excolimur: cum si quid in nobis sensus, ne dicam sanitatis inesset, ab iis potius, quæ sacris continentur Ebræorum literis, initium ducere deberemus. Nam si prima rerum principia quærimus, non altius repetere, quàm ab ipso mundi hominumque, quod ibi tractatur, opificio possumus: si vera, nihil tam verum existit, quàm quod Dei ipsius viventis ore prolatum est: si gravia, quid magnificentius iis inveniri monumentis potest, in quibus sancta Dei mandata, salutaria promißa, certa oracula, cæteraque his adnexa salutis nostræ adminicula concluduntur? Porrò autem unde aut virtutum exempla præstantiora ad persequendum, aut vitiorum detestationes acriores ad declinandum, aut actiones insigniores ad memorandum, quàm ab ipsis Ebræorum peti commentariis poßunt? in quibus solis apertè docetur, quantum humanum genus aut religione colendâ summo præsentis Dei auxilio sublevetur, aut eâ negligenda, acri ejusdem iracundiâ conteratur.*

* Præf. in Comment. ad Sulp. Severi historiam sacram.

[Huic admonitioni si aures nostras substringeremus, minus virium haberet ea objectio, quà literas Græcas & Latinas spectat. Sed adversus Ebræam & Græcam sacram, quam *Hellenisticam* vocant Scaliger, Drusius, & Heinsius, ficulneum plane telum est. An Medicus Galenum vel Hippocratem Græcè legens, aut Philosophus Platonem vel Aristotelem in primigeniâ scri-

ſcriptura evoluens, nihil præter ſermonem diſcet? Eodem modo, qui Prophetas Ebraicè, Apoſtolos & Euangeliſtas Græce legit, nunquid ſimul cum ſermone diſcet res ſacris literis comprehenſas?

Sed tempus tandem erit, opinor, ut vela contraham. Fiet autem illud, ubi duo ex B. Lutheri operibus loca produxero, quæ apud omnes bonos multum ponderis habitura mihi perſuadeo. Prior extat Admonit. ejus ad Magiſtratus civitatum Germaniæ, tomo 7. Latino Witeb. fol. 441. pag. 2. & tomo 2. Jenenſi, German. pag. 458. *Sed & hic video*, inquit, *quid poßis objicere, ut maximè, inquis, habendæ ſint ſcholæ, quid nobis proderunt linguæ Ebr. Gr. Lat. &c. Annon poſſumus Biblia in vernaculam noſtram transfuſa legere? Reſpondeo, Jam pridem noveram nos Germanos non niſi beſtias manſuros.* Ja ich weiſſ / leider / wol / das wir deutſchen muſſen immer beſtien und tholle thier ſein und bleben / *Verùm hoc miror potius, cur non pari ſemel dicant operâ, Quò nobis ſericum, byſſus, purpura, vina exotica, pulveres aromatici, quicquid præterea peregrinarum eſt mercium, cum nobiſmet ipſis vini, frumenti, lanæ & lini, Regiones noſtrates non ſolum copiam ad vivendum producant, ſed etiam delectum ad ornandum relinquant. Artes liberales, linguarumque cognitionem, quæ præterquam quod damnoſæ non ſint, etiam ornatum uberiorem, decus, utilitatem, tum ad intelligendas ſacras literas, tum ad Reip. munia obeunda ſunt allaturæ, poſthabemus: verùm merces peregrinas, quibus carere magno noſtro poteramus compendio, ut pote funditus nos exhaurientibus, ultro cupimus.* a) *Annon hoc eſt craßiſſimo ſtupore Germanam beſtiam eſſe? Præterea ſi linguarum peritiæ alius non eſſet fructus, vel ſolum ſocordiam noſtram excitare debebat, quod omnipotentis Dei adeo nobile donum ſit, quo Germaniam noſtram hac tempeſtate cumulatâ liberalitate, præ cæteris penè omnibus gentibus donavit. Videmus nimirum, Diabolum per Academias & Monaſteria ſtudiis ſemper fuiſſe reluctatum. An neſcis quo furore Monachi contra emergentes linguas ceu hæreſin manifeſtariam acti fuerint & adhuc ſine intermiſſione furant?* b) *Siquidem proſpiciebat veterator ille malum, quod regno ſuo linguarum cognitio eſſet illatura ubi in lucem emerſißent, cui multis ſeculis mederi non poſſet. Proinde cum prodeuntibus linguis obſtare non potuit, cogitat*

a Heiſſen das nicht billich deutſche narzen und beſtien?

b Den der teufel roch den braten wol / wo die ſprachen her fur kemen / wurd ſein reich ein ſack gewitt nen das er nicht licht kund wider zuſtopffen. Weil er nit nicht hatt mugen weren / das zie her fur kemen / denckt er doch ſie alſo ſchmal zu halten das ſie von ihnen ſelbs wider ſollen vergehen und fallen. Es iſt ihm nich ein lieber gaſt damit ins haus kommen / darum wil er ihn auch alſo ſpeiſen / das er nich lange ſolle bleiben / etc.

eas ad

eas ad paucißimos quoque relegandas esse ut per se tandem, sterili paucitate cogente, denuò arescant & concidant. Ac sanè parùm gratus hospes diabolo linguarum peritia fuit, propterea eundem frugali culina tractare decrevit, ne diutinâ mansione premat hospitem: quam veteratoris nequißimi vafriciem pauci nostrum vident. Et paulo post, *cum primum emergerent linguæ, omnes ignorabant, quo consilio divina Sapientia linguas in lucem prodire sineret, donec re compertâ videmus, hoc Euangelii restaurandi causa factum esse, quod tum adhuc revelandum erat, ut per hoc papisticæ abominationis regnum everteret. Quamobrem credimus & Græciam Turcarum ditioni subjugatam, ut per Græcos sparsos & fugatos illorum lingua disseminaretur.* Et rursus pauculis interjectis, [c]) *Hæc eò dicta sunt, ut intelligamus, nos Euangelium commodè nunquam retenturos esse, nisi fiat linguarum auxilio. Linguæ enim sunt vaginæ, quibus gladius ille Spiritus, vid. verbum Dei, est insertus. Sunt arcæ, seu thecæ repositoriæ, quæ hoc nobile* κειμήλιον *asservant. Pocula, quibus salubrem hanc potionem exceptam circumferimus. Cellæ promptuariæ, ex quibus promus concionator, hæc Euangelica cibaria depromit, Cophini in quibus panes una cum piscibus adeoque reliquiarum fragmenta custodiuntur, ne pereant. Quod si nobis supinè stertentibus, quod Deus avertat, per incuriam elabantur linguæ, timendum est non Euangelium solum amittamus, verùm eò rursum miseriarum venturum nobiscum, ut nec linguam Lat. aut sermonem patrium rectè sonare aut scribere poßimus.*

Germ. c Lasst uns das gesagt sein.

Alter extat in ejus comment. ad Psalm. 45. Sæpe monui vos, inquit, ut Ebræam linguam. Etsi enim linguæ nullus alius esset usus, tamen pro gratiarum actione discenda erat: quod pars quædam religionis & cultus Dei sit, eam linguam docere vel discere, quæ sola, quicquid unquam divini est, docet. Auditur enim in ea Deus loqui, audiuntur sancti invocantes & maximas res gerentes, ut studium, quod in hanc linguam discendam impenditur, Missa quædam seu cultus Dei meritò vocari possit. Quare seriò vos hortor, ne eam negligatis: periculum enim est, ne Deus, hac ingratudine offensus, privet nos, non solùm cognitione hujus sanctæ linguæ, sed & Græcæ & Latinæ & totius religionis. Quàm facile enim ei est excitare barbarum aliquem populum, ut hæ linguæ unà intereant? Sed præterquam quod pars cultus divini est hoc studium, continet etiam maximam utilitatem. Si enim aliqui futuri sunt Theologi, sicut necesse est, ne-

que enim omnes Jura aut Medicinam discemus, oportet eos esse munitos contra Papam & aliud odiosum hominum vulgus, qui cum unam Ebræam vocem sonare didicerunt, statim putant se magistros hujus sanctæ linguæ esse. Ibi nisi eam nos teneremus, tanquam asinis illudent & insultabunt. Si autem nos quoque muniti fuerimus cognitione hujus linguæ, poterimus eis os impudens obstruere. Sic enim Diabolo & ejus ministris resistendum est. Arbitror enim nos habituros religionis nostræ hostes, Hispanos, Gallos, Italos, &c. Ibi autem cognitione Ebrææ linguæ opus erit. Scio enim quantum mihi profuerit contra hostes meos. Quare hâc quantulacunque cognititione infinitis auriorum millibus carere nolim. Et vos quoque dabitis operam, qui aliquando docebitis religionem, ut hanc quoque linguam discatis, si non pecora campi & indoctum vulgus haberi vultis, quod editis Germanicis libellis adjutum, utcunque Dominicalia & Catechismum docet, &c. *hactenus* B. LUTHERUS.

Audivistis Rev. PP. & FF. judicia, vota & gemitus piorum. Vos ipsi hæc sacræ militiæ flagitia nostis optimè & doletis. Medicinam parate huic malo. Principiis obstate Omne malum nascens facilè opprimitur, inveteratum fit plerunque robustius. Si vos hic silebitis, manusque remittetis, Pontificum edictis non erit opus. Sacra studia spontè in exilium ibunt. Cervicibus nostris denuò imminet Barbaries, vos depellite. Magno passu properamus ad veteres tenebras. Vos retrahite. Non votis aut suppliciis muliebribus, sed vigilando, in medium consulendo, salutaria decernendo & exequendo restituenda res est. Hoc à vobis expectat Ecclesia, damnate eam hujus voti. Sic à vorticibus inutilium quæstionum, quæ tot jam annos, magno Papisini & Photinianæ hæreseos incremento, Ecclesias Germanicas, ad placida sacri Codicis & salutaria Theologiæ practicæ studia revocabitur juventus, & ad disputationes sobrias super utilibus thematibus, * *non nisi jam fundamenta Religionis ex S. Codice & doctrinâ Catechetica edocta* accedet. * Οὐ παντὸς, οὐ παντός ἐστι τὸ περὶ Θεοῦ φιλοσοφεῖν, προθήσω δὲ, οὐδὲ πάντοτε, οὐδὲ πᾶσιν, οὐδὲ πάντα· ἀλλ' ἔστιν ὅτε καὶ οἷς καὶ ἐφ' ἴσον. Sic, postquam gemina illa communis matris Ecclesiæ ubera Vet. & N. Testamentum suxerint, & in Christo adoleverint Naziræi nostri, adversus omnes Hæreticorum ictus animosius insurgent. * *Hoc enim est unicum illud scutum*

* Scult. & Ternov. in præfat citatis.

* Nazianz. apud Tarnov in Præfat.

* Tarnov. Præfat. citaâ

ſcutum quod ipſis obvertendum eſt, ſic dicit Dominus, quomodo legis, erratis neſcientes ſcripturas. Vno verbo, lætior erit Eccleſiæ & Scholarum facies. Theologus ego non ſum, nec Theologi filius. Minimum me in domo Dei miniſtrum agnoſco. Non ideò tamen rejicietis hoc, quod aliorum verbis vobis ſuggeſſi, conſilium. In militia, equitum præcipua opera eſt, non ſpernuntur ideò pedites. In domo extruenda præcipuus architecti uſus. Ideò non rejiciuntur operæ & adminiſtri. Ego quod hactenus feci, id porrò cum bono Deo agam, ut hæc ſtudia auguſtæ illi Dominæ, Theologiæ, fideliter ancillentur, ſpartamque meam ſic exornabo, ut juventutem noſtram nulla neceſſitas coactura ſit, ad aliquot miliaria cum * *Graſero* ob unam aut alteram vocem Ebraïcam ad Judæos excurrendi. Ego pro meo modulo plantabo & rigabo, à magno illo meſſis Domino, & RR. VV. ſalutaribus decretis incrementum expectaturus, &, prout ſe dant initia, ringente etiam Satanâ, conſecuturus. Cum enim hanc Parænesin, licet belgicè ſcriptam & contractiorem, anno ſuperiori, aliquot provinciarum Synodis,

* Vide ejus ultima verba, pag. 35. in præf.

Αἵ μεν φέρτεραί εισι νοῆσαι τε κρῖναί τε,

obtuliſſem, omnibus ſtudium meum abundè probavi. Sicuti ex iis, quæ jam ſubjiciam, actis, liquebit.

APOGRAPHUM
EX
Actis Synodi Provincialis Friſicæ, celebratæ Harlingæ, ANNO 1624.

SESSIO V.

XXVI. Maij, ante meridem, poſt habitas preces

NOmine D. Profeſſoris AMAMA *exhibita ſunt Synodo per Scribam* XXVI. *exemplaria Parænefeoſejus: quibus diſtributis, lectis & examinatis, judicavit Synodus ejus petitionem eſſe laudabilem, ædificativam, valdè utilem & perquam neceſſariam. ac proinde ei hoc nomine,* ver-

verbis Synodi, per D. Christoph. Hardenbergium, electum Synodi Scribam gratias esse agendas. Decretumque est, ut in posterum Theologiæ Candidati, quotquot ad examen Ministerii Eccles. admitti desiderabunt, præter testimonia Senatus Academ. & Theologiæ Professorum, exhibeant etiam testimonia Professorum Ebrææ & Græcæ linguæ, quibus doceant, se in prædictis linguis eos saltem progressus fecisse, ut orignalem Veteris Novique Test. textum mediocriter possint intelligere; utque in Classe istâ, cujus examini se offerunt, ejus quoque rei specimen edere teneantur.

Quòd verò ad Idiotas attinet, cæterosque, qui non recenter ex Academiis veniunt, cum iis in omni discretione agetur, pro ratione rerum, personarumque juxta Ecclesiasticas Sanctiones. Porrò, Deputati Synodi, hujus decreti causas Amplissimis Academiæ Franek. Curatoribus quamprimum indicabunt, ab iisque petent, ut hujus Provinciæ Alumnis mandare dignentur, ut juxta hanc sanctionem studia instituant. Injungit denique Synodus expreßè omnibus Classibus, ut post Pascha sequentis anni hoc decretum sequantur & exequantur. In orig. subscripserant nomine Synodi

REGNERUS HACHTINGIUS Ecclesiastes Leovard. Præses Synodi.

CHRISTOPH. HARDENBERGIUS Pastor Ecclesiæ Midlumensis, Synodi Scriba

---

APOGRAPHUM EPISTOLÆ

Rev. Viri, D. Doct.

FRANCISCI GOMARI. ad Synodum FRISICAM DOCCOMII congregatam datæ.

Salutem & pacem à Deo Patre per J. Christum.

QUAMVIS aliquâ locorum intercapedine (reverendi Patres) dirimamur, arctissimâ tamen communionis sanctorum sub eodem Christo capite necessitudine devincti sumus: adeo ut seriò non solum cum dolentibus dolere, sed cum gaudentibus etiam

etiam gaudere jubeamur. Quocirca dissimulare sine ingratitudine non possumus, quanta meritò lætitia perfusi simus, postquam nobis præclara virtus vestra innotuit: quod gravissima atque utilissima D. AMAMÆ Parænesi confirmati, in Examine Candidatorum Theolog. & Græcæ & Ebrææ linguæ rationem habendam sanctissimè & prudentissimè (Gallicarum Ecclesiarum more) statuistis. Alioqui enim verendum erat, ne quemadmodum sacrarum illarum linguarum studiis, patrum nostrorum memoriâ suscitatis, simul veritas pene sepulta emergere cœpit ac caput attollere; ita contra studiis hisce neglectis, in pristinam barbariem & veritatis jacturam relaberemur. Gratulor igitur vobis, Patres Reverendi, insignem illam Pietatem ac prudentiam, quod Ecclesiæ Dei (quam sanguine suo acquisivit) laboranti ac ruinam minitanti, salutarem statuti vestri manum primi in Belgio subjecistis. Quo fiet ut S. Theologiæ studiosi, qui ad ministerii Euangelici munus aspirant, recto ordine procedant, scripturamque non per solam variæ interpretationis transennam eminùs aspiciant, sed eam penitius intueantur ac scrutentur, sanctarum linguarum subsidio adjuti. Quo modo & certius veritatem docere & eruditis adversariis occurrere, oraque iis obturare valebunt. Qua in re non solum reliquis Belgii Ecclesiis æternâ cum vestra procerumque Phrysiæ laude præluxistis: sed etiam vestro exemplo tam australem quam Borealem Hollandiam inflammastis, ut D. AMAMÆ hortationi (gravissimis rationibus subnixæ) locum darent, vestrumque decretum, sine invidia sincerè ad Ecclesiæ emolumentum Deique gloriam imitarentur. Quod uti fratres Geldros secuturos non levibus literarum indiciis arbitramur; ita nuperæ Groninganæ Synodi, mense Majo, consensionem (vestro & Hollandiæ decretorum ductu) meritò acessisse coram cognovimus ac comprobavimus. Adeo utile est, pio & laudabili instituto præire, aliisque comiter viam demonstrare! Nec pietatem solummodo, sed prudentiam etiam vestram singularem vobis gratulamur. Quippe, ut rem honestissimam utilissimamque decrevistis, ita factu non difficilem, dilatâ illius in annum integrum observatione, omnino reddidistis. Nam quemadmodum Themistocles licet adultior (ut Plutarchus memorat) cum Rege Persarum de rebus gravibus locuturus, anni spacium discendæ linguæ Persicæ postulavit, ut regis verba intelligere certius & ei res-

respondere tutius sine interprete valeret, idque eo intervallo est assecutus: ita & vos prudentissimè Candidatis Theologiæ, ut Deum Regem in S. Literis loquentem aliqua ratione intelligerent, annum indulsistis. Pergite igitur vestrâ illa virtute & constantia Ecclesiam stabilire. Ita Deus optimus Pater vos omni gratiæ spiritus sui cumulo auctet & conservet per Dominum nostrum Jesum Christum. Valete Reverendi Patres, & meam hanc gratulationem observantiæ erga vos, & amoris mei erga Ecclesiam testificationem, pro solitâ humanitate vestra boni consulite.

Groningæ 4. Junii CIↃ IↃ CXXV.

Subscriptum erat, Vestrûm observantissimus

FRANCISCUS GOMARUS.

APOGRAPHUM
EX
ACTIS SYNODI FRISIÆ
habitæ DOCCOMII 1625.

Quod ad decretum Synodi Harlinganæ attinet, super studiosis Theogiæ, quo cautum est ne illi in posterum ad Examen admittantur, nisi in Ebræa & Græca lingua mediocriter versati sint, Fratres hujus Synodi, auditis expensisque rationibus à .... in contrarium productis, nentiquam censent eas ejusmodi esse, ut propterea laudabile illud decretum mutari debeat, quin contrà judicant, admodum ædificativum, necessarium & utile esse, ut ei inhæreatur, illudque quàm diligentißimè & maximè serio observetur, addentes hoc interpretamentum, decretum illud pertinere non ad eos solummodo, qui recens ex Academiis venientes ad Examen admitti desiderant, sed ad omnes qui studuêre, etiam si annum aut amplius extra Academiam aut vitam privatam vixerint, aut scholasticam pædagogicamve functionem obierint. Quod verò ad Idiotas attinet, præsens Synodus nihil derogat bonis decretis, quæ super isthoc negotio, tam

tam in Nationalibus, quam hujus Provinciæ Synodis ante hac condita sunt. In originali subscripserant.

PHILIPPUS EILSHEMIUS Ecclesiastes Harling. Synodi Præses.

WIBRANDUS HOMMIUS Synodi Scriba.

APORAPHUM
EX
ACTIS SYNODI LEOVERDIENSIS. ANNO 1626.

PLacuit Synodo, nemine contradicente, ut illi quoque Candidati, qui post rogatam hanc legem quandocunq; aut undecunque, in hanc provinciam venient, huic quoque decreto juxta cum Frisiis sint obnoxii. Si cui vero alibi, ubi decretum de studio linguarum rogatum necdum est, post latam super hac re in Synodo Frisica Legem examinato & ad SS. Ministerium admisso, in hanc provinciam vocari contigerit, prædicta Synodus voluit, cum quoque huic Legi esse obnoxium.

In originali nomine Synodi signaverant

B. FULLENIUS, Synodi Præses.
I. BILTIUS, Synodi Scriba.

APOGRAPHUM
EX
ACTIS SYNODI Suyd-Hollandicæ, celebratæ WOERDÆ 1625.

QVod ad VII. gravamen attinet, quo agitur de propositione D. SIXTINI AMAMA, &c. *decernit Synodus, sicuti jam decrevit Synodus Frisica, ut Candidati Theologiæ, qui ad præparatorium Examen ad-*

mitti volent, prater testimonia Ecclesia. Senatus Acad. & Professorum Theologia, simul exhibeant testimonia Professorum Ebraa & Graca lingua, quibus doceant, se eos progressus fecisse, ut originalem Vet. & Novi Fœderis textum ad minimum legere & mediocriter intelligere posint.

Eadem fere verba sunt decreti Synodi VLTRAIECTINÆ 1626. Et NOORT-HOLLANDICAE 1627. Harlemii celebratæ.

ERROR GENERALIS V.

Versiones Latinas, Pagnini, Iunii, Erasmi, Beza, nec non Germanicam B. Lutheri, &, qua ex ea expressa est, Belgicam, mentem Spiritus S. ubique ita expressisse, nullius ut correctionis amplius indiga sint.

De hoc errore in superioris confutatione satis superque dictum arbitror. Illud enim quod hic asseritur, primarium eorum argugumentum est, qui linguarum studia res suas sibi habere jubent. Si quis tamen de Belgica pleniorem instructionem desideraverit, cum ablego ad Prolegomena * collationis nostræ Biblicæ, lingua Belgica ante quadriennium editæ, quâ veteris Test. versionem cum fontibus & accuratissimis translationibus contuli. Sed hic fortassis aliqui ex Euangelicis in me destomachabuntur, dicentque falso sibi impingi hunc errorem. Quos ego rogatos velim, cur ergo mansuetissimo Theologorum D. Joh. Piscatori tam fuerint iniqui, cur à B. Lutheri versione ne latum unguem velint discedi, cur denique illorum plerique tot loca Scripturæ, quæ in manifestis mendis cubant, quorum à fontibus discrepantiam doctissimi viri detexerunt, veteri more, etiam cum dogmata probanda vel improbanda sunt, citent. Protestationem facto contrariam, nullam esse Juris-consulti pronunciant.

* Bibelsche Conferentie.

ERROR GENERALIS. VI.

Lectionem S. Scriptura Theologia studioso non esse admodum necessariam. Vel, posse aliquem Theologia studere

dere, & Theologiæ studiosum dici etiam si non legat sacras literas.

Hunc errorem in Papatu obtinuisse olim supra pag.47. obiter ostendimus, At ex professo hanc quercum excussimus in præloquio hujus operis. Vbi liberum quoque gemitum edidimus de statu Academiarum protestantium. Ea repetere supervacuum esset & plane φορτικῆς λογοδιαῤῥοίας. Pestilentissimi hujus erroris fibras ab ipsis radicibus eliserunt pii Theologi. Ego, licetne Grammatici quidem titulum merear, non me contineo tamen, quin omnes Theologos, queîs mea ancillatur opella, per viscera misericordiæ Domini nostri JESU CHRISTI obtester, ut hic vigilent. &, cum videant Photinianos, Pontificios & Anabaptistas hic nescio quo impetu incalescere, juventutem ad Biblica studia adigant. Sed causæ, quam & urgeo, bonitate subnixus, audebo ad vos ipsos orationis meæ cursum dirigere, Lectissimi juvenes,

audebo fungi vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipsa secandi.

Si ergo non commoverunt vos omnes istæ magnorum virorum querelæ, quas in præloquio plena manu effudimus, considerate quæso & animum advertite ad ea, quæ nunc ordine dicturus sum.

I. Quàm præclarum sit illud ellogium quo Timotheum suum ornat μεγίστη τοῦ κηρύγματος σάλπιγξ, Paulus, 2. ad Timoth. 3. 15. quod ἀπὸ βρέφους sacras litetas noverit. Quàm beatum prædicat eum David, qui in lege Dei meditatur die ac nocte? Labia Sacerdotis custodient scientiam, & lex requiretur ab ore ejus, Mal.2.7. at quomodo hoc fiet nisi Legi studuerit?

II. Quàm seriò hortetur Apostolus suum Timotheum, ut *quæstiones stultas & ineruditas* (quales pleræque Scholasticorum sunt) *fugiat* sciens illas gignere pugnas, 2. Tim.2.23. *& profanos de rebus inanibus clamores cohibeat* vers. 16. & vitet λογομαχίας, quæ ad nihil sint utiles, vers. 14. Contrà, 1. Tim.4.13. *intentus esto lectioni*, Scripturarum opinor.

III. Necessarium esse in Verbi D. Ministro requisitum, ut possit *sermonem Dei* ὀρθοτομεῖν .i. *rectè tractare*, ut vertit vulg. ut *sit potens exhortari doctrinâ sanâ, & contradicentes convincere.* Tit. 1.9.

Potens in scripturis erat Apollo, Act. 18. ut & tu sis talis, à teneris assuescendum est lectioni Biblicæ, phrasis ejus, quæ latentem quandam ἐνεργείαν habet, in succum & sanguinem convertenda est. Assiduè volvendus est hic lapis. Nulla pars προπαιδείας tractari debet, cui non simul adjungatur Scripturarum lectio. Non infunditur ea cœlitus. Decumanâ opus est industria.

IV. Audi Serarium Jesuitam & mirare, in Proleg. Bibl. cap. 28. quæst. 7. hanc movet quæstionem, An Theologiæ destinato à puero sacris Bibliis vacandum sit? & affirmat. 1. Quia certum vetus illud, *à teneris consuescere multum*. Et, *Quo semel est imbuta recens*, &c. 2. quia magni & excellentes viri sic fecerunt, Timotheus, Abramius puer nobilis, & Calybita. 3. In Pirke Aboth dicitur, *Puer V. annorum ad Biblia est applicandus*, id quod observatum à Judæis olim, & aliquodo modo etiam hodie. 4. Oratorem futurum vix patitur Quintilianus aut bimulum aut trimulum esse, quin statim & à nutricibus & à parentibus & ab ancillulis & servulis, quæ balbutire incipiat, verbis & optimis & optime pronuntiatis assuescat. Quanto id in Theologo futuro expetendum curandumque magis? 5. Sua omnibus studiis infantia est. Et ut corporum mox fortissimorum educatio à lacte initium ducit, ita & mentis ad Theologiam præparatio à sacrarum literarum syllabis voculisque ac sententiolis junctis inchoanda. 6. Hieronymus ejusmodi præcepta educandæ filiæ dat Lætæ, ut videre est in ejus ad illam Epistola. 7. In vilioribus etiam artibus & disciplinis, à primâ statim ætate videmus parentum curam invigilare, ut quamprimum discendis illis admoveantur pueri: quanto magis id necessarium in summâ, difficillima & nunquam exhaurienda Scripturarum cognitione. 8. Eos, qui tar- N B dius ad scripturas accedunt, aut nunquam, aut certè rarò, aut magnâ cum difficultate, pertinacique admodum studio, illas memoria comprehendere & in promtu ad manum habere videmus. Et postea magnum iis obtingere felicitatem asserit, qui à puero biblicis studiis innutriuntur. In sequentibus multa præclare in eandem rem refert idem. Quæst. 12. sacra Biblia vult edisci. 1. Quia & res & verba eorum dignissima sunt quæ memoriæ tabulis insculpantur. 2. Si memoria semper confirmanda est, ne pereat: si exercenda ut crescat, quid tandem est, in quo ea utilius confirmetur & exerceatur, quàm sacro-sancta Dei oracula?

3. Alia

3. Alia tam multa tam multi ex profanis voluminibus memoriâ & ſcientiâ comprehendunt, quidni & Theologi hoc κειμήλιον? *Lepta ſuaviſſimus ediſcat Heſiodum*, inquit Tullius. At pro Heſiodo Davidem, Paulum, &c. ſibi Theologiæ Studioſus proponat. 4. Qui iſta ediſcunt, Deo ſuam memoriam conſecrant, ad omnia Theologi munia aptiores. 5. Qui hoc non faciunt, ſæpe ab aliis ridentur. Magnus ille * Momus, in ratione veræ Theologiæ, non paucos inquit, olim vidimus Lutetiæ Theologos, quibus ſi quid depromendum foret ex Paulo, videbantur ſibi prorſus in alium mundum tranſlati. Quæ ſi vera, inquit Serarius, quantum dedecus! 6. Cum Scripturarum pertractatio perpetua Theologis eſſe debeat, illas memoriâ non complecti, eſt exiguum laborem non tam fugere, quàm in maximum & perpetuum commutare: qui variis occaſionibus & cauſis identidem quotidie ſubeundus & ſiſyphæi ſaxi inſtar volvendus ac revolvendus aſſidue. Quoties enim ex iis aliquid afferendum, vel alius rogandus, vel concordantiæ maximo cum tædio in manum ſemper ſumendæ, voculæque hinc inde quæritandæ, quarum non rarò fallax eſt numerus & indicium, *veluti*, ait Eraſmus, *faciunt mei ſimiles quidam, qui cum domi nihil habeant ſupellectilis, quoties opus eſt canthare aut patella, à vicino petunt utendam.* 7. Quid Hæretici plerique? Quanta Scripturarum iis memoria? &c. Hæc & plura ibidem Serarius. Quibus hæc addo,

Refer huc ea quæ p. 133. ex Franzio.

Eraſme ἄκουσον.

N. B.

IV. Tempore perſecutionis non poſſe Poſtillas, gloſſas, concordantias circumferri, imo ſæpe ne ipſa quidem Biblia. Quid hic faciet Miniſter in Scripturis non verſatus?

V. Sacras literas immediatè à Deo eſſe traditas, ab omni errore & contradictione immunes, ad quas omnia hominum quamvis erudititiſſimorum & ſanctiſſimorum ſcripta examinari debent. De his uſurpari poteſt illud quod Homerus de Ægypto,

φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Sæpe pluribus etiam foliis perlectis, vix unam certam & firmam ſententiam, cui tuto inniti poſſit conſcientia, elicias. Plurima illic folia & floſculi, at fructus rari. At in ſacris literis ὄλβια πάντα, Hic nihil eſt, *quod non ſit magni momenti*, inquit Beatus Baſilius, *utut nobis nihil aut parum eſſe videatur. Omnia quæ in S. Literis ſunt*, inquit Bannes, *etiam ſi nobis minima videantur, utilia ſunt.* Hic longe plura ignoramus quàm ſcimus. Inexhauſtum hoc pelagus eſt.

VI. Cum loci communes nihil ſint aliud quam dependentiæ quædam & conſecutiones ex ſacris literis ſeu fontibus & principiis derivatæ, nunquid præpoſterum eſt circa dependentias & conſecutiones occupari, neglectis & ignoratis fontibus? Nunquid hoc perinde eſt, ac ſi domum ædificaturus de parietibus & tecto vehementer eſſet ſollicitus, de fundamento interim ſecurus? In jure aliter inſtituuntur ſtudia· Is demum optimus Juris-conſultus cenſetur, qui optimus Textualis eſt. *Cum juvenis eſſem*, inquit Lutherus, *aſſueſcebam Bibliis, ea mihi reddebam familiaria, eoque contendebam ut bonus Textualis eſſem. Poſtea alios authores legebam.* Aber ich muſte ſie zu letſt alle aus den augen ſtellen / und weg thun/ deweil ich in meinen gewiſſen da mit nicht conte zu vrieden zein / und muſte mich alſo wieder mit den Bibel verwaren / etc.

VII. Notabile eſt *Alphonſi* Arragoniæ Regis exemplum, qui teſte Panormitano, gloriari ſolebat ſe mediis Regni negotiis univerſa Biblia cum gloſſis Lyræ quater & decies à capite ad calcem perlegiſſe. Scilicet hic Heros ad animum revocavit ſerium illud Dei mandatum, quod Joſuæ & omnibus piis Regibus dedit, *Liber iſte Legis ne recedito ab ore tuo*, &c. Joſ. 1. 8. Si hoc mandatur Politicis, quomodo illud ad ſe non pertinere credunt Eccleſiaſtici? Si tantum Regi à negotiis politicis fuit otii, quid prætexent noſtri Studioſi & Miniſtri, qui ad hoc tantum vocati ſunt? Certe Alfonſus iſte ſurget adverſus nos in decretorio iſto die & noſtram ſocordiam graviſſimâ inſectatione coarguet.

Atque hæc adverſus eos dicta ſunto, qui ſe ſtrenuè Theologiæ ſacris operari exiſtimant, cum extra verbum Dei, quod V. & N. Teſtamenti libris continetur, multum laborant, ejus aſſiduam lectionem in illud tempus reſervantes, quo jam præbendâ potiti ſunt. Piorum & doctorum virorum commentariis, compendiis, inſtitutionibus, maneat ſuum æſtimium (& habent illa magnos uſus) præeat Catechetica inſtitutio, utilibus diſputationibus & id genus exercitiis nihil derogatur, tantùm præpoſterum illum ſtudiorum ordinem & ſacri codicis neglectum dicam, an contemtum, caſtigare volui. Cæteris, qui attentiores ſunt in legendis comœdiis quàm Euangeliis, qui dum majori plauſu lyram Flacci quàm Pſalterium Davidis audiunt; qui exercitatiores ſunt in artibus Naſonis aut Machiavello, quam S. Pauli Epiſtolis, queîs denique præ Gentilium ſterquiliniis Prophetarum & Apoſtolo-

ſtolo-

stolorum myrothecia nauteam olent, cujusmodi propudia non solum Hieron. & Salviani seculum habuit, istis, inquam, pro merito destringendis, alii strigiles adhibendi sunt.

Tu ergo Vir Dei fuge hos scopulos, ad quos multi navem suam illisêre. Vos Naziræi Domini, non mihi substringite, *studete scripturis sedulò*, Est siquidem in iis tanta sapientia, das sie niemant can aus studiren noch aus lernen / wir werden wol schuler darinnen bleiben. *Studete iis logicè ac distinctè perspiciendis, ut sensus habeatis exercitatos ad discretionem boni & mali: studete in iis, non pauculis tantùm dogmatis & controversiis, sed omni informationi & institutioni, in omnis virtutis ac pietatis methodo & experientia, ut homines Dei possitis evadere, ad omne bonum opus perfectè instructi. Properatis fere omnes in studiis. Vobis non vacat aliquam ætatis partem in difficilibus & frivolis nugis perdere. Sit igitur hæc unica & prima vestra cura: ut scripturas, ex quibus & stamen & trama* Theologiæ *constat, ex quibus omnes conciones nostræ debent vivere & spirare. Sacræ* Theologiæ, *quam positivam vocant, rationem ex ipsis Scripturis haurite. Quod si hæc principia, hos fontes & omnia practica tanquam vulgaria, pervia & omnibus exposita neglexeritis, languentes interim circa quæstiones quasdam subtiliores & controversias implexas, ubi ad concionandum accesseritis, vobis metipsis forsan placebitis, sed prudentibus omnibus aliàs risum, aliàs misericordiam movebitis. Risum: quando vel minimâ arrepta ansa de controversiâ non necessariâ plura proferetis, quàm oneraria navis possit capere: misericordiam, cum de practicis verba facturi*, difficilemve textum solide explicaturi ejusque germanum sensum investigaturi, *in alium mundum videbimini translati.* Commendatissimas ergo vobis habete Sacras literas. Alexander Magnus tanto erga Iliada Homeri flagrabat amore, ut illam veluti ἐφόδιον τῆς ἀρετῆς, in castris circumferre, noctuque sub pulvinari suo eam locare fuerit solitus. Scipio Africanus Xenophontis παιδείαν nunquam è manibus deposuit. Hic est liber vitæ, Hic est pharmacum vitæ, hic est thesaurus inexhaustus, ad quem omnes universi mundi libri, quotquot fuerunt unquam, sunt aut futuri sunt, vanissima vanitas sunt: in quo ceu cornu aliquo copiæ semina omnium scientiarum pomprehendi, post authorem præfationis in Biblia Tigurina, Cl. *Alstedius* in suo Triumpho Biblico ostendit. In cujus præfatione profitetur sibi illud fuisse propositum, ut omnes, præceptores & discipuli, tandem aliquando intelligerent, à Bibliis Sacris esse INCI-

Lutherus in convivalib.

Verba Cl. D. Amesii.

PIENDUM, inque illis DESINENDUM.

ERROR GENERALIS. VII.

Omni Scripturæ textui singulisque locus, aut saltem plerisque, duplicem inesse sensum, Literalem & Mysticum. Circa illum (Literalem) versari Theologiam * crassam, circa hunc (Mysticum) occupari Theologiam illam subtiliorem & spiritualem. Quin & uni loco plures posse subesse sensus literales.

*Ita Iacob. Latomus Vide Erasmi Resp. ad ejus Dialogos, in Apologiis.

Dici non potest, quàm fœdè intolerandus ille Allegorizandi pruritus sacras literas collutulaverit. Præcipua mali labes ab Origene fuit, qui Scripturam πανσπερμίαν quandam Anaxagoræ ratus, quidvis ex quolibet elicuit vel potius expressit. Pestis ea in Ecclesiam semel introducta immane quantum proserpsit, & primarios etiam Ecclesiæ Doctores ceu pestilens aliquod sidus afflavit. Hieron. & Augustinus, qui in Orignem hoc nomine non semel invecti fuêre, quoties in eundem lapidem ipsi impegêre? Transiit is morbus ad Scholasticos, ac etiamnum apud Pontificios in ipsa ἀκμῇ est. *Scilicet hæc Allegoria tanquam formosa Meretrix est, quæ ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, præsertim ab hominibus otiosis, qui sine tentatione sunt. Tales enim se in medio Paradisi & gremio ipsius Dei esse putant, quando istis speculationibus indulgent.* Et quidem Origenis licentiam non solùm August. Hieron. & Patres alii, sed & ipsi Pontificii vehementer castigarunt. Vide inter alios Prologum Riberæ in Malachiam. Eam verò, quæ hodie etiamnum in Papatu viget, Allegorizandi pruriginem qui graviter castigarint producere possem quamplurimos. Mihi satis tres nominasse. Primus esto Sixtus Senensis. Is Bibliothecæ S. lib. 3. *graviter damnandi sunt*, inquit, *inepti quidam nostrorum temporum expositores, qui rejecta prorsus literali expositione, tanquam re levissimi momenti & Grammaticis potius, ut ajunt, quàm Theologis dignâ, in singulis Scripturæ locis coactas quasdam & insulsas Allegorias protrahunt, vim inferentes divinæ scripturæ, & destructâ historiæ veritate, ridiculas cogitationes venditant, tanquam magna & arcana Ecclesiæ Sacramenta.* Secundus erit Ribera, qui postquam præf. in Joëlem questus fuisset. *paucissimos esse qui seriò scripturis studeant & exactam earum intelli-*

Luth. in Genes. cap. 30.

telligentiam quærant, rursus præfat. in Malach stomachatur, *ex immensâ concionatorum multitudine qui mysticos sensus frequenter usurpant, esse admodum paucos, qui eorum eruendorum leges & præcepta nôrint. Ex quorum numero videas plurimos*, inquit, *qui audacter & quasi ex tripode mysticos sensus proferunt, cum historicum ignorent, & ignorare velint, fortasse, ut, conscientiâ non clamante, licentius ac securius aberrent* N 3
Tertius esto Serarius, qui Proleg. Bibl cap.21. quæst. 11. postquam excusasset quosdam Patres, hæc subjicit, *nam quod recentiores quidam & natu jam grandiores eadem hæc factitent neque uno in loco neque per imprudentiam subinde, sed fere semper & destinatò, scientes & volentes literarum sensum negligant, eum nesciant & aliter quâm ipse patiatur, ad ineptas detorqueant allegorias, non patrum ipsorum, sed κακοζήλων istorum culpa est. Ideo enim sua illi* (Patres) *fassi sunt errata, ne imitaretur ullus.* Ex quorum testimoniis illud simul liquet, huic Allegorizationi prætendi quidem facilitatem, vilitatem & paupertatem sensus literalis, sed veram causam in ejusdem difficultate latere. Id quod egregiè docet Senensis dicto loco, *Hos* (Allegoriis nimium deditos) *amantissimè*, inquit, *obtestor & obsecro, ut considerent, literalem expositionem non esse rem usque adeo vulgarem, vilem ac protritam, & omnibus, ut ipsi jactitant, puerorum pædagogis perviam, sed esse expositionem omnium difficillimam ac maximè operosam, propter inusitatas & abstrusas linguæ S. proprietates, & propter copiam rerum difficillimarum, artium vid. scientiarum & disciplinarum omnium, quæ sub historico scripturæ sensu comprehenduntur. Testes hujus rei sunt duo clarissima Ecclesiæ Latinæ lumina, Hieron. & Augustinus, qui non nisi jam natu grandes ausi sunt admovere manum Historicæ explanationi, postquam multos annos in explanationibus mysticis, veluti studiis facilioribus consumsissent* Subjungit postea testimonium Hieron. ex præfatione ejus in Commentarios ad Abdiam, *Si Apostolus*, inquit, *proficit & quotidie præteritorum obliviscens, in priora se extendit, &c. quanto magis ego mereri debeo veniam, quod adolescentia meâ provocatus ardore & studio scripturarum, allegoricè interpretatus sum Abdiam Prophetam, cujus Historiam* (id est sensum literalem) *nesciebam. Ardebat animus cognitione mystica, &c. Literas seculi noveram & ob id putabam me librum legere posse signatum.* Postquam autem narrasset librum istum ab alio fuisse laudatum, *fateor*, inquit, *miratus sum, quod quamtumvis aliquis male scripserit, invenit lectorem similem sibi. Ille prædicabat, ego erubesce-*

beſcebam. Ille ferebat ad cœlum, ego demiſſo capite confiteri meum pudorem prohibebar. Et tandem, *Liberè profiteor*, inquit, *illud fuiſſe puerilis ingenii, & hoc, quod nunc ſcribo, maturæ ſenectutis.* Quid Auguſtinus? Is primo Retractionum volumine, *Cum de Geneſi duos libros contra Manichæos*, inquit, *condidiſſem, quoniam ſecundum allegoricam expoſitionem verba tractaveram, non auſus naturalium rerum tanta ſecreta ad literam exponere, id eſt, quomodo poſſent ſecundum hiſtoricam proprietatem, quæ ibi dicta ſunt, accipi, volui experire in hoc quoque negotioſiſſimo ac difficillimo opere, quid valerem, ſed in ſcripturis exponendis tyrocinium meum ſub tantæ ſarcinæ mole ſuccubuit, & nondum perfecto uno libro, ab eo, quem ſuſtinere non poteram, labore conquievi.* Hæc Auguſtinus, *Ex quibus perſpicuum ſit*, inquit Senenſis, *hiſtoricam explanationem non eſſe ab expoſitoribus noſtri ſeculi negligendam quaſi ignobilem trivialem & ineruditam, cum ipſa omnes ferè expoſitiones myſticas nobilium ac doctiſſimarum rerum præſtantiâ antecellat.* Ex quibus omnibus & illud, opinor, perſpicuum ſit, hujus morbi matrem, literalis ſenſus difficultatem: nutricem verò pigritiam Clericorum fuiſſe, ac etiamnum eſſe. Atque hæc ſibi quoque dicta ſciant noſtri illi κακόζηλοι, qui dum nimis familiariter Pontificiorum poſtillis utuntur & conceptibus prædicabilibus, ut vocant, inverſantur aſſidue, in eadem veſtigia pedes ponunt. Non ſum propheta, nec prophetæ filius. Tamen

Credite me vobis folium recitare Sibyllæ,

Si hæc concionandi & ſacras literas explicandi ratio unà cum Theologia Scholaſtica denuò irrepſerit, poſteriora longè pejora erunt prioribus. Principiis ergo obſtate vos,

Οἷς ταῦτ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

Sed dices, An ergo omni Allegoriæ feneſtram claudis? nullusne ergo in Sacris literis eſt ſenſus Allegoricus? Reſpondeo, illud religioſè cavendum eſſe Scripturarum interpreti, ne alienum & quem S. Sanctus non intendit, ſenſum textui alicui, quem explicandum habet, affingat, eumve ita accommodet, ut accommodatio ea literæ adverſetur. Etiamſi enim ſenſum maximè pium ei affingat, vel ad rem quam maximè, ſit venia verbo, ædificativam eum accommodet, ſemper abutitur ſcripturâ. Nullus omnino fidei articulus eſt, nullum dogma verum, cui probando non extet in Scripturæ theſauro expreſſus textus. Nulla pietatis pars, nulla virtus, nullum officium Chriſtiani hominis, cui commendando deſit in eodem expreſſum teſtimonium. Eadem in falſis dogma-

dogmatibus confutandis & peccatis coarguendis ratio eſt. Quæ ergo nos cogit neceſſitas adeo licenter in ſacris literis ἀλληγορεῖν;

Pontificii accuratiores, ut Senenſis, Bellarminus & alii duplicem Scripturæ ſenſum faciunt, *literalem* unum, qui & *Hiſtoricus* & *Grammaticus* vocatur; *Myſticum* ſeu *ſpiritualem* alterum, qui tamen teſte * Maldonato, & ipſe aliquando literalis eſt. Eſt enim ille literalis, qui proximè per ipſa verba, ſive propria, ſive figurata ſint, ſignificatur, vel ut Glaſſius, quem intendit proximè Spiritus ſanctus, & qui ex verbis rectè juxta dicentis ſcopum antecedentium & conſequentium cohærentiam, ſcripturæque analogiam eruitur ſive verba iſta ſint propria ſive tropica. Conſentiunt præter Scholaſticos pleroſque *Ribera*, præf. in Malach. *Azorius* Inſtit. moral. 8. 2. & alii recentiores. Senſus ergo *literalis* ſubdividitur in *proprium* & *figuratum*, quorum ille (proprius) à quibuſdam ſtrictè *literalis*, *Grammaticus*: hic (figuratus) non ſolum *Metaphoricus*, per Synecd. ſpiciei, & *Tropicus*, vocibus *tropus* & *figura* teſte Quintil. aliquando idem ſignificantibus, ſed & *Rhetoricus*, *Allegoricus* & *Spiritualis*, & *Myſticus* & *Propheticus* à patribus aliiſque nominatur. E. Gr. Pſ. 66. *Ingreſſi ſumus per ignem & aquam*, id eſt verſati fuimus in præſentiſſimis periculis, ſenſus literalis eſt, ut vulgò iſte terminus uſurpatur, hunc enim ſenſum Spiritus ſanctus proximè intendit. At quia non vocibus propriis ſed Metaphoricis is exprimitur, eſt literalis figuratus, Metaphoricus tropicus, vel Rhetoricus quaſi opponeres literali Grammatico. Hunc Patres quidam Allegoricum vocant, quia ſicuti Metaphora aliquando omnes troporum modos ſignificat, ita & Allegoria. *Allegoricum* ergo ſic loquendo opponunt *literali proprio* ſeu *Grammatico*. Vocant & *Propheticum*, quod prophetis ejuſmodi loquendi modi familiariſſimi ſint: *& Spirtualem*, teſte Salmer. ad Eph. 5. Spirtum literæ id eſt τῷ ῥητῷ opponentes *Habitabit lupus cum agno*, Jeſ. 2. ſecundum literam falſum eſt, inquit Hieron. id eſt ſecundum literalem proprium, ſeu κατὰ τὸ ῥητόν. Hæc diligenter à Tyronibus notanda ſunt, ne terminorum diverſitate hac in materiâ diſtrahantur & fluctuent.

* Comm. Ioh. 5. 4.

Senſus literalis figuratus ſeu Metaphoricus rurſus duplex eſt. Aut enim Metaphora eſt in una, vocc ant in pluribus, Si in pluribus, *Allegoricus* commodiſſimè & propriiſſimè vocatur cum nihil aliud ſit Allegoria quàm continuata Metaphora, ſeu Metaphora-

rum congeries. Ita Allegoricè interpretantur illud *Super aspidem & Basiliscum ambulabis, conculcabis Leones & dracones* Ps. 91. Sic, *Si manus tua scandalizaverit te abscinde eam*, &c. Quia autem eum sensum Allegoricum intendit Spiritus S. idem sensus literalis est, sed improprius, figuratus, &c.

Mysticus seu Spiritualis sensus, prout literali opponitur ab Azorio, *quem non voces primò & proxime significant, sed res vocibus significata.* Glassius, *qui ex intentione Spiritus S. aliò refertur, quàm ad id quod verba immediatè significant.* Serarius, *qui per verba remotè ac mediatè significatur, propinquè verò & immediatè per res, quas propinque & immediate significant verba.* Is vulgo dividitur à Pontificiis in *Allegoricum Tropologicum* & *Anagogicum*, idque juxta triplicem differentiam temporis, præsentis, præteriti, futuri, ut vult Senensis. *Allegorica* expositio, inquit, præteritarum in veteri Lege umbrarum præsagia manifestat. *Tropologica*, quæ in sacris literis dicta & gesta sunt, ad præsentis vitæ moralem institutionem convertit. *Anagogica* ad futuræ beatitudinis & cœlestis gloriæ sublimiora mysteria animum sustollit. Accuratius tamen Gillius, citante Glassio, divisionis istius integritatem & adæquationem sic colligit, *Veritas*, inquit, *quam divinæ literæ per figuras rerum tradunt, ordinatur vel ad rectè operandum, vel ad rectè credendum. Si ad rectè operandum, est sensus tropologicus; si ad rectè credendum, opus est distinctione ex parte credibilium. Vt enim author est Dionysius, status præsentis Ecclesiæ est medius inter statum Synagogæ & Ecclesiæ triumphantis, & ideo V. T. fuit figura novi, utrumque verò status beatifici: & ita sensus mysticus ordinatus ad credendum, fundatus in figuratione N. T. per Vetus, dicitur Allegoricus: quatenus autem fundatur in eo modo figurationis, quo Vetus & N. sunt typus Ecclesiæ triumphantis, est Anagogicus.* His labefactandis ex ipsis Pontificiis multa adduci possent. Ipse Bellarm. fatetur distinctionem eam Mysticorum sensuum non semper observari à veteribus, utpote qui omnes istos vocant Allegoricos. Et certè quid aliud est Anagoge quam Allegoria? ut non malè Hugo de S. Victore in prologo libri de Scriptura tres tantum sensus enumeret, *historicum*, *Allegoricum*, *tropologicum.* [Ita & Vasques in 1. disp. 16. c. 2. & Villavincentius.] Quod verò Allegoricum definiunt eum, cum res in V. Testamento gestæ, novi Testamenti mysteria significant, quomodo subsistet, si verum illud est, quod Bellarmino teste, multi sentiunt

tiunt *in novo etiam Testamento sensum inesse Allegoricum?* juxta quem Augustinus tractatu 122. in Joh. exponit capturam piscium, quando rete scindebatur, Luc. 5. quam sententiam ipse quoque probat. Ad hæc, cur non & *Catagogicum* sensum faciunt, cum verba aut facta referuntur ad Gehennam & pœnas infernales? nihil ergo in istis est solidi. *Tropologicus* & *Anogogicus*, si sine violentia rite adhibeantur, nihil aliud sunt quam modi quidam sensum literalem ad distinctas materias applicandi. Quod verò ad illa loca attinet, *os non confringetis in eo*, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, & quæ istius generis sunt alia nec non historiam ænei serpentis, Hagaris & Saræ, Gal. 4. Jonæ, &c. in istis typi & res typis adumbratæ considerari debent, neque necesse est asserere, istorum locorum significationem continere duplicem sensum verborum; Est enim illic unus sensus verborum, alius typorum, qui cum ad res alias significandas accommodantur, secum ferunt verba, quibus explicantur. *Pontificii contendunt*, inquit Cl. Amesius, *unum eundemque cultum in imagine & exemplari: quidni igitur & unus & idem sensus verborum ad typum possit referri & ad rem typo adumbratam? Totus integer sensus*, inquit * Witakerus, *non est in verbis proprie sumptis, sed pars in typo, pars in re ipsa, quæ gesta fuit. In altero horum seorsim & per se considerato, pars tantum sensus continetur, ex utrisque vero simul conjunctis plenus & perfectus sensus absolvitur.* Hæc Witak. agens de duabus uxoribus Abrahæ, Galat. 4.

* Quæst. 5. de Scrip. cap. 2.

Licet itaque hæc sit multorum Euangelicorum sententia, unius loci & contextus unum tantùm esse sensum à Spiritu S. intentum, quem literalem vocant, quam sententiam * *Alphonso Tostato* etiam adscribit Serarius, & egregie defendunt nostri, nominatim vero Cl. *VVitakerus*: Ego tamen profiteor me nolle super hac quæstione cum quopiam serram contentionis reciprocare, *Annon in quibusdam V. T. locis duplex sit sensus, literalis unus, Mysticus alter, in illis vid. V. T. locis, quos ipsa Scriptura in N. T. ostendit præter literalem etiam continere sensum mysticum?* ut Historia Hagaris & Historia Jonæ. *os non confringes*, *Ex Ægyto vocavi filium meum* quo tramite incedens Glassius *Mysticum* subdividit in *Allegoricum, Typicum & Parabolicum*. Allegoricum vocat quando Historia Scripturæ verè gesta ad Mysterium quoddam, sive spiritualem doctrinam ex Sp. sancti intentione refertur. Adducitque hæc exempla, *non alligabis os bovi trituranti*, quod Allegoricè explicatur 1. Cor. 9. 9.

* Quæst. 57. in cap. 2. Matthæi & ad cap. 15. Quæst 28. Vide & hic Rivetum pag 225. Isagoges.

Exod. 34. 29. de velamine faciei Mosis Confer. 2. Cor. 3. 7. ubi historia ista de Judæorum cæcitate exponitur. Ps. 19. 5. Confer Rom. 10. 18. Gen. 2. 24. Confer Ephes. 5. 31. Historia uxoris Loth, Confer Luc. 17. 32. Præceptum de panibus azymis, Confer 1. Cor. 5. vers. 7. 8. Historia duarum uxorum Abrahæ, Galat. 4. 22. *Typicum* vocat, quando sub externis factis seu propheticis Visionibus, res occultæ sive præsentes sive futuræ figurantur & præsertim, quando res gestæ V. T. adumbrant res gestas N. T. *Parabolicum* definit, quando res aliqua ut gesta narratur, & ad aliud spirituale designandum refertur. Anoscit tamen postea, accuratè loquendo, *typicum* & *parabolicum* sub *Allegorico*, uti sub genere species, ferè contineri, rursusque inculcat, se per sensum mysticum duntaxat eum intelligere, quem Scriptura ipsa sui ipsius interpres dilucidè commonstrat, adeo ut vel hinc videas, quàm nihil hæc D. Glassii sententia isti Allegorizandi, quam hic taxamus, licentiæ patrocinetur.

Admittamus ergo in pauculis istis locis cum literali sensum aliquem mysticum, *innatum*, quem ipsa Scriptura aperuit. At facessant omnes ab otiosis hominibus *illati*. Quis enim eorum usus? An ad correctionem, consolationem, informationem? Atqui semper ad manum habere potes locum Scripturæ, qui eum tibi usum in sensu literali præstet. An ad probanda vel confutanda dogmata? Atqui ipsi Pontificii docent, *ex solo sensu literali peti debere argumenta efficacia, quia certum est*, verba Bellarmini, *eum esse sensum Spiritus S. Sed sensus Mystici varii sunt, & non semper constat an sint à Sp. sancto intenti*, atque hæc est communis sententia Theologorum, inquit Vega. Si nihil solidi ex sensu Mystico potest inferri, si dubius ille & incertus, quorsum ad eum in concionibus & scripturæ explanatione obhærescimus? Longe alia ratio est, quando eum à Spiritu S. fuisse intentum ex ipsa Scriptura constat, tunc enim tam efficacia argumenta ex eo, quàm ex literali peti posse, Serarius, Junius, Amesius & Glassius ostendunt. Nulla est vera sententia, ex qua non aliæ veræ deduci possint. Ex omni sensu à Spiritu S. intento disputari potest. Si ex sensu mystico disputari non potest (non ago jam de eo quem ipsa Scriptura pandit) quomodo est sensus? *Sensum enim scripturæ vocare, quod Spiritus S. non sentit aut intendit, id alienum est ab omni sensu* inquit Cl. Amesius. Applicetur scriptura & ritè accommodetur:

detur: Ex exemplo uno, E. G. *non alligabis os bovi trituranti*, extruatur præceptum generale, vid. Æquissimum esse ut unusquisque ex labore suo vivat, id quod in Lege Mosis atque adeo universâ Scriptura frequens est, vel per legitimam ratiocinationem utilia ex ea deducantur consectaria, sicuti quidam putant Apostolũ 1. Cor. 9. 9. ex citato loco per ratiocinationem à minori colligere, Verbi D. ministros esse alendos, vocentur isti modi vel *Allegoria*, vel *Tropologia*, vel *Anagoge*, vel si quid occurrat simile, aut vocetur hic sensus mysticus, *mediatus*: literalis, *immediatus*, vitentur tantummodo hi errores,

I. *Unius ejusdemque loci varios posse esse sensus literales.* Hæc est communis Theologorum opinio inquit *Azorius* Instit. moral. 8. 2. Bellarm. licet in Psalmorum explicatione eam sententiam videatur probasse, tamen in controversiis non ausus fuit eam astruere. Dicit enim solummodo, *hanc sententiam non esse improbabilem* * Medina autem secutus Alensem & Albertum diversum sentit. Becanus dicit hanc quæstionem non esse ab Ecclesiâ definitam, Ribera comm. in Hoseæ cap. 11. Medinæ astipulatur. Et quidem hi rectissimè sentiunt, Aliorum enim sententia æquivocationem in sacras literas invehit, quibus tamen Petrus tribuit βεβαιότητα id est firmitatem, 2. Epist. 1. 19. Ea autem cum pluralitate sensuum literalium non potest consistere. Quidquid enim pluribus, quàm uno, constat sensibus, inquit Medina & significationibus, illud est ambiguum, & proinde incertam, nec definitam parit sententiam. Deinde, in unâ eademque sententiâ plus uno, inquit Glassius, verum esse nequit; Verum enim & unum convertuntur. Jam verò in Scripturæ verbis & sententiis summa proponitur veritas. Una ergo tantùm unius loci est veritas. Addunt, si plures essent sensus literales unius loci, nullum argumentum firmum deduci posset ex ullo Scr. loco, etiam juxta sensum literalem. Nunquid enim termini semper essent ambigui? Neque obstat, quod multa sint Scripturæ testimonia, quæ Patres variè secundum literam interpetantur, Inde n. teste Becano Jesuitâ, non sequitur plures in istis locis esse sensus literales. Sæpe enim fit ut plures illi sensus inter se pugnent. Ista autem pugna non potest esse à Spiritu S. [Addit. Rev. Rivetus. Etiam cum non pugnant illi sensus, unum semper esse loci proprium, alium vero esse proprie sensum, sed tantum comparationem dictorum factorumve

Inter Patres vix alius est præter Augustinum, qui sic statuat, inquit Becanus.

*lib. 6. c. 25. de rectâ in Deum fide

Vide & hic Rev. Rivets Isagogen pag 217.

per analogiam: quæ quidem ad ſenſum literalem pertinebit, ſed non tollet unitatem ſenſus præcipui, ex quo deſumetur analogia, neque novum ſenſum faciet. Sic dico, cujuſque loci unus tantum eſt ſenſus literalis. Cæteri qui adjiciuntur vel ad rem non faciunt, vel conſequentiæ tantum ſunt ex genuino ſenſu deductæ.] Neque obſtat, multa eſſe teſtimonia, quæ ex Ebræo textu diverſimodè tranſlata ſunt. Nec enim inde ſequitur, inquit Becanus, plures unius loci eſſe ſenſus literales: ſed tantùm plures eſſe ſenſus literales ſecundum varias ejuſdem loci tranſlationes.

Neque hoc probat locus iſte, *Ex Ægypto vocavi filium meum*, Hoſ. 11. Math. 2. Quatenus enim ille locus explicatur de Chriſto, ſenſum allegoricum eſſe contendit Ribera. Ego verò aſſentior *Janſenio*, qui accommodatitium ſenſum & hîc & alibi conſtituit. Cui ex noſtris quoque aſtipulatur *Scultetus*. Verba Sculteti hæc ſunt, ad locum, *ut impleretur quod dictum eſt, ex Ægypto, &c.* Mat. 2. *Verba illa*, ut impleretur, *non neceſſariò nos huc vid. locum illum Hoſeæ literaliter de Chriſto explicandum, ſiquidem quædam dicta prophetarum implentur hiſtoricè, quædam typicè, quædam analogicè. Hiſtoricè, ut quod ſcriptum eſt Pſ. 22.* Foderunt manus meas & pedes meos, & diviſerunt veſtes meas. *Hæc enim Davidi accommodari non poſſunt. Typicè impletum eſt in Chriſto apud Lucam cap. 4. Vaticinium* Jeſaiæ cap. 61. *Analogica impletio eſt in tribus illis dictis, Math. 2.* Ex Ægypto, &c. vox in Rama, &c. Nazoræus vocabitur. *Analogica eſt impletio per ſimilitudinem, ut intelligamus, nihil novi eſſe, ex AEgypto de integro naſci Eccleſiam, quando jam olim Deus populum ſuum filium dilectum inde evocavit. Neque enim teſtimonia V. T. ſemper confirmandi, ſed ſæpe illuſtrandi & concinnioris accommodationis gratiâ adhibentur in novo. Quod qui non attendunt, ii textus propheticos violentis iſtis applicationibus corrumpunt, &, quod in Hoſeæ loco fit, reprehenſiones tranſmutant in conſolationes, & narrationes facti præteriti in promiſſiones rei futuræ.* Hæc D. Scult. Quæ fortaſſis ridebit Pontificiorum aliquis, ſed diſcat ille ex Serario, *De his & ſimilibus locis pluribus etiam jure Canonico particulares eſſe diſſenſiones, inter iſtorum locorum Interpretes. Cum alii* literarium *ſolummodo, alii* myſticum, *alii denique* * accommodatitium, *in hiſce ſenſum conſtituant. Et quidem aliqui probabiliter atque Catholicè ut Janſenius, alii verò improbabiliter & hæreticè.* Hæc Serarius cap. 21. quæſt. 14.

Exercit. Euangel. Lib. I. c. 60.

* hunc Cajet. vocat ſenſum tranſumptivum.

Ne-

Neque etiam pluralitatem ſenſuum literalium in uno loco probat vaticinium Cajaphæ Joh.11. 5. Illud enim conſiderari debet, non ut axioma unum, ſed ut duo, quorum unumquodque ſuum proprium ſenſum literalem habet. Alium enim ſenſum Spiritus S. alium Cajaphas intendit. Aliud ergo axioma eſt quà à Sp. Sancto profectum eſt, aliud quâ à Cajapha prolatum eſt. Cum autem quæſtio ſit de verbis Scripturæ, quatenus Spiritum S. authorem habent, quid ad nos attinet quem ſenſum Cajaphas intenderit?

Error ſecundus, quem hic vitare oportet, iſte eſt, *Quorundam locorum nullum eſſe ſenſum literalem.* Azorius loco & libro ſupra indicato, *Quidam putant ſcripturam aliquando ſenſu literali vacare, ſolo Myſtico contentam.* Ita nonnulli putarunt diluvium & arcæ fabricationem non eſſe res geſtas, ſed nudas rerum ſignificandarum figuras, apud Auguſt. de civit. Dei 15. 27. Quin & Origenes & ejus aſſeclæ ita tractarunt ſcripturam, ut videantur idem planè ſenſiſſe. Sed errorem iſtorum confutarunt *Azorius*, *Serarius*, & alii. Etiam Lyra ita ſubinde loqui videtur, ſed notat Serarius, illum ſenſum tropicum & figuratum appellare myſticum & literali proprio ſive τῷ ῥητῷ opponere.

Error 3. *In omnibus & ſingulis Scripturæ locis duos eſſe ſenſus unum literalem, Myſticum alterum.* Ita multos ex Pontificiis ſtatuere, *Serarius*, *Azorius* & *Bellarminus* teſtes ſunt. Ita ſentiebat Origenes, qui in minutiſſimis etiam, e. gr. propriis montium, locorumque nominibus, myſticum ſenſum latitare credidit. Sed hoc confutant iſti triumviri, & quidem Serarius, quæſt.8. c.21. Azorius Inſtit. lib. 8. cap. 2. Bellarm. lib.3. de V. D. cap.3. Fundamentum opinionis iſtius primarium fuit locus 1. Corinth. 10. verſ.6. & 11. *Omnia figuris contingebant illis.* Reſp. Glaſſius illic hiſtoriam veterum accommodari ad Corinthios & doceri, omnia quæ Iſraëlitis evenerunt, eſſe imagines & quid fugere & quid ſequi debeant, ut in iis videre poſſint quid fugere & quid ſequi debeant, &c. Deinde quid per verba iſta verſ. 6. ταῦτα δὲ τύποι ἡμῶν, &c. intelligatur, oſtendi verſ. 11. ubi exempla priſcorum Iſraëlitarum dicuntur ſcripta πρὸς νουθεσίαν ἡμῶν id eſt od commonefactionem noſtram & cautelam. Jam verò νουθεσία non eſt ſenſus literarii accommodatio ad uſum, ut patet ex 2. Timoth.3. 16. Non ergo iſthic loci agitur de typicis repræſentationibus ſed ut

Vide & hic Rivetum p. 222 Iſagoges & Ameſii Antibellarm.

ut a Bannes recte explicat, *dicit in figura ipsis contigisse supplicia, id est in exemplum nostrum.* Cui astipulatur Jesuita Vasquez, Atque hic illi etiam admonendi, qui ex quolibet Heroë, cujus vitam & res gestas veteris Test. Scriptores ad posteritatem transmiserunt, typum Christi, aut ex qualibet re typum Ecclesiæ aut rerum Novi Testamenti faciunt. Longe alia istorum ratio est, quos typum Christi gessisse ipse Christus & Apostoli docuere: verbi gratia, Melchisedeci, Hebr. 5. & 7. Jonæ, Math. 12. Davidis & Salomonis quod ex tot oraculis, quæ in N. Test. citantur, liquet, Eadem est ratio Agni Paschalis, 1. Cor. 5. 7. Arcæ cum propitiatorio, Rom. 3. 25. Templi Salomonis 1. Joh. 2. 21. victimarum Heb. 9. 8. Serpentis ænei, Joh. 3. 14. Altaris, Hebr. 13. 10. & aliorum quorundam, quamquam siquis in multis quorum in N. Test. fit mentio, allusionem quandam constituere mallet quam typum, meo judicio, non admodum esset aberraturus. Cavete ergo, Candidati, ne ad cathedras admissi ex qualibet persona vel re V. Test. typum vel Christi, vel Ecclesiæ vel aliarum rerum fabricetis. Sit aliquid in utroque simile, hoc typo constituendo neutiquam satis est. Nunquam enim evinces esse typum, nisi ex sacra pagina ostenderis illud à Spiritu S. huc fuisse destinatum, & ad hanc repræsentationem ordinatum. Sed & illi verbo mihi compellandi sunt: qui circa nominum propriorum interpretationem & etymologiam nimis curiosi sunt, atque hinc ad typos & Allegorias dilabuntur, integras sæpe horas hujusmodi dissertationibus transmittentes. Etyma nominum propriorum quæ vel ipse Sp. S. prodidit, vel ex ipsa originali lingua sua se sponte offerunt, ut e. g. *Adam, Heva, Kain, Habel, Seth, Enos, Noach, Abraham, Isaac, Iacob, Juda*, & cæteri ejus fratres, *Moses, Salomo*, &c. hæc, inquam breviter explicentur, ex his documenta depromantur. At* quod cætera attinet, quorum etyma vel ignorantur, vel obscura vel admodum controversa sunt, iis diu inversari, atque iis typos & allegorias confingere, id vero est patientia auditorum abuti [Valebitque & gemino hoc casu ista censura *Bonfrerii* Jesuitæ, quæ in Præloquiis ad Pentateuchum cap. 20. Sect. 3. mysticorum sensuum venatores perstringit, *Qui à multis*, inquit, *asseruntur sensus mystici, fere sola conjectura nituntur, cum aliunde non constat eos Sp. Sanctum intendisse: atque adeo ut*

a Vterque in Thomam p. 1 q. 1. art. 10.

* *Mercerus in Genes. p. 106.* Veteres illi patres nominum indendorum liberis certas semper causas habuerunt, quæ aliquando, exprimuntur in Scripturis, sæpe omittuntur. & in omissis non est quod nos immodice torqueamus aut certe aliquid pronunciemus temere, cum multis conjecturis quidem locus est, &c.

ut plurimum minus utiliter in his opera ponitur, quam in sensu literali, propterea quod plerumque in his multa humani ingenii figmenta venditentur pro mysticis sensibus, qui veri sensus non sunt, nec à Spiritu S. intenti.] Illos quoque merito reprehenderis, qui sæpe volentes scientes Scripturam ad suos conceptus inflectunt. Atque hic non inutile fuerit multis verbi divini præconibus, audire querelam *Leonardi Marii* Theologi Coloniensis, cujus hæc sunt verba Proleg. in Sacram Script. Qu. 8. Sect. 3. *Hodie eo fere delapsi sumus, ut quod Patres illi raro fecerunt & reverenter, id nunc & frequentissime & pene ridicule fiat, non sine gravissima verbi divini violatione, dum potius ad populi lascivum pruritum ex talibus accommodationibus admiratio populi & laus ipsius concionatoris quæritur quam instructio populi & Dei laus.* Additque graviter, *eam esse inutilem & pampinosam verborum garrulitatem, quæ cum abundantissime luxuriavit, nihil fructus affert.* Non hic mihi negotium cum illis est, qui verba Scripturæ ad facetias & spurcitias transferunt. Quomodo profani quidam monachi olim, cum rursus bibituri erant, usurpare illud solebant, *regressus unde venerat*, & cum sitirent, dicere se in passione progressos esse ad *Sitio*, ad quorum exemplum nostri quoque Biberii Merones inter pocula gravissimas sacræ paginæ sententias usurpare non erubescunt. Non, inquam, cum talibus mihi negotium est, utpote hominibus ex professo profanis, sed illos noto, qui Scripturam etiam in sacris violenter detorquent, & licet quam maxime reluctantem accommodant ad ea, de quibus ipsis vel facillimum, vel gratissimum est sermocinari. Hoc malum altas in Papatu egisse radices, querela *Marii* luculenti testis vicem est. Audi Duræum adversus Witakerum, pag. 45. *Ad Cardinalem Cusanum quod attinet, recte sane ab eo scriptum est, alio atque alio modo Scripturas pro temporis ratione accipi posse & exponi.* Et authorem Apologiæ pro dispensatione Papæ super matrimonio Henrici 8. fol. 34. & 35. *Et forsitan aliquoties expediens fuerit neque Deo ingratum, ad pie subditorum animos fallendos, in quibusdam causis, scripturas nonnihil a genuino sensu detorquere.* Sed tolerabilius hic illi peccarunt, quam nostri. Illi enim Scripturam pro regula Lesbia & *cereo naso* (quæ sunt formalia Dionysii Carthusiani ad cap. XIII. Apocal. ubi de numero bestiæ agit) habuerunt. Nostri verò uno ore Scripturam inflexibilem normam omnium Christianorum dogmatum agnoscunt. Sed hoc debetur Pontificiarum Postillarum multitu-

titudini, ex quibus multi ejusmodi ineptias malunt haurire, quam ex Originalibus Sacri Codicis tabulis genuinum sensum eruere. Illud enim facile, hoc plusculum laboris requirit. Atque hic non possum non repræsentare gravissimam admonitionem * *Adami Sasboutii*, Pontificii, qua suorum pruritum liberi oris homo cordate destringit. Sic ergo ille Præfat. in Jesaiam, *Litera seu historia est basis & fundamentum allegoriæ; propterea valenti scripturam interpretari allegoricè, in primis curandum est, ut literam ad unguem teneat. Nam puerile est, stultum, imò nihil offendiculo potest esse magis Judæo, quam quod quis de spirituali sensu disputet, non ante intellecta litera. Ille enim abusus scripturæ est maximus, tam libere pro cujusque ingenio & phantasia confingere Allegorias: hoc namque modo scriptura sacra esset quasi Lesbia regula, & eam, quò quisque vellet, detorqueret. An autem tota scriptura & ejus verba exponenda sint secundum Allegoriam, dubium est, vel potius dubium non est, quia hoc minime solidum est. Præterea totam Scripturam tractare secundum triplicem aut quadruplicem sensum, nec hoc solidum est: non solum, quia difficile est, semper cohærentia dicere sed etiam necesse est sæpe confingere, quod utique periculosum est in tanto thesauro, cui illam debemus reverentiam, ne quid facile comminiscamur.*

* Hunc Bell. in Recognit. p. 25. accuratissimum Scripturæ interpretem vocat.

Magni ergo istius BUCERI voto meum quoque adsonet, * *Magno verò Ecclesiæ redimendum esset, ut relictis inanibus ac plurimum majestati doctrinæ Christi derogantibus Allegoriis & commentis aliis frivolis, simpliciter & sobrie persequeremur id quod Dominus dicere voluit. In quo sane discendo & docendo, satis superque quod agamus quoque ædificemur, nobis propositum est.* Idem in comm. ad cap. 13. ejusdem Euang. postquam de allegorica quadam Interpretatione parabolæ de zizaniis obiter verba fecisset, sic inquit, *nihil horum Christus docuit, eoque nihil hujusmodi firmum. Satis aliàs scripturæ habemus, unde etiam citra istas Allegoriarum, ne quid aliud dicam, argutias, docemur, periculosam esse negligentiam Episcoporum, & quod ipsis stertentibus, maximæ hæreses soleant pullulare. Demus ergo operam, nostra certa & solida sint. qui ut sermones Dei loqui debemus. Ita vero erunt, cum puro Dei verbo, & nequaquam nostris commentis innitemur.* Atque hic animus erat huic capiti & cum eo, primo libro Colophonem imponere, cum amicissimus collega meus D. *Gul. Amesius*, solidioris S. Literarum Interpretationis strenuus assertor alium insuper locum ex eodem Bucero mihi suppeditat.

* Comm. in VI. cap. Matthæi.

Quem,

Quem, licet prolixiorem, his quæ dicta sunt, Coronidis vicem adjiciam. Is itaque postquam ad cap. 3. Johannis de ratione explicandi * typos & tractandi Allegorias doctissimè disseruisset, hæc subjungit. *In his autem observandum, ut similitudo & proportio pateat, ut certa sit, ut sensum fidei feriat. Nam in hoc istiusmodi ἀλληγορέμενα adhibentur, ut quæ docentur, clarius & significantius animis hominum commendentur. Peccatur in his igitur, dum aut obscurior similitudo, aut nulla est, aut incerta, quam fidei, quæ indubitatis tantum capitur, sensus non agnoscit. Sic dum Hieron. ad Ruffinum in Epistola, quæ incipit, Multum in utramque partem crebro fama mentitur, per duas meretrices quibus Schlomoh judicavit 1. Reg. 2. Synagogam & Ecclesiam intelligendas docet, quid simile, unde fides pasci, aut oblectari queat? Satis habebit itaque pius in eo facto, Domini agnovisse erga Schlomoh adhuc puerum miram adeo dignationem, & tum à minori transibit ad id quod majus est, agnoscetque cum tantum dederit Schlomoh spiritum Deus, veriori Schlomoh, & filio David, restauratori omnium, datam longe præstantiorem, qui judex constitutus orbis est, quique ut vates habet, non judicabit juxta id quod oculis viderit, & auribus audierit, sed adeo valebit timore, id est, pietate erga Dominum. ut odoraturus sit, quod res sit, & per justitiam vindicaturus pauperibus, & per æquitatem arguiturus afflictis terræ, &c. Jesch. 11. Sic in meretrice pueri sui tam amante, ut alienæ vivum concedere mallet, quam videre ut discinderetur, animadverte: Si hæc mala mulier suum infantem tantopere dilexit, Deum solum bonum, nos juxta suam promißionem Jescha. 40. infinito ardentius diligere, Hæc & his similia certa sunt, quia patentem spiritui similitudinem atque proportionem habet, eoque fidem possunt alere, quæ autem finxit Hieronymus, ut ingenii acumen referunt, & tanquam ingeniose dicta carnem oblectant, ita fidei nihil prosunt, quia nihil in eis certi, nihil firmi. Talibus autem typicis, quas vocarunt & allegoricis interpretationibus, veteres plerique adeo indulserunt, ut & planiss. Euangelica dicta, ad allegorias ejusmodi traxerint, sed nihilo firmiores, quam quilibet ingeniosior ex Homero & Vergilio quoque confingere poßit. At in Ecclesia ut sermones Dei, quibus nihil indubitatius, omnia nos loqui & scribere addecet. Et dolendum, esse & hodie, qui istam allegorizandi sibi licentiam nimis temere permittunt. Apostolos igitur libeat, quam veterum quosdam Originem, Hieronymum, ac alios in typorum explicationibus. & eorum quæ veteribus contigerunt, ad nos translationibus, imitari. Manifestam enim & certam habet illorum*

*Quomodo topice differant Typus & Allegoria. Vide Riveti Isagenp 227.

Intempestiva allegoria Hieronymi.

Iesch. 11.

rum translationes & anagogæ similitudinem, patrum vero pleræque aut nullam aut valde obscuram. Ne igitur idem & nobis contingat, discernenda diligenter sunt, quæ scriptura, habet inde vestigandum quid primum & præcipue spiritus quaque in re voluerit, qui in omnibus id quidem studet, ut Dei bonitas à nobis agnoscatur, nosque in illam transformemur, sed variis id docet & commendat rationibus. * Proinde diligenter observandum, ne quid ad Christum aut Ecclesiam corpus ejus, ex gestis veterum transferamus, quod non certo ac manifesto quadret. Ad quid enim facta priscorum, in Christum & Ecclesiam contorquebimus, cum ille ex suis ipsius factis, quæ vel Euangelistæ memorarunt, prædecaverunt Apostoli, clare adeo sanctis innotuerit, & illa quoque ex amplissimis quæ à sponso suo accepit donis, sic agnoscatur, ut qui velit his ex gestis figurisque veterum lucem adferre, id faciat, quod qui lucernam adhibeat soli. Vehementer varia sapientia Dei, nota sit principatibus cœlestibus, per Ecclesiam, & scilicet ex factis Abraham, Jitzchak, aliorumve patrum & regum opus erit eruere cognitionem Christi Ecclesiæque divitias? Nihilo prudentius hoc fuerit, quam si quis ex factis puerilibus, de ingenio velit differere viri. Jam pueri instar fuit populus legis, quare quæ etiam magnifica illi acciderunt, collata iis, quæ donata sunt Ecclesiæ, puerilia sunt, & admonere possunt horum, illustrare ea non possunt, imò ex his illa lucem acipiunt. * Hinc factum ut neque prophetæ, neque Apostoli, singulorum rituum significationes mysticas unquam tradiderint, neque tradentur in posterum, expectamus enim ut nequaquam in ænigmatis tam perplexis, & speculo adeo obscuro, sed facie ad faciem & sicuti est, Dominum videamus. Quare sicut vidimus, Apostolos de ipso Christo, ex revelatione spiritus potissimum prædicasse, & nequaquam ex typis, vel gestorum vel ceremoniarum veterum, nisi quando rem habuerunt cum iis, qui illis plus æquo addicti erant, ita & nos quæ de Christo ex Euangelio tenemus, in primis doceamus. Iis probe cognitis, poterunt cum fructu & typi proponi, modo religiose, ita ut Apostoli, illos tractemus. Certe Paulus typos perparce adhibuit, nisi quando pugnandum sibi fuit, cum pseudoapostolis, qui necessitatem ceremoniarum legis conabantur inducere, & de carne Abraham, in præjudicium gratiæ Christi, gloriabantur. Aliàs satis ipse & alii Apostoli habuerunt, exempla ex scripturis, & aperta cum præcepta, tum vaticinia adduxisse. Proinde qui Apostolos volet imitari, & salubria ex scripturis in Ecclesia docere, expendat quàm mirifice in omnibus quæ Deus cum suis egit bonitatem suam declaraverit, eam & sibi ipsi, & aliis probe commendet, hinc roborabitur fides, accendetur Dei amor, is tum impellet

[Margin notes:]
* Paulo post,
N B
N. B.
* Et paucis rursus interjectis.
Quæ potiss. in scripturis spectanda.

pellet ad honesta omnia, & ab inhonestis revocabit potentiss. Simul expendat Deum unum hoc, in omnibus, quæ suis unquam præcepit, sive de moribus civilibus, sive de cerimoniis præceperit, requisivisse, ut ipsum timeremus & amaremus, totique ab ipso penderemus, tum cum proximis viveremus summa cum honestate, & officiosa dilectione. Hæc aperte satis omnia scripturæ docent, cumque omnia non nisi per Christum nobis possint contingere, illum quoque omnes scripturæ prædicant. Si typicos præterea intellectus voles adhibere, vide, quod sæpius jam monui, & diligenter adeo agnoscis observatum ab Apostolis, ut probe constet, & pateat similitudo, atque proportio inter typos illos, & Christum, vel Ecclesiam. Ad quod opus est te ante, ex Euanglicis literis, adeoque & spiritu Christi tenere, quid Christo, quid Ecclesiæ, tribuas. Nam si ex typos voles colligere, quod CHRISTO, & corpori ejus tribuas, idque Apostolicæ literæ non docent, neque ipse spiritus certo sanctis revelavit, nihil saue docebis & audies illud vulgatum, figura nihil probat. Hæc sanè omnia copiosius, & pluribus exemplis fuissent explicanda, adeo pauci ad huc id volunt observare, ut certa doceant, licentiaque allegoriarum, quas vocant, minimè paucos & hodie nugatores reddit, ex solidis Ecclesiæ doctoribus, sed hæc integrum tractatum desiderant.

FINIS LIBRI I.

SIXTINI AMAMA
ANTI-BARBARORUM
LIBER II.

Quo recensentur varii errores circa explicationem particularium S. Scripturæ locorum, qui ex VII. istis, quos libro superiore discussimus, erroribus generalibus emanarunt.

GENESIS.
CAPUT PRIMUM.

Verſ. 1. *In principio.*

PER *principium* ipſum Dei Filium Patri ſuo ὁμοούσιον multi ex veteribus intellexerunt, de cujus interpretationis fonte dicemus σὺν Θεῷ ad Pſ. 40.

Ibid. In pr. creavit Deus.

Ebr. *Creavit Elohim* id eſt Dii. Primus omnium *Petrus Lombardus* lib. 1. Sentent. diſtinct. 2. ex hac nominis pluralis cum verbo ſingulari conſtructione pro perſonarum in D. Eſſentia pluralitate argumentum extruxit, quem imitati ſunt alii, inter quos & *Paulus Brugenſis*, in Addit. ad *Lyram*. Sed ejus imbecillitatem obſervarunt acutè, & propoſuerunt dilucidè *Alſonſus Toſtatus*, Epiſc. Abulenſis, *Cajetanus*, *Bellarminus* & alii; & quidem illi in ſuis ad hunc locum commentariis, hic verò in controverſiâ de Chriſto lib. 2. cap. 6. *Sixtus* quoque *Senenſis* Annot. 1. lib. 4. Bibliothecæ ſuæ, *Cajetano* patrocinatur, *Ambroſium Catharinum* increpitans, quod hoc nomine eruditiſſimum Cardinalem fuiſſet inſectatus, quaſi non multi etiam alii ſine ullâ hæreſeos ſuſpicione à Sententiarum Magiſtro qui ſibi ipſi, dum hanc ſententiam proponit, con-

contrarius est, in hoc negotio dissensissent: E nostris verò hujus argumenti debilitatem ostendêrunt *Calvinus*, *Mercerus*, & innumeri alii. Sed præ cæteris diligentissimè & quasi ex professo hanc quæstionem tractârunt, *Paræus* id comm. ad locum hunc; nec non in Calvino Orthodoxo, & *Drusius* in tractatu de nomine Elohim. Cum autem libri isti sint in omnium manibus, verbum ego hac de re non addam. Illud saltem notabit Tyro, non hoc egisse magnos illos viros, ut arduus ille de SS. Trinitate articulus hoc tibicine ablato collabasceret, sed ut Theologos in gravissimâ ista quæstione cum subtilissimis hæreticis diputaturos docerent, solidioribus argumentis esse adhærescendum. *Cum quis enim* ut egregiè monuit *Thomas*, *ad probandam fidem Christianam* In Summâ
inducit rationes non cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim p. 1. q. 32.
quod hujusmodi rationibus innitamur & propter eas credamus. Eandem art. 1.
admonitionem invenies apud *Lutherum* in Consilio de Scholis erigendis, & apud *Marsennum*, pag. 679. & 680. ubi citat & *Dominum de Muys*, Professorem Regium, qui in Appendice ad Grammaticam Bellarmini plurima adduxit, quibus solidè probatur, nihil solidi ex hac voce posse concludi.

Ibid. An deus omnia uno eodemque momento condiderit, an verò VI. dierum spatio, dicetur ad cap. 18. Sirach.

Vers. 5. *Dies unus.*

Ebr. יוֹם אֶחָד / Notarunt eruditi Interpretes אחד hic positum pro ראשון *primus.* Cardinale pro ordinali. In Ebraïsmo nihil tritius. Hagg. 1. *die uno mensis.* In novo quoque Test. eadem occurrit Enallage Quam Matth. 28. 1. vocat *μίαν σαββάτων*, eam Johannes 20. 1. vocat *πρώτην*. Id si in mentem venisset Thomæ, pag. 1. qu. 74. art. 3. non adeo sudasset in responsione ad Quæstionem illam, cur dicatur *unus dies*, cum *secundo, tertio*, &c. non respondeat convenienter *unum* sed *primum*. Theophyl. in Lucam, *παρὰ ἑβραίοις τὸ μίαν σημαίνει πρώτην.* Cicero, in De Senect. *Qui uno & octogesimo anno mortuus est.* Suet. in Augusto cap. ultimo. *Vno mandata de funere complexus*, &c.

Vers. 6. יְהִי רָקִיעַ *Fiat Firmamentum*, vertit vulgatus, secutus magis Græcum *στερέωμα*, quàm Ebræum. In hoc enim istius significationis nec vestigium nec vola apparet. Conniveri ad hoc posset,

possset, nisi ea versio Philosophis quibusdam & interpretibus errandi occasionem præbuisset. Cum enim vox *firmamentum* apud Philosophos sphæram octavam seu stelliferam significet, hinc nata opinio, supra octavam sphæram esse cœlum aliquod aqueum seu aquas, de quibus rursus non una fuit opinio. Consule hic Lyram, Cajetanum, Mercerum, Drusium, Paræum Lutherum, Calvinum, Illyricum in Clavi, voce *aqua.* Certè hæc versio Augustinum eò induxit ut l. 13. confess. cap. 32. scripserit, Firmamentum factum esse inter aquas spirituales superiores, & corporales inferiores, quod tamen retractat Retract. lib. 2. 6. Quid Origenes? Is per aquas superiores, bonos Angelos: per inferiores, malos intellexit. Vide Epiphan. Epist. ad Joh. Jerosolymitanum & Hieron. Epist ad Pammachium. Lyra, Abulensis, Catharinus, Burgensis, & alii per aquas superiores primum mobile intellexêre, ut sic dictum sit propter suam διαφάνειαν. Alii, ut Vives & Helwicus veras aquas elementales intelligunt, licet nullum earum usum assignare possint. Lutherus admodum hic sudat & postquam satis ostendisset, sibi præ aliis illam placere sententiam quæ aquas elementales intelligit, isthoc fine illic positas, ut inferiores humectent & refrigerent, ne videlicet ex nimio ardore conflagrent, tamen eò tandem redit, ut profiteatur ignorantiam suam & moneat hic captivandum esse intellectum. August. per Firmamentum passim intelligit cœlum sidereum, atque ita dici asserit, (de Genesi ad lit. lib. 2. cap. 9. & 10.) non propter stationem, sed propter firmitatem vel terminum aquarum intransgressibilem. Sed quales sint istæ aquæ, non audet asserere. Aquas tamen supra illud esse constanter asserit. Et quare? *Major est hujus textus authoritas*, inquit, *quam omnis humani ingenii capacitas.* Lombardus, postquam lib. 2. dist. 14. hac de re quoque disputasset, *sed quoquo modo ibi sint, ibi esse aquas non dubitamus*, inquit. Tu Tyro disce, רקיע propriè significare *Expansum*, à רקע *expando, extendo. Vox Ebræa*, inquit Steuchus, *extensionem significat, aut id quod extenditur, ut vela, cortinæ*, &c. Vide omnia Lexica, & nominatim *Pagnini.* Vsurpatur autem ea vox non tantùm de orbibus, ut postea, *Fiant luminaria in expanso*, sed etiam de aëre, & quidem de infima ejus regione. * Cajetanus, *appellatione extensionis* (רקיע) *cœlorum Moses non tantum orbes comprehendit, in quibus sunt astra, sed & orbe ignis & aëris.* Et annotator

Videatur & Genebrardus ad Ps 136.6.

* ad uers. 20. hujus cap.

tor ejus Fonseca, *Biblia passim aërem vocant cœlum & firmamentum.* Audiamus etiam Ebræos, Kimchi ad Ps.77.20. *Aër verè ac propriè vocatur Rakiang.* Abenezra quoque vocem eandem hic interpretatur per אויר id est *aër*, ut & Chaldæus Ps.19.1. alibi. Ut ergo שָׁמַיִם *cœlum*, etiam pro aëre, & quidem infimâ ejus regione, ponitur, ut cum legimus Psal. 8. Math. 6. 26. *aves cœli*, ita & רקיע pari hac ex parte cum ea decurrit orbita. Ecce enim vers. 20. *Et volatile volet in superficie expansi cœlorum.* Ubi & illud notet Tyro, *expansum cœlorum* vel *cœli* esse locutionem ἐν παραλλήλου, ut *volumen*, *libri*, *Petra silicis*, *Silex Petræ* & similia, quod & Abnezra ad versum ultimum hujus cap. notavit, his verbis, רקיע השמים הרקיע שהוא שמים / *expansum cœlorum id est expansum, quod est cœlum.* Nunc itaque nemo ignorare potest, quid per aquas superas intelligat Moses nempe aquas nubium, quæ sunt in media aëris regione, quas ab inferioribus, aëris infimi expansum dividit. Huic sententiæ robur aliquod addunt ex Patribus quoque *Ambrosius*, in Hexaëm. 5.22. & *August.* de Genesi ad literam 2. 4. & *Basilius*. *Acacius* verò, *Honorius Augustodunensis Presbyter*, eam evidenter probarunt. Et ex recentioribus *Pererius* in hunc locum, *Bolducus* ad Job cap. 37. *Bannes* in Thomam tomo 2. pag. 59. *Arias Mont.* de arcano sermone, *Mariana* in Scholiis, *Pradus* in Jezech. p.25. (qui hæc addit, *Cui expositioni totius primi capitis Genes. alioqui obscurissimi intelligentiam debemus.*) *Steuchus* in Cosmop. *Calv. Paræus*, *Merc. Drus. Beroald.* in Chronol. *Pisc. Jun.* nec improbant Thomas pag. 1. q. 68. art. 1. *Genebrard.* ad Ps.19. ipsi 18. 1. &c.

Atque hæc mea censura fuit ad vers.6. cap. 1. Genes. Ego hic paucula tantum adjeci. Eam cum non impugnet *Marsennus*, Heroibus istis, quos jam produxi, annumerari posset, nisi adeò variè hac de re loqueretur, ut quæ propria ejus sententia fuerit, vix colligas. Confer ea quæ scripsit observat. ad Probl. x. G. Veneti, cum commentariis ejus p.845. & calculo meo tuum quoque, sat scio, appones.

Obj. Psal. 148. *Laudate eum, aquæ quæ supra cœlum.* Resp. per שמים intelligi isthic loci idem expansum, in quo aves volant, unde *aves cœli* dicuntur Ps.8. Matth.6.

Obj. Ps.104.3. *qui contignat in aquis cœnacula sua.* Resp. Confer verba sequentia, *qui disponit nubes in vehiculum suum* & vers.13.

Qui irrigat montes è cœnaculis suis, & habebis responsum.

Ad vers. 10.

Congregationem aquarum vocavit maria.

Audi Lector & ride. Stellarium coronæ B. Virginis editum Hagenoæ 1498. sic habet, *Quid est congregatio aquarum, nisi congregatio omnium gratiarum in locum unum id est in virginem Mariam. Congregationem gratiarum in Dei Matre Deus voluit vocari Maria à Mari. In hoc tamen est differentia, quod congregatio aquarum vocatur Maria, mediâ correptâ; congregatio gratiarum* Maria, *mediâ productâ. Causa, cur maria, mediâ correptâ, quia transitoria est & brevi tempore erit. Apoc. 21. mare abit & jam non est. Maria, mediâ productâ, quia ista congregatio pepetua est in virgine, Luc. 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* En ineptias! Quod si Moses Latinè scripsisset, hæc tamen essent absurdissima. Ut nihil jam dicam, quàm imperitè duas Marias confundat, cum Luc. 10. nequaquam de Matre Domini agatur.

Ad vers. 16.

Fecit Deus duo luminaria magna.

Audi & hic mysterium magnum quod subtiles isti Allegoristæ nobis pandunt. Innocentius III. ad Imperat. Constantinopol. cap. *solitæ*, de Majorit. & obedientia, *Fecit*, inquit, *Deus duo luminaria magna id est duas instituit dignitates quæ sunt Pontificalis authoritas & regalis Majestas, sed illa quæ præest diebus id est spiritualibus, major est alterâ, quæ noctibus id est carnalibus; ut quanta est inter Solem & Lunam, tanta inter Pontifices & Reges differentia cognoscatur.* Eandem expositionem allegavit *Molina* de just. & jure tom 1. tract. 2. disp. 29. nec indigna visa est *Marsenno* quam pag. 1006. proponeret. Videatur etiam *Carthusianus* artic. 16. in Caput. I. Genes.

Ad

Ad verſ.26.

Ebr.	Vulg.
Faciamus hominem וִכְדְמוּתֵנוּ בְּצַלְמֵנוּ in imagine noſtra & ſecundum ſimilitudinem noſtram	Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. LXX. *κατ' εἰκόνα ἡμετέραν καὶ καθ' ὁμοίωσιν.*

Bonaventura, citante Carthuſiano, *Duplex eſt modus*, inquit, *exponendi hanc authoritatem*, *Faciamus hominem*, &c. *Vnus. intelligendo de imagine increatâ ; alter, de creatâ. Primus modus triplicatur.* I. *Vt imago & ſimilitudo referantur ad idem*, *vid. ad eſſentiam in tribus perſonis unam.* II. *Vt imago & ſimilitudo referantur ad filium tantum.* Ita Origenes & Marſennus. III. *Vt imago referatur ad filium*, *ſimilitudo ad Sp. ſanctum. Ita etiam Rupertus. Porro alius modus eſt exponendi de imagine creata, & rurſus triplicatur. Vnus ſic exponit, ut imago præcedat ſimilitudinem. Et dicit quod imago attenditur in naturalibus, ſimilitudo in gratuitis. Secundus, ut ſimilitudo concomitetur imaginem. Et dicit quod imago ſit in potentia cognoſcendi, ſimilitudo in potentia diligendi. Tertius modus eſt, ut imago ſequatur ſimilitudinem, quia ſimilitudo eſt in plus ſeu communius quam imago. Et dicit quod ſimilitudo attenditur in natura id eſt quantum ad ea quæ ſunt eſſentiæ in communi : imago forma id eſt quantum ad propria.* Hi modi omnes, inquit Carthuſ. poſſunt ſecundum Bonavent. ſuſtineri. Paulò poſt, *Filius propriè dicitur imago Patris, ideo quidam hoc loco per imaginem filium intelligunt, hominem verò non imaginem, ſed ad imaginem factum dixerunt, quibus obviat quod Apoſtolus inquit*, Vir quidem eſt imago & gloria Dei. *Alii ergo perſpicacius per imaginem intellexerunt filium, per ſimilitudinem Spiritum S. qui eſt ſimilitudo Patris & filii. Et quod additur* (in vulgatâ) noſtram, *retulerunt ad ſimilitudinem tantùm. Ad vocem* imaginem *autem putaverunt ſubintelligendum*, meam. Hæc etiam leges apud Lombardum lib 2 diſt.26. litera C.

Ex his & id genus aliis, quæ ad hunc textum à Scholaſticis afferuntur, varii varia eliciunt, Bellar. lib. 1. de gratia primi hominis cap. 2. & alii diſcrimem ſtatuentes inter imaginem & ſimilitudinem & per imaginem ipſam animam rationalem, volendi intelligendique facultatem intelligentes, per ſimilitudinem verò juſtitiam, ſanctitatem, ſapientiam & cætera quæ ſupernaturalia vocant, colligunt in homine poſt lapſum naturalia manſiſſe integra

integra. Etiam Basil. *imaginem* ad animam rationalem, *similitudinem* verò ad actiones Deo conformes refert, addens insuper, ad Dei *imaginem* nos creatos esse actu, ad *similitudinem* verò potentiâ: Imaginem nos habere naturâ, similitudinem voluntate nostrâ. *Mihi*, inquit, *reliquit Deus ut secundum similitudinem Dei fiam.* Vides Lector, quò detruserit beatam animam Linguarum imperitia. Eucherius, *Imago est omnium, similitudo paucorum.* Nempe ille quoque ratus est imaginem ad naturam hominis, similitudinem verò ad dona gratuita referri. Marsennus postquam subscripsisset sententiæ Origenis, qui per *imaginem & similitudinem nostram*, intelligit imaginem Filii Dei, qui est Patris imago invisibilis, delabitur ad quæstionem, an homo, ut Dei imago, possit & debeat adorari. Post multas ambages & præsupposita concludit pag. 1060. *hominem, non beatum* (de eo non est quæstio, inquit,) *sed nude spectatum, quatenus hic in Genesi ad imaginem Dei creatus esse dicitur, ex sententia Theologorum, eâ posse adoratione adorari, quâ solent imagines Dei & Christi, latria videlicet.* Et paulò post, *Ex quibus infertur*, inquit, *non esse per se & intrinsecè malum, si hominem, ut imaginem Dei, prout & alias inanimatas imagines adoraverimus.* Et pag. 1061. *Posset aliquis in particulari sibi aliquem proponere, quem velut imaginem Dei adorandum proponeret.* Non audet tamen pronunciare, debere id fieri; quin contra asserit, neminem debere hâc adoratione uti, idque ob varia incommoda & pericula inde oritura, nisi quis forte egregius esset Metaphysicus, qui posset *mente secludere omnem honorem qui debetur homini vel quatenus est homo, & eatenus duntaxat eum respicere, quâ Deum imago repræsentat, ut sola Dei imago, quæ est in eo, nostrum conceptum & actum voluntatis terminet.* Et quidem hæc quæ mei pectoris angustiæ non capiunt, Theologis discutienda relinquo. Tria solummodo hic notet Tyro. I. In Ebr. esse בְּצַלְמֵנוּ *in imagine nostrâ*, non verò בְּצֶלֶם *in imagine*, ut legit vulgata. Vt proinde cadat illud, quod hic nugatur Carthusianus. Lectioni Ebr. concors est Gr. & Chaldæus. II. Cum tam dicatur בְּצַלְמֵנוּ quàm כִּדְמוּתֵנוּ quomodo per צֶלֶם intelligetur Filius? An is quoque Spiritus Sancti imago dicitur? Corn. à Lap. *Imago hæc non est Filius, qui est imago Patris, sed est ipsa essentia divina, ipseque Deus unus & trinus.* III. צֶלֶם & דְּמוּת id hic significare, & καθ' ἐπεξήγησιν esse conjuncta. Id *Cornelius à Lapide* & *Pererius* intre-

Eman Sa in notis ad hunc locum. *ad imaginem & similitudinem id est, imaginem valde similem.*

intrepedè asserunt, non obstante comuni fere Patrum sententiâ. Rationes *Pererii* ubi adduxero, manum tollam de hac tabula. Ratio I. quia Gen. 5. 3. eodem prorsus modo Adam dicitur genuisse Filium ad imaginem & similitudinem suam, ubi ista distinctio non quadrat. II. Quia quod isti *similitudinem* vocant, Paulus vocat *imaginem*, 1. Cor. 15. 49. Coloss. 3. 10. Eph. 4. 24. III. Quia Scriptura passim has voces permutat, & usurpat promiscuè, cum de eadem re loquitur. ut Gen. 1. 26. utrumque ponitur, At vers. 27. unum tantùm. Gen. 5. 1. unum tantum ponitur. vid. דְּמוּת / Gen. 9. 5. צֶלֶם / Sirach. 7. 3. καὶ εἰκόνα ἐπόιησεν αὐτὸν, Jacob. 3. 9. καθ' ὁμοίωσιν γεγονότα.

Gen. II. 7.

Formavit itaque Dominus Deus, &c.

Hic primò occurrit in Ebr. nomen Dei Tetragrammaton יְהוה / de cujus lectione dicetur ad Exod. 6. illud nunc observa, Interpretes Græcos hoc redddiisse per Κύριος, Latinos verò ad superius usque seculum. per *Dominus*, non sine aliquo incommodo. Ecce enim * Tertullianus aliique cum observarent, per universum caput primum *Dominus* nuspiam comparere, hoc verò loco primum occurrere, operæ duxerunt in istius rei causam inquirere, quam se quoque invenisse arbitrati sunt. *Quandiu*, inquit ille, *faciebat Deus, quorum Deus futurus erat*, Deus *solummodo ponitur*, Et dixit Deus, & vidit Deus, &c. *nunquam adhuc Dominus. At ubi universa perfecit, maxime hominem, qui Dominum proprie erat intellecturus, Dominus etiam cognominatur.* Magister Historiæ Scholast. cap. 12. *Hic primò vocat Deum* Dominum, *quia tunc proprie habuit servum laborantem.* Acute profectò, si vel Latine vel Græce scripsisset Moses, aut si τὸ *Dominus* genuinum τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος esset interpretamentum. Nunc adi ad ea, quæ ad Exod. Caput VI. dicemus.

* libro contra Hermoginem. Eadem invenies apud August. de Genesi ad lit. l 8 p. 616.

SIXTINI AMAMA

RESPONSIO

AD EXCURSUS.

Eruditissimi Viri,

D. MARINI MARSENNI,

Theologi Parisiensis,

Qua defenditur censura vulgatæ versionis ad VI. priora capita Geneseos, ab ipso oppugnata



Reverendis, piis & celeberrimis

VIRIS,

D. FANCISCO GOMARO, D. ANDREÆ RIVETO,

Doctoribus & Professoribus Theologis, Dominis & favitoribus meis observandis,

ABsque te fuisset, reverende D. *Gomare*, nunquam censuram meam ad vulgatam Pentateuchi versionem evulgassem. Tu inter maximas muneris tui occupationes eam recognoscere & benigniori calculo condecorare non es dedignatus. Ita, te obstetricante, primus ille adolescentiæ meæ fœtus in dias luminis oras prodiit. Absque te fuisset, Cl. *Rivete*, nomen Marsenni, qui VI. priorum Geneseos capitum adversus meas stricturas suscepit patrocinium etiamnum juxta cum ignarissimis ignorassem. Tu primus mihi indicium, tu voluminis copiam fecisti. Tu ad modestam & mansuetam replicationem hortamentis tuis me animasti. Ad vestros ergo pedes merito depono hoc quiquid est opellæ. Alia sunt quorum nomine me majora debendi reum habetis, quæ hic recensere nihil artinet. Summa summarum hic redit, I. Ut has schedas, ubi otium erit, inspiciatis, & sicubi vel à veritatis vel à modestiæ tramite exerbitasse videbor, liberè castigetis. Scio enim vos eos esse, queis nemo mortalium καὶ κόλαξι καὶ φίλοις uti possit. Deinde, ut eas accipiatis, ceu testes eximii istius cul-

tus, quem vestris reverentiis jure merito defero. Valete incomparabiles viri & diurnate bono Ecclesiarum. XXVII. Dec. 1626.

VV. RR. devotissimus.

S. AMAMA.

De occasione hujus excursus mei, dixi supra pag. 97. quæ possint esse vice præloquii. Ea, si operæ erit, inde petat Lector. Nos ergo sine ambagibus rem ipsam aggrediamur. Censuram meam primam ad Genes. 1. 6. silentio prætervehitur Marsennus Primum impetum facit in stricturam meam ad vers. 20. Eam ubi vindicavero, non parvum argumentum accedet ad confirmationem eorum, quæ ad vers. 6. cap. 1. de *Firmamento* disseruimus. Hîc enim videbit Lector, frustra esse omnes Interpretes, qui ut vulgatam excusent, persuadere nobis satagunt, eam τὸ *Firmamentum* pro aëre usurpasse. *Mariana* in scholiis, *Ebraicè*, inquit, *est*, super faciem firmamenti, *ad confirmationem*, רקיע *nihil aliud esse quàm aërem* Quin & Marsenus pag. 836. totus in eo est, ut ostendat, aërem commodissimè vocari posse στερέωμα, vel firmamentum: *æquè enim discriminat*, inquit, *aquas ab aquis, ac si æneum esset, vel quod suo frigore vapores & exhalationes* firmet, *induret, & sæpe in lapides & grandinem convertat. vel denique* firmiter *in loco suo remaneat.* Sed hæc adversantur, 1. communi vocis Latinæ usui. Et mirabor si negare ausit Marsennus, huic vocis רקיע * interpretamento, sententiam illam de aquis supra cœlum stelliferum pendulis, natales suos debere. Adversentur 2. Genebrardo, qui ad Ps. 19. ipsi 18. 2. diserte inquit, στερέωμα *non potest dici de aëre, ut qui sit fluxissimus, infirmissimus, minime* στερεός, *solidus & fixus*· Adversantur 3. menti ipsius Interpretis. Videamus

* *Major est hujus textus authoritas, quam omnis humani ingenii capacitas,* inquit Augustinus. Vide supra.

* ad verbum super facies expansi cœlorum i. in superficie &c. i. in aëre, per aërem, vel secus, vel versus superficiem. Has enim expositiones particula עַל admittit.

Cap. I. vers. 20.

Ebr.	Vulg.
Producant aquæ reptile animæ viventis: & volatile volet super terram עַל פְּנֵי רְקִיעַ הַשָּׁמָיִם *	Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram sub firmamento cœli.

Cex-

Censura mea.

Dupliciter peccatum. Primo enim omissum verbum יְעוֹפֵף *volet*, & proinde id dicere videtur vulgata Editio, *quod aquis datum sit etiam aves producere*, quem sensum audacter damnat Cajetanus, dicens, *Mosem hic tacere productivum avium.* Secundò, posterius עַל convertit *sub*, dicendo, *sub firmamento.* Vnde patet, eum suprà vers. 6. & rursus, vocem *Firmamentum*, non pro *aëre*, ne dum infima ejus regione, sed pro octava sphæra accepisse. Quæ enim aliàs necessitas Interpretem ad tam coactam versionē adegisset? Dic aliquem Patrone colorem; aut ostende עַל *supra* unquam significare תַּחַת *sub* in libris mysticis. Hactenus censura.

Hic insurgit in me *Marsennus*, *Placet*, inquit, *afferre*, *quod* Sixt. Amama, *egregius quidem hæreticorum judicio, meo verò jejunus nimium juvenisque vulgatæ Editionis censor in hunc locum opponit.* Et pag. seq. videl. 1030. nomen meum margini appingit cum hoc elogio, *Refellitur Amama Hæreticus.* At hæc folia sunt, paulo post in me arbores projicit. Ego, Deo juvante, in hanc convitiandi palæstram nunquam me dabo. Ita enim sentio, pejorem esse conditionem convitium dicentis quam patientis. Ad benedicendum, mi *Marsenne*, nati & creati sumus, non ad maledicendum. Maledica lingua mentis index est malæ. Hæreticum me vocas, hoc convitium Serarius quoque præceptori meo *Drusio* b. m. faciebat. concoxit ille. Et ego Christiano stomacho concoquam. Ille se Catholicum profitebatur & erat. Ego si me quoque Catholicum dixero, non persuadebo tibi. Sum tamen, & in hac fide coram tribunali Dei intrepidus me sistam. Ibi justus judex judicabit inter nos. Videamus interim, quàm justam in me incurrendi occasionem tibi præbuerim. Vulgatam versionem me nequaquam contemnere protestatus sum. Singulæ versiones habent suas laudes, suas labes. Cur ergo hanc, cui ipsa quoque antiquitas venerationem conciliat, aspernarer? At quidnam illud sit, quod Euangelicæ Ecclesiæ concoquere non possunt, non ignoras. Eam Ecclesiis & Scholis pro authenticâ obtrudi, Fontes in exilium mitti, hoc, hoc est, quod indignamur. Quod ergo vulgatæ versionis nævi deteguntur, non fit in contumeliam authoris, sed ut ostendatur decreti Tridentini iniquitas. Hic est, hic fuit, hic erit laboris mei scopus. Hic Rhodus, hic saltus.

Nunc videamus ſingula. Quod ad primum attinet, dicis pag, 1031. te non multum inſudare velle in dictione עַל / Nec ego, mi *Marſenne*, multum de ea laborem. Illud volui oſtendere, interpretem vulgatum vocem *Firmamentum* accepiſſe non pro infima regione aëris, ſed pro cœlo ſidereo. Alias enim nunquam על vertiſſet SUB. על nunquam ſignificare SUB, agnoſcis. At pro *ſuper*, *ſecus*, *per*, *in*, ſæpe poni, ipſe doceo. Nullùm horum interpretamentorum elegit vulgatus; Tam enim abſurdum fuiſſet dicere, Aves volare ſecus, juxta, in & per cœlum ſidereum, quàm ſupra. Dicis *ſub* hoc loco idem eſſe quod *ſecus*, *in*, *per*, *juxta*. *Nam qvod eſt ſub aliquâ re* inquis, *ſæpius eſt prope, ſeu juxta illam, ut aqua quæ eſt ſub aëre eſt juxta aërem.* Reſpondeo, Aut per *Firmamentum* intellexit cœlum ſidereum, aut aëris inferiorem regionem. Si cœlum ſidereum, quomodo applicabis hæc interpretamenta *ſecus*, *juxta*, *prope*, *in*, *per*? cum ipſe dicas aves non ſolere aut poſſe altiùs volare, quam in inferiore aëris regione. Hæc enim ſunt verba tua, *Adde, quod ſi particula* על *per* ſuper *explicari debeat, per* רקיע השמים *aëris inferiorem regionem intelligendam eſſe. Nec enim aves altius volare ſolent aut poſſunt.* Ad quæ illud quoque addo, nihil hic eſſe abſurdi, ſi per *Rekiang haſſjamaÿm* inferiorem regionem aëris intelligamus. Quod enim ad רָקִיעַ attinet, de eo tu ipſe hoc jam ante docuiſti. Quod ad שמים / quid notius illo, *Aves cœli* Pſ. 8. Math. 6. Hic autem duo ſynonyma ἐκ παραλλήλου conjungi, in cenſura noſtrâ notavimns, quod ipſum & Abenezræ in comm. ad ult. verſum hujus capitis & *Livelæo* ad Amos 5. 26. placuiſſe poſtea cognovi. Quod ſi vero על per *in* & *per* expoſueris, quid erit incommodi?

Si per *Firmamentum* intellexit inferiorem aëris regionem. quomodo ſtabit illud *ſub?* an aves extra eam volare poſſunt? Sed dices *ſub*, *id eſt prope*, *juxta*, ut aqua quæ eſt ſub aëre, eſt prope vel juxtà aërem. Sed an avis commodè volare dicetur prope vel juxta aërem, quæ extra eum volare non poteſt?

Pergis, *vulgata autem tam cœlum octavum quàm aërem intelligere poteſt: aërem quidem, ſecundùm ſuperiores regiones, quibus meteora generantur, cœlum verò, quod aeri ſuperfertur.* Sed agnoſco libens, commodiſſimè dici aves volare ſub expanſo cœlorum, tam ſuperioribus aeris regionibus, quàm ipſo cœlo ſidereo,

addo

addo & cœlo Empyreo, sed Ebræum על per SUB reddi posse prius erat ostendendum. Pag. 1033. redis ad hoc thema, & objicis mihi *Fagium* & *Lutherum*, quorum hic quoque reddidit, sub firmamento, dicisque satis imprudenter *Amamam* contra suos agere. Sed non ignoras *Marsenne*, quid de versionibus sentiamus, Omnes recipimus, etiam B. *Lutheri*, quatenus cum fontibus convenit. Omnes ad fontes revocamus. Et quod ad hunc locum attinet, in notis meis ad Belgicam Bibliorum versionem, quæ Lutheri est, hunc quoque locum castigavi. Et ex censurâ meâ ad Gen. 6.5. satis potuisti colligere, quid & quantum Ecclesiæ Euangelicæ vernaculis versionibus deferant.

Quod ad alterum attinet, de omisso verbo יְעוֹפֵף / Sic exordiris, *ostendam ne quidem semel editionem nostram errasse, licet enim phrasis Ebr. aliter sonare videatur, si tamen illius usum spectemus, optime vulgatum Interpretem legere, quilibet æquus judex affirmabit.* Magna pollicitatio. Vidisti tamen opinor vel in his ipsis voculis רקיע & SUB, longe facilius esse rem tantam polliceri, quàm præstare. Agnosco & hic libens modestiam tuam, dum non defendendam suscipis vulgatam, rejectâ authoritate fontium, sed potius eam cum fontibus conciliare studes. Id quod & in Animadvers. ad problema 189. Georgii Veneti in te recipis. Macte hoc animo. Ubicunque hoc præstabis, habebis me tibi adstipulantem. Non ero pertinax propositi. A quovis libenter disco, etiam à discipulis. Non ergo pudebit à te erudiri, quem in omni Philosophiæ parte, in bonis literis & Theologorum scriptis, ex animo hoc dico, præclarè eruditum & versatum agnosco. Sed vide, mi *Marsenne*, quomodo tua illa pollicitatio consistere queat cum iis, quæ ipsâ eadem pagina habes, col. priori, vid. 233. ubi Ebraïcum textum innumeris corruptelis à Judæis ex odio Christianismi in eum illatis scatere pronuncias. Si enim ita est, tunc aut vulgatam versionem in eodem luto hærere oportet, aut ea conciliatio plane impossibilis est. Sed videamus quomodo hunc locum cum fonte concilies. Tentas conciliationem, subintellectâ voce אֲשֶׁר ante verbum omissum יעופף / hoc modo, *producant aquæ reptile an. viventis & volatile,* [*quod*] *volet super terram, &c. Quamvis*, inquis, jegnopheph *idem sit quod* volabit *aut* volet, *recte tamen expressferimus* volatile volans, *aut* quod volet, *aut* volabit, *prout Græcus habet,* τὰ πετεινὰ πετόμενα, *ut Moses*

 præ-

præcipuum avium officium tàm in actu, quàm in potentiâ docuerit.

Resp. *Non esse quidem infrequens apud Hebræos & Chaldæos*, agnoscis opinor tua ipsius verba, *ut aliquid in oratione deficiat vel subintelligatur*; At ubi nulla necessitas est, supplementa non sunt toleranda. *Favet Chaldæus*, inquis, *Serpant* [malim cum Raphelengio legere יְרַחֲשׁוּן & reddere, Edant, producant, in Aphel] *aquæ reptile animæ viventis & avem quæ volat, &c*, Resp. Chaldæum tibi plane adversari. Sic enim habet יְרַחֲשׁוּן מַיָּא רְחֵשׁ נַפְשָׁא חַיְתָא וְעוֹפָא יְפָרַח עַל־אַרְעָא וגו id est *Et avis volet supra terram*, ubi nullum relativum *quæ*, quod per ד Chaldæi exprimunt. Sed & hic dicis supplendum relativum, & quasi id nemo tibi negaturus esset, dum recitas Chaldæum textum, supples. Sed nimis magnum est illud tuum αἴτημα. Quis enim, præjudicio non occœcatus, hanc licentiam approbabit, in utroque textu & Ch. & Ebr. pro libitu quidvis supplendi, ut uni vulgatæ maneat sua authoritas? Sed video te citasse textum Chaldæum ex Codice Regio, ubi pro יְפָרַח extat דִּפְרַח *quod volet*, quam lectionem expressit quoque (cur enim celabo?) Editio Buxtorfiana. Sed oppono tibi tria diversa exemplaria Veneta in folio, quæ omnia legunt יְפָרַח / oppono tibi castigationem Fr. Raphelengii, quæ in variis lectionibus, quas à Theologis Lovaniensibus approbatas in apparatum Bibliorum regiorum intulit, ita habet.

* id est Venetis.

[20. דְּפָרַח] pro Ebr. יְעוֹפֵף. Sed cum * V. melius legeris יְפָרַח vel cum Elia, יִפְרַח in Kal.]

Pergis, Et quidem facile est, per *volatile* idem penitus concipere, quod intelligitur per, *volatile, quod volet*, adeo ut *Amamam* admodum otiosum & imprudentem esse existimem) qui hujusmodi sine ratione carpat.

Resp. Iterum petis principium, dum supponis in Ebr. legendnm *quod volet*, id quod ego sine ulla necessitate fieri assero. Favet mihi accentus Athnach positus post חַיָּה & prius hoc membrum â secundo distinguens. Favet mihi vers. 19. c. 2. ubi aves non ex aqua, ut hîc insinuat vulgata Editio, sed ex terra productas esse Moses docet. Favent *Cajetanus* & *Catharinus*, qui aves ex aquis productas disertè negant. *Moses hic tacet productivum avium*, inquit Cajet. Atque eundem sensum insinuare Ebræum textum, *Corn. à Lapide* agnoscit.

Sed, inquis, accentum Athnach nusquam impedire, quominus oratio tota juxta vulgatam bellè decurrat, præcipuè cum interjectio vim copulativam nostræ interjectionis [Et] habeat, quod manifestè denotat, hoc secundum membrum, *Et volatile volet*, &c. cum primo conjungi.

Resp. Conjunctionem ו *Et* conjungere quidem hoc secundum membrum cum primo membro, sed distincto, *Producant aquæ reptile*, Et *volatile volet*, manet ergo accentui sua authoritas.

Addis, neque obstat, quod cap: 2. legamus, *formatis de humo terra cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cœli*, tametsi enim aves cum animantibus terræ illic conjungantur, non propterea statim inferas, aves ex terrâ progenitas, nisi velis etiam ideo ex aquis productas esse, quod hic cum piscibus ex aquâ natis enumerentur.

Resp. Ego verò cap. 2. vers. 19. longè majorem necessitatem video statuendi, etiam aves ex terra productas, quàm ex Ebræo textu hoc loco, eas ex aquis fuisse creatas. Nec subterfugiam hic cujuscunque judicium. Ex textu verò vulgato, hic loci, certissimè deducitur, & piscis & aves ex aquis productas. Nisi enim ita statuas, à quo verbo dependebit illud *volatile?* ut proinde valde mirer hæc tua verba, *nisi velis etiam ideo ex aquis productas, quod hic cum piscibus enumerentur.* Quidni enim sic velit Catholicus? cùm & *volatile* & *reptile* ab iisdem verbis (*producant aquæ*) dependeant. Ego certe sic existimo, absque hoc textu fuisset, nunquam controversiam istam *an aves ex aquâ productæ sint*, Philosophorum & Scholasticorum pulpita novissent.

CAP. II vers. 2.

Valde se torserunt Latini Interpretes circa hunc locum, *Et complevit Deus die septimo opus suum.* Græcis enim qui Interpretatione τῶν LXX. acquievêrunt, nulla potuit hinc oboriri difficultas, Sed quià hic in me incurrit Marsennus, ponam verba censuræ meæ,

Leve itidem & multis commune erratum à vulgato commissum est hoc versu, dum ויכל convertit per præteritum perfectum, *& complevit.* Quod notare non duxissem operæ,) nec enim ea nos incessit contradicendi carpendique prurigo) nisi antiquis-

ſimos ſimul & doctiſſimos viros ea lectio in errorem induxiſſet. Fidem hujus rei facient *Hieron.* & *Galatinus*, quorum ille Quæſt. Ebraïcis in Geneſin dicit, *hinc arctari Judæos & oſtendi, jam tum in principio ab ipſo Deo ſabbathum diſſolutum, dum in ipſo Sabbatho Deus operatur, complens in eo opera ſua.* Quæ ad verbum deſcripſit *Galatinus* in De Arcanis Cathol. verit. lib. XI. 10. [& Eucherius comm. in hunc locum.] Quæ etiam ſuo calculo approbaſſe videtur *Joh. Benedictus*, Theol. Pariſienſis, dum hæc Hieron. verba ſine ulla cenſurâ margini Bibliorum ſuorum interpoſuit. At omnia iſta in fumum abeunt, inquit Cl. Druſius, ſi hoc futurum, quod in præteritum converſum eſt, exponas per pluſquamperfectum, *& compleverat*, quod & *Vatablus* & *Mercerus* notârunt. Præteritum enim unicum Ebræorum omnes ſpecies præteritorum complectitur. Diſtinguit *Cajetanus*, ut nodum ſolvat, inter actionem poſitivam & negationem ab ulteriori operatione. Et *Lyra*, inter perfectionem, quâ aliquid aſſequitur formam debitam & eam quâ exit aliquid in operationem ſibi debitam. [Quibus nunc addam * Bannes, qui ſic infit, *Deus complevit poſitivâ actione naturalem perfectionem totalitatis univerſi die ſexto. At die ſeptimo complevit primam perfectionem naturalem univerſi negativè, vid. ceſſando ab opere, & ſecundam naturalem implevit, poſitivè influendo.* Audiamus ipſum quoque Thomam, *conſummatio quæ eſt ſecundum integritatem partium univerſi competit ſextæ diei: conſummatio, quæ eſt ſecundum operationem partium competit ſeptimæ.* Et Lombardum, lib. 2. diſt. 15. lit. G. *niſi forte dicatur*, inquit, *die 7. compleviſſe opus ſuum, quia ipſum benedixit & ſanctificavit. Benedictio enim & ſanctificatio eſt opus.* Et lit. H. *Poteſt etiam ſic exponi*, complevit die 7. *id eſt, completum & conſummatum vidit.* *Pellicanus* putabat vertendum, *in diem ſeptimum*, id eſt, ut quieti ſe daret die VII. Alii, teſte *Abenezra*, *ante diem ſeptimum.* Corn. à Lapide, *complevit die ſeptimo excluſivè, at die 7. incluſivè.* At durum videtur ut dies ille quo aliquid factum dicitur, excluſivè ſumatur.] Sed quorſum te conjicias in eas anguſtias, ubi unicâ, eâque certiſſimâ obſervatione Grammaticâ res expediri poteſt? LXX. hîc habent, καὶ συνετέλεσεν ὁ Θεὸς ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ, &c. *Complevit Deus die ſexto.* Quo nomine paſſim ab authoribus perſtringuntur. Ego ſic opinor, reprehendendos quidem, quod cum in promptu eſſet vocis Græcæ pluſquam

Cap 8. ad loca diffic. Moſis.

* comm. in Thomam tomo 3. pag. 86.

quam-perfectum, *septimum* verterint in *sextum*, at reprehendendos fuisse magis, si vertissent ἡμέρᾳ ἑβδόμῃ. Vidisse mihi illi videntur, quod tot oculos fugit. Quis enim non videt ad sensum idem sonare has duas propositiones,

Compleverat Deus die 7. opus suum, Et
Complevit Deus die 7. opus suum.

Si enim compleverat die 7. quando complevit, quæso te, nisi die 7? Quid ad hæc

MARSENNUS.

LXX. discrepant, inquit, in dierum numero ab Ebræo, dicunt enim Deum die 6. quievisse. In Ebr. & vulg, die 7. quod in causa fuit, cur hæretici, Drusius, Amama, Mercerus *& eorum sectatores vulgatam reprehendant, quæ ait die 7. completam fuisse rerum omnium creationem.*

AMAMA.

Ergone hanc gratiam rependis viris magnis & de sacrarum literarum studio optimè meritis, *Drusio* & *Mercero*, ut eos vix unquam, nisi hæreseos notâ frontibus eorum inustâ, in scenam protrahatis? Illi certe vulgatæ Editioni plus nimio detulerunt & ubicunque aliquod velamentum tegendis ejus ulceribus reperire potuerunt, vobis suppeditârunt. Longe rigidiores Aristarchos in *Cajetano*, *Oleastrio*, aliisque vestræ Professionis hominibus vulgata experta est. Et quidem de *Mercero* testabuntur doctissimæ ejus in Genesin lucubrationes, queîs *Marsennus*, ut ut perpetuò dissimulet, non parùm adjutus fuit. De *Drusio* ipsi Pontificii, & nominatim *Gretzerus*, ita sentiunt & scripta ejus loqvuntur. Me verò, præ magnis istis viris vix remigem & sentinatorem, quod eodem stigmate semper notes, levior injuria est. Injuria tamen est. Si enim nullus hæreticus nisi qui pertinax. Ego me hæreticum esse confidenter nego. Convince me non authoritate Rom. Ecclesiæ, sed scripturæ, & dabo manus. Sed ad rem. Dicis me reprehendere vulgatum, quod *die septimo* reddiderit, quasi negarem, die 7. completum fuisse rerum creationem. At ego dico, optimè fecisse vul-

vulgatum, dum verba Ebr. ביום השביעי reddidit, *die septimo.* Agnosco, die 7. completam fuisse creationem. Illud verò satis commodè dictum esse negavi, *complevit die septimo opus suum,* id quod absurdæ ex eo natæ conclusiones & violentæ expositiones demonstrant. Creatio die 7. fuit completa, eo sensu, quo die 8. 9. 10. & hoc ipso die completa dici potest. At non complevit, propriè loquendo, nisi die sexto.

MARSENNUS.

Equidem Hæreticos demiror, qui ut cornicum oculos defixisse videantur, nihil non reprehendunt: & tamen Amamam *audias, qui negat se eâ carpendi prurigene teneri. Cur igitur vulgatam arguit, quod* ויכל *per præteritum perf. verterit? Etenim si unicum Ebræorum præteritum omnes præteritorum species complectitur, reverâ perfectum includit.*

AMAMA.

Dixi leve esse hoc erratum, nec annotaturum me fuisse, nisi ea lectio doctissimis viris, *Hieronymo, Galatino,* aliisque falsam conclusionem, & Scholasticis argutas magis quàm solidas distinctiones expressisset. De mea prurigine judicent illi, quorum judicia studium partium non afflavit. Vnicum præteritum Ebræorum omnes præt. species complectitur. Ita vid. ut pro ratione loci & contextus jam per præt. perf. jam imperfectum, jam plusquam perf. reddi oporteat. Non verò, ut quodvis præteritum ubivis locorum omnes illas species includat.

MARSENNUS.

At non intelligit Amama, *neque* Drusius, *quomodo* 70. *cum Ebræ convenîant, nisi plusquam perfecto * utaris, quos etiam reprehendit ille, quod noluerunt hocce tempore uti. Præclaros homunciones, egregiosque Hebraizantes, qui ea non vident, quæ vix infantibus ignota sunt, nunquid animadvertere debuerunt, semper verum esse, quocunque tandem die declaretur, opus aliquod esse consumptum, quando omnia facta sunt, quæ ad illud pertinent? Cum igitur die 6. Deus*

* vid. in Hebr. vocis ויכל translatione.

opus

opus suum consummasset, verissimum fuit asserere, dominum ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἕκτῃ *opera sua consummasse. Vid. circa finem diei 6. aut quacunque voluerit horâ: verissimum etiam idem opus die 7. complevisse, seu opus consummatum fuisse, vel ut 70. dicunt, in plurali,* opera sua. *Quicquid enim die sexto completum est, nisi destruatur, septimo die completum est.*

AMAMA.

Non intelligunt, dicis, *Amama* & *Drusius.* Drusius omnem jam invidiam supergressus est. Honorifice de illo sentit Christianus orbis. Fasces illi multi quoque Pontificii submisêre. Me quod attinet, ipse mei ingenii tarditatem & memoriæ deliquium novi & sentio. At illud intelligo tamen, magis conspirare hæc axiomata,

Deus complevit opus suum die sexto, Et
Deus compleverat opus suum die septimo.

quam illa,

Deus complevit o. s. die sexto, Et
Deus complevit o. s. die septimo.

Hæc enim sine violentâ glossâ nunquam in concordiam rediges: Illa verò suaviter conspirant. Quod de violentâ glossâ dixi, faventes LXX. habeo. Cur enim, quæso te, aliàs pro die septimo sextum posuissent? Potuissetne aliquis, soli versioni Græcæ innutritus & assuetus, odorari in Ebræo esse, *die septimo*? Favent etiam *Hieron* & *Galatinus*, qui, de ejusmodi glossâ nihil cogitantes, verba illa, prout jacent, acceperunt, extructo inde consectario non parum periculoso. Laudavi itaque τοὺς LXX. quod locum hunc ita reddiderint, ut versio ipsorum idem dicat, quod veritas Ebraïca. Illud tamen dissimulare non potuï, difficultatem illam, quæ ipsos hîc torsit, ne Deus die 7. laborasse putaretur, meo judicio, commodius & à textu Ebr. minus deflectendo, sic potuisse tolli, si pro aôristo primo, præteritum plusquam-perfectum adhibuissent. Illud enim negari non potest, Præteritum Ebr. sæpe pro plusquam-perfecto poni: At שְׁבִיעִי significare *sextum* quis ostendet? Hæc autem ex judicio meo dixi, Si tuum à meo diversum abit, benè est. Suum cuique pulchrum. Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶ, ἐμοὶ δὲ τά δε

Sed *præclaros*, inquis, *homunciones*, *&c.* Non moror iſtas illuſiones. Ad rem potius. Animadvertimus, mi *Marſenne*, ſemper verum eſſe, quocunque tandem die (ſive 6. ſive 7.) declaretur, opus aliquod eſſe conſummatum, quando omnia facta ſunt, quæ ad illud pertinent. Sed illud non animadverti, idem eſſe, *Deus complevit die ſeptimo opus ſuum*, Et, *Opus fuit completum die ſeptimo.* Illud enim dici propriè non poteſt, niſi eodem die colophonem operi, quod die ſexto adhuc incompletum relictum erat, impoſuerit: Hoc verò verum eſſe poteſt, etiamſi die primo completio facta ſit. Ludis in ſequentibus, *Veriſſimum etiam erit*, inquis, *idem opus die 7. Deum complevisse*, *ſeu opus* [*à Deo*] *conſummatum fuiſse.* Hæc enim *compleviſe*, & *conſummatum fuiſſe* tam præteritum perfectum quàm pluſquàmperfectum complectuntur. Si in præt. perf. accipias, nego: Si in plusquàmperfecto, mecum ſentis. *Quicquid die ſexto completum eſt*, inquis: *niſi deſtruatur*, *etiam ſeptimo die completum eſt.* Agnoſco, ſi *completum eſt*, idem tibi eſt, quod, *completum manet.* Si aliter accipis, & paſſivis in activa verſis, ſic loqui mâlis, *Quicquid die ſexto complevit Deus, niſi deſtruatur, etiam ſeptimo die complevit*, videbis te abſurdè locutum eſſe. Non ignoras inter motum & rem motu factam diſtinguere λογικῶν παῖδας.

MARSENNUS.

Impia certè hæreticorum progenies, qui dum noſtri Doctores aliquid afferre videntur, eos ſtatim nobis veluti milites cataphractos objiciunt, quos ſi nobis favere percipiunt, perpetuum ſilent.

AMAMA.

Non illud argumentum eſt, ut ſic debacchêris, nec hæc ratio eſt aut modus reducendi errantes. Non potes mi Marſenne, illud Nazianzeni uſurpare, *non inceſſimus*, inquit, *adverſarios contumeliis, ſicut plerique faciunt, rationum & argumentorum infirmitatem maledictis obtegentes, non aliter ac ſepias atramentum ante ſe vomere ajunt, ut Piſcatores effugiant. Verùm nos pro Chriſto bellum gerere, hoc argumento palàm facimus, quod ſecundum Chriſtum, qui mitis & pacatus eſt, dimicamus. Ac de his*, inquit idem Pater, *ita ſentio*,

sentio, cunctisque animarum dispensatoribus hanc legem statuo, ut nec per duritiam hominum animos exasperent, nec per submissionem elatos efficiant, &c. Non potes, inquam, hoc *Nazianzeni* usurpare, adeo ubique πικρολόγος es, qui tamen omnium hominum minimum te in limine libri profiteris. *Impia Hæreticorum progenies*, inquis. Iterum tibi hæretici sumus? Cui bono hoc convitium? Jam pridem occalluimus ad illud, & rident cordatiores. Crimen læsæ majestatis sub Tyrannis unicum eorum crimen erat, qui omni vacabant. In illius locum jam apud vos successisse videtur hæreseos postulatio. Retaliare possem, sed quo fructu? Ego tibi hæreticus? tu mihi. Alius plane & à te longe diversus spiritus Salvianum agebat. Quis vel longissima oratione omnia illa sævitiæ exempla traloqui posset, quibus Orthodoxos Arriani excarnificarunt? Et tamen de illis, quorum impietatem uterque juxta cum Salviano detestamur, quam placidè loquitur mansuetus Pater? *Hæretici, sunt,* inquit, *sed non scientes. Apud nos sunt hæretici, apud se non sunt. Nam in tantum se Catholicos esse judicant, ut nos ipsos titulo hæreticæ pravitatis infament. Quod ergo illi nobis sunt, hoc nos illis. Veritas apud nos est: sed illi apud se esse præsumunt. Honos Dei apud nos est, sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis esse quod credunt. Impii sunt, sed hoc putant veram esse pietatem. Errant ergo, sed bono animo errant, non odio sed affectu Dei, honorare se Dominum atque amare credentes. Quamvis non habeant rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei æstimant charitatem & qualiter pro hoc ipso falsæ opinionis errore in die judicii puniendi sint, nemo potest scire nisi judex.* De providentia lib. 5. p. 162. Edit. Rittershus.

Interim idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, quia videt eos etsi non recte credere, affectu tamen piæ opinionis errare. Hæc Salvianus. Desinamus ergo reciprocare hanc serram. Indignaris, nos Vobis vestrates tanquam milites cataphractos objicere, sicubi à vobis dissentiant. Sed nunquid & vos facitis idem? An verò dum vos facitis, pietas est, dum nos, impietas? Ecce, mi *Marsenne*, vester *Serarius* me hoc docuit, cujus verba suprà pag. 157. Produximus. *At cum nobis favent, siletis*, inquis. Et vos idem facitis. Pares ergo sumus. Et quid mirum si Pontificii Pontificiis faveant? Illud magis mirandum, eam esse vim veritatis, ut etiam Pontificiis, communi Ecclesiæ nunc-Romanæ consensu insuper habito, subinde liberam confessio-

nem extorqueant, cum denique quorumdam animos insidere candorem, ut, Concilii Trident Canonibus & Rom Pontificis correctionibus suas sibi res habere jussis, liberè id quod sentiunt, & quod res est, edisserant.

Gen. II. vers. 8.

Ebr.	Vulg.
Plantaverat Deus Hortum in Eden ab Oriente.	Plantavit Deus paradisum voluptatis à principio

Censura. Vbi & addita quædam de Angelorum creatione.

Dupliciter exorbitavit Interpres. Primò enim quominus vertas *hortum voluptatis* obstat litera ב ante עדן / גַּן בְּעֵדֶן / ut ut detur עדן aliàs pro deliciis & voluptate sumi, [certè ejus plurale extat 2. Sam. 1. 24. atque hinc est græcum ἡδονὴ] Hic autem locum proprium denotari, ex collatione Genes. 4. 16. ostendit Cl. Witakerus. [Adde locum Jezech. 27. 23. & 37. 12. & 2. Reg. 19. 12.] Idem urgent duo rigidi Pontificii, *Cajetanus* & *Steuchus*, in suis, ad hunc locum annotationibus. Etiam LXX. & Chaldæus versionem nostram stabilitum eunt, dum vertunt illi ἐν Ἐδεν: hic, גִּנְתָא בְּעֵדֶן [Oleastrius quoque asserit sibi verisimilius videri, ut sit nomen proprium loci.]

Alterum Interpretis peccatum est, quod cum קדם tam prioritatem loci quàm temporis significet, posteriorem hic cum Aquila elegerit, nam & iste hic vertit ἀπὸ ἀρχῆς Fateor equidem hoc excusari posse, commodeque exponi, ut sensus sit, *à principio* vel, *exordio* mundi sc. conditi, ut præceptor & decessor meus, Cl. *Drusius* p. m. in Fragmentis veterum Interpp. Græcorum notavit, quomodo & Satan in N. T. dicitur fuisse Homicida ἀπὸ ἀρχῆς, principio sc. originis suæ, ut hoc modo intelligatur ad exiguum tempus in sua integritate perstitisse. Notandum tamen hoc duxi, tum quia LXX. quos aliàs noster Interpres sequi amat, hic rectius, κατὰ ἀνατολὰς, tum quod hæc versio ipsum quoque Hieron. [ut de cæteris nihil dicam,] in avia traxerit. Dicit enim Quæstionibus Ebr. ad hunc locum, *hinc manifestissimè comprobari, quod priusquam cœlum & terram Deus conderet, Paradisum antea condiderat.* Et frustra sunt

Se-

Senensis & *Mercerus*, qui Hieronymum hic excusare satagunt, quem ipse *Steuchus* non aliâ ratione potuit excusare, quàm asserendo, *Hieronymum non semper in eâ opinione perstitisse.* Quam vellem locum Retractationis annotasset! Nam *Albinus* Quæst. in Genes. eam fuisse Hieronymi mentem quam verba præ se ferunt, asserit, & *Eucherius* in comm. eandem assertionem iisdem Hieron. verbis posuit. Quin & *Franc. Georgius* Minorita, tomo primo Problem. ex his conatus fuit nobis persuadere, à suis partibus stare *Hieronymum*, & sensisse, Paradisum non fuisse in hac visibili terra situm. *His enim consideratis*, inquit Georgius, *Hieronymus pronuntiavit Paradisum ante cœlum & terram conditum, nimirum ut his verbis significaret, Paradisum Mosis non esse in hac visibili terra situm, sed in illa terra viventium, quæ ante hunc visibilem mundum in invisibi mundo creata est.* Vnde & illud elucescit, [si non ortum] saltem robur magnum ex hoc acquisivisse veterem illum [& necdum sepultum] errorem, quo creditum est, multis ante hunc visibilem mundum seculis, alium invisibilem mundum creatum, & in eo Angelos. De qua videndus *Sixtus Senensis* lib. 5. Biblioth. annot. 5. Ibi enim crassissimi istius errores reos peragit *a* Basilium, *b* Origenem, *c* Nazianz. *d* Ambros. [*e* Hieron.] *f* Hilarium, *g* Isidorum, *h* Damasc. *i* Cassianum, *k* Bedam, productis ad firmandam fidem suam singulorum testimoniis, [Ipse quoque August. de civitate Dei cap. 32. lib. x I. hic fluctuavit. Permittit enim ut in hac re unusquisque liberè sentiat quod velit, modo non statuat Angelos Deo coæternos. Libro vero x I I. cap. x V. admodum subtiliter disputat, posse concedi, Angelos ab æterno fuisse creatos, nec tamen inde sequi, eos creatori esse coæternos. Ille *enim semper fuit*, inquit, *æternitate immutabili, isti autem facti sunt.* Est autem hoc primarium ejus argumentum, Deum ab æterno fuisse Dominum, consequens ergo esse ut semper habuerit creaturam suo dominatui servientem, *Theodoretus* quoque quæst. 3. in Genes. *Hoc autem concesso*, inquit, omnia vid. quæ existunt, habere naturam corruptioni obnoxiam, excepta S. trinitate, *si quis angelorum turbas ante cœlum & terram, conditas esse dixerit, non offendet verbum pietatis.* Licet autem hanc sententiam non solùm Acacius, Diodorus Tarsensis & alii confutaverint, sed & * concilium Lateranense sub Innocentio III.

a Serm. 1. & 8 Hexaëm.
b in lib. περὶ ἀρχῶν & hom. 4 in Iesaiam.
c Serm. de natali.
d Præf. in Ps. 1. & Hexaëm. lib. 1. cap. 5.
e comm. in caput 1. Epist. ad Titum.
f de Trinit. lib. 2. & in libro contra Auxentium.
g de summo bono, c. 12.
h de orthod. fid. lib 2. 5.
i collat. lib 8. dicitq; hanc fuisse communem omnium Catholicorum sententiam.
k Quæst. separat. qu. 2.

* Sanctionum cap. 1. creator omnium invisibilium,

Spiritualium & corporalium suâ omnipotenti virtute, simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit, creaturam spiritualem & corporalem, angelicam vid. & mundanam.

[III. annno Christi 1215. celebratum damnaverit, tamen *Thomas parte primâ*, verba Dionysii Carthusiani, *dicit*, *positionem illam* (vid. Angelos ante cœlum, &c. fuisse conditos) *non debere tanquam erroneam aspernari & rejici*, *potissimum propter reverentiam Nazianzeni*, *qui tantæ authoritatis extitit in scripturis*, *quod nullus unquam eum ausus fuit negare.* Cajetanus etiam persuadere nobis satagit, aliam fuisse concilii intentionem, & secundùm eam potius, quàm verborum sensum sanctionem illam esse interpretandam. Quis & illud ignorat, Augustinum Steuchum in suâ Cosmopœia statuere, cœlum Empyreum non esse omnino creatum, sed Deo coæternum. Facessant illa opinionum portenta, & simplicitati SS. Literarum adhærescamus. *In principio creavit Deus cœlum & terram*: In principio temporis. Si cœlum Empyreum est cœlum, cur non & illud creaverit? Cur non & angelos qui in eo? Quid obstat? Quicquid fuit ante hoc principium, illud æternum est, illud Deus est. Hinc solidissimum pro Deitate Filii Dei argumentum depromitur. Illud autem non parum labefactatur, si Angelos quoque sine ulla Scripturæ authoritate ante hoc principium extitisse dixeris.]

Vide Magistrum Sentien. l. 2. Dist. 2 hic ὀρθοποδῦντα.

Atque hæc fuit Censura mea ad vers. 8. cap. 2. Genes. ad quam ea nunc accesserunt, quæ signis istis inclusimus.

Bell. de Gratia primi hom. I. 12.

Puto minus jam miraturum Lectorem, unde tam variæ & dixerim ferè ineptæ Latinorum de Paradiso sententiæ propullulaverint. Hæc versio intricatissimas & desperatas ea de re disputationes excitavit. Textus Ebr. & Gr. plagam mundi signant, vid. Judææ orientalem, nominant locum in quo, *Eden*. Neutrum habet vulgata. Inde vides bonos illos viros egregiè hic ἀεροβατῆσαι, & plerosque Latinorum Origenis ineptias facilius admisisse. Alii, ut jam vidimus, paradisum in invisibili isto mundo posuerunt. Alii paradisum nihil aliud esse quam universum hunc mundum docuerunt. At si in Eden fuit, si versus Orientem, quomodo universus mundus erit? Si universus mundus fuit paradisus, in quem ergo mundum relegati sunt? Alii Paradisum extra nostrum orbem, eumque potius in aëre quàm terrâ collocârunt. *Beda* enim assignavit ei locum in editiori terræ parte, à terræ planitie usque adeò elatum, ut Lunarem globum contingat. Ita & Magister Historiæ Scholasticæ, & Stra-

Vide etiam Lombardum lib. 2. dist 17. lit. E.

Strabus & Bonavent. & Damascenus, & Sulpicius Severus & alii hâc de re senserunt. Sed dices, Græcos qui & Εδεν & *Orientem* in suo textu legerunt, nihilominus hîc aberrasse. Agnosco, sed quod Latinis mala versio, hoc illis Allegorizandi pruritus dedit. Ex eo fonte Philo & Origenes *Paradisum ita Allegorizarunt*, verba Hieron. Epist. ad Pammachium, *ut historiæ abstulerint veritatem*, pro arboribus, Angelos; pro fluminibus, virtutes cælestes intelligentes. Sed tempus est ut obiter videamus, quid *Marsennus* in mea censurâ desideret.

Allegoricam Paradisi explicationem, quam habet Ambros. egregiè castigavit Piscator Quæst. in Genesin pag. 22.

Quod ad primum attinet, agnoscit LXX. Pagninum, &c. reddidisse ἐν Εδεν, *in Eden*, & Jezech. 27. illud proprium loci nomen esse Agnoscit, Cajetanum & Steuchum idem statuisse. Et certè hoc urget præpositio ב / Ipse Corn. à Lapide hinc probat, Eden proprium loci nomen esse, atque id clarius ex vers. 10. patere. Quid tamen *Marsennus*?

MARSEN. pag. 1137.

In Heden *rectè vulgata vertit* voluptatem, *sive proprium nomen fuerit sive apellativum. Sicuti rectè verteret, qui pro* Jerusalem *diceret urbem in qua erat templum, aut simili modo.* Eden *enim voluptatem significat.* Et paulo post, *non igitur refert an proprium vel appellativum nomen fuerit. Vulgata siquidem res significatas magis & Spiritus S. intentionem respicit, quàm verborum corticem.*

AMAMA.

Eden cum appellativum est, voluptatem denotare, nullus negat. Nec dubium est, quin hinc sit Gr. ἡδονή. At benè reddi *voluptatem*, cum proprium loci nomen est, id vero pernego. Exemplum quod affers de *Jerusalem* planè alienum est. Non enim ut Eden, *voluptas*, ita *Jerusalem*, urbs in qua templum est, ἑρμηνεύεται. Hæc enim περίφρασις, non interpretatio est. Nec ut *Eden* jam appellativum, jam proprium est, ita quoque cum voce *Jerusalem* comparatum est. Ea enim semper propriùm nomen est. Addo, hîc *Eden* non posse per appellativum reddi, ut ut enim locus iste sic dictus sit ab amœnitate,

nitate, tamen hic certum locum donotari, præpositio ב docet. Multos hortos, *hortos voluptatis* dixeris; At non verè dixeris, eos in tractu *Eden* esse sitos. Quod ergo dicis Vulgatam magis intentionem Sp. S. quam verborum corticem respicere, frustra es. Hæc enim fuit intentio Sp. S. describere locum in quo fuerit hîc hortus. Ideo nominat regionem, in quâ & fluvios, qui ex eo prodiêre. Itaque etsi illud ב abesset, satius esset eam supplere, quam vocem illam per apellativum reddere. Amos 7. 9. במות ישחק LXX. reddiderunt, *βωμοὶ γέλωτος, aræ risûs.* Quomodo Interpretes se hîc torserint, non ignoras. Quod si nomen *Isaaci* in versione retinuissent, omnes difficultas sublata fuisset. Nunc videamus de altero.

MARSENNUS.

Benè res habet, quod מקדם à principio temporis, *verti posse concedat, nisi eum magis ad id Drusii, quàm Ecclesiæ veræ moveret authoritas.*

AMAMA.

Vim infers verbis meis. Hæc enim mea sunt. *Fateor hoc* [interpretamentum vìd. Aquilæ, ἀπὸ ἀρχῆς & vulgatæ *à principio*] *excusari posse, commodeque exponi, ut sensus sit,* à principio vel exordio *mundi sc. conditi. Vt præceptor & decessor meus Cl. Drusius notavit, quomodo & Satan dicitur fuisse homicida ἀπ' ἀρχῆς à principio, sc. originis suæ, ut hoc modo intelligatur, ad exiguum tempus in integritate sua perstitisse.* Hæc inquam verba mea sunt. Potesne ex his elicere, me concedere, מקדם verti posse hoc loco, *à principio?* Illud dico, excusari posse hoc interpretamentum, atque ita exponi, ut non faveat isti errori, qui ex hoc quoque loco vel propullulavit, vel vires acquisivit, vid. multis ante hunc visibilem mundum conditum seculis, alium invisibilem à Deo conditum, &c. Fateor מקדם in se & seorsim consideratum hæc duo significare, *à principio, ab oriente.* Adstruo, hîc non posse aliter verti quàm, *ab oriente.* Addo, alteram illam versionem magnis viris istum errorem errandi

Vide & 4. Esra 3'6.

occa-

occaſionem præbuiſſe, quæ tamen admiſſa, ſi cum iis Scripturæ locis, & ſpeciatim iſto, ubi Diabolus dicitur fuiſſe homicida *à principio*, fuiſſet collata, nihil tale potuiſſet ſuggerere. Aliud eſt, concedere, aliquid ſic verti poſſe, aliud eſt aſſerere, aliquid licet male verſum orthodoxo ſenſu poſſe explicari, ut errori non faveat.

MARSENNUS.

Non minus benè Mikkèdem *redditur*, à principio, *quam* ab oriente. *Quicquid enim loco vel tempore antecedit*, Kadmon *appellatur*, *& ipſa anteceſſio* Kedem *LXX. vertentes*, κατὰ ἀνατολὰς, *ad locum reſpexerunt. D. Hieron. ad tempus.*

AMAMA.

Τὸ *Mikkedem* ubivis locorum æquè benè reddi, *à principio*, quam, *ab oriente*, nego. Neque tu ipſe hoc aſſeres. Vide mihi hæc loca Neh. 12. 46. Pſ. 74. 12. Jeſ. 46. 10. Habac. 1. 12. Et rurſus, Geneſ. 3. 24. & 11. 2. & 12. 8. Quorſum ergo iſta? nunquid ipſe doceo קדם in Ebraïſmo jam prioritatem loci, jam temporis denotare? At illud jam non agimus. utra verſio hic magis quadret, id verò eſt, quod diſputamus. Paradiſum in orientali plaga reſpectu Judææ (hujus enim ſitus in pleriſque plagis mundi denominandis fuit habita ratio) plantatum fuiſſe, non audes negare. At à principio fuiſſe conditum, non ſine periculo dici, agnoſcere cogeris. Nam experientiam tibi oppono. *D. Hieron. ad tempus reſpexit*, inquis. Sed quâ mente? Eam prodit ipſe in Quæſtionibus ad Geneſin, *priuſquam cœlum & terram conderet.* Quæ ergo pervicacia eſt, huic verſioni adeo mordicus adhæreſcere? D. Hieronymus, inquis. Miror te aurem non præbere Cardinali Bellarmino, qui in ipſo limine libri recognitionum ſuarum profitetur *ſe nunquam probaſſe vocem* Divus *vel* Diva *cum de Sanctis agitur, tum quod eam vocem apud veteres Latinos Patres non inveniat tum quod apud Ethnicos* Divi *nomen Diis tantùm tribui ſoleat. Itaque ubicunque in libris meis*, inquit, *lector invenerit Divum, ſciat vel mihi imprudenter excidiſſe, vel, quod ſæpius accidit, me ſcripſiſſe Beatum. Sed Typographi*

Cenſura Bellarminiana vocis Divus.

graphi ubi legerunt B. quod beatum significat, illud in D. mutarunt atque ita ex Beato Divum fecerunt. Sed hoc obiter.

MARSENNUS.

Adde, quod, licet pro loco sumas, nihil contra vulgatam inferatur: Enim verò principium mundi Oriens dici potest respectu Judææ.

AMAMA.

At quis hoc intelliget? Quis odorabitur principium ibi pro Oriente positum esse? Imò quis Quæstiones B. Hieronymi cum hâc versione conferens, non jurare ausit, eum pro oriente hanc vocem non accepisse? Si enim hæc ei in versione fuisset mens, *à principio*, id est, ab Oriente, non nisi absurdissimè inde intulisset, Paradisum ante cœlum & terram fuisse conditum. Quod verò & tu in Animadvers. ad Problem *Veneti*, & * *Bellarm.* & alii errorem illum sic excusatus, ut non ex suâ, sed aliorum sententiâ locutus sit, nimis frivolum est. Profecto, si ea excusatio valebit, quis tandum hæreseos aut erroris poterit convinci?

* De Gratia primi hominis libro unico c. 11.

CAP. III. vers. 15

Ebr. Ipse.	*Vulg.* Ipsa.

IPsa *conteret tibi caput.* Hanc lectionem Idololatricas B. Virginis laudes & has subsecutam ejusdem invocationem in Christianismum invexisse Theologi nostri prodiderunt. Duos Ms. omnes Ebræos, Chald. Græcosque codices pronomen Masc. habere ipsi Lovanienses in * Catalogo variarum Lectionum fatentur, eamque lectionem ex Papistis quamplurimi non infimi subsellii ceu germanam approbârunt, inter quos *Canus*, *Andradius*, *Cajet. Steuchus Pagnin. Arias* Mont. quorum loca indicantur apud Cl. Viros *VVitak.* & *Lubbertum* in Disp. adversus *Bellarm.* Controversiam 1. His addo ex *Rainoldi* Præfatione in libros suos de Idolat. Rom. Eccles. *Felisium* Elucid. Decal. præc. 1. cap. 49. *Riberam* in Habacuc 1. 13. & de templo lib. 2. cap. 2.

* Extat in apparatu ad Biblia Regia. Vbi & hæc addunt, *Irenæus l. 3. adversus Hæreses, cap 38. videtur legere IPSVM, ut referatur ad semen, quam lectionem etiam admittunt Ebræa & Chaldæa.* Videetiam in marg. Bibliorum Lovā,

cap.2. Addo & *Pererium* in Danielem & *Hartum*, Colloquii cum Rainoldo cap. 6. & *Lindanum* de optimo genere Interpretandi, lib. 3. pag. 126. & 127. & *Pintum* in cap. 12. Jesaiæ. Si de origine corruptelæ me quæras, fatebor eam Interpretis nec malignitati nec imperitiæ imputandam, sed potius descriptorum incuriæ, temporum fatali cœcitati, supinæ denique Cleri socordiæ & imperitiæ, quæ omnia eum in modum excreverant, ut non tantum fontes non consulti, sed ne Latina quidem Exemplaria inter se collata fuerint. Res ita se habere mihi videtur. Vulgatus, quisquis fuit, Ebræum הוא & Græcum αὐτὸς expressurus verterat IPSE, syntaxi sensu non voce congrua, qualis in Græco, σπέρματος, αὐτὸς, quod & Gal. 3. 16. καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅς ἐστι χριστὸς quam syntaxin cum sæculum illud inficetum non caperet putarunt legendum esse IPSA, atque ita scripsisse interpretem & respicere ad proximum pronomen foem. generis (ejus) sc. mulieris. Atque hactenus malitiosæ corruptelæ nota Ecclesiæ Pontificiæ inuri non potuit. At ex quo Sixtus V. & Clemens VIII. vocem IPSA authenticis editionibus inseruerunt, temeratæ Scripturæ crimen admisit nunquam eluendum,

Non mare si totum velit eluere omnibus undis. Sed redeat eo unde digressus est sermo. *Bernardum* ex hoc loco in falsam illam de B. Maria opinionem, quam Hom. 2. super *Missus est* ex professo tractat, delapsum, ipsis Bernardi verbis docebo. Ecce enim post collatas inter se Evam & Mariam, sic tandem affatur Evam, *Curre Evâ ad Mariam, curre Mater ad filiam, Filia pro Matre respondeat, Filia patri pro Matre satisfaciat, quiâ ecce si vir cecidit per fœminam, jam non erigetur* NISI *per fœminam,* Et paucis interjectis, *Scrutare scripturas & proba quod dico, visne ut ego ex his aliqua testimonia hic inseram? Vt pauca loquar de pluribus, quam tibi aliam prædixisse videtur Deus, quando ad Serpentem ait, Inimicitias ponam inter te & Mul. Et si adhuc dubitas an de Maria dixerit, audi quod sequitur,* Ipsa *conteret caput tuum. Cui ergo hæc victoria servata nisi Maria? Ipsa contrivit venenatum caput Serpentis, &c.* Quo tanquam certissimo fundamento strato, ad laudes B. Virginis animosius digreditur, hortaturque Auditores, ut ad hanc stellam Jacob, stellam hanc maris (sic enim imperitè satis interpretantur vocem Ebr. *Miriam*) in periculis con-

fugiant, hanc invocent, hanc cogitent. Cæteris verò hunc ipsum locum ejusdem erroris occasionem præbuisse, disertissimis verbis *a*) *Franciscus Georgius Minorita* professus est. Ita perniciosi erroris semina jecta sunt, qui postquam radices altiores indies egit, extirpari non potuit. Maluerunt enim Pontifices & impudentiores eorum *b* Parasiti non tantum Græcos & Chaldæos sed & Ebræos codices corruptos censeri, quam locum hunc pristino nitori restituere. Profitentur quidem, parum interesse, hoc an illud legas: at ubi verba in rem conferenda sunt, tum demum apparet insignis pervicacia, magno argumento, non de nihilo hanc lectionem adeo mordicus ab iis retineri. *Costerus* certe, nisi hac lectione errorem suorum fulciri crederet, *c* Tropæum conculcati serpentis cum adjecto hoc elogio, *ipsa conteret cap. t.* Mariæ, quasi hoc modo hæreticos urens, nunquam erexisset. Nec etiam *d* *Suares* hinc quintum suum argumentum extruxisset, ad probandam hanc thesin, *Mariam à peccato Originali fuisse præservatam*, nec unquam ex capite Serpentis peccatum originale fabricasset ingeniosus artifex. Quod vero Bellarm. vulgatam hanc corruptam lectionem defendat adversus tot DD. Pontificios, etiam inde est, quod geminæ illius Editionis Pontificum, Sixti V. & Clem. VIII. quorum tempora plerique istorum non attigerunt, authoritate constringatur.

Sed, ut finem tandem huic præloquio ponamus, duo argumenta adversus hanc corruptelam dabimus, & obiter ad κρησφύγετα Bellarmini respondebimus.

Primo, omnes Ebræi codices in hunc usque diem legunt הוּא *ipse*, & ante Christi tempora sic fuisse lectum τῶν LXX. versio evincit. Respondet *Bell.* primò, se in uno codice legisse הִוא / At cum codicem non nominet, quis dubitat, quin codicem Bibliorum Interlin. apud Plantinum 1572. excusum intelligat, ubi non הִיא ut Bellar. citat, sed (ad corruptelam accedente Typographi vel *e* correctoris errato) הִוּת reperitur, & quidem cum nota Kethib, ac si τὸ Keri esset הִוּא / ut

a Tomo 1. problema 0, probl 15. Verba ejus hæc sunt *ex falsa traductione quâ habetur, ipsa cont. cap. t. Latini communiter tribuunt hanc victoriam Reginæ cœlorum. Quæ licet sublimior sit quam dici queat, tamen dabimus victori triumphum hunc cui ex veritate litera debetur.*

b Canisius de Maria virg. lib 5.c.9. Valentia Analys Fidei lib 8. cap. 5. Carbonarius in suo tractatu ad hunc locum

c In libello sodalitatis B. Virginis & in propylæo Enchiridii Controvers. præcip. nostri temporis in gratiam Sodalit. B. Virginis.

d Disput. ad 3. partem Thomæ tomo 2. Disp. 3. Sect. 5.

e Fieri potest ut & alius volens id fecerit. Vt ut sit, Deo providente Typographicum hoc erratum admixtum est ut ego quidem arbitror. voluit n. Deus hoc ipso quasi remorari & tardare Lectorem ne ad sphalmatis Typographici considerationem, altera malitiosæ corruptelæ accederet.

Exod.

Exod. 3. 8. & hoc ipso capite v.12. Sed cum *f* sacrilegium hoc ii qui secundæ Editioni eorundem Bibliorum 1584. præfuerunt detestati sint & veram lectionem restituerint, cum denique *g Arias Montanus* protestetur, se inscio & improbante hoc factum, *Bellarminus* rectius fecisset, si Camarinam hanc nunquam movisset. Quid enim hoc aliud fuit, quam ut *h Campianus* adversus nostros loquitur, in cœleste chirographum temulento impetu involare? Secundò respondet, הוא remotis punctis posse legi הִוא / & hoc ipsum sæpe poni pro הִיא / Fateor, undecim locis exceptis, pronomen hoc fœmininum in V. Libris Mosis scribi semper per Vau הוא / sic enim Masora in voce היא / *Per totam Legem scribitur* הוא *præter undecim quæ scribuntur* היא / *recensenturque in Sectione*, Et sedit, Gen.38.27. Sed in istis XI. locis semper invenis hirik sub ה / (הִוא) invenies vel ante vel post illud pronomen nomina vel verba fœminina: Invenies denique singula ista loca fideliter enumerata. At hoc in loco nec hirik sub ה invenies, nec invenies sequi Fœminina, imo contra omnia Masculina: nec etiam hunc locum vel illic vel alibi uspiam inter XI. illa reperies. Secundum Argumentum nostrum hoc est, posito per errorem vel hominum incuriam in aliquot exemplaria irrepsisse vel הִוא vel הִיא / obstaret tamen isti lectioni, imò configeret eam antecedens Mascul. זֶרַע semen, sequens verbum Masc. יְשׁוּפְךָ & denique eodem versu occurrens affixum Masc. in תְּשׁוּפֶנּוּ / Objicit Bell. *b* loca aliquot ex quibus probare studet, novum aut insolens non esse ut cum nominibus Fœmininis jungantur pronomina aut verba Masculina. Ad quæ loca cum solidissime responderit *i* Cl. Junius & alii, nos nihil reponemus Bellar. præter illud, quod ipse in simili casu de personarum mutationibus ait, *Si licet*, inquit, *personarum sine causa fingere mutationes*, *nihil certi unquam ex S. literis colligi poterit k*. Claudemus verbis Epiphanii cedro dignissimis, *ἴση βλάβη*, inquit, *τῶν καπηλιζόντων τὴν ἁγίαν παρθένον τῶν τε ὑπὲρ τὸ δέον δοξαζόντων*. Quæ verba docent par detrimentum veræ religioni afferre eos, qui vilem habent beatam virginem, eosque qui ultra fas gloriam ejus adaugent. Hactenus mea Censura.

Hic demum seriò in me destomachatur & paratragœdiat Mersennus, & cum antea folia tantùm jactaret, nunc arboribus

f Non casu aut errore, sed consultò factum testatur Luc. Brugensis, notationibus ad Bibl. a Gen. 3. *Guido Fabricius Pici Mirandulani Principis authoritate nixus excudi curavit* הִוא *licet errore positum sit* הוּא

g supra p. 54.

h Rat. 1. de sac. lit. p. 297.

b Ruth. 1. 8. Esth. 1. 20. Eccl. 12. 6.

i Animadv. in Bellar. de Verbo Dei lib. 2. cap. 12. § 7.

k Bellarm. de Christo l. 1. cap. 5.

in me arietat, jamque faces & ſaxa volant.

MARSENNUS.

Vbi cæteris impudentior Amama *venenum eructat meraſque vomit blaſphemias.*

AMAMA.

Ubi ſunt blaſphemiæ? Nota paginam, lineam. Eſtne hæc blaſphemia, *ei tribuere victoriam, cui ex veritate litera debetur*, ut cum veſtro Gregorio Veneto loquar? Ergo blaſphemus tibi quoque *Bonaventura*, qui in comm. ſuper magiſtrum non erubuit aſſerere, *cavendum eſſe ne dum matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur*, οὐ κατευτελίζω τὴν ἁγίαν παρθένον, ἀλλὰ καὶ οὐχ ὑπὲρ τὸ δέον δοξάζω, nec vilem habeo beatam Virginem, nec ultra fas eam colo. Ἴση γὰρ βλάβη ἐστὶ, inquit Epiphanius, Par veræ Religioni detrimentum afferunt & qui hoc & qui illud faciunt. Medio tutiſſimus ibo.

MARSENNUS.

Ejuſdem criminis D. Bernardum *ſuper* Miſſus eſt, *inſimulat, quia ex eo Scripturæ loco amplam laudum virginis materiam arripit, eumque imperitiæ arguit, cujus tamen unicam ſententiam pluris fecero, quam omnia quæ ſcribit hic Friſius, in omnes injurius, &c.*

AMAMA.

Non accuſo Bernardum *ejuſdem criminis*, vid. temeratæ ſcripturæ. Invenit enim in codice ſuo hanc lectionem I*pſa*, & quia ad fontes per Ebraïſmi imperitiam recurrere ei non licuit, de veritate hujus lectionis non dubitavit. Multo minus eum hujus criminis arceſſo, quod peſſimam lectionem confirmaverit. Papa enim non fuit, ad quem, ſicuti ſupra pag. 107. oſtenſum eſt, proprie pertinet Scripturarum correctio.

Illud doleo, Bernardum in ea incidiſſe tempora, queîs præ linguarum ignorantiâ doctiſſimis etiam Theologis & Eccleſiæ luminibus ad fontes recurrere non licuit. Non ergo accuſo eum,

ſed

ſed produco, ut oſtendam quæ conſectaria prava hac lectione etiam magnus ille vir elicuerit. Sed dicis te unam Bernardi ſententiam pluris facere quàm omnia quæ ego ſcribo in omnes injurius. *In omnes*, inquis, homines, an Patres, an veſtræ ſectæ ſequaces? Ne hoc poſtremum quidem mihi vere objectaveris. Ubi enim in Ariam Montanum, ubi in Pagninum, ubi in Cajetanum, ubi in Oleaſtrium, ubi in Eſpenſæum, ubi denique in te injurius fui? Nota lineam, paginam, Ego certe, quòd ipſe non ignoras, non niſi honorificentiſſime ipſorum memoriam uſurpavi. Si in alios fortaſſis liberius aliquando dixi, an hoc vobis injuria eſt? Cæterum quod ad *Bernardum* attinet, eum ego, uti par eſt, veneror & ſuſpicio. Agnoſco me indignum eſſe, qui magno iſti viro corrigias, quod ajunt, ſolvam. Non tamen ideo omnes ejus errores, in quos ſeculi infelicitate impegit, probabo. Et quod de *unica ejus ſententia* affers, quæſo te, Marſenne, reſponde quo loco illam habeas, quæ extat Epiſt. 174. *Virgo Maria non eget falſo honore, veris cumulata honoribus. Non eſt virginem honorare, ſed ejus honori detrahere, &c. Feſtum conceptionis non fuit inſtituendum.* Et iſtam, In cantic. ſerm. 14. *Quiſquis pro peccatis compunctus eſurit & ſitis juſtitiam, credat in te qui juſtificas impium, & SOLAM juſtificatus per fidem, pacem habebit ad Deum.* Et denique iſtam, Epiſt. 190. *Fides non eſt æſtimatio ſed certitudo. — Aſſignata eſt homini aliena juſtitia, qui caruit ſua. Homo qui debuit, homo qui ſolvit. Satisfactio unius omnibus imputatur.*

MARSENNUS.

Verùm ut viros Catholicos & vulgatam Catholicè tueamur, rem totam diligentius excutiendam judico.

AMAMA.

Ergo Catholici tibi non ſunt *Cajetanus*, *Steuchus*, *Pagninus*, *Arias Mont. Feliſius*, *Ribera*, *Pererius*, *Hartus*, *Canus*, *Andradius*, *Lindanus*, quos in Cenſura mea à noſtris partibus ſtare docui? Sed videamus tuas excuſſiones.

MAR-

MARSENNUS.

הוא *ergo ſine punctis vel* hu *vel* hi *legi poteſt, tàm maſc. quam fœm. genere. Sic enim verſic.12. de muliere dicitur,* הוא hi αὐτή ipſa dedit mihi de arbore. *Et Gen. 17. verſ.14.* anima illa *habetur* הוא/ *item Gen. 24.44. & Gen. 38. quater ita legitur, vid. verſ. 1. verſ. 14. verſ. 16. & 25.. Nec enim punctorum ratio habeſſa vpte circa annum 476. inventorum.*

AMAMA.

Hæc eſt ſi quid video, tua ratiocinatio, הוא aliquando legitur per *hi* fœmininum, Ergo & hîc ſic legi poteſt. 1. Negatur conſequentia propoſitionis hic omiſſæ. Eam tu nunquam probatam dabis. 2. Negatur aſſumtio hæc, הוא ſine punctis conſideratum vel Hu, vel Hi legi poſſe. הוא enim cum vau ſcriptum, ſemper legitur *Hu*, ipſe, ſive puncta hebeat adſcripta ſive non. Et contra היא cum Iod ſcriptum, ſemper legitur הִיא/ Quæ verò contra afers loca, nihil ad rem præſentem faciunt. Scribitur illic quidem in textu הוא/ ſed errore librariorum & deſcriptorum, quam critici Ebræorum Maſoritæ in margine Bibliorum caſtigarunt, in eo repræſentantes veram & germanam lectionem היא/ cujus punctum hirik voci mendoſæ, præpoſtera religione in textu relictæ, ſubjecêre, eo ipſo oſtendentes hirik legendum eſſe, *Hi.* Et non ignoras ipſe, & Ebræos & Chriſtianorum doctiſſimos τὸ קְרִי id eſt marginalem lectionem tanquam emendatiorem paſſim ferè ſequi ſolere. Vnde verò hujus ſphalmatis origo ſit, in Diſſertatione noſtrâ oſtendimus, & quivis videt, videl. ab affinitate, quæ eſt inter characteres Iod & Vau. Inſpice Maſoram & emendatiora Biblia & videbis non iſtis ſolummodò, quæ tu affers, ſed & aliis locis voculam הוא in ipſo contextu circulo inſignitam, eique in margine reſpondere voculam היא cum litera ק id eſt קְרִי *legitur.* Id quod propter Tirones noto. Correctionem autem illam eſſe certiſſimam, vocemque in ipſo contextu, vel ob lectionis iſtius vetuſtatem, vel codicum multitudinem, relictam, in manifeſto mendo cubare & antecedentia & conſequa verba oſtendunt. Ex. gr. verſ. 12. hujus ejuſdem capitis. הָאִשָּׁה *mulier quam dediſti*

ut esset mecum הִוא נָתְנָה לִי *illa dedit mihi*, Ecce antecedens fœmininum אִשָּׁה *mulier*, & consequens ejusdem generis verbum נָתְנָה evidentur docent, errore descriptorum הוא irrepsisse pro היא / quem proinde Masoritæ correxerunt, dum propriam fœminini pronominis vocalem, videl. Hirik ei addidêre, atque illud ipsum in margine exhibuêre. Sed quid exempla ista cum hoc, de quo jam agimus loco, habent commune? Hic antecedit nomen non fœm. sed mascul. generis, זֶרַע *semen*. Sequitur verbum Masc. יְשׁוּפְךָ & affixum relativum ejusdem generis in תְּשׁוּפֶנּוּ / Vnde in hoc ipso loco de mendo nec Ebræorum nec Christianorum quispiam somniavit unquam, Codicesque Ebræi constanter legerunt atque etiamnum legunt הוּא / Sed dicis primò

קי
היא

Non valet consequentia à locis mendosis ad loca non mendosa.

MARSENNUS.

Bellarm. lib. 2. de Verbo. Dei cap. 12. asserit se in vetustissimis exemplaribus legisse Hi.

AMAMA.

Bellarm. isthic artic. 2. dicit, se *VNVM legisse*, *in quo scriptum erat* הוּא / Hoc longè aliud est & diversum ab eo quod tu ei affingis, illum vid. asserere se in vetustissimis EXEMPLARIBUS legisse *Hi*. Certè si me ita exorbitantem deprehendisses, quos fluctus excitasses? Sed veniam tibi do inconsideratæ istius assertionis, & rogo ut facias paria, si mihi idem fortassis contigerit. Homo sum, humani nihil à me alienum puto. Volens sciensque non dicam mendacium, nec te id ex proposito commisisse spero. Sed quàm veliem, Bellarm. nominasse illud *unum* exemplar! An fuit ἀκέφαλον, ut & nomen loci & Typographi & editionis annus exprimi non potuerint? An scire nefas erat, cujus formæ fuerit illud exemplar? an in folio, an quarto, an verò in octavo, ut loquuntur, complicatum fuerit? Aut fuit alicujus authoritatis, vetustatis & fidei, aut nullius. Si alicujus, cur non nominatur? Si nullius, cur memoratur? Sed religiosus magis fuit Cardinalis, quàm ut mentitus fuerit. Ita equidem de ipso sentio, Quid ergo? Jam notavi in censura

 meâ,

meâ, cum proculdubio intellexiſſe Editionem Antverp. interlinearem, quæ Bibliis Regiis addita eſt, anni 1572. ubi *Guido Fabricius*, verba Lucæ Brugenſis, *Principis Mirandulani authoritate nixus excudi curavit* הִוא / *licet errore Typographico poſitum ſit* הִוח / Sed callidè fecit Bellarminus, quod Editionem non nominaverit. Eadem calliditate Gretzerus editionem diſſimulavit. Cum enim noſtri certatim peterent, nominari Editionem, tamen Gretzerus, qui ſuper ea re Bellarminum per Epiſtolam conſulere potuiſſet, piſce hîc mutior eſt. Non ignorabant enim multos Catholicos hanc audaciam fuiſſe deteſtatos, eoſque qui Antverpienſi Editioni Bibliorum Interlin. anno 1584. præfuêre, veram lectionem הוא reſtituiſſe, ipſumque adeò * *Ariam Mont.* adverſus hoc facinus, ſine Romanæ Eccleſiæ authoritate ſuâque approbatione patratum, in prolegomenis ſecundæ Bibliorum Interlin. editioni præmiſſis diſertè fuiſſe proteſtatum. Rectiùs itaque feciſſet Bellarm. ſi hanc Camarinam non commoviſſet. Addo, ſi unicum illud exemplar veram & germanam hujus voculæ lectionem, vocali hirik הִ ה ſubjectâ, expreſſit, neceſſariò ſequi omnia, quotquot ſunt & fuerunt exemplaria, utpote vocem illam cum litera vau in medio exhibentia, eſſe corrupta. Illud enim ipſum exemplar, (quod notari velim à lectore meo) licet hirik ſub ה exhibuerit, הִוא / tamen cum vau in medio ipſo Bellar. teſte, pronomen illud expreſſit. Si genuina lectio eſt *Hi*, certe à Moſe ſcriptum oportuit הִיא / Vnde neceſſariò inferetur univerſalis & generalis corruptio loci ad fidem pertinentis. id quod iis, quæ Bellarm. lib. 2. cap. 2. diſſeruit, è diametro repugnat. Sed inquis, pag. 1366.

* Vide ſupra pag. 32.

N. B.

MARSENNUS.

Nec enim punctorum ratio habenda eſt. Et *pag. 1368. Vnde facilè convelluntur* Amamæ *objectiones blaſphemæ, qui veritate coactus fatetur, pronomen hoc fœm.* הִיא *Hi, ſemper in Pentateucho per* י *ſcribi,* הִוא / *locis 11. exceptis, nec obſtat, quod tunc hirik ſub* ה *ſcribatur, cùm puncta recentiora eſſe ſuperiùs dixerimus.*

AMA-

AMAMA.

Nulla necessitas est, ut disputationem illam de punctorum authoritate ingrediar. Ego enim hic non puncta sed literas urgeo הוא cum *vau* in omnibus codicibus scribi, inter Bell. & nos convenit, neque tu id negabis. Hanc vos literam sollicitatis. Si enim pronomen fœm. est, oportet ut cum Jod in medio à Mose scriptum fuerit. Id quod reponendum vobis fuerat. *Nec obstat*, inquis, *quod tunc* quando vid. pronomen fœm. *Hi* per vau scribitur) *hirik sub* ה *scribatur, cum puncta recentiora sint, &c.* Quid audio? Vis ergo punctum sub ה tolli & in vau collocari? At tunc esset pronomen extra controversiam Masc. generis, & nullo modo *Hi* legi posset. Cur ergo non potius literam *vau* palàm sollicitatis? Cur non illam potius in Jod transmutatis *&* punctum sub ה ponitis? Sed miror te meas objectiones vocare blasphemas. Bona verba quæso, & dic sedato animo, utrùm in Deum ipsum O. M. an verò B. Virginem θεοτόκον blasphemæ sint. Non in Deum, dices, opinor. Nec in B. Virginem. Probo. Nihil enim interest, te ipso judice, animadvers. in LV. Probl. Veneti. *non est enim contra vulgatam Editionem*, verba Bellarm. *si convincatur debere legi* Ipse *vel* Ipsum. Si ea lectio non repugnat vulgatæ Editioni, nec Catholicæ fidei adversabitur. Habeo etiam astipulantem *Corn. à Lapide*, qui docet nullam ex his * tribus lectionibus esse rejiciendam, sed omnes esse veras; ut nihil jam de iis dicam, quos supra produxi, lectionem *Ipse* alteri audacter præferentes. Miror & illud, quod dicas me *veritate coactum confiteri, &c.* Cum ea confessio causam nostram non solum non lædat, sed etiam vehementer firmet. Quicquid enim agas. quòcunque te vertas, nihil aliud colliges, quam hoc, הוא *aliquando per* היא *legi. Ergo & hic.* Cur non & mihi eodem jure sic licebit ratiocinari, הוא passim legitur *Hu* ut scribitur. Ergo & hic. Dixi jam, ibi antecedentia & consequentia manifestè indicare librariorum sphalma, atque istis in locis Masoritas veram lectionem in margine omnino, atque adeo in ipso quoque textu ex parte restituisse. Hic verò nihil tale occurrere. Quid hic opponis?

* Ipse Ipsa Ipsum.

MARSENNUS.

Audio tamen hæreticos, qui poſſint objicere, hic verbum eſſe maſc. יְשׁוֹפֵךְ / *At ſæpe videas in Scriptura cum verbis maſculinis jungi pronomina fœminina, ut Ruth. 1. 8. cum* עֲשִׂיתֶם *de duabus mulieribus dicitur. Eſth. 1. 20.* נָשִׁים יִתְּנוּ Et Koheleth. 12. 4. יִשַּׁחוּ בָּנוֹת Et p. 1367. Gen. 2.23. יִקָּרֵא אִשָּׁה pro תִּקָּרֵא /

AMAMA.

Quàm vellem te locum vel unicum protuliſſe, ubi pronomen fœm. ſine errore ſcriptum [הִיא] cum verbo Maſc. jungitur. Ruth. 1. 8. eſt manifeſta enallage. Alloquitur enim Noômi duas mulieres. Neceſſariò ergo ibi עֲשִׂיתֶם poſitum eſt pro עֲשִׂיתֶן vel per ſimplicem Enallagen, vel honoris cauſa, *ut διὰ σχήματος*, verba Cl. Junii, *virile mulierum factum enuncietur.* Latet autem illud σχῆμα non tàm in verbo, quàm in pronomine, *Faciat Deus* עִמָּכֶם *cum vobis* maſc. generis, *miſericordiam, quemadmodum* עֲשִׂיתֶם *feciſtis vos* m. g. Eſt enim hæc perſona compoſita ex themate & pronomine corrupto, אַתֶּם / Hic verò σχῆμα illud juxta te non in pronomine, ſed in verbo latebit. Sed non urgebo illud. Hoc ſatis erit oſtendendæ diſſimilitudini, illic ad fœminas extra dubium ſermonem dirigi: Hic verò de fœminâ agi, ne per ſomnium quidem in mentem veniſſet ulli veterum, eorumve, qui ante controverſias has motas vixêre, niſi codicibus Latinis depravatis uſi fuiſſent. Illic ad fœminas dirigitur oratio in verſionibus omnibus. Hic & Ebræi & Græci & Chaldæi codices conſtanter maſculinum legunt, locumque vel de mare, vel genere humano ſub maris ſpecie concepto, intellexêre. Et ut daretur tibi, hoc exemplum eſſe per omnia ſimile, quid aliud ex eo lucraberis, quàm hanc concluſionem, Ergo verbum Maſc. non obſtat, quominus הוּא hic poſſit eſſe fœmininum, & reddi per *Ipſa*. At probare prius oportuerat, variam hujus voculæ lectionem, & deinde firmioribus præſidiis munienda erat ea, quæ Chaldæis & Græcis codicibus adverſatur & nihilominus Eccleſiis ſub pœnâ anathematis recipienda obtruditur, verſio; concluſionem denique non imbecillum illud *poteſt*, ſed robuſtius *debet* ingredi debuerat.

Quod

Quod ad locum Esth. 1. 20. & Eccleſ. 12. 4. attinet, eadem utriuſque eſt ratio. Illic נָשִׁים / hîc בָּנוֹת extra dubium fœm. generis ſunt. Vt dubium eſſe non poſſit, quin illic יִתְּנוּ pro תִּתֵּנָּה / hic verò יִשַּׁחוּ pro תִּשַּׁחֶינָה poſitum ſit. Sed & in promptu eſt ratio, cur ea Enallage & hic & alibi admiſſa ſit, vid. Homonymia iſtarum vocum, quæ & ſecundæ & tertiæ perſonæ ſunt. Ejus vitandæ cauſa non ſolùm hæc perſona, vid. tertia plur. maſc. ſed ſecunda non ſemel pro fœminina uſurpatur E. g. Jer. 49. 11. תִּבְטָחוּ אַלְמְנוֹתֶיךָ *ſperabunt viduæ tuæ.* Jezech. 37. 7. תִּקְרְבוּ עֲצָמוֹת *appropinquabunt oſſa.* At quæ cauſa aſſignabitur, cur hic non adhibitum fuerit fœm. תְּשׁוּפְךָ Dices & illud factum διακρίσεως ἕνεκα, cum & illa perſona תְּשׁוּף ambigua ſit, jam ſecundæ maſc. jam tertiæ fœm. Sed ambiguitatem iſtam ſuſtuliſſet additum pronomen tertiæ perſonæ הוּא / deinde & affixum ſecundæ perſonæ, quod verbo ejuſdem perſonæ non ſolet addi. Quod verò ad locum Gen. 2. 23. attinet לְזֹאת יִקָּרֵא אִשָּׁה & tu & à quo mutuatus es, Corn. à Lapide hic longè à ſcopo aberratis. Verſio vulg. habet, *hæc vocabitur virago*, ut & Græca αὕτη κληθήσεται γυνή Si illud לְזֹאת ad ſenſum benè redditum eſt per *hæc*, ut exiſtimo, vides vel manifeſtam Ellipſin vocis alterius, quæ ſi maſc. ſit, apparebit diſſimilitudo ingens. Sic enim integra eſſet locutio, לְזֹאת יִקָּרֵא שֵׁם אִשָּׁה *huic vocabitur nomen* VIRA. Verba enim nuncupandi in forma paſſiva præter nominativum jungi ſolent cum dativo perſonæ: vel vox שֵׁם *nomen* incluſa erit ipſi verbo, ut ſic reddere poſſis, *Huic nomen erit Vira*, quomodo Pagninus in Theſauro ſuo paſſivum נִקְרָא ſolet interpretari, atque hunc ipſum locum interpretatur. Sed demus hæc exempla appoſitè eſſe adducta, quid inde lucraberis mi *Marſenne?* Si vel maſculinum *Ipſe*, vel neutrum *Ipſum* à Pontificibus in textu fuiſſet relictum, & fœminino *Ipſa* in margine locus fuiſſet aſſignatus; ſi inſuper Ebræum pronomen variè in cod. Ebræis fuiſſet lectum; perſuadere forſan imperitiori poſſes, non adeò abſurdum & inſolens eſſe, fœmininum *Ipſa* legi, nec obſtare verbum Maſc. At cum omnes Ebr. codices juxta cum Chald. & Græcis conſtanter legant הוּא (exemplar enim Antverpienſe quod de induſtriâ corruptum eſt, ut ſtabiliretur vulgatum *Ipſa*, ipſi allegare erubeſcitis) iterum dico, firmioribus præſidiis niti oportuiſſe lectionem *Ipſa*, antiquam pa-

pali authoritate in locum Masculini *Ipse*, quod & Chald. & & Græcis codicibus respondere, omnes, Ebraïcis verò plerique agnoscitis, & orthodoxum sensum habere confitemini, substitueretur.

MARSENNUS.

Iterum ostendimus, nos optimo consilio potius Ipsam, *quam Ipsum, vel* Ipse *retinuisse. Primum enim cum* הוא *per* ו *scribimus, aut Masculinum, magna denotatur Emphasis, ut* ipsissimam *magis*, *quam* ipsam *significet, ut etiam vers.* 12. *& 20. &c.*

AMAMA.

Magnum hic pandis mysterium, הוא Emphaseos causa pro היא poni, quod ego librariorum errori semper adscribendum putavi. Sed quâ authoritate הִוא per Hirik & Vau scribitis? An ipsius Mosis, an Masoritarum, an denique Pontificis? non Mosis, opinor. Si enim ille, quæ tua quoque est sententia, puncta non adscripsit, & tamen pronomen fœmininum intendit, oportet eum illud ipsum per Jod in medio expressisse. Non Masoritarum; illorum enim authoritatem vilipendis, & quod iterum hic inculcandum, falsissimum est eos hoc loco הִוא scripsisse. Ad omnes punctatos codices ad ipsam Masoram provoco in quâ omnia loca, queis הוא pro היא irrepsit, indicarunt, de hoc altum silentes. Sed tu quoque paulo post, hanc punctationem הִוא in Rabbinos (Masoritas te intelligere opinor) transcribis, quando ais, *Sed & gratis concedere possumus, puncta à Rabbinis recte collocata esse.* Non denique Pontificis, id quod Arias Montanus evidenter probat istis verbis, quæ supra p. 32. repræsentavimus. Cætera ergo, quæ hic rursus producis loca, nihil cum habent commune, & Emphasis ista tuâ tantum conjecturâ nititur.

MARSENNUS.

Sed & gratis concedere possumus, puncta à Rabbinis recte collocata esse. Etenim mulier *est nomen collectivum totam Ecclesiam designans*

ac pro-

ac proinde Virginem, partem nobilissimam Ecclesia. At Masoreta nomina collectiva communis generis esse volunt, ut docet Pagn. lib. 2. Gramm. cap. 2. &c.

AMAMA.

Non inspexisti locum Pagnini, cum hæc scriberes. Toto isto capite nulla Masoritarum fit mentio. Illud solummodò in fine notat Pagninus, esse quædam nomina quæ utroque genere usurpentur, id quod nullus negaverit. At inter ea vocem אִשָּׁה non reperies. Quomodo verò אשה hic accipiendum sit, non disputo. Quæstio inter me & te de lectione voculæ הוא est. Hoc agamus.

MARSENNUS.

Hinc concludendum est, non semper Masorethis credendum esse, neque scripturam sacram juxta eorum dogma atque puncta emendandum: siquidem ejus sensum aut intellectum depravârunt, ubi Christianæ religionis mysterium includi deprehendebant, vel etiam se credebant argui.

AMAMA.

Ego, παχύς τις ὤν, non video quomodo hanc conclusionem ex superioribus elicias. Dixisti enim ante, concedi posse Rabbinos hîc punctum in ו benè collocasse, dixisti sensum eòdem recidere, sive *ipse*, sive *ipsum*, sive *ipsa* legatur. Cur ergo hîc eorum fidem sublestam reddere satagis? Cur hîc iis non credam? Præsertim cum ante illos & Chaldæus Paraphrastes & LXX. ita legerint ipse contextus evidenter eò ducat. Enumeras postea aliquot loca in quibus putas Masoritas malâ fide fuisse versatos, quæ obiter lustrabimus.

MARSENNUS.

Jud. 19. 3. ubi legimus לְהֲשִׁיבוֹ Iahaschiba *Masoreta mutari voluerunt* ו *affixum masc. g. in* ה *fœm. quandoquidem de muliere sermo est, quod tamen falsum est, cum ibi Synagoga per fœminam à Vi-*

re recedentem, & per Levitam Deus repræsentetur.

AMAMA.

1. Mirabor si להשיבו possis legere *lahaschiba*. 2. Masoretæ non sine judicio aut codicum authoritate tradiderunt pro לְהֲשִׁיבוֹ legendum esse לְהֲשִׁיבָה / quam vocem proinde in margine posuêrunt, atque ejus vocalem ultimam (ָ) literæ ב subjecêre, ut juxta eam legeretur. 3. Velim hîc doceri quodnam religionis Christianæ mysterium hic inclusum sit, vel quâ ratione hic arguantur, ut propterea cœleste hoc Dei chirographum temulento impetu violare voluerint. 4. Quomodo negare audes hic de muliere sermonem esse? Annon pellex est mulier? Annon eam voluit reducere? Inspice textum, mi Marsenne. 5. Quomodo probabis per mulierem hîc Synagogam denotari? Quo fundamento? Quibus principiis? Apage istum allegorizandi pruritum. Somnia hæc sunt otiosorum hominum, circa quæ præstantia ingenia, quibus tuum quoque annumero libens, occupari indignum est. 6. Concedatur tibi hæc allegoria. Per mulierem repræsentetur Synagoga. Hæc allegorica interpretatio haudquaquam tollere debet propriam, quæ primaria & genuina est. Et nihilominus manet fœm. genus, quod non solùm tribuitur fœminis, sed & rebus sub fœminæ specie conceptis. Si ergo Synagoga repræsentabitur per fœminam, non minùs æquum erit, ut affixum fœm. sit in לְהֲשִׁיבָהּ sicuti in præcedentibus, לִבָּהּ & אַחֲרֶיהָ /

MARSENNUS.

Secundus locus, Prov. 31. 16. in fine נטעה nataha, *dicunt* ה *ponendum esse, cum ibi de muliere sermo sit. At de Ecclesia loquitur sapiens sub mulieris similitudine.*

AMAMA.

Si malè additam putas literam ה quomodo ergo potes legere *nataha*? Sermo ibi est de muliere strenua, cujus studia & laudes ibi recenset Regum sapientissimus. Omnia verba quæ de ea

enunciantur ſunt fœm. generis, tam præterita quàm futura, טֻעֲמָה / חֲגֻרָה / זְמַמָּה / תִּתֵּן / חָקוּם / תַּעַשׂ / הָיְתָה / דְּרֻשָׁה / &c. Solùm נטע *plantavit* ibi ſine ה legitur. Itaque Maſoretæ, codicum nonnullorum authoritate & rei evidentiâ freti, vocem eam librariorum culpâ in fine decurtatam, in margine ˳reſtituerunt integram, נְטֻעָה/ ejuſque puncta voci textùali ſubjecêre נְטֻע Eaque correctio adeò certa viſa eſt magno *Ariæ*, & Theologis Lovanienſibus, qui Editionem Interlin. anni 1584. approbarunt, ut vocem נְטֻעָה à Maſorethis nimia religione in margine collocatam, in ipſum textum receperint, nullo facto variantis lectionis נטע indicio. Ad allegoriam tuam, quam & hic in textum infers, idem reſpondeo quod ad ſuperiorem. Et hic monſtrare debuiſſes, quodnam Chriſt. religionis myſterium in hoc loco delitеſcat, aut quomodo vel hac voce vel verſu arguantur Judæi.

MARSENNUS.

Locus 3. Jer. 2. 24. ubi in fine נַפְשׁוֹ naphſcau, *convertendum eſſe* * *afferunt (ita habet textus tuus)* ו *in* ה / *quia* רפה *onager eſt fœm. generis. Sed omnium animalium nomina, Pagnino teſte 2. Gramm. cap. 2. ſunt comm. gen. Adde quod per onagrum Iſraëliticus populus intelligitur.*

*Forte, *afferunt.*

AMAMA.

Potuiſſes & illud addere, ejuſdem verſus initio פֶּרֶה cum Maſc. לִמֻּד conſtrui. Ut negari non poſſit, illud comm. gen. eſſe. Sed cum nullum hic quoque Chriſt. Religionis myſterium lateat, nec magis arguatur populus Iſraëliticus, ſi נַפְשׁוֹ quàm ſi נַפְשָׁהּ legas, cùm denique hoc verſu ſæpiùs cum fœmininis quàm cum Maſculinis jungatur, quis Maſoretas arguat, quod non ſine codicum authoritate alteram lectionem in margine notaverint? Quod verò poſtea multa adducis loca, *in quibus affixa non mutaverint, licet maſculinæ ſint cum fœm. idque ut malitia eorum* (Maſoretharum) *clarius innoteſcat*, fruſtra es. Vel ex eo diſcere potuiſſes, niſi animum tuum præjudicium cœcaſſet, eos in ſuperioribus citra bonæ notæ codicum authoritatem nihil tentaſſe. Quæ autem hic malitia eſt bone vir, cum

ex locis illis nullus ſit, qui utrovis modò lectus, ullum Chriſtianæ fidei detrimentum, vel Judaïcæ perfidiæ adjumentum afferat.

MARSENNUS.

Ex quibus utinam hæretici ſapientiores evadant dum viderint אִשָּׁה *mulierem ſtatim fœmineo, aliàs genere maſc. ſumi debere. Sic enim in Scripturâ ſacra multa myſticè ſignificantur.*

AMAMA.

Video hic ῥημάτων νάματα, mentis verò & ſolidæ rationis ne guttulam quidem. Quid enim? an אִשָּׁה hoc uno eodemque loco ſimul maſculinum & fœm. erit?

MARSENNUS.

LXX. qui verterunt αὐτὸς, *non ad* σπέρμα, *quod eſt neutrius generis, ſed ad* אִשָּׁה *quod hìc eſt Maſcul. reſpexêrunt Quia tamen Interpres noſter vidit apud Latinos* mulierem *ſemper eſſe fœmin. dixit* IPSA.

AMAMA.

Miſeret me tui Marſenne. LXX. vertêrunt αὐτὸς, tum habitâ ratione vocis Ebrææ, quæ Maſculina eſt, tum etiam habitâ ratione ſenſus: per *Semen* enim hic primo, literali & genuino ſenſu Filius intelligitur, Quomodo etiam uſurpatur Geneſ.4.25. *Poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Habel*, Et quid facies loco Gal.3.16. ubi eadem conſtructio, καὶ τῷ σπέρματί σου, ὅ ἐστι Χριστὸς, *Et ſemini tuo, qui eſt Chriſtus.* Quod verò dicis אִשָּׁה hic eſſe Maſculini generis, cui perſuadebis? Nulli certè, niſi ἀμελείᾳ τῆς ἀνθολκῆς ſiderato. Et ſi ita eſt, rurſus quærere illud liceat, cur pronomen Maſc. הוּא ſollicitaris?

Patrum aliorumque quas adducis authoritates alii diſcuſſere. Joſephi teſtimonium ex 1. lib. Antiq. cap.2. citas non optimâ fide, *præcepit ut mulier ejus capiti plagas inferret.* Monſtra vel unum Græcum, codicem, qui vocem γυνὴ habeat. Sed inquit *Corn. à La-*

à Lapide, hæretici vocem γυνὴ ſuſtulerunt. Itane? Si ſoli illi codices, qui vel à noſtris Typographis, vel poſt exortas ſuper hoc loco contentiones excuſi ſunt, voce illa γυνὴ carerent, ſpeciem aliquam haberet hæc criminatio. Quod pag. 1366. dicis *Chaldæum paraphraſten pronomen hoc neutro poſuiſſe*, miror cur non idem de Ebræo aſſeras. Cum utrobique ſit הוא & utraque lingua neutro genere careat. *Sed & lxx.* inquis, *neutraliter ſumere videntur*, cum poſt σπέρμα poſuerunt αὐτὸς. Ad illud jam reſponſum eſt.

Antequam manum tollam de hac tabula, ponam verba *Corn. à Lapide* in hunc ipſum locum. * *Hæc* inquit, *videtur etiam eſſe vera lectio in Ebr. Nam eſt hîc keri uketif, id eſt alia lectio alia ſcriptio. Licet enim in textu legatur* הוא ipſum *tamen de more in margine (uti habent exemplaria correctiora) notatur vera lectio, ſc. legendum eſſe* הִיא id eſt ipſa. Hæc Cornelius. Audimus verò libentes illam confeſſionem, in textu legi maſc. הוא / At deſidero videre exemplar vel unum, quod in margine habeat הִיא/ Ipſum enim illud Antverp. exemplar de quo ſuprà prolixe egimus, in textu quidem habet הִוא cum notâ ꝗ Chetib, at in margine nullum *Keri* repoſitum eſt. Temerè ergo hæc chartis illevit Cornelius, & magis temere probavit ea Marſennus cenſurâ in Probl. 55. Georgii Veneti. Incepimus, Lector, manum conſerere cum Marſenno, itaque & aliqua hic pergam attexere, ut moleſtiſſimo hoc labore defunctus, ad illud redeam, quod præcipuum hujus operis argumentum eſſe volui. * Ipſa.

CAP. IV. verſ. 13.

Vulg. *Majus eſt peccatum meum, quàm ut veniam merear.*] Ebr. מִנְּשׂא/ Dixi Ebr. עָוֹן alique *iniquitatem*, aliquando *pœnam iniquitatis*, metonymicè ſignificare. Vt doceremur pœnam & peccatum naturâ ſua indiviſos eſſe comites. Hoc ipſe Marſ. negare non audet. Addidi, utramque ſignificationem hic ſatis commodè poſſe explicari, modò, ſi primam ſignif. eligas, מִנְּשׂא τὸ reddas per paſſivum מֵהִנָּשֵׂא/ id quod non eſt inſolens: hoc ſenſu, *major eſt iniquitas mea, quàm ut poſſit condonari*. Aliàs ſic reddendum eſſe locum, *Major eſt pœna iniquitatis meæ, quàm ut ferre poſſim*, ſcil. eam. [& Vatabl. Pagn. Oleaſtrius. Et ex noſtris

ſtris Mercerus, Piſc. Martin. Junius, Genevenſes, Deodatus, Druſius & alii. Quam interpretationem ſi admittimus, & certe eò videntur cogere ſequentia, tunc illud Auguſtini, *Mentiris Cain, nam major eſt Dei miſericordia, quam omnium hominum iniquitas*, pie quidem, ſed non ad rem dictum fuerit. Poſſet tamen hic verſus, etiam voce עָוֹן pro iniquitate ſumpta, cum ſequentibus ſatis commode cohærere ſi pronuntiatione eum juves & notam interrogandi ſubaudias, *An major eſt iniquitas mea quam ut condonari poßit?* Ac tunc quidem erunt verba non deſperantis, ſed cum Deo de pœnæ gravitate expoſtulantis.] Sed quod ad vocem מנשא attinet, eam nunquam ſignificare, *veniam mereri* aſſerui, atque ex ea verſione meritum congrui aluiſſe Pontificios, &c. Quid ad hæc.

MARSENNUS.

Mentitur Amama, cum ait nos in hoc loco meritum congrui vel fundare vel ſaltem alere, & מנשא pro מהנשא poſitum eſſe, ſicut in ult. verſu hujus capitis לִקְרֹא pro לְהִקָּרֵא /

AMAMA.

Quin tu inſpice ut * alios omittam *Lindani* Panopliam, lib. 3. cap. 20. in margine, videbiſque ex his locis Gen. 4. 13. Eccl. 16. 15. Ebr. 13. 6. eum ſic inferre, *en meriti vocabulum in Scripturis*. Si hic fallor circa locum præſentem, liber enim mihi nunc ad manum non eſt, non erubeſcam retractare hanc aſſertionem. Quod verò ad מְנַשֵּׂא attinet, an ideo tibi fides habebitur, quia dicis me *mentiri?* Illum enim floſculum ἀπὸ κοινοῦ repetendum mihi reliquiſti.

* Carthuſ. major eſt iniq; mea, &c *id eſt tam magna eſt ut veniam promereri non valeam.* Comeſtor; *major eſt iniq; mea, quam ſit id quo veniam merear, q. d. major iniquitas mea omni merito.*

CAP. eodem, verſ. 16.

Vulg. *Habitavit profugus in terra.*] Ebr. *habitavit in terra Nod.* Sic quoque Cajet. Sic Joſephus & LXX. licet voce aliquantulùm corrupta, ἐν γῇ Ναὶδ. Ita quoque Marcus Marinus in Arca Noë, Pagn. Arias Mont. & alii.

MAR-

MARSENNUS.

Sed ineptit Amama, dum Vulgatam arguit, quod vertat, in terrâ, *cum tamen* Nod *terram vagam & profugii ſignificet, ut ipſi Novatores eo longè doctiores, fatentur, Fagius, Mercerus, Druſius & alii. At non eſt mirum ſi cœcus cœcutiat & qui lynceos oculos habere credit, nihil videat.*

AMAMA.

Non arguo vulgatam, quod vertat, *in terra.* Quid enim? An בארץ non ſignificat *in terrâ*? *Nod* ſignificare *terram vagam & profugii*, nego. Neque hoc unquam ex Fagio, Druſio, Mercero, quos me longe doctiores fuiſſe libens agnoſco, probaveris. Nod ſemel extra hunc locum reperitur, ſed cum affixo, נֹדִי Pſ. 56. 9. eſtque Infinitum Kal, ut à מוּת fit מוֹת cum holem, & ſignificat τὸ *vagari meum*, id eſt vagationem meam, At ubi ſignificet *terram vagam vel profugii*, oſtendendum tibi erat.

MARSENNUS.

1. *Debuiſſes à tuo Mercero diſcere* נוֹד *idem ſignificare, quod* נָע וָנָד vagum & profugum. *Fatemur autem LXX. vertiſſe* ἐν γῇ Ναὶδ: *ſed nihil contra nos.* 2. *Nec enim negamus terram, in quam Cain fugit,* Nod *vocatam fuiſſe.*

AMAMA.

1. Magno me honore mactas, dum *Mercerum* meum vocas,
Virum, cui in Ebraïcis parem nunquam edidit Gallia. Sed
ubi docet, נוֹד idem ſignificare quod נָע וָנָד? Verba Merceri in
comment. *Simplicius puto, eſſe loci ſeu terræ nomen aut regionis,*
quæ ita ſit, non ante, ſed poſt, ab ejus vagatione, quod in eâ oberrârit, dicta, In addit. ad Theſ. Pagn. Terra Nod (quod eſt
commotio, demigratio, *ſeu in terra vagationis (exilii) Hoc nomen*
inditum regioni, quam pulſus & profugus Cain *inhabitavit.* M. Citat-
que poſtea Pagnin. ex Thargum, *in terra* בְנוֹד / Alii tamen codices

codices habent גָּלֵי וּמְטַלְטֵל &c. Vides Mercerum interpretari per abstracta? Non ergo dicit idem esse quod נָע וָנָד/ 2. Si agnoscis, terram hanc vocatam fuisse Nod, quid in me incurris? Idem dico, & dum hoc dico, non nego, ita vocatam fuisse à vagatione & exilio Caini.

MARSENNUS.

1. At pecus illud Arcadicum relinquamus, nec enim dictionarium ipsum aut intellexisse aut legisse videtur, in quo נוֹד *&* נָד *idem significant. Nempe* motus, agitatus, vagatus est, fugit, migravit, exulavit, *&* נוֹד *significat* motionem, fugam, vagationem & exilium. *2. Itaque licet* Nod *nomen loci proprium designare posit, 3. attamen appellativè Thargum & Hieron. sumsere,*

AMAMA.

1. Vt qui ocymum serunt, felicius id nasci ad convitia interjecta autumant, ita tu quoque, quicquid dicis dicteriis rigas, Non retaliabo. Illud solummodo tibi expendendum relinquo, utrum hæc convitia faciant ad gloriam Dei. Tu certe in ipso limine protestabaris, nihil te dicturum quod eo non spectaret. Dictionaria varia legi mi Marsenne, sed nullum repperi Lexicographum, qui id asserat, quod tu vis. Quomodo enim idem significarent thema seu Infinitivus, vel ut hoc tibi largiar, abstractum, & concretum? Quis dixerit idem significare צֶדֶק & צַדִּיק? 2. Suprà dixisti, te non negare, *Nod* esse nomen proprium loci. Hic illud largiris quasi per liberalem concessionem. 3. De iis non est quæstio, licet ex Pagnino suprà ostenderim, codices aliquot Chaldææ Paraphraseos nomen *Nod* retinuisse.

Vers. 26.

Ebr.	Vulg.
אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה/ Tunc cœptum est invocari nomen DOMINI.	Iste cœpit invocare nomen DOMINI.

Duo

Duo hic ſunt, inquis, quæ negotium faceſſere videntur. 1. eſt אִי adverbium temporis, quod à vulgato per *iſte* redditum eſt. 2. Verbum הוּחַל/ cujus ambiguitate in varias itum eſt ſententias. Pergis

MARSENNUS.

Hoc advertit neſcio quis Amama & excultat hîc, imò inſultat (non ſecus ac Aman alius) populo Dei & comprehenſam putat Eſtherem, Eccleſiam dico Catholicam, &c.

AMAMA.

Si penitius me noſſes, Marſenne, pœniteret te, ſcio, hujus judicii, quod non caritas, ſed bilis tibi dictavit. Dignus eras quem Generalis iſta Memnonis increpatione affaretur *Pugnare conduxi, te, non conviciari.* λοιδορεῖσθαι δ' οὐ πρέπει ἄνδρας ποιητάς, ὥσπερ ἀρτοπώλιδας inquit ille apud Ariſtophanem. Multo minus ἄνδρα θεολόγον decet canina iſta facundia. *Amani* me comparas & paronomaſiam captas. Poſſem & te cum *Marſya*, alluſione non minus commoda, conferre, *Druſiumque* contra, vel *Mercerum*, quos tam neglectim habes, cum Apolline. Sed quis fructus, quis finis eſſet talium ineptiarum? Non iſtis machinis edomabis hæreticos. Non his armis Catholicam religionem propagabis.

MARSENNUS.

Alia eſt vis dictionis alicujus in contextus ratione, quàm ſi per ſe ſumatur. Exemplum ſit quod præ manibus habemus.

AMAMA.

Melius de lectore tuo fuiſſes meritus, ſi aliud exemplum adduxiſſes. Hîc enim τὸ ἐν ἀρχῇ κείμενον petis. Sed perge.

MAR-

MARSENNUS.

Aug-Steuchus Eugubinus, אָז non refertur ad personam, sed ad tempus: Cajet. Explicat Moses non personam sed tempus.

אָז *sumptum per se est adverbium temporis: orationi junctum,* 1. *non amittit quidem vim hujus significationis, sed aliò refert, aut certè determinat ex antecedentibus & consequentibus, & significat tempus quo res hæc & ab eâ personâ, de qua sermo est, facta esse dicitur. Tempus igitur significat, &* 2. *consignificat personam, maximè autem* 3. *ubi verbum est ambiguæ significationis, tempus aut personam à verbo consignificari solitam determinat. Verùm quia apud Latinos verba non habent hanc in significando ambiguitatem, & tempus personamque satis exprimunt, liberum fuit interpreti, eorum alterum explicite ponere. Satius tamen, ut personam exprimeret, quo* 4. *ambiguitatem quæ in Ebræo occurrebat, tolleret, doceretque verbum* הוחל *personale esse non impersonale, quale mavis.*

AMAMA.

Mira doces, vel potius φοιβάζεις Ad 1. Utique omittit significationis propriæ vim, si per *iste* reddas. Ubi enim latitare eam dices? An in verbo *cœpit? Iste tunc cœpit invocare* N. D. *Tunc*, cum nasceretur *Enos?* vel potius, cum hoc filio auctus esset Seth? Quodnam *tunc* hic intelliges? Et quis ille *iste*, Seth an Enos? Cur hæc non explicuisti? Atqui *significat*, inquis, *tempus quo res hæc ab ea persona de qua sermo est, facta esse dicitur, illudque ex antecedentibus & consequentibus determinat.* Quò ergo referes, si non ad tempus nativitatis? Clarius hæc proponere debuisses. Ad 2. Dico, hoc planè mihi videri παράδοξον Tu videris, quomodo hoc aliis sis probaturus. Ad 3. Hoc verbum ambiguum est. Posset enim seorsim sumptum significare, vel *cœptum est*, vel, *profanatum est.* Nec enim esse ambigui temporis, dices, opinor. Præteritum est. Ut illud determinari non sit necesse. Est ergo fortassis ambigui subjecti, ut nescias, si resolutio fieri debeat in personale, de quo intelligi bebeat, An, *Tunc cœpit Seth*, An verò, *tunc cœpit Enos*, vid. recens natus? neque enim hic primam vel secundam personam consignificari solere dices. Ad 4. Ea ambiguitas hæc opinor est, *Tunc cœptum est*, vel ab uno, vel à pluribus, vel si הוּחַל legi debet, ut postea doces, *Tunc cœpit*, manet in ambiguo,

biguo, quis cœperit. Eam sustulit, te judice, vulgatus, *Iste cœpit*, cœptum ergo ab uno. Sed quis ille ISTE, rursus rogo. An *Seth* an *Enos*; Communi Interpretum vestrorum sententiâ Enos notatur. Enos ergo tunc cum nasceretur, (אז *enim significat & determinat tempus*, agnoscis opinor, tua verba, *quo res hæc ab ea persona, de qua sermo est, facta esse dicitur*) Dei nomen cœpit invocare?

MARSENNUS.

Deinde Scriptores sacri utuntur loco pro persona & tempore, aliquando etiam tempore, pro persona vel loco, quæ Ebraïsmorum genera docebit te D. Joh. Alba, *vir in Ebr. literis præclarè versatus*, Ariæ Montani *Discipulus*.

AMAMA.

Utinam exemplis hæc illustrasses! neque enim divinare possum ad quæ loca Scripturæ respicias,

Heu, tam aversus equos patria Sol jungis ab urbe?

Iste autem *Alba* albus an alter sit, nescio. Ejus lucubrationum nihil in hoc Belgii angulo vidi unquam. Quia tamen eum magno Ariæ μαθητεύσαι dicis, operam dabo, ut ejus Ebraïsmos, si modò is libri, quem innuis, titulus est, mihi comparem. Ego à meis discipulis quotidie disco. Cur ergo ab erudito Hispano erubescerem?

MARSENNUS.

Non opus est dicere, vulgatum legisse זה *pro* אָז */ ut tuus Drusius volebat, qui & addit Græcos* הֵחֵל *pro* הוּחַל *legisse.*

AMAMA.

Egregiam verò Cl. Viro & qui de vulgatâ versione non male meritus est, rependis gratiam.

MARSENNUS.

Lectionem LXX. hoc loco agnoscimus, eam retinuit vulgatus interpres, D. Hieronymus, uterque doctrinâ & ætate te provectiores.

AMAMA.

Cur ergo vulgatus non vertit, *Iste speravit*, Sic enim habent LXX. οὗτος ἤλπισε. Cur enim in uno securus est, in altero secessum fecit? Si B. Hieronymus vulgatus interpres est, cur ipse ergo vertit, *Tunc initium fuit, &c.*

MARSENNUS.

Venio ad alterum controversiæ caput. De verbo quæstio est, imò de puncto, quo deductum tsere transivit in phathach, ut pro הוֹחֵל *à* יחל *in hiphil,* הוּחַל *à* חלל in hophal *legeretur.*

AMAMA.

Si puncta à Masorethis addita sunt, ut suprâ docuisti, cur non potius dicis phathach loco Tsere imperitè ab ipsis subnotatum fuisse positum? Sed ut jam tecum non contendam, יחל in incipiendi significatione nunquam occurrere, quæ Grammaticate docuit, mi *Marsenne*, à יחל in præterito Hiphil posse formari הוֹחֵל cum Tsere in fine? Excute omnes, evolve universa Biblia, si possis vel unicum præteritum Hiphil tertiæ sing. extra ordinem Monosyllaborum, seu imperfectorum Ain, ostendere, quod in Tsere desinat, eris mihi magnus Apollo. Atque hic veniam mihi dabis, si te tuis verbis alloquar, & tua tibi reponam, *Futuros ego prævideo, qui hanc Spartam nacti eam graviter exornent, ac te juveniliter exultantem sapere doceant, nec temere quicquam proferre aut in cogitanter.* Objicies forsan illud הוֹשִׁעַ ex 1. Sam. 21. vers. 26. & 33. Sed vester Pagninus in Thes. suo te docebit, illud Makor esse.

MARSENNUS.

Ita enim legisse L X X. ex eorum versione satis manifestum est, quorum authoritatem & lectionem secutus vulgatus Interpres הוֹחִיל *quidem deduxit à* יחל */ non eodem tum (forte* tamen) *verbo reddidit, sed vim expreßit conjugationis, quæ transitiva est, & actionem ad extra significat, idque pro modo rei significatæ, unde cum expectatione & spe aliquid minùs perfectum indicetur, actionem ejus convenientißime inceptione definivit.*

AMAMA.

Probandum tibi prius erat יחל ullibi in Scripturâ *incipiendi* notionem habere. Ubi id probatum vel demonstratum dederis, tunc ad cætera respondere erit operæ pretium. Interpretationi genuinæ, *tunc cœptum est*, confirmandæ, produxi Aquilam & Hieron. De Hieron. agnoscis, de Aquila siles. Vtramque lectionem dicis agnovisse Hieronymum. Sed ponam tua verba,

MARSENNUS.

Nimiùm juvenis es & unius noctis fungus, unius ejusdemque loci non duas sed plures lectiones non diffitemur; lectionis unius plures, ad literam quoque, sensus ultrò concedimus, sed eam maxime probamus, & retinemus, quæ est omnium optima, nec si vires omnes exerueris, quanquam juveniles sunt, Ecclesiam à sua sententiâ unquam poteris deturbare.

AMAMA.

Quod ad varios unius loci sensus literales attinet, tu quidem hic cum communi Scholasticorum schola sentis: at longè rectiùs hac de re judicârunt *Alensis*, *Albertus*, & ex neotericis vester quoque *Michaël Medina* lib. 6. de rectâ in Deum fide, cap. 25. Pradus & alii. cum quibus si me sentire dixero, non poterit tibi, opinor, ea audentia, ut me hæreseos eo nomine postules; Et quâ quæso te fiduciâ hoc adeo imperterritus asseris? Vide de hac re supra pag. 267.

 cum

cum hactenus ab Ecclesiâ, verba Becani, *non sit definitum, plures esse sensus literales sub unâ litera.*

MARSENNUS.

Vide sis quid de Onkelos *subtexas. Verbum, inquis, impersonale in personale resolvit, sed pluraliter, fidem secutus* 1. *exemplaris Veneti. Ego* 2. *probatioribus utor, & invenio singulariter ab eo redditum*

AMAMA.

Ad 1. non unius exemplaris Veneti, mi Marsenne, sed quatuor Venetorum, trium in folio, uniusque in 8. fidem secutus sum. Ad 2. Quænam sint illa probatiora, indicare debuisses. Certè inter illa Regium non fuit, Namque & illud plurale habet, vid. שָׁרִיאוּ *inceperunt.* Postea inconstantiam mihi objicis, quod Aquilæ, Theodoreti, Gallorum & Piscatoris, &c. versionem amplectar, *Tunc cœptum est denominari de nomine DOMINI.* Sed quæ hæc inconstantia est, An ergo antea aliam defendi? Tantum disputavi contra duarum priorum vocum אז הוחל versionem. Frustra metuis, ne fraternitatis offensionem incurram. Fratres mei Belgæ non habent ullam versionem pro authenticâ, nec ægre ferunt si ab ea dissentiamus. Facilius autem ea versio vocatur *commentum, quàm solo æquatur.* Sed juvat audire tuam benedictionem, quâ hanc controversiam obsignas.

MARSENNUS.

Tuum igitur commentum tibi sit, atque utinam ipse tu tibi, ne in ea, quam hic astruis, hominum dissectione & divisione, partem teneas, cui dictum est, vos autem sicut homines moriemini, &c. *Cui & dicendum aliquando,* Ite maledicti in ignem æternum, &c. *nisi serio resipueris.*

AMAMA.

Nisi seriò resipueris, id tibi est, nisi ad Ecclesiam Rom. te ad-

adjunxeris. Equidem extra eam mi *Marsenne*, æternam salutem in Jesu Christo redemtore meo expecto. Is bonum illud opus quod in me incoavit, perficiet, atque ut indies plures Euangelio convenientes fructus proferam, eo auxiliante & gratiam clementer suppeditante, annitar. Tu verò qui stare tibi videris, vide ne cadas. μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. Plures præsumendo quàm desperando periêre.

CAP. VI. vers. 3.

Postquam multa dixisset de vocis יָדוֹן themate & significatione, nec tamen quicquam certi definivisset, tandem sic intonat,

MARSENNUS.

Ex quibus mendacium Amamæ *redarguitur, qui vulgatam reprehendit, quod* permanebit *vertat, cum etiam* Dun *à 70 per* καταμείνῃ *vertatur, ut etiam* Kircherus *advertit. Si tua Grammatica postulat* iiddon, *quare non mutas puncta?*

AMAMA.

Persisto in eo, יָדוֹן malè verti *permanebit*. An mentior? Redargue & convince me. In antecedentibus nihil video quo convinci queam. Quod verò hic rursus inculcas de LXX. nihil ad rem. Non enim quæritur, quomodo illi verterint, sed quam benè. An illorum versio erit norma rectæ versionis? Male tunc certe cum vulgatâ vestrâ ageretur. Quid spectârint illi, dum sic hoc loco vertêrunt, non malè *Leo Castrius* divinavit, ut vid. pro ידון legerint ילון / Quomodo sæpe ל pro ד quin & pro ר ut Psal. 56. גּוֹמֵל pro גּוֹמֵר legisse eos, post alios Cl. *Drusius* in Conjectaneis ad vers. Græcam Prophetarum minorum observavit passim.

MARSENNUS.

Mentiris etiam, dum ais Senensem *ex professo lib. 5. annot. 74. docuisse, locum hunc male versum. Ait enim tantùm* D. Hieronymum *ver-*

verſionem 70. rejeciſſe, qui ſic habent, ut refert ϰ̕ μὴ καταξιένη. *Imo ipſe probat verſionem noſtram, dum fatetur Chaldæum nobiſcum convenire.*

AMAMA.

Quàm temerè & incogitanter loqueris, & ut cum Homerico illo te alloquar, τί δε σ' ἔπ☉ φύγεν ἕρκ☉ ὀδόντων; Mentior de Senenſi? Quid ergo ſibi vult illud marginale, quod ad initium Annotationis ponitur, *Non permanebit ſpiritus, &c. malè verſum.* Ita enim lego in Paris. Editione anni 1610. quam *Joh. Hayus* Jeſuita recognovit. Hieronymum hanc verſionem rejicere, non audes negare. Quid hîc dices, an utraque poteſt ſubſiſtere? Vnius loci poſſunt eſſe plures ſenſus literales dixiſti ſupra. Sed an etiam contrarii? Hieron. ſic vertit & explicat, *Non judicabit ſp. meus homines iſtos in æternùm, quia caro ſunt, hoc eſt, quia fragilis eſt in homine conditio, non eos ad æternos ſervabo cruciatus, ſed hic illis reſtituam quod merentur. Ergo non ſeveritatem, ut in noſtris codicibus legitur, ſed clementiam Dei ſonat.* Vides ſenſus contrarios? Vox καλαξιένη cubat in mendo, & tu ipſe jam καταμείνῃ citaſti. Cur ergo eam vocem hic reponis? Quod vero dicis eum probare verſionem veſtram, quæ Hieronymianæ, quam antea probavit, è diametro adverſatur, vide quem Proteum ex Senenſi facias. Sed quomodo hoc probas? *Quia fatetur Chaldæum nobiſcum convenire.* Itane? An ergo quiſquis dicit Chaldæum cum aliqua verſione convenire, eam approbat? Atque hic tecum finio. Namque ad Cenſuram meam verſus 5. nihil reſpondiſti. Egiſti mecum acerbiuſculè, ordinis tui & profeſſionis oblitus. Si eâdem te ripâ ſecutus fuiſſem, tu certe non potuiſſes culpare. Ego meæ profeſſionis rationem habui. Si quid tamen & ego acerbiuſculè dixiſſe viris cordatis & piis videbor, jam nunc pœnitet. Porro, niſi in cæteris, quas promittis, lucubrationibus, ſolidioribus rationibus meam Cenſuram oppugnaveris, plane ſtat ſententia, ſilentio litare. Poſſum enim horas meas utilioribus curis tranſmittere. Tu mihi in præſens, Marſenne eruditiſſime, vale & ſalve.

RESPONSIONIS
AD
MARSENNUM
FINIS.

CAP. III. verſ. 20.

Vocavit nomen uxoris ſuæ Eva.

Ebr. חוה *Hhauvah*, LXX. ζωὴ, vel ut Chryſoſtomus, εὔας ὅπερ ἐςὶ ζωὴ. *Eva, quod ſignificat vitam.* Epiphanius lib. 3. contra hæreſ. tom. 2. Eva citra aſpirationem Ebræis mulierem, cum aſpiratione ſerpentem ſignificat. *Miſeret me Patrum cum talia lego*, inquit Cl. Druſius, notis ad Sulpic. pag. 11. Namque hoc nomen in Ebr. à Cheth aſpiratione duplici inchoatur. Sed fefellit eos Græcanica Orthographia, quæ in Ebraïcis vocibus corruptiſſima eſt, librariorum vitio. Etenim quod ad Spiritus attinet, magna eſt eorum confuſio in vocibus peregrinis, cui occurſum fuiſſet, ſi figura H * aſpirationis nota manſiſſet, & longo E exprimendo alius character fuiſſet adhibitus. Auctum ivère poſtea hanc confuſionem typographi, qui, paucis exceptis, majuſculos vocalium characteres ſine ullo omnino ſpiritu exhibuère, Εὔα, Ἀδαμ, Ἄβελ. Atq; hæc ſemel monuiſſe ſatis erit. Redeamus ad חוה / quam vocem ſeptuaginta per vocalem E legerunt. Id negari non poteſt; ſed utrumque Epiphanii effatum falſum eſt. Cum enim mulierem ſignificat, hoc eſt, cùm nomen proprium primæ Matris eſt, cum aſpitatione, eâque geminâ, in Ebræo ſcribitur. Deinde *Heva* nec apud Ebræos, nec Chaldæos, nec Syros *ſerpentem* ſignificat. Extant in Thargum חוי & חויא / non חוה / non חוה / Clemens in Protreptico rectius, *Heuja exponitur ſerpens fœmina*, חויא Heuja, ut Hillel, Hellel, inquit Druſius. Quid Lyra? *Ea in Ebræo ſonat vitam, ſed pœnalitatibus ſubjectam.* Hæc ſuppeditarunt aliis licentius nugandi argumentum. Quid Hiſtoriæ Scholaſticæ Magiſter Petrus Comeſtor? *Tunc Adam deplorans poſteritatis ſuæ miſeriam, vocavit uxorem ſuam Evam, quaſi alludens ejulatui parvulorum. Maſculus enim recens natus dicit A, Fœmina vero E, quaſi diceret, omnes dicent E vel A, quotquot naſcentur ab Eva.* En ſuaviludia. Audi amplius, Eva *per aphæreſin eſt* Ve; *per Anaſtrophen, Ave*, quam vocem ad Mariam, cujus typus fuit Eva, Gabriel, (Latinè credo locutus) detulit, ut piè aliqui contemplantur, inquit Corn. a Lapide. Apage has ineptias, non niſi in corruptiſſimæ vocis ſcripturâ & falſa hypotheſi fundatas. In

* Vide Scalig. ad Euſebinm M. Martinus in Lexico, ad initium literæ E & H. Scapulam in fine Lexici, ubi de litera Era agit.

הֹוָה enim nihil eſt, quod ærumnam vel pœnalitatem connotet. Quid ergo? *Chauva*, ſive *Hauva*, ſive *Heva*, non *vitam miſeram*, imò ne *vitam* quidem denotat, ſed *viventem* κατ' ἐξοχὴν, vel ab affectu, q. d. vivificantem, in vita conſervantem, vitæ authorem ſuis natis & poſteris, quos hic *viventes* appellat Moſes (ejus enim non Adami hæc verba ſunt, כי היא היתה אם כל חי) voce generali ad ſpeciem humanam reſtrictâ, quod & in vocibus *caro*, *creatura*, etiam addito ſigno univerſali, videre eſt, *Effundam ſp. meum ſuper omnem carnem*, *Prædicate Euangelium omni creaturæ*. Ita & *mortalium* nomenclaturâ homines tantum denotamus. Aben Ezra, הויו והיוד מתחלפים וכן הנה יד יהוה חויה ואתה הוה להם למלך ולא קראה ביוד כי מה הפרש יש בין שמה ובין שם החיות id eſt, *Vau & Jod permutantur, & ſic* הנה / &c. (Locus Scripturæ eſt Exod. 3. 3. Confer cum altero ואתה / &c. Nehem. 6. 6.) *Et non vocat eam* (חַיָּה) *cum Jod, nam quæ tunc fuiſſet differitas inter nomen ejus & nomen animalium?* Michlal Jophi, תאר בהתחלף היוד לויו כדי שלא יתערב עם זאת החיה אשר וגו׳ *Eſt adjectivum*, (pro חַיָּה) *commutato Jod in vau, ne confunderetur cum eo hoc eſt animal quod comedetis* Lev. 11. 2. Hæc ſeria. Lubet his interponere quod animum laxet. חִוָּה *loqui*, *indicare*, Ebræis & Chaldæis ſignificat. Sunt inter Ebræos, qui hic primæ matris nomen arceſſunt. Eſt certe fœmina animal loquax & garrulum. *Baal Hatturim* ad marg. Bibliorum Venet. & Baſil. fol. 6. p. 1. ויקרא אר שמה הוה על שם שֶׁמְּחַוָּה וזהו שאמרו יקבין שיחה ירדו לעולם ׳תשעה נטלו נשים id eſt. *Et vocavit nomen, ejus* Hauwah, *quia (multum) loquitur. Hoc eſt quod dicunt, Decem Cabi confabulationum diſcenderunt in mundum, & novem iſtorum abſtulerunt mulieres,*

CAP. IV. 1.

Acquiſivi virum אֶת־יְהֹוָה

Lxx. Διὰ τοῦ Θεοῦ, per Deum. Ita & vulgatus, licet codices quidam legant, *per Dominum*, & quidem rectius. Onkelos, מִן קֳדָם יְיָ à conſpectu Domini id eſt à Domino. Sed & Jun. Trem. Ital. Angl. Piſcat. *à* DOMINO, ut ſit אֶת pro מֵאֵת / Genev. *de par l'Eternel*. Hieron Tigurini, Pagn. Druſ. *cum Domino*, quod Græci dicunt, σὺν Θεῷ, Quam Interpretationem approbavit & Junius

Vide de hoc loco prolixe Piſcat contra Roderum, p. 124, &c.

Junius in notis, inquiens, *nisi fortè ut Hieron. interpretemur*, σὺν Θεῷ. Licet autem omnes hæ interpretationes Deum authorem & operatorem hujus acquisitionis constituant est tamen cur malim illam, *cum* DOMINO. Nihil enim notius est, quàm אֶת passim usurpari pro עִם cum. Sic infra 6.9. *ambulavit Enoch* אֶת־אֱלֹהִים cum Deo licet autem istius loci alius sit sensus, illud tamen non negabitur, אֶת ibi valere עִם / Quod si dubites an ea locutio *cum Deo* id est, Deo auxiliante & opitulante, Ebræis nota sit, accipe à Drusio locum 1. Sam. 14. 45. *Cum Deo fecit hodie*, Ebr. עִם אֱלֹהִים At אֶת poni pro מֵאֵת non probant illa loca, quæ adducit Cl. Junius. Nam Gen. 44. 4. ubi legimus יָצְאוּ אֶת־הָעִיר vertit Cl. Drusius, *egressi sunt urbem*, nam & Latini sic loquuntur. Deut. 34. 1. nihil obstat, quominus אֶת־גִּלְעָד per Accusativum reddatur. Ut planè non dubitem, quin ipse Junius minùs exemplis istis fidens illa subjunxit, quæ supra exhibui. Quod verò ad locum Jerem. 51. 59. attinet בְּלֶכְתּוֹ אֶת־צִדְקִיָּהוּ quem adducit Cl. Piscator, is majus pondus habent, nam & LXX. παρὰ σεδεκίου, Et Jun. *à Zedechia* Ital. Gen. da part, *nomine Zedechiæ.* Ecce omnes acceperunt אֵת pro מֵאֵת־ / Angli tamen, Hisp. & Tigurini, & Castal. *cum Zedechiâ.* Sed videamus versiones alias præsentis loci. B. Lutherus in Editionibus suis, etiam ultimâ correctione, quæ anno 1542. prodiit, Ich hab uberkommen den Man des Herren / Acquisivi virum Domini, Et in Comment. German. ad Genesin, tomo 4. Jenensi den Man Gottes / oder mit Gott. id est *virum Dei*, aut, *cum Deo.* Atq; ita etiamnum Belg. versio, **Ick hebbe gekregen den Man des Heeren** / virum Domini, à Domino mihi promissum, inquit Luth. in Comment. Latino, promissum vid. in isto Euangelio *Semen mulieris*, *&c.* Ad Belgicæ versionis marginem adscribuntur duo loca Parallela, Johan 1. 30. Actor. 17. 31. ubi Christus vocatur vir. Hanc versionem quî excusem, non invenio. Ubi enim auditum vel lectum אֵת Genitivi casus articulum esse? Hoc cum intelligeret Lutherus, in explicatione ultimorum verborum Davidis, quod scriptum ex postremis ejus est, versionem illam mutavit & eam amplexus est, quam Fagius & Forsterus suppeditaverant, vid. *Acquisivi virum* DOMINUM, Ik hebbe gekregen den Man / den HEERE, den Man den Herrn. q. d. das wird der Man / der Herre sein / da von Gott geredt hatte des weibs same / &c. Nen-

net das kind ein Man und Herrn / oder Gott / den hie stehet / der grosse und eigen name Gottes Jehova, und Ish, welchs / wo es allein stehet / ohn ein weib / heisset es nich schlecht ein manß-bild / sunder ein außbund / und furnemlicher Man. Hæc Lutherus, tomo 8. Germ. Jenensi pag. 157. Textum tamen illum in Bibliis nunquam mutavit, sed post ejus obitum, teste W. Franzio, disp. 2. de Sacrificiis, alii eum ad hanc ejus sententiam demutarunt. Cæterum de hac versione extat Judicium *Junii* in Analysi Geneseos, *Paræi* in comment. & Calvino orthodoxo pag. 155. *Piscatoris* in Quæst. ad 5. libros Mosis, *Calvini* & *Merceri* in comment. & *Drusii* in comment. ad loca diffic. pag. 22. & in notis ad Sulpic. pag. 16. omnes illam rejiciunt. Idem fecêre Interpretes Angli, Tigur. Genev. Ital. Hisp. ut nihil jam dicam de LXX. & Latino vetere, quos omnes supra produximus *Dignus hic est locus*, inquit Cl. Helwicus, *qui diligenter excutiatur. Testimonium enim luculentum præbet, quod Eva Meßiam pro vero Jehova habuerit. Quæ sententia simplicißimè è textu Ebræo fluit, ut mirandum sit, reperiri inter Christianos interpretes, Hebrææ linguæ peritos, qui in Calvini & vulgatæ versionis gratiam, hoc in dubium vocare ausint.* Bona verba Cl. vir. Ego inter eos meum quoque profiteor nomen, qui hanc versionem in dubium vocant. Non in gratiam *Calvini*, non in gratiam eorum qui Christo Deitatem abjudicant, sed in gratiam veritatis. Arduus ille de Christi Deitate articulus non eget talibus præsidiis. Etenim si hic articulus non firmissimis in S. Scriptura fundamentis nititur, equidem asserere ausim, nihil in universa ea esse certi. Eum labefactant, non qui certa testimonia ab incertis & ficulneis prudenti delectu secernunt, sed qui incerta & ficulnea ceu certa & firma & Apodictica obtrudunt. Non alia ratione, inquiebat Lutherus, adversarii in erroribus suis magis confirmari possunt. Audite ergo æquis animis vos, qui huic versioni adhærescitis, cur ea viris doctissimis & de articulo adorandæ Trinitatis optimè meritis, minùs placuerit. Cl. Drusius illud urgebat acriter, eam non posse esse verborum mentem, quia tunc dicendum fuisset קָנִיתִי אֶת־אִישׁ אֶת־יְהֹוָה / Solent quippe Ebræi in Appositione, si nomen proprium posteriori loco collocetur, utrique nomini eundem articulum præfigere, Sic vers. seq. אֶת־אָחִיו אֶת־הָבֶל Vide etiam Cl. Buxtorfii Gramm. lib. 2. cap. 1 Reg. 1. Et profecto ita est, ex elegantiis linguæ Ebrææ est illa articuli geminatio,

tio, & ita passim videbis Ebræos in ejusmodi appositione loqui. Non celabo tamen, non adeo perpetuum esse illum loquendi modum, ut non admittat exceptionem. Ecce enim locum Jezech. 4. 1. *& describe super eum* עִיר אֶת־יְרוּשָׁלָם *urbem Jerusalem.* Illud puto plusculum roboris habiturum, Si Eva respexisset ad promissionem illam de Semine, operæ pretium fuisset, si non pronomen הַזֶּה vel הַהוּא *virum hunc*, vel, *virum illum*, saltem articulum ה voci איש præfixisse, קָנִיתִי הָאִישׁ τὸν ἄνδρα. Nunc verò nudè ponitur ea vox, ut nullus videatur esse ad promissionem illam Euangelicam respectus. Illud verò gravissimum est, quo hæc sententia premitur, incommodum, cognovisse Evam, Semen illud fore θεάνθρωπον, ignorasse tamen illud fore semen mulieris, id quod disertè erat ei revelatum. Annon enim dictum erat *Semen mulieris?* Si tam turpiter decepta fuit in individuo, ignorans illud mysterium, Messiam non ex concubitu viri, sed ex muliere tantum nasciturum, nunquid facile erit Arriano vel Judæo dicere, eam in eo quoque fuisse deceptam, quod Messiam θεάνθρωπον fore crediderit? Quod robur ergo hic locus apud fidei nostræ adversarios habere possit, cordati judicent. Certè longè melius honori communis matris illi consulunt, qui eam deceptam fuisse negitant. Quid enim? An putavit Messiam fore semen viri? An ignoravit promissionem loqui de semine mulieris? id est de filio virginis? An nescivit Cainum esse semen viri? Sic ergo concludit *Paraus*, Pietas suadet de fide matris Evæ rectè sentire, eam nempe scivisse & credidisse, Messiam futurum non modo Deum, sed & semen mulieris id est filium virginis, non viri. Absque hoc enim fides error fuisset, non fides, nec fuisset solatio. Credidit ergo Messiam fore semen mulieris, non viri. At Cainum sciebat esse semen viri, non ergo putavit se edidisse Messiam, neque decepta est Sancta mater.

Nunc illud restat, ut videamus hujus interpretationis fulcra. B. Lutherus urget unicum illud אֶת / quod semper Accusativi casus articulum esse, nec unquam significare *a*, *ab*, *de*, *cum*, contendit in explic. ultimorum verborum Davidis. * Das ist noch unbeweisset / und solt wol onbeweisset bleiben / inquit, quod vid. a, cum, de, in Scripturâ significet. Ad exempla, quæ objici dicit ex Kimchi, ait responderi posse, das die Ebreische sprache noch nie weder recht auffkommen ist / und das die Juden nicht wissen kon-

* Id est, hoc nondum est probatum, nec etiam probabitur.

konnen / *virtutem omnium vocabulorum*] *ſicut res oſtendit.* Sie æquiſvociren / zweiffelen / tappen und ſuchen / wie ein ungelerter Organiſt / die claves oder orgelpfeiffen ſucht und fragt / biſtus / biſtus? Ad locum Geneſ. 5. *Ambulavit Enoch cum Deo*, ubi in Ebr. eſt אֵת / dicit & hic eſſe articulum accuſativi, reddendumque ad verbum *ambulavit Deum*, ſicuti dicimus, vixit Sardanapalum, vivunt Bacchanalia. Sic Noë ambulavit את אלהים Deum id eſt divinam viam. *Ambulavit cum Deo*, inquit ineptum eſſe & nullum reddere ſenſum. *Quò enim aut quâ viâ intelligendi ſunt cum Deo tanquam comite ambulaſſe? Orientem an occidentem verſus?* Præterea ad locum Gen. 41. *Et Dominus erat* את יוסף / nos quidem cogi ſic loqui, *cum Joſeph*, in Ebr. tamen אֵת eſſe accuſativi notam, und das ſols auch bleiben. Licet vero beatus ille vir ipſo limine hujus diſcurſus dicat, ſe illud ſæpe ſtipulatum eſſe, das er dis maal kein meiſter wolle haben / non ægrè tamen ferent, qui inter Lutheranos cordatiores ſunt, liberam vocem. Ajo hic dormitaſſe magnum illum Homerum & præfidenter nimis locutum. Atque hic ſemel proteſtor, me non eò hæc dicere, ut beatæ animæ inſultem! Profiteor enim me nulli Lutherano Doctori àffectu in beatos magni illius viri Manes cedere, ſed ut Tyrones moneam, ne tanti viri authoritate ſubnixi, adverſariis in hâc literarum luce deridendos ſe propinent. Ecce enim ipſi *Schindlerus* & *Helwicus* ingenuè agnoſcunt, & fatentur, quod B. Lutherus negat, vid. אֵת aliq. idem eſſe quod עם cum. Et quid verbis opus? Ipſa illa

Et quid dicetur ad illud אֶת פְּנֵי præc. I.

exempla; quæ Lutherus affert, id evincunt, maximè verò illud poſtremum. Et ſi את ſemper & ubique eſt Accuſativi caſus, cur non eodem modo ſemper & ubique affixa aſſumit, אותו / eum אותך te, &c. Cur ergo aliàs dicitur אִתּוֹ cum illo, אִתְּךָ tecum? Annon omnes Grammatici & Lexicographi docent, אֵת cum eſt articulus Accuſat. caſus. aſſumere Holem, cum verò eſt præpoſitio *cum*, reſolvere ſuum Tſeri in Hirik & Dages? Quis adeo hoſpes in his literis: ut non videat eam diverſitatem diſtinguendæ diverſæ ſignificationi eſſe adhibitam. Sed inquit Helwicus, hoc loco non poteſt ſignificare *cum*, Et quare? *Minor patet*, inquit, *ex phraſi Ebrææ linguæ, quæ hanc formulam*, σὺν Θεῷ, *non efferi* per את יְהוה ſed per בֵּאלֹהִים Addere potuiſſet & בַּיהוָה / quod in Pſalmis paſſim obviam eſt. Sed hic omiſit Helwicus formulam iſtam עִם אֱלֹהִים *cum Deo*, 1. Sam. 14. 45. quam & ſuprà produximus

Et

Et autem gemina est hæc, de qua nunc disserimus, nisi quod hic substitutum sit synonymum אֶת / Illud etiam notari velim, cum verba activa regulariter post se habeant articulum אֶת / ut hoc versu bis, *Et cognovit Adam* אֶת חַוָּה *Hevam*, *Et peperit* אֶת קַיִן *Kainum*, cum etiam tralatitium sit apud Ebræos, ut in appositione, si nomini proprio posteriori loco posito præfigatur articulus vel præpositio, priori quoque præfigatur, hic tamen omitti articulum, קָנִיתִי אִישׁ / Equidem si ille additus fuisset, extra omnem controversiæ aleam posita esset B. Lutheri sententia. Cum verò id factum non sit, quis non eò potius inclinabit, illum hic loci studio omissum, ne quis Appositionem intelligeret?

Dico ergo, eam versionem, *Acquisivi virum* DOMINUM, longè meliorem esse illa, *Acquisivi virum* DOMINI. Sed & illam istis incommodis premi, quæ jam prolata sunt, & quæ ei defendendæ producuntur, non esse solida. Comodissimam verò illam esse, *Acquisivi virum cum* DOMINO, virum id est prolem masculam, Filium. Ita Merc. Drusius, alii. Ejusmodi enim partus longe gratior erat, quam si fœmella εἰς φάος ἠελίοιο prodiisset. Vel *virum* id est hominem uti LXX. & Exod. 19. 13. *sive bestia sive* אִישׁ / Chald. אֱנָשָׁא LXX. ἄνθρωπος. Ipse Lutherus, oder mensch. Sic & Hos. 11. 9. *Deus sum & non* אִישׁ / Chald. בִּסְרָא *caro* id est homo, Luth. und nich ein mensch. Atque ita vocem ἄνθρωπος usurpat Johannes XVI. 21. *postquam autem peperit* τὸ παιδίον, *non amplius meminit afflictionis, ob gaudium quod* ἄνθρωπος *homo natus sit in mundum*, ubi Syrus habet בר נשא *filius hominis*. Quem locum cum hoc, de quo agimus, non inutiliter contuleris. Jam libet adjicere Ebræi unius alterius testimonium. R. Sal. את ה׳ כמו עם ה׳ כשברא אותי ואישי לבדו בראנו אבל בזה שותפים אנו עמו id est Eth Adonai, *quasi dixisset*, gnim Adonai, id est *cum Domino. Quando me & maritum meum creabat, solus creabat nos At in hoc cooperati sumus ei.* Hinc ajunt in hominis generatione tres concurrere, Deum, patrem, matrem. Michlal Jophi, קניתיו עם השם כי הוא שם בו חלקו ונפח נשמה בו id est *acquisivi eum cum Domino, nam ipse partem suam addidit, inspirando ei halitum.*

Vers. 2. *Habel.* הֶבֶל

Gr. Ἄβελ, quia cum accentu magno est. Ea autem vocis for-

ma postea semper retenta est, etiam extra Pausam. Id quod & aliis ejusdem formæ nominibus accidit, ut e.g, *Phaleg*, *Pharetz*, *Lamech*, &c. Ex Græcâ scriptura orta est consuetudo hanc vocem sine aspiratione scribendi ac si in fonte esset אֶבֶל. Priscum illud sphalma fuit, & quod jam Philonis & Josephi ævo invaluerat. Vterque enim Græcis magis quam Ebraicis innutritus, eâ pronunciatione deceptus, vocem illam πένθος interpretatur id est luctum. Ita & Euseb. Orig. Theodoretus & alii. Nec defuit speciosa ratio. Theodoretus quæst. 51. in Gen. Ἄβελ πένθος ἑρμηνεύεται. Πρῶτος γὰρ οὗτος ὤφθη νεκρὸς, καὶ πρῶτος τοῖς γεγεννηκόσι προὐξένησε πένθος id est *Primus enim visus est mortuus, & primus humano generi luctum conciliavit.* Euseb. de Præp. Euang. l.11. cap. περὶ τῆς παρ' Ἑβραίοις τῶν ὀνομάτων ὀρθότητος; postquam de nominibus Ις, Ιωσὰ, Κάϊν, Ενως quædam ejusdem farinæ attulisset, de Abel sic inquit, Ἄβελ ἑρμηνεύεται πένθος, οὗ τοιοῦ δὲ πάθους γεγονὼς καὶ αὐτὸς τοῖς γονεῦσιν αἴτιος οἱ κατά τινα θειοτέραν προμήθειαν γενομένοις τοῖς παισὶ ταύτας τεθείνται τὰς ἐπωνυμίας. id est *Abel significat luctum, Quia ejusmodi affectus parentibus causa fuit. Parentes itaque divino quodam consilio ejusmodi nomina pueris imposuêre.* Egit autem in verbis proximis de voce * Καΐν. Ideo dicit *pueris*. Alii interpretantur, lamentum, angustias, dolorem, propter tormina, quæ in hujus partu majora fuerint, quàm in Kaini. Nugæ. In Ebræo est הֶבֶל id est ματαιότης, vanitas, vel potius ἀτμὶς sive ἀτμὸς, *vapor, halitus*, Id enim proprie significat הבל/ Ps. 144. *Homo similis est* לַהֶבֶל/ ubi *Symmachus*, ἀτμῷ, *Theodotio*, ἀτμίδι reddidêre. Vnde Jacob.4.14. *Quid est vita vestra?* ἀτμὶς, vapor. Koheleth 1. 1. *Vanitas vanitatum*, Lxx. ματαιότης ματαιοτήτων, Ibi omnes cæteri, ἀτμὸς ἀτμῶν, id est Interprete Hiero. *vapor fumi & aura tenuis*, ἡ πρὸς ὀλίγον φαινομένη, ἔπειτα δὲ ἀφανιζομένη, id est quæ ad exiguum tempus apparet, & deinde evanescit, ut cum Jacobo loquar. Vide & Jesa. 57. 13. *omnes istos tollet ventus & auferet* הבל/ Hieron. *aura*. Psalm. 90. *consumimus dies nostros* כְּמוֹ־הֶגֶה vulgò *sicut sermonem*, wie ein geschwetz/ Luth. Chaldæus הֵיךְ הֲבַל פּוּמָא דְסִתְוָא *sicut halitum oris hyemalem*, addit, *hyemalem*, quia hyberno tempore magis apparet. Erudita certe interpretatio, nam הגה non solùm significat, *meditari, loqui*, sed & *gemere*, halitum emittere, sine quo efferri ne syllaba quidem potest. Job. 37. 2. *ex ore ejus exit* הֶגֶה *halitus*, loquitur autem de fulmi-

* vocem Κάϊν interpretatur ζῆλος, διὰ τὸ ζηλῶσαι, inquit, τὸν ἀδελφὸν τὸν Ἄβελ. Quasi esset à קנא/ At Moses aliud etymō monstrat vid קנה *acquisivit* unde Iosephus Κάϊν interpretatur κτῆσις Vide Fragmenta veterum Interp. Drusii.

fulmine. Optimè ergo in libro nominum, *Abel, vapor*, nisi quod male sine aspiratione scribatur. Ne audias ergo Carthusianum, qui Rabbi Paulum Burgensem, docentem Habel significare *vanitatem*, non audit. Et quare? *Quia*, inquit, *ex ejus verbis consequens videretur, quod in textu dici debeat Habel quod communiter non tenetur.*

Vers. 7.

Nonne si bene egeris, &c.

Lxx. *Interpretes*, inquit Senensis annot. Lxv. lib. 5, omnia hîc perturbarunt, deviaruntque vehementer à veritate textus Ebraïci, ita vertentes, οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον, πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ: [Acutè observavit D. Coccejus, Lxx. sic legisse, הֲלֹא אִם תֵּיטִיב שְׂאֵת וְאִם לֹא תֵיטִיב לְפֶּתַח חַטָּאת רֹבֵץ] Quorum verborum nihil est in Ebrææ, ut Hiero. in Quæst. Ebr. testatur. Verba illa, si Latina desideras, ita sonant, *Annon si rectè obtuleris, rectè autem non distribueris, peccasti? Quiesce. Ad te conversio ejus.* Augustinus Chisamensis Episc. (aliàs Steuchus, & Eugubinus) causam indicans hujus erroris sic inquit, *Quis tam acri ingenio est, qui ex hisce verbis aliquem sensum possit eruere? Quid obsecro est*, ad te conversio ejus? *Cujus? Cum peccati nihil meminerit. Vbi enim Ebr. est*, In forib. peccatum tuum accubat, *illi* ἡσύχασον, *verterunt. Ex hoc certè loco deprehenditur etiam, non adeò exquisite septuaginta Grammaticam Ebr. calluisse.* Hæc Steuchus. Lege jam Patres, ad hunc locum, & judica annon operam & oleum perdiderint. * Augustinum audiamus, *obscuritas hujus verbi*, inquit, *multos peperit sensus, quia non elucet, cur vel unde dictum sit ad Cain. Rectè quippe offertur sacrificium, cum vero Deo offertur. Non rectè autem dividitur, dum non rectè discernuntur loca & tempora in quibus est offerendum, vel res ipsæ, quæ offeruntur, vel qui offert, non discernit se ipsum & eum cui offert, aut eos, quibus distribuitur ad vescendum, quod oblatum est, aut electiora sibi reservat, ut per divisionem hic intelligamus discretionem. In quo autem horum Cain displicuerit Deo, non facile est invenire*, &c. *Ex quibus datur intelligi, ob hoc Deum non respexisse munera Cain, quia in eo male divisit, quod dedit Deo aliquid sui, & se ipsum sibimet ipsi;*

* De Civit. Dei xv. 7. Vide & Ambros. c. 6. de Cain & Habel.

imò & dæmoni; &c. Hæc August. Adi etiam si placet, Procopium aliosque istius versionis Interpretes. Audi etiam Historiam Scholasticam, *Rectè obtulerat Cain, quia Deo: sed non rectè diviserat, quia se ipsum, qui erat dignior suâ oblatione, dedit Diabolo. Vel, non rectè divisit, quia meliora sibi retinuit: Spicas verò attritas & juxta viam corrosas, obtulit Deo.* Quid est castella in aëre extruere, si hoc non est? Hoc profectò non est verbum Dei, sed commenta hominum interpretari.

Vers. 12.

Vagus & profugus eris

Interpretes Lxx. στένων καὶ τρέμων, *gemens & tremens.* Hunc locum contulerunt cum eo, qui sequitur vers. 15. *Et posuit Deus signum in Kain.* Quæsitum fuit hic ab Interpretibus, quodnam fuerit hoc signum. Responsum [a] à doctioribus, fuisse perpetuum gemitum & corporis tremorem. Temeraria [b] assertio, & cui nullum nisi in loco malè verso fundamentum. Namque Ebræa habent, נָע וָנָד / quæ vulgatus etiam transtulit, *vagus & profugus.* Certum tamen est, notam aliquam Kaïno fuisse impressam. Quænam verò fuerit, tacet Scriptura. Taceamus ergo & nos. Operta sacri supparo silentii, quæ scire nos non voluit Deus, adorantes prætereamus.

[a] Ita & Theodoretus Quæst. in Gen. qu. 42.
[b] Rejicit eam & Pradus in Iezech. pag. 73.

Vers. 26.

Seth, Enos, οὗτος ἤλπισε, *Hic speravit in vocare nomen DOMINI.*

Ita Lxx. De hoc supra cum Marsenno disputationis serram reciprocavimus. Nunc ut ad eum redeam, *Augustinus,* qui τῶν Lxx. editionem passim sequitur, in causa est. Is ergo libro xv. de Civ. Dei cap. 17. ait Seth interpretari *resurrectionem*, & filium ejus Enos *hominem, non sicut Adam, quod commune est mari & fœminæ, sed ita ut vox ea* (Enos) *non possit fœminæ attribui: ut* Enos *sit filius resurrectionis, ubi nec nubent nec uxores ducent. Non erit ibi generatio, cum illuc perduxerit regeneratio. Quare & hoc non incassum notandum abitror,*

arbitror, quod in generationibus eorum qui à Seth, nulla nominatim fœmina genita expressa est Totus hic discursus falsum habet fundamentum *Seth* significare resurrectionem. Et postea cap. 18. *Hic speravit*, &c. *In spe ergo vivit homo* (Enos) *filius resurrectionis* (τοῦ Seth) *in spe vivit quamdiu peregrinatur hic civitas Dei, quæ gignitur ex fide resurrectionis Christi. Ex duobus namque illis hominibus, Abel, qui interpretatur luctus* (& hoc falsum) *& ejus fratre Seth, qui interpretatur resurrectio, mors Christi & vita ejus ex mortuis præfiguratur, ex quâ fide hîc gignitur civitas Dei, id est homo qui speravit invocare nomen Domini. Spe enim salvi facti sumus, inquit Apostolus.* Vide sequentia, cordate lector, misereat te B. Patris, quem, prava versio ad hos discursus prolectavit. Cæterùm de genuinâ hujus loci versione suprà egimus. Claudam ubi illud adjecero, omnes ineptiarum numeros implevisse *Thomam*, qui in comm. *Enos* interpretatur *Invocatio*, q. scilicet in sequentibus, quæ vulgata sic legit, *Iste cœpit invocare nomen Domini*, ratio impositi istius nominis redderetur. Quod si Ebræa vel legere potuisset, facile judicasset acutissimùm caput, inter *Enos* & לִקְרֹא nullum esse omnino cognationis vinculum.

Ad cap. V.

Quanta sit inter Græcos & Ebræos Codices in numeris differitas, quis tam hospes in Biblica lectione ut nesciat? Vis uno intuitu eam contemplari? Ecce tibi tabulam, prout eam *Marsennus* delineavit.

	Anni quibus genuerunt Patres juxta Ebr.	Anni quibus deinceps vixêre, juxta Ebr.	Anni totius vitæ juxta Ebr.		Anni quibus genuerunt Patres juxta Græcos.	Anni quib. poſtea vixerunt, juxta Græcos.	Anni totius vitæ juxta Græcos.
Adam	130	800	930	Adam	230	700	930
Seth	105	807	912	Seth	205	707	912
Enos	90	815	905	Enos	190	715	905
Cainan	70	840	910	Cainan	170	470	910
Malaleel	65	830	895	Malaleel	165	730	895
Jared	162	800	962	Jared	162	800	[a] 962
Henoch	65	300	365	Henoch	165	200	365
Mathuſalem	187	782	969	Mathuſalem	[b] 167	802	[c] 969
Lamech	182	595	777	Lamech	188	565	753
Noe	500	450	950	Noë	500	450	950
Sem	100	500	600	Sem	100	500	600

a al. 969.
b alii 963.
c Ita habet Editio Romana At Antverpienſa habent 165.

Non diſputo, utrùm hæc diverſitas ipſis Interpretibus, an potius primis verſionis deſcriptoribus imputari debeat: illud ſatis apparet, de induſtriâ eam eſſe introductam. Cum enim in anno, quo Iared genuit, nihil mutatum ſit, colligunt Interpretes, mutationis authores vel ſtatuiſſe, vel aliis voluiſſe perſuadere, annos menſtruos à Moſe deſignari. Ne vid. hiſtoria Moſis Gentilibus fabuloſa videretur. At cum viderent, ſe, unum abſurdum vitando, ut contrarium incurſuros, centum annos ſingulis adjeciſſe. E. G. Enos dicitur genuiſſe anno ætatis ſuæ 90. Si menſtruos annos, vel ut clarius loquar, menſes denotat Moſes, ſequetur eum ſeptennem & menſes inſuper aliquot anni octavi emenſum, genuiſſe. Cum autem illud quoque abſurdum fore viderent, addiderunt ejuſdem generis annos id eſt menſes 100. quos fere annis illis, quos poſtea vixiſſe dicuntur, detraxerunt, unde illud evênit, ut Græco textui in annis univerſæ vitæ cum Ebræo rurſus ferè conveniat. At quia hæc conjectura applicari non poteſt computo annorum, quibus genuerunt Sem & Thare, ubi eædem difficultates, ſi menſes redigantur in annos communes, (ad illos enim nihil addiderunt) ideo à multis non probatur.

tur. Ut ut sit, ex hoc Græcorum computo nati sunt duo errores. I. à condito mundo ad diluvium usque fluxisse annos 2242. vel ut Antverp. codices habent 2240, cum Ebræi tantùm numerent 1656. adeò ut Græci Ebræum & vulgatum textum annis 586. vel 584. superent. II. Mathusalem post diluvium vixisse annis quatuordecim, cum tamen disertè testetur Moses, octo tantum animas fuisse in Arca servatas, inter eas autem ille non recenseatur. Expende hoc Lector, Mathusalem genuit Lamechum juxta 70. an. ætatis 167. vel ut alii codices 165. Cum verò vixerit annos in universum 969, ipsis 70. hic consentientibus, & tamen à nativitate ejus, juxta eosdem, usque ad diluvium quod incidit in annum Semi 100 reperiantur anni tantùm 955, supersunt 14. quos diluvio supervixerit. In arca autem cum non fuerit, eò adacti sunt alii, ut ei assignaverint stationem in Paradiso, quem ex ipsorum opinione in aëre pendulum, vel usque ad globum lunæ elevatum aquæ non inundaverint. Ut autem hanc differentiam melius assequatur tiro, ponam diagramma, juxta utrumque computum.

Juxta Ebræos.	*Juxta Græcos.*
Mathusalem genuit Lamech, natus annos 187.	Mathusalem genuit τὸν Lamech, anno ætatis 167.
Lamech τὸν Noë, anno ætatis suæ 182.	Lamech τὸν Noë, anno ætatis suæ 188.
Noë τὸν Sem, anno 500.	Noë τὸν Sem, anno 500.
Diluvium incidit in annum ꝫ Sem 100.	Diluvium incidit in annum ꝫ Sem 100.
969	955
Obiit ergo Mathusalem eo ipso anno, in quem incidit diluvium, vixit enim annos 969.	Obiit ergo Mathusalem 14. annis post diluvium, vixit enim in universum juxta ipsos quoque 70. Interpp. annos 969.

Augustinus postquam prolixè hâc de re disseruisset, admiratus hujus erroris constantiam, eumque non casui sed industriæ adscripsisset, sic concludit, *Quandoquidem ad fidem rerum gestarum utrum-*

rumque non potest esse verum, ei linguæ potius credatur, unde est in aliam per interpretes facta translatio.

CAP. VI. 2.

Viderunt Filii Dei filias hominum, &c.

Ebr. בְּנֵי אֱלֹהִים / Lxx. υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, Sed quia olim in quibusdam codicibus legebatur, ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ, cujusmodi secuti sunt *Philo* & *Eusebius Cæsariensis*, graves quæstiones super hoc loco ortæ sunt, itumque est in varias sententias, dum alii angelos sanctos intellexerunt, qui tunc primùm fœminarum specie dementati, illicitas cupiditates appetierint, ac naturæ suæ originisque, ut cum Sulp. loquar, degeneres, relictis superioribus, quorum incolæ erant, matrimoniis se mortalibus miscuerint, ut Lactantius lib. 2. de origine erroris, cap. 14. Justin. Clem. Tertull. Sulpicius, &c. Alii contrà angelos malos designare putârunt, jam in principio lapsos, qui Filii Dei vocentur, quoad naturam, ut Eusebius, Etiam August. lib. xv. de civitate Dei, cap. 23. hunc locum eodem modo citat, *videntes angeli Dei filias hominum*, subjungit tamen, *Et LXX. quidem interpretes, & angelos Dei dixerunt istos & filios Dei, quod quidem non omnes codices habent, nam quidam nisi filios Dei non habent.* Videtur hoc velle, quosdam codices habuisse utrumque simul, ἄγγελοι καὶ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ, quorum prius purum putum glossema fuit, è margine ab imperito descriptore, ut fieri solebat, in textum infartum. Procopius ait, quosdam codices pro *Filii Dei*, legisse *angeli Dei*. Chrysostomus negat hic de Angelis agi, & rectè negat. Vtinam quoque tam rectè & solide sententiam illam impugnasset! Et hic vide quantam frustrationem ei attulerit minus accurata versio. Ecce enim ut hanc sententiam de angelis expugnet, sic inquit, πρῶτον μὲν δειξάτωσαν, ποῦ ἄγγελοι υἱοὶ Θεοῦ προσηγορεύθησαν. ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοιεν οὐδαμοῦ δεῖξαι. Ἄνθρωποι γὰρ μὲν ἐκλήθησαν υἱοὶ θεοῦ, ἄγγελος δὲ οὐδαμῶς id est *Monstrent autem primò, ubi angeli filii Dei appellentur. Nunquam certè id ostendent. Homines quidem vocati sunt Filii Dei, at angeli nequaquam.* Et paulo post, ἄγγελος οὐδαμοῦ υἱὸς ἐκλήθη, οὐδὲ υἱὸς θεοῦ id est *Angelus nequaquam filius vocatus est, neque filius Dei.* Sed clarus & omni exceptione major locus est, Job. 2. 1. &

August. etiam Locut. sacrarum lib. 5. in fine, Filios autem Dei dictos, qui angeli sunt in cœlis, non facile n. Scripturis invenitur.

1. *& venerunt filii Dei* בני אלהים / Sed & hic decepit B. Patrem versio ꝟ Lxx, quæ & hic habet, ἦλθον οἱ ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ. Extat & alius in eodem libro locus, 38. 7. *& jubilarent omnes filii Dei.* Sed & hic iidem, πάντες ἄγγελοί μȣ. Disputationem vero hinc potissimum porro ortam, utrùm angeli habeant corpora, quod ex hoc loco collegerunt Justin. Clem. Lactant. Methodius, Eusebius, Sulpicius, &c. & utrum angeli cum fœminis coire possint, non ingrediar. Videantúrsuper eâ *Vallesius*, de sacra Philosophiâ, *Del-rio* lib. 2. Magiæ, quæst. 15. *Drusius* ad Sulp. Severum, *Bodinus*, *VVierus*, & alii. Si quæris, quem ergo hujus loci sensum esse existimem, respondeo me probare sententiam *Chrysostomi*, *Procopii*, *August. Theodoreti*, *Cyrilli*, *Thomæ*, *Calv. Junii*, *Corn. à Lapide*, *Carthusiani*, *Drusii*, *Merceri* & aliorum, per *filios Dei* intelligi posteros *Seth* & *Enos*, qui veram religionem profitentes de nomine Dei denominari jam cœperant, cap. 4. vers. ult. Per *filias* verò *hominum* progeniem Caïni profanam & impiam. Valeat ergo fabula de angelis, & incubis. Ut ut enim ea admittantur, quæ de incubis quidam prodidere, nunquam tamen eos uxores duxisse ostendetur. Sed explosa jam pridem ista opinio est, ac proinde manum tollo de hac tabula.

Vers. 4.

Gigantes autem erant, &c.

Qui per filios *Angelos* intellexerunt, eorum aliqui ex Gigantibus dæmones fecêre. Lactantius loco jam indicato, *Qui autem ex his sunt procreati, quia neque angeli, neque homines fuerunt, sed mediam quandam naturam gerentes, non sunt ad inferos recepti. Ita duo genera dæmonum facta sunt, unum cœleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum, quæ geruntur, authores, &c.* Etiam Burgensis, quem Carthusianus *Rabbi Paulum* vocat, putat fuisse dæmonas humanâ specie indutos. Valesius vocat eos filios dæmonum incuborum. Hæc absurda meritò censentur. Duo enim illa, quæ hîc vulgo sumunt, omni fundamento destituuntur. Nec enim Filii Dei vers. 2. sunt angeli, nec ex illis progenitos esse Gigantes scriptura asserit. Sic enim habet textus, *Et gigantes erant super terram in diebus illis: ac etiam postea, quibus diebus* congre-

congrediebantur filii Dei cum filiabus hominum. Quis hinc conficiet, Gigantes ex congressu Filiorum Dei cum filiabus hominum fuisse prognatos? Quid enim? annon gigni illi potuerunt ex congressu Filiorum hominum cum filiabus hominum? id est, ex congressu Caïnitarum inter se? Sed an & ulla cogit necessitas, ut per Gigantes hîc intelligamus homines, ut * Augustinus loquitur, staturosos & qui communem corporum staturam excessêre? Origenes certè non credidit, dum eos inusitatâ corporis magnitudine cæteros excessisse negavit, sed homines quosdam improbos, ac ad omne nefas projectissimæ libidinis, Dei hominumque contemtores fuisse asserit. Hanc sententiam oppugnat Theodoretus quæst. 48. *Ego verò*, inquit, *cum audio scripturam dicentem de OG, quod à Gigantibus oriundus erat, & quod cubile ipsius ferreum erat, habens longitudinem novem cubitorum, cum audio exploratores narrantes, quod erant in conspectu Gigantum quasi locustæ, & eo Goliath, quod longitudinem habebat 6. cubitorum & palmi, arbitror fuisse quosdam prægrandes homines*, &c. Sed ut non nego fuisse omni ævo prægandes ejusmodi homines, quos Gigantes vulgo vocant, ita nego, hîc loci ullam esse necessitatem, per נְפִלִים / quam vocem *Gigantes* reddunt, ejusmodi proceros homines intelligere. Nulla enim hic ejusmodi staturæ fit mentio. Etymon non urget, נָפַל enim in Kal significat, *cado*, *ruo*, *irruo*, *deficio*, quod Belgæ dicunt **afvallen** / Psalm. 10. 10. *Irruit validis suis* [membris] *in turbam attritorum.* Ebr. נפל Jos. 11. וַיִּפְּלוּ בָהֶם *& irruerunt in eos* 1. Sam. 29. 3. *à die* נָפְלוֹ *cadere eum ad me*, id est quo cecidit i. e. defecit ad me, 2. Reg. 7. נִפְּלָה *cademus ad castra Syrorum* id est deficiemus. In Hiphil significat **fellen** / prosternere, dejicere. Hinc Ebræum vocem alii interpretantur *dejectores*, quod truculentiâ vultus sui homines cadere facerent & prosternerent: alii *irruentes*, quod violenter in homines irruerent eosque opprimerent, unde Aquila vertit ἐπιπίπτοντες: Symmachus βίαιοι id est violenti. Luth. **tyrannen.** Alii defectores, Apostatas, quod per impietatem à Deo defecissent. Nova autem & plane mihi antehac inaudita est sententia * *Bolduci*, quem *Marsennus* magni æstimat, existimantis Nephilim dictos, *quod ob veri Dei cultum à reliquis in eo distinguerentur, quod Deum prostrationibus adorarent, adeo ut illa ceremonia eos ab improbis secerneret, eo ferè modo, quo Patres Ordinis S. Francisci de Assisio ab aliis distingueres, cum eos sese prosternentes ante*

* de civit. Dei cap. 15. 23. in fine.

* Comment. in Iobum necdum edito,

sacra-

sacramentum altaris & terram deosculantes aspicis. Judicent eruditi. Ut autem Theodoreti objectionibus satisfiat, OG Deut. 3. 11. dicitur fuisse ex reliquiis non τῶ *Nephilim*, sed הָרְפָאִים / Illud ergo ad rem præsentem non facit. Exploratores Num. 13. 33. ajunt se vidisse *Nephilim* id est homines truculentos & feros, *filios Anak, qui oriundus fuit ex Nephilim*, non illis qui ante diluvium, sed post illud vixerunt, vel, *qui fuerunt ex numero τῶ Nephilim*, ut innuatur, præter posteritatem τῶ Anak alios insuper tunc in mundo fuisse Nephilim. Illos autem Nephilim præter ferociam & impietatem habuisse insuper inusitatam corporis staturam, non ex voce נפילים / sed ex iis quæ adjecta sunt liquet. Vnde & Lutherus vocem Ebræam, quam Gen. 6. reddidit tyrannen / hic interpretatur Risen / Belg. Reusen / id est Gigantes. At inde non video, qui inferri possit, hos etiam, de quibus Gen. 6. agitur, Giganteâ staturâ fuisse præditos. An, quia ex his descenderunt? At eos diluvium peremit. Et ut demus eos ex posteris Noë fuisse, quis ignorat, omni ævo, corpora modum communem longè excedentia ex vulgaris staturæ hominibus fuisse prognata? *nonne ante annos paucos*, inquit * Augustinus, *Romæ fuit fœmina, cum suo patre & matre, quæ corpore quodammodo giganteo longe cæteris præemineret? Et hoc erat maximè admirationi, quod ambo parentes ejus nec saltem tam longi homines erant quàm longissimos videre consuevimus.* Atque hæc eo dicta sunto, ut ostendam nullam necessitatem esse, quæ nos cogat, ut נְפִילִים nomen giganteæ cujusdam staturæ esse dicamus. Illud autem esse certius * hominum ferocium, truculentorum & publicorum prædonum eam esse appellationem, quos dum LXX. vocarunt γιγάντας, aut respexerunt ad Gentilium istos θεομάχους γηγενεῖς, voce illâ per quandam metaphoram hisce hominum monstris accommodatâ, aut accêperunt vocem γίγας pro ἰσχυρὸς. Ita enim aliquando ab iisdem vox Ebræa גבור reddita est, ex. gr. Gen. 10. 8. *iste cœpit esse* גִבּור Gr. γίγας id est *fortis in terrâ*, & vers. 9. γίγας κυνηγός, *robustus venator*. Et Hesychius, γίγας, δυνάστης, ἰσχυρὸς.

Vers. 5.

* De Civit. Dei 15. 23.

* Vide etiam Calvin. Lutherum in Genes. & Gorop. Becanum in gigantom. pag. 168. ut & Merulam in Cosmogr. sua pag. 154. citantem in eandem sententiam, Gennadium Archi Episc. Constantinop. Damasc. Chrisost. August. in Ps. 32. & 87. Philippum Presbyt. discipulum Hieron. in Iob lib. 2. cap. 26.

Verſ. 5.

Ebr.	Vulg.
Et omne figmentum cogitationum cordis tantummodo malùm eſſe, &c.	Et quod cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum, &c.

Plùs eſt, eſſe malum & quidem, tantummodò malum, quàm intentum eſſe ad malum. Plus eſt, figmentum cogitationum cordis quàm cogitatio cordis. Vox enim יֵצֶר ipſas etiam incompletas cogitationes videtur includere. *Textus Ebr.* inquit Junius in animadverſ. *exponit habitum & conditionem cordis humani in ſe: Vulgatus autem actum & affectionem ejus ad intentum finem, etiam boni aliquid in eo eſſe poßit.* Carn. à Lapide ad cap. 8. verſ. 21. duplicem officinam ponit in hominis irregeniti corde, unam concupiſcentiæ, alteram virtutis & rationis. *Illa ad malum*, inquit, *hæc ad bonum propendet, & in hominis arbitrio eſt ut operetur in officinâ hac vel illa, & conſequenter ut eligat & operetur vel malum vel bonum,* PRÆSERTIM *ſi gratiâ Dei adjuvetur.* Hæc omnia à ſtirpe convellit unica vocula רַק *tantummodo.* Vide Theologos noſtros in comment. & ad cont: 1. Bellarm. lib. 2. cap.12.

Verſ. 14.

Vanam & quæ omnes ineptiarum numeros implet, Arcæ Allegoriam, invenies apud Eraſmum, tomo 5. pag. 859. ſive in ejus Eccleſiaſte, lib. 3. Franciſcanus ille, quem illic perſtringit Eraſmus, in celebri feſto virginis, in primario templo, frequentiſſima concione, tota hora nihil aliud agebat, quam ut totam arcæ ſtructuram per allegoriam ad Virginem accommodaret, *idque ea fronte, eo ſupercilio, ut facile agnoſceres hominem ſibi videri rem egregiam ac præclaram explicare.* Et certe multos hujus fatuitatis hæredes reliquit iſte frater. Multos enim paſſim videas maxime ſibi placere, cum maxime ineptiunt. Narrat ibidem Eraſmus, quantopere ſudaverit, ut perſuaderet, in virginem quadrare ligna levigata, Ebr. *ligna Gopher*) eaque intus ac foris bitumine oblita, &c. quæ de arca memorantur. Quid fructus ex ea concione retulit populus? Fructus nihil, tædii multum. Ibi pro-

profecto sum admiratus Christianæ concionis patientiam, qua vir ille satis impudenter abusus est. Hæc Erasmus. Adi etiam Ambros. de Arca cap. 9. & August. de Civit. Dei lib. 15. cap. 26. non audeo dicere, ineptientes.

CAP. VII. vers. 4.

Delebo omnem substantiam, &c.

Ita vulg. Interpres. Ebr. יְקוּם id est interprete Pagnino in Lexico, *omne vivens.* Jun. *omne corpus vivens.* Abenezra, postquam dixisset non reperiri eam vocem extra hanc sectionem (in quo tamen errat, nam occurrit rursus Deut. 11. 6.) sic pergit, מלת יקום כלל לכל חי שהוא על האדמה: / *dictio* יקום *complectitur omne vivens quod est in terra.* Quæ sunt ipsissima quoque verba Davidis Kimchi in Diction. LXX. ἐξαλείψω πᾶν τὸ ἀνάστημα, Augustinum legisse πᾶσαν ἀνάστασιν notant Interpretes. Alibi etiam occurrere ἐξανάστασιν observat Cl. Drusius. Latini Interpretes, quamcunque vocem legerint, exprimunt Græcam versionem his verbis, *delebo omnem resurrectionem* vel *suscitationem carnis.* Vide August. lib. 1. Locutionum p. 67. Ambros. de Noë & arca, cap. 13. ubi hanc invenies glossam, *Delebo omnem resurrectionem carnis à facie terræ. Non dicit, terra, sed à facie terræ. Florem decutit, radicem servat. Resurrectionem carnis delebo à facie terræ, ut scribam in cœlestibus resurgentes. Resurrectioni communi naturæ usu contraria videtur esse purgatio, quia purgatione rescinditur & reprimitur resurrectionis luxuria.* Quid sibi velit Ambrosius; non satis intelligo. Illud video, frustra eum esse, cum distinguit inter has locutiones, *à terra* &, *à facie terræ.* Illud quoque ausim asserere, illum non ex mente Interpretum capere vocem *resurrectio.* Vox Ebræa habet thema קום quod duo significat *stare* & *surgere.* Hæc primaria, illa secundaria vocis notio est. Qui enim surrexit, jam pedibus suis stat. Ita στῆναι Græcis est *stare*, ἀναστῆναι surgere. Quicquid ergo ex terra exurgit & pedibus suis insistit, יקום dicitur. Hoc imitatus Latinus, vertit *Substantiam*, si vocem Ebræam spectes, non infelici imitamento. Nam ut יקום à קום *stare*, ita substantia à *substo.* At si vocis Latinæ usum spectes, nimis dura synecdoche. Græci vero, dum, ipsi quoque

que vocis etymon voluerunt exprimere, illis, qui Græca cum Ebræis conferre non fuerunt quiti, magnam offuderunt caliginem. Illud certe apud illos tralatitium est, non solum verba sed etymologias verborum transferre. Ita לָנֶצַח vertunt εἰς νῖκος q. d. *in victoriam*, quia נצח *vincere*. At in Hellenistica lingua idem est, quod εἰς αἰῶνας, לעולם / neque enim alio sensu unquam illud לנצח obvium est. Hæc ergo talia non tam ex Græcismo, quam Ebraïsmo, certe non ex Græcismo solo, intelligi possunt. Et quidem ejusmodi passim à Cl. Viris. *Drusio* & *Heinsio* observata sunt. Nunc vides Tiro, cur vocem יקום Lxx. ἀνάστημα, vel ἀνάστασιν, reddiderint. Quippe, Ebrææ vocis thema πρώτως seu primario significat ἀναστῆναι *surgere*, ideo vocem derivatam reddidere ἀνάστασιν, vel ἀνάστημα. Sed & τὸ ἀνάστασις apud profanos authores erectionem & surrectionem significat, ut ἀνάστασις τειχῶν, *erectio parietum*. Quomodo apud Virg. *non capta assurgunt urbes*. Et ἀνάστημα à Lexicographis redditur, erectio assurrectio, vel potius id quod assurgit. ἀνάστημα γῆς de loco editiori, Atque hæc sine violento tropo ad omne corpus vivens accommodari posse quis non videt? Deut. 11. 6. eadem vox Ebræa in melioris notæ codicibus reddita est per Græcum ὑπόστασις.

Cap. VIII. 7.

Qui (corvus) egrediebatur & non revertebatur.

Ita vulgatus Interpres, non veritatem Ebræïcam sed Græcam versionem secutus, nam & ea sic legit, καὶ ἐξελθὼν οὐκ ἀνέστρεψε, unde Proverbium ortum est, *corvi nuntius. Fecit hic error*, inquit Steuchus, *ut fabulosissimas quæstiones huc invexerint expositores, quærentes quo loco abfuerit corvus per tot dies extra arcam & ubi resederit, cum aquæ siccatæ nondum essent*, &c. Augustinus, Sulpicius, Alcuinus, Lyra & alii pronuntiarunt eum cadaveribus natantibus insedisse. Ebræa habent, *& exiit exeundo & redeundo* id est ultrò citroque volitavit circa arcam, vel indesinenter ibat & redibat, sive ad arcam, sive in arcam. Benè ergo monuit Steuchus, *subtrahendam tam à Græcis quam Latinis codicibus negationem, idque juxta Ebr. veritatem & Josephi interpretationem*. Eadem est censura Cajetani

jetani, Joh. Benedicti & Sixti Senensis Bibl. lib. 5. annot. 82. Lovanienses in apparatu ad Biblia Regia non annotarunt variam lectionem. At Editio Plantiniana anni 1583. hanc habet annotationem, *sex MS. R. H. Ch.* (id est sex manuscripta, Regia, Hebræos & Chaldæos) *non legere negationem.* Etiam * Christ. à Sacrobosco Jesuita asserit, *esse codices Latinos magnæ authoritatis, qui sine negatione legant, ut in Ebr. habetur.* Ipse quoque Procopius Græca sine negatione legit. His tamen non obstantibus, *correctores Romani*, teste Luca Brugensi *non judicarunt notam negationis esse omittendam.*

* defensione Conc. Trid part. 4. cap. 5.

Vers. 20.

AEdificavit altare Domino.

Ita vulg. Ebr. לַיהוָה / Græci hic vulgò legunt τῷ Θεῷ Atque ita habuisse quoque Latinam, vel ex solo Ambrosio liqueat. Is cap. 22. libelli de Arcâ & Noë, differit, cur dixerit Moses DEO, & non DOMINO? *Quod autem inquit, ædificavit Deo,* & non, ædificavit Domino, *secundum nominis interpretationem, non coacta videtur hac actio esse gratiarum, quasi Domino, sed virtus justi morigera & grata, quasi Deo. Quod imperiale est sequestravit; quod beneficii, nominavit.* Vide quid sit fontes ignorare.

Vers. 21.

Nequaquam ultrà maledicam terræ, sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia.

Ita vulgatus.

Valde torsit Interpretes illud ENIM. Quid enim? an ea est peccati natura, ut propterea homini parcat ille, qui omnem injustitiam odit? Pighius ex hoc loco sic pro Pontificiis disputabat,

Tarnovius in Exercit. Bibl. pag. 68.

Propter quod Deus homini parcit, id non est peccatum.
Propter figmentum cordis malum parcit Deus homini,

Ergo figmentum cordis malum non eſt peccatum, ſed potius imbecillitas quædam & languor.

Major eſt certa, quia tantum abeſt, ut peccatum Dei iram faciat relenteſcere & ſubſidere, ut maxime eam irritet. Minor eſt in textu, ſi cum vulgari interprete legas. Quia autem per figmentum cordis malum, noſtrates rectè intelligunt, inquit Tarnovius, peccatum originis, ille (Pigius) id non eſſe propriè ſic dictum peccatum, inde concludit, quod Deus ipſi non iraſcatur, ſed ſe propter illud placari oſtendat. Carthuſianus, *Pronitas iſta ad vitia partim alleviat, & aliquo modo excuſat hominum culpas, quia diminuit rationem voluntarii, quod propriè eſt de ratione peccati.* Cor. à Lap. *Miſerebor humanæ infirmitatis & proclivitatis ad malum.* Sed obſervandum hic eſt primò, pro ENIM in Ebr. eſſe כִּי quod ſæpe ponitur pro *quamvis*, Joſuæ 17. 18. *Expelles Cananæum* כִּי *quamvis currus ferreos habeat*, כִּי *quamvis robuſtus ſit.* Gen. 48. 14. כִּי *quamvis eſſet natu minor.* Pſ. 71. 14. vel 15. כִּי *quamvis ignorem numeros ejus.* Verte hoc modo præſens כִּי & ſublata erit omnis difficultas. *Non maledicam ultra terræ, quamvis figmentum — malum ſit*, q. d. quamvis, ſi jure meo uti vellem, tum propter originale peccatum, tum propter actualia, & hominibus & terræ maledicere poſſem meritò, ut jam factum eſt in diluvio, tamen ex miſericordiâ promitto me non amplius ante extremum diem *toti* terrarum orbi ita maledicturum, ut jam feci. Sic præter Tarnovium etiam Piſc. in Germ. verſ. & Quæſt. Martinius & pauculi alii. II. Obſervetur, Ebr. רַע malè converſum ab Interprete vulg. *prona in malum*, ut proindè extra oleas vagentur, qui hic *proclivitatis* περιπέτασμα oppandere non verecundantur. Etiam Auguſt. in Quæſt. ſuper Geneſin, locum ita legit, *quia appoſita eſt mens hominis ad malitiam à juventute.* III. τὸ מִנְּעֻרָיו malè redditum *ab adoleſcentiâ*, ac ſi pueritiâ ab hac pravitate eſſet immunis. Atqui vox Ebr. non adoleſcentiam tantum, ſed & pueritiam, ipſamque adeo infantiam ſignificat, & quidem hanc magis propriè. Adoleſcentia enim proprie שחרות & בחורים & בחורות dicitur. Genebr. ad Pſ. juxta numerum Ebr. 127. 5. diſertè, *vox* נעורים *non juventutem ſed pueritiam ſignificat.* Et ad octonarium 2. Pſ. 119. *hominem ab infantiâ ipsâ propenſum eſſe ad malum* ex cap. 6. Geneſ. aſſerit. Etiam Inquiſitor Hiſpanus, *Oleaſtrius*, verſionem vulgatam corrigit, & docet, *hominem*

tiem ab ipsa pueritiâ machinari malum, ut ad oculum videmus inquit; Sed quid opus est tot verborum ambagibus? Vel sola Genes. 6. cum hoc loco collatio censuram hanc esse justissimam evincet. *Figmentum cogitationum cordis tantummodè malum est omni die*, inquit Moses, Vulg. *omni tempore.* Si *omni die*, *omni tempore*, annon etiam diebus infantiæ & pueritiæ? Oncelos, מִזְעִירֵיהּ *à pusillitate*, ut sic dicam, *& parvitate suâ.* R. Salomo ad ipsam vocis originationem respiciens, מִשֶּׁנִּנְעַר לָצֵאת מִמְּעֵי אִמּוֹ *ex quo excussus est egrediendo ex visceribus matris suæ*, נער enim est *excussit.* Porro de nominibus ætatum, & quousque se extendat ea quam נעורים vocant, vide Cl. *Drusii* observat. 7. 17. & ad 1. Sam. pag. 423.

CAP. XI. vers. 11. & seq.

Hic turpes rursus maculæ Græcam versionem fœdarunt. Vnde & Chronologorum rationes non parum turbatæ fuerunt. Primò enim in numero generationum, deinde & in numero annorum, graviter ab Ebræo textu exorbitatum est. Moses siquidem à Noë ad Abrahamum usque generationes tantùm recenset novem, Græci verò decem, Caïnano vid. τῷ δευτέρῳ inter Arphaxad & Sela interjecto. Verba τ῀ Lxx. aut ejus interpolatorum, quæ Ebraïca veritas ignorat, signis inclusa exhibebimus. *Et vixit Arphaxad 135. annis [& genuit Cainan.] Et vixit Arphaxad postquam genuisset [Cainan] 330. annis, & genuit filios & filias [& mortuus est. Et vixit Cainan 130. annis, & genuit Sela; Et vixit Cainan postquam genuisset Selam, 330. annis, & genuit filios & filias & mortuus est.]* Jam verò quod ad annorum numerum attinet; aspice hanc tabulam,

Discrepantia in annis ante generationem.			*Discrepantia in annis post generationem.*		
Ebræorum.		*Græcorum.*	*Ebræorum.*		*Græcorum.*
35	Arphaxad	135	403	Arphaxad	b 430
30	Sela	130	403	Sela	330
34	Eber	134	430	Eber	370
30	Pheleg	130	209	Pheleg	209

b alii 330.

Ebræorum.		Græcorum.	Ebræorum.		Græcorum.
32	Reu	132	207	Reu	207
30	Serug	130	200	Serug	200
29	Nachor	a 79	119	Nachor	c 125

a Ita Editio Veneta. & Basil. in 8. & Francof. in folio at Rom. & Compl. 179. c alii 129.

Sicuti autem ex magna ista numerorum varietate inter Chronologiam Ebræorum & Græcorum magna differitas orta est, in computo annorum à condito mundo usque ad diluvium, ita & non minor extitit in supputatione annorum diluvio usque ad Abrahamum. En tibi rursus tabulam,

Juxta Ebræos.		*Juxta Græcos.*	
Sem genuit Arphaxad anno post diluvium	2	Sem genuit Arphaxad anno post diluvium	2
Arph. genuit Sale anno ætatis suæ	35	Arphaxad genuit Caïnan anno ætrtis suæ	135
Sale genuit Eber an.	30	Caïnan genuit Sale anno	130
Ebr gen Phaleg an.	34	Sale, Eber, anno	130
Phaleg gen. Reu, an.	30	Eber, Phaleh, anno	134
Reu, Sarug anno	32	Phaleg, Reü, anno	130
Sarug, Nahor	30	Reü, Serug, anno	132
Nachor Thare	29	Serug, Nachor, anno	130
Thare Abraham	70	Nahor, Thare, anno *	79
	Summa 292	Thare Abraham anno	70
			Summa 1072

* alii ced, ut Rom. & complut, 179.

Qui additi ad annos, qui à condito mundo ad diluvium effluxere, conficiunt anno - 1949
At juxta Græcos, qui à creatione ad diluvium putant annos 2242.
erunt anni —— 3314.

Vel si edit. Complutensem & Romanam sequimur 1172

Cæterum Isidorus, qui Kaïnanum omittit, numerat annos 942. Epiphanius, 1040, Nicephorus, 1082, Sulp. Severus 1070. *Anno, inquit, millesimo septuagesimo post diluvium Abram patre Thara natus est,* Qui duos annos Semi omisit, Vide Cl. Drusii notas,

notas, ex quibus hæc descripsimus. & August. de Civit. Dei. 16. 10.

Vulgata Editio in hac differentia Ebræis codicibus accedit, ac proinde non tam tuendi Ebraïci, quam vulgati textus gratiâ, Græcam versionem reprehensum eunt. Solus Emmanuel Sa, quod ego quidem sciam, in notis ad hoc caput, *cogimur*, inquit, *fateri, deesse aliquid in nostrâ Editione, quod mirum non est, cum Matthæus in Christi genealogia aliquos omiserit: quanquam dici potest, Hieronymum, cujus nostra Editio est, secutum Ebræa, quæ hic diminuta, ut alibi etiam. Vide Exod. 12.* Quicquid sit, ex ejus sententiâ in vulgatâ deest integra generatio Caïnani. Quid ad hæc decreti Tridentini Patroni dicent? Sed falleris *Emmanuel*, & omnes tui socii in alia eunt omnia. Certe locus Luc. 3. eò te impellere non debuisset. Cum longè satius sit, cum Cornelio à Lapide aliisque asserere, jam in ipsis Christianismi incunabulis nomen *Caïnani* ex versione τῶν Lxx, quæ tunc in usu erat, à sciolo quodam in B. Lucæ textum fuisse insitum. Et laudo Bezam, quod ὑποβολιμαῖον istum Kaïnam & vetustissimi sui codicis authoritate & Ebraïca veritate fretus, ex versione sua ejectum in exilium miserit.

CAP. XIII. 11.

Profectusque est Loth ab oriente, inquit vulgatus Interpres. At quis adeo in Chorographiâ hospes est, ut nesciat Jordanem, qui Sodomam alluebat, ad orientem terræ Chanaan situm fuisse? Ubi olim Sodoma, ibi postea mare mortuum fuit, quod à situ orientale vocant, mari magno quod occidentale vocant, oppositum. Quomodo ergo Lot, qui ab occasu orientem versus tendit, dicitur profectus ab Oriente? Indoctis & barbaris Interpretibus nulla hic caligo, dum à literalis sensus, ut vocant, paupertate ad allegoriarum divitias trans-volant. *Abiit ab oriente* ad occasum, id est relictâ verâ luce tetendit in occasum & perniciem suam. Noli jam mirari Lector, unde tam crebræ in multorum lucubrationes Allegoriæ irrepserint. Inscitia multis ad Allegorias pædagogus fuit. Quanto satius fuisset nodum sic solvere, *Profectus est ab oriente* id est ab orientali plaga loci, ubi hactenus communes cum Abrahamo habuerat sedes, in locum magis orien-

orientalem. Mariana, *Lot ab oriente recessit Abrahæ comparatione, non Sodomæ, quò ivit.* Non aspernor. Puto tamen feliciùs hunc nodum soluisse *Fullerum*, Misc. 1. 4. qui non solùm vertit, *Orientem versus*, quod ante eum & *Mercerus* & *Junius* & *Drusius* fecerant, sed & insuper eam versionem egregiè ivit constabilitum. Mercerus, *profectus est* orientem versus, *non equidem ut* מ *idem sit cum* ל / *etsi is sit sensus, sed pro*, versus, *ut suprà*, Et plantavit Dominus hortum ab oriente id est *versus Orientem, in orientali orbis parte.* Hoc vult, מ aliquando denotare *versus, ad*, ut tantùm *denotet situm sine motu, ac proinde locum hunc sic reddendum *profectus est [in locum situm] versus orientem.* Vide autem Lector, quomodo dies diem, & doctus doctum doceat. Literam *Mem* aliquando etiam poni pro ל denotante motum ad locum, evidentissimè ostendit *Fullerus*, collato loco 2. Sam. 6. 2. מִבַּעֲלֵי יְהוּדָה cum 1. Chron. 13. 6. ubi in eâdem historiâ extat בַּעֲלָתָה / ה locali vices & ל supplente. Planè in eundem modum Septuaginta hoc ipso capite vers. 3. מִנֶּגֶב reddunt *εἰς τὴν ἔρημον.* In Arabisino nihil frequentius hoc usu literæ מ / Contrà מִזְרָחָה *ad orientem*, ponitur pro מִמִּזְרַח *ab oriente*, Jos. 16. 1. Ubi & Lxx. & vulgatus habent, ἀπὸ ἀνατολῶν, ab oriente. Sic נֶגְבָּה Jos. 18. 14 pro מִנֶּגֶב / Lxx. ἀπὸ λιβὸς, vers. 15. יָמָּה pro מִיָּם / ubi vide Masium. Adi etiam Drusii Comm. ad loca difficil. Judicum p. 171.

* Sic 1. Sam. 14. 5. Vulgatus habet, *ad aquilonem, ad meridiem*, ubi in Ebr. est מצפון & ומנגב

CAP. XIV. 18.

Et Melchi-sedek Rex Salem proferens panem & vinum, erat ENIM *sacerdos Dei altissimi, benedixit ei, &c.*] Pro ENIM in Ebræo est ו ET, Et pro *proferens* est *protulit*, הוֹצִיא / Voculam ENIM valde urgent Pontificii, & inter eos quoque Pererius, a Suares, b Bellar. Cornelius à Lapide & alii Rom. Ecclesiæ Atlantes, ut suum Missificium inde exsculpant. Quæritur quid hic sit *proferre panem & vinum.* Lxx. ἐξήνεγκε, vel ut alii codices habent, ἐξήνεγκε αὐτῷ *protulit ei*, sc. Abramo. Cajetanus, *nihil hic scribitur de sacrificio vel oblatione, sed de prolatione seu extractione, quam scribit Josephus factam ad reficiendos victores.* Andradio quoque cum Epiphanio, Ambrosio aliisque veteris Ecclesiæ Interpretibus convenit, Melchisedecum lassos Abrahami milites pane & vino

a ad 3, partem Thomæ. b de Missa lib. 1. cap. 6. cæteri in comment.

& vino refecisse. Hanc interpretationem rejiciunt illi quos jam jam nominabam, & per *prolationem panis & vini* sacrificium intelligunt. *Vox* ENIM inquit Bellarm. *cogit nos, ut intelligamus panem & vinum prolata fuisse in sacrificium Missæ.* Sed audiamus Cajetanum qui & ipse Cardinalis fuit, *Quod autem*, inquit, *in vulgatâ Editione subditur ut causa oblationis*, erat enim sacerdos, &c. *in Ebræo non habetur ut causa, sed ut particula separata.* Audiamus & *Hieron. ab Oleastro, Adverte*, inquit, *quod licet LXX. & vulgata vertant*, Erat enim, &c. *quasi sequens sententia prioris causam reddiderit, in Ebræo tamen est ut vertimus, scilicet*, ET *ipse erat sacerdos*, Ipse quoque B. Hieron. in quæst. Ebr. ad eundem modum vertit. N B.
Quis ergo hic describitur actus sacerdotalis, inquies. Respondet tibi Paulus Ebræ. 7. Benedictionem fuisse. *Proferens panem & vinum, & ipse erat Sacerdos, benedixit ei*, vid. benedictione sacerdotali & solenni, non aliquâ vulgari comprecatione. *Sed soph pasuk*, inquit Bellarm. *indicat ibi terminari periodum, & proinde conjungi sacerdotium cum prolatione panis & vini, non cum benedictione.* Resp. Ergo fatente Bellarm. impegit vulgatus, qui nullâ ejus accentus ratione habitâ, duos hos versus conjunxit, atque in unum axioma conflavit; qua in re tamen nihil peccavit Interpres, nec, me judice, perperam Interpretatus est scripturam, sicuti Bell. asserit. Vide 1. Chron. 21. 11. Gen. 23. 17. 2. Sam. 11. 19. Jerem. 33. 10. Sed dices, * *ex præda jam saturi erant milites*, vers. 24. *nec egebant refectione Melchisedeci.* Resp. vers. 24. nihil legi de magnâ saturitate, *Præter ea*, inquit Abraham, *quæ comederunt pueri mei.* Comedisse dicuntur, an verò ad eam saturitatem comederint, ut post confectum molestissimum iter esurire denuò non potuerint, item, an commeatum secum sumserint, non meminit textus. Ad hæc, hujusmodi Principum munificentia, prisco ritu, honoris tantum causa & benevolentiæ & gratulationis ergo exercebatur. Vide Deut. 23. 4. Quin ipse Corn. à Lapide agnoscit militibus panem & vinum fuisse distributa. *Nota*, inquit, *Melchisedecum primò panem & vinum obtulisse in sacrificium, partem panis cremando, partem vini libando: deinde reliquam panis & vini partem in milites Abrahæ libandam id est participandam & comedendam distribuisse.* Videatur quoque Pererius Num. 72. & Genebr. in Chronol. p. 43. *Abrahamum*, inquit *revertentem è bello convivio excepit pane & vino*, &c. Quod propter

Ebr. 7. hujus oblationis nulla mentio

* Corn. à Lapide & Bellarminus.

eos annotare volui, qui nihil militibus distributum fuisse asserunt, inter quos ipse quoque Bellarm. Iidem tamen sacrificium præcessisse volunt. *Verbum* הוֹצִיא *quod vulg. vertit protulit*, Lxx. *obtulit* (atqui ego illic lego ἐξήνεγκε quod potius est *extulit*) *est sacrificale*, inquit Genebrardus, producitque unicum locum Jud. 6. 18. Sed quæro ex te Genebrarde, an semper an aliquando sit sacrificare? Si semper, ergo & Exod. 8. 18. ubi de pediculis usurpatur. Si aliquando, quæ vis argumenti à particulari? Concludo ergo, Melchisedecum lassos milites vino & pane refecisse & quia sacerdos erat, Abrahamo benedixisse, non benedictione charitatis, qua par pari, imò sæpe inferior superiori benedicit, sed benedictione sacerdotali. Benedictio enim quâ homo benedicit homini, est vel charitatis vel authoritatis. Atque hæc rursus vel patriarchalis vel sacerdotalis erat. Neque enim tantùm ad sacrificandum, sed & ad benedicendum populo constituti fuêre Sacerdotes, Num. 6. De particula itaque ENIM non admodum contenderim, modò relinquatur in vulgatâ participium *proferens*, *Et Melcibsedek Rex S. proferens panem & vinum (erat enim Sacerdos, &c.) benedixit ei.* Sic enim non prolationis panis & vini, sed benedictionis (in hoc enim periodus absolvitur) datur ratio. Vide jam Illustriss. D. *Philippum Mornæum*, de Eucharist. lib. 3. cap. 2.

CAP. XVII. 14.

Cujus præputii caro non fuerit circumcisa, &c.

Ita vulg. Lxx. addiderunt insuper de suo duas voces בַּיּוֹם הַשְּׁמִינִי *die octavo*, Sic enim illi, *omnis præputiatus masculus cujus caro præputii non fuerit circumcisa die octavo, interibit anima illa de genere suo, quia testamentum meum dißipavit.* Posui locum prout eum citavit Augustinus de civit. Dei lib. 16. 27. Vides hac lege, prout ea ab his interpretibus concepta est, etiam infantes pœnæ involui. Certè, ut alios præteream. Augustinus quoque hanc horrendi carminis Legem infantibus octavo die non circumcisis obnuntiatam esse ratus est. Vide eum loco prædicto. Hinc

suo,

idem Pater infantibus, quos dulcis vitæ exortes & à matris ubere ante susceptum Baptismum raptos atro mors abstulit, * iniquior fuit, dum eos alibi (de peccat. remiss. l.1.c.16) in mitissima damnatione futuros esse, alibi (ibidem cap.15.) in Christo vivificari non posse quasi ex Tripode pronuntiat. Sed ut in aliis quamplurinis, ita & hic prava versio eum in errorem dedit præcipitem. Ebræa aliter sonant, *Præputiatus masculus qui non circumciderit carnem præputii sui, exscindetur anima ista, &c.* Ebr. אֲשֶׁר לֹא יִמּוֹל Futurum Kal à נָמַל / ut à נָפַל fit יִפּוֹל / Isthoc verbo usus est Moses vers. 11. וּנְמַלְתֶּם *& circumcidetis.* At vulg. & Lxx. existimarunt esse Fut. Niphal à מוּל / Et certè in hoc eodem cap. vers. 13. & alibi negari non potest, quin sit passivum. At quominus hic eodem modo accipiatur obstat clausula, *Quia fœdus meum irritum fecit.* Quî enim hoc in infantem quadret? Videt hoc Augustinus & sudat, at se expedire nequaquam valet. Adi locum, quem ex libris de Civit. Dei produximus & scio te non sine commiseratione lecturum. Sensus ergo hic est, Si cujus circumcisio parentum culpâ in infantia fuerit neglecta, ipseque jam adultus eam quoque neglexerit, atque ita negligentiam parentum approbaverit, ista exscindetur è populis suis. Eundem sensum expressit Chald. וְעָרֵל דְכוּרָא דְלָא יִגְזַר וגו qui non præciderit, &c. Ipse quoque Lombardus locum Joh. 3. 5. *Nisi quis natus fuerit ex aqua & sanguine*, &c. sic interpretatur, *Intelligendum est de illis qui poßunt & contemnunt baptizari.* libr 4. dist. 4. Hic non alienum esset paucis videre, quid sibi velit illa phrasis, *anima ista exscindetur è populis suis.* Fruatur quisque judicio suo, ego in illorum descendo sententiam, qui existimant non politicam aut corporalem, sed Ecclesiasticam, spiritualem & θεήλατον pœnam ista phrasi innui, Sed ea de re alibi prolixius disseremus.

* Vide & Ambros. l.2. c.8. de vocat. gentium.

Verſ. 15.

Non vocabis nomen ejus Sarai, ſed Sara.

Quæ antea appellabatur שָׂרַי / nunc transnominatur à Deo שָׂרָה literâ Jod in ה mutatâ. Lxx. Interpretes, οὐ κληθήσεται τὸ ὄνομα αὐτῆς Σάρα, ἀλλὰ Σάῤῥα ἔσαι τὸ ὄνομα αὐτῆς, insertâ litera ρ. Quæsitum ab Interpretibus, cur eâ litera inſerta. Audiamus Hieronymum in Quæſtionibus. *Errant*, inquit, *qui putant primum* Sara *per unum R. ſcriptum fuiſſe, & poſtea ei alterum R. additum. Et quia R. apud Græcos centenarius numerus eſt, multas ſuper hoc nomine ſuſpicantur ineptias: cum utique, utcunque volunt ei vocabulum commutatum, non Græcam, ſed Ebræam debeant habere rationem. Ebræum enim eſt. Nemo autem in altera lingua quempiam vocans, etymologiam vocabuli ſumit ex altera.* Hæc Hieron. Inter alias verò ineptias etiam illa eſt, literâ ρ denotari annum Abrahæ centeſimum, quo filium genuit ex Sarâ uxore vetulâ, nempe nonagenariâ. Refert idem Hieronymus, quoſdam peſſimè ſuſpicatos fuiſſe, eam antea *lepram* fuiſſe vocitatam, & poſtea *principem*. At lepra צרעת *Saraâth* dicitur, voce admodum à שָׂרָה & שָׂרַי diverſâ. Quid * Auguſtinus? Is licet τ῀ Lxx. verſionem paſſim fere ſequatur, hic tamen Ebraïcæ veritati adhæſit, *De nomine autem mutato Saræ*, inquit, *non eſt reddita ratio, ſed ſicuti ajunt qui ſcripſerunt interpretationes nominum Ebræorum, quæ literis ſacris continentur*, Sarai *interpretatur*, princeps mea, Sara *autem* virtus. Ecce agnoſcit, eam quæ antea dicebatur *Sarai*, poſtea vocitatam *Sara*. Recte. Sed quàm miſerè interpretatione labitur! *Sara eſt virtus*, inquit, *unde ſcriptum eſt in Epiſtolâ ad Ebræos, Fide & ipſa Sara virtutem* (δύναμιν) *accepit ad emiſſionem ſeminis.* At δύναμις Ebraïce כֹּחַ / חַיִל & אֵל dicitur nuſquam שָׂרָה / Mala ergo interpretatio, *Sara, virtus*, Pejor accommodatio loci ex Epiſtola ad Ebræos. Quid ergo? Hieron. magis ad rem locutus eſt, *cauſa* inquiens, *immutati nominis hæc eſt, quod antea dicebatur* שרי *princeps mea, unius tantum domus materfamilias: poſtea verò dicitur abſolute* שרה *princeps id eſt* ἄρχουσα. —— *Signanterque in Ebr. additur, non vocabis nomen ejus Sarai id eſt non dices ei, princeps mea es: omnium quippe gentium futura jam princeps eſt.* Hæc Hieron. cujus ſententia de *Sara* veriſſima

Sulp. Severus, Iuſtin. contra Tryph. Tertull. pag. 109. adverſus Marc. l. 4. 13. Eucher. p. 81.

* de Civit. Dei, 16. 28.

sima est. At de *Sarai* ἐπέχω. Nam *princeps mea*, Ebr. diceretur שָׂרָתִי / vel factâ syncope, שָׂרַי Sari, quomodo dicimus פִּשְׁתִּי pro פִּשְׁתָּתִי / verior ergo fortassis, certè analoga magis Interpretatio, שָׂרַי *principes mei*, vel *principes*, ea formâ quâ *Gobai* locustæ, *Challonai*, fenestræ. Junius, *vocabitur Sarah, additâ eâdem literâ, qua nomini Abrahami accessit, ut idem esset utrobique earundem promissionum symbolum, quod confirmatur* 1. *Petri* 3.6. *& formâ nominis ex Chaldæo ad Hebraicum revocatâ.* Pisc. in Quæst. *litera* ה *sumpta est ex nomine* הָמוֹן id est multitudo, *quia futura erat mater multarum gentium, id quod significatur vers. seq. Et erit in gentes.* In hâc sententiâ acquiesco. Nota ergo Tiro, ex hac voce (המון) literam ה insertam nomini אַבְרָם / vide vers. 5. Justino enim qui dixit nomen ei mutatum inserto ἑνὸς α, Græca scriptura Ἀβραὰμ imposuit. אַבְרָם *pater excelsus*, πατὴρ μετέωρος, אַבְרָהָם quasi אַב רַב הָמוֹן pater magnæ multitudinis, ex voce רב extritâ ב / & ex voce הָמוֹן litera ו / Ineptit ergo Hesychius, אַבְרָם interpretans, περάτην, transitorem, aut περάτην μετέωρον transitorem excelsum, quem errorem & magnus Chrysost. erravit, hom. 39. sic inquiens, Ἀβραὰμ γὰρ περάτης ἑρμηνεύεται κατὰ τὴν Ἑβραίων γλῶτταν καὶ τοῦτο ἴσασιν, ὅσοι τῆς γλώττης ἐκείνης εἰσὶν ἔμπειροι. additque parentes præsagos transitus ipsius in Cananæam ei hoc nomen imposuisse, ubi porrò prolixè disputat, unde illi, cum increduli fuerint, eam præscientiam habuerint. Confuderunt illi אברם cum עִבְרִי / Hoc enim non ineptè περάτης redditur, nam עָבַר *transiit*, & עֵבֶר *trans.* Ineptius est illud, *Abraham* πατὴρ ἐκλεκτὸς ἤχους, pater electus sonitus, quod Philo & Clemens asseruerunt & in comm. Hieron. ad Gal. 4. quoque repetitur, atque hic rem acu tetegit Hesychius, qui τὸ *Abraham*, interpretatur, πατὴρ πολλῶν ἐθνῶν.

Claudam hoc caput ubi φιλομαθεῖς adolescentes illud monuero, communem errorem esse, Saracenos (qui & Hagareni & Ismaëlitæ & Arabes) à Sara denominatos esse, qui ipsi quoque Hieronymo obrepsit, dum inquit *Agarenos, qui nunc Saraceni dicuntur, assumpsisse sibi falsò nomen* Saræ, *ut de ingenuâ & domina videantur esse generati.* comm. in Iezech. lib. 8.25. & in Jesai. 5. cap. 21. Hieronymi authoritas etiam doctissimos quosque in eundem errorem abripuit. Ut enim veteres taceam, *Genebrardus* comm. in Psal. 83. & in Chronol. ait eos sic dictos

vel à Sara monte, vel semet ipsos denominasse à * Sara legitimâ uxore Abrahami. Ab Hagar fit Hagarenus fluxione legitimâ, Sed quomodò à Sara Saracenus; Vnde enim litera ק seu κ, cum ea nunquam sit heëmantica? Hoc videt *Brigtm*, ac proinde in comm. ad Apoc. 9. 8. existimat ita dictos à *Sara* & *Kedar*. Veram originationem docuit nos *Scaliger*, de Emend. temp. lib. 2. pag. 108. Edit. postr. *Et quidem scriptores*, inquit, *rectè Hagarenos ab Hagar, sed ineptè Saracenos à Sara. Neque enim etymon neque historia convenit. Nam verum esset, Saracenos ab illa dictos si quidem ipsa Saraca, non* Sara *dicta fuisset. Saraceni igitur etiam hodie à vicinis dicuntur Essarak, hoc est* λῃστρικοὶ καὶ νομαδικοὶ, *ut verè sunt.* Idem in animadvers. ad Eusebium. Genes. 37. *ubi in Ebræo* יִשְׁמְעֵאלִים Ismaëlitæ, * *Oncelos vertit* סַרְקָאֵי Σαρακηνοὶ, Σαρακαῖοι. *Stephanus ait* Σάρακα *esse regionem Arabiæ finitimam Nabatæis, à quâ* τοὺς Σαρακηνοὺς *dictos putat. Nos scimus* Νομάδας Ἄραβας *ita dictos.* Hoc enim סרק *Arabicè significat id est feroces* καὶ λῃστρικοὺς, *prædones, quales qui Turcis dicuntur* Cosaki Tartari, *quales* Martolossi, *quales* Bandolieri *in pyrenæis. De Sara perridiculum. Hoc modo oporteret aut à Sarâ Saræos dictos, aut uxorem Abrahami Saracam vocatam fuisse. Avellenda est hæc opinio de animis hominum.* Hæc Scaliger. Gentem autem illam Hieron. testis est, *Arabum gens*, inquit in Jerem. 3. *latrocinijs dedita usque hodie incursat terminos Palæstinæ.* Eodem elogio eos celebrat Ammianus lib. 14. Quin adeo hoc isti genti proprium fuit, ut sicut *Chaldæus* pro Astrologo, *Cananæus* pro Mercatore, Sic *Arabs* pro Latrone usupari consueverit. Certè Jerem. 3. 2. sicut *Arabs in deserto*, Hieron. reddit, *sicut latro.* Firmat hanc sententiam ex Chaldæorum lingua *Fullerus* Miscell. 2. 12. סרק inquit, planè idem est quod Ebræum ריק & ejusdem forsan originis. Vtrumque cum personis attribuitur, vel morum respectu dicitur vel fortunarum. Quando igitur Chaldæus, Jud. 11. 3. אנשים ריקים / reddit, גברין סריקין id est viros inanes, intelligamus aut otiosos minimèque frugi homines, aut vitam pauperem, duram & incultam agentes: qualis eorum plerumque est, qui ex rapto vivere solent. Duabus hisce interpretationibus conjunctis, eruditissimam ac numeris omnibus absolutam versionem ibidem nobis tradidit vetus Interpres, dum אנשים ריקים exponit, *inopes & latrocinantes*, ex vulgari etiam sermonis Arabici usu. Hæc Fullerus. Quod de sermonis Arabici

* Ita & Bucholcerus in Chron.

* Lapsus memoriæ, Oncelos vertit עַרְבָאֵי / Arabes, Sed illud quod ponit *Scaliger*, est Tharg. Ierosolymitani.

Psal. 2. pro Ebr. ריק in Chald. est סְרִיקוּתָא / Phil. 2. 6. pro ἐκένωσε in Syr. est סְרַק .i. הֵרִיק

biciusu monet. nihil verius. Inspice vel solum Scindleri Lexicon, & invenies, סְרַק furari, latrocinari. Expediam me, ubi illud addidero, Genes. 21. 13. ubi de Ismaële dicit Deus, *Ponam eum in gentem*, Jonathanem reddidisse, לְעַם לִסְטִים in populum latrociniis deditum.

CAP. XIX. 24.

Pluit DOMINUS à DOMINO.

Adscribam verba Rev. Martinii, quæ extant in Quæst. ejus ad Pentat. Est modus loquendi, pro eo quod est, pluit Deus à seipso, supra naturam, per miraculum, ut cap. 18. 14. & 29. 2. Tim. 1. 18. Sic plurimi veterum & recentiorum exponunt, August. Hieronym. Eucher. Chrysost. Tostatus, Cajetanus, Pagn. Vatabl. Pellic. Mercerus, Calv. Interim & hoc verum, Dei filium pluisse à patre accepta omnipotentia, Joh. 5. vers. 26. 19. Hæc Martin. Quibus addo & Pisc. Drus. Glossam interlinearem, Paræum. Certe nihil certius, quam in Ebr. nomen aliquando pronominis vice usurpari. Num. 10. 29. Psalm. 82. 1. Luc. 3. 19. Interim neutiquam negantur tres personæ in divina Essentia. At argumentum, quod ex hoc loco vulgo depromitur, neutiquam firmum esse, id vero quod est intenditur.

CAP. XXI. 9.

Cumque vidisset Sara filium Agar —— ludentem cum Isaac filio suo.

Ita vulgatus, premens vestigia τῶν Lxx. ἰδοῦσα δὲ Σάῤῥα τὸν υἱὸν Ἄγαρ τῆς Αἰγυπτίας —— παίζοντα μετὰ Ἰσαὰκ τοῦ υἱοῦ αὐτῆς. Et addita ad Ebræum textum illa verba *cum Isaac, filio suo*, & phrasis, *ludentem cum Isaac*, valde fatigarunt veteres Interpretes. Ebræa habent, *Et vidit Sara filium Hagar* —— מְצַחֵק id est, ridentem, irridentem, illudentem. Hunc Ismaëlis actum Paulus Galat. 4. 29. expressit per verbum ἐδίωκε, *persequebatur*. Nimium ergo extenuant Interpretes Ismaëlis peccatum. De additamento non queror, sed illud potissimum carpo, quod verbum *ludo* (quando qui-

doquidem eâ voce uti libebat interpreti) hoc modo construxerit. Scimus verbum צחק esse *μέσον*, sumique jam in bonum, Gen. 26. 8. jam in malum, Gen. 39. 17. Novimus & illud, quàm variè hoc lusu sentiant docti, sed hìc jocularem & innoxium puerorum lusum intelligi non posse, & indignatio Saræ & Dei subsecuta admonitio evincunt. Videantur hic Cajet. Oleastr. & Lyra. At phrasin hanc, *ludere cum aliquo*, ut ut forte de subsannatione usquam legatur, quis aliter quam de puerili lusu acceperit? Ipse certè hic interpres Gen. 39. ubi vox hæc in malam partem accipitur, convertit, *ut illuderet mihi*. Cajet ad hunc locum, *Ebraïce est*, facientem irridere. *Non narratur Ismaël ludens cum Isaac, sed faciens irridere.*

CAP. XXII. 13.

Καὶ ἰδοὺ κριὸς εἷς κατεχόμενος ἐν φυτῷ σαβὲκ τῶν κεράτων.

Ita Lxx. Latinè ita sonant, *Et ecce arietem qui detinebatur in virgulto Sabek cornibus suis.* Hieron. in Quæst. Ebr. castigat rediculam Eusebii Emiseni expositionem, qua *Sabec* exposuit *hircum, qui rectis cornibus & ad carpendas arboris frondes sublimis attollitur.* Videtur ille vocem *Sabec* non junxisse cum φυτῷ, sed cum κεράτων, σαβὲκ κεράτων, *hircus cornuum* id est cornutus. Fefellit eum non intellecta vox σαβὲκ, quam Lxx. in versione reliquerunt. Ebræa, *Et ecce arietem qui retrorsum detinebatur* בַּסְּבַךְ *in perplexitate cornibus suis.* Vulgatus, *viditque post tergum arietem inter vepres hærentem cornibus.* Veteres hinc crucis præsagium seu potius typum exsculpserunt. Melito, ὁ Σύρος καὶ ὁ Ἑβραῖος (pro κατεχόμενος) κρεμάμενος φησὶ, ὡς σαφέστερον τυποῦν τὸν σταυρὸν id est, *Syrus & Ebræus* (pro detentus) *dicunt* pendens, *tanquam manifestius effingens crucem.* Vide in notis ad Edit. Græcam Francofurt. in folio, anni 1597. & Cl. Drusii Fragmenta veterum Interpretum pag. 103. Sed qui Ebræa nôrunt, judicabunt נֶאֱחָז melius reddi *detentus*, quàm *pendens*. Ibidem huc subjicitur scholion, τὸ σαβὲκ, ἄφεσιν τινὲς ἐκδεδώκασι. οἱ δὲ, ὄρθιος. ὡς εἶναι αὐτὸ τὸ λεγόμενον, τράγος ὄρθος ἐπαναβεβηκὼς φυτῷ. Ἐνταῦθα δὲ ὀρθὸς τῶν κεράτων κατεχόμενος, ὡς εἶναι φανερὸν τύπον σταυροῦ. Διὰ τοῦτο δὲ οὐχ ἑρμηνεύεται, ὅτι ἡ Ἑβραϊκὴ μία οὖσα λέξις πολλὰ σημαίνει ἑρμηνευομένη. Πρὸς τοὺς πυνθανομένους

τόμβους δεῖ ἀποκρίνεσθαι καὶ λέγειν, ὅτι τὸ σαβὲκ ἐπηρμένος ἑρμηνεύει. Id est, *Illud* σαβὲκ *quidam reddiderunt* ἄφεσιν *dimißionem, liberationem*, (id vero esset similius, si שבק scriptum esset, sed imposuit illis scriptura corrupta. Scribendum enim potius fuerat σαβεχ) *quidam verò* ὄρθιος *erectus. ut idem valeat ac si diceretur, hircus erectus qui in virgultum inscenderat: hoc autem loco erectus cornibus detentus, ut sit manifestus typus crucis. Propter hanc verò causam in aliam linguam non convertitur, quoniam dictio Ebr. cum una sit, multa significat. Interrogantibus autem sic respondere oportet, & dicere, vocem* σαβεκ *interpretari* sublatum. Huc usque scholion. Sed ut ridiculum est, סבך denotare ἄφεσιν, ita & planè aliena illa interpretamenta sunt, *erectus*, ὄρθιος, & ἐπηρμένος, sublatus. Nihil enim aliud vox Ebr. significat, quam perplexitatem, *in perplexo* sub. arbusto, aut vepreto. Jun. *in perplexitate* [*veprium*] Corn. à Lapide, *in implexu*, scilicet veprium. Chald. בְּאִילָנָא *in arbore*. Jesa. 9. 18. סִבְכֵי הַיַּעַר *perplexitates sylvæ*. Nahum. 1. 10. סִירִים סְבֻכִים *spinæ perplexæ*, intricatæ. Hîc ergo acquiescendum est, neque ulla etiam necessitas, ut tanquam nomen proprium arboris vel virgulti cum Lxx, Theodotione, Eucherio, Procopio, Athanasio & Ambrosio accipiamus. Frivola ergo, & aberranti versione subnixa sunt illa Procopii, *Sabec species fruticis est ex quo pendebat aries. Nam cum fruticetum anterioribus pedibus conscendisset* (sed ubi hoc scriptum est Procopi? nam si σαβεκ est nomen fruticis, non significat *sublatum*) *fruticeto implicitus crucis formam pendens præ se ferebat, extentione pedum.* Et illa Ambrosii, *hoc est quod apparuerit Abrahæ revelans futuram sui passionem corporis, quâ mundum redemit, demonstrans etiam genus passionis, cum* suspensum *ostendit cornibus arietem. Virgultum illud patibulum crucis est.* Nec non ista Athanasii quæst. 98. ad Antiochum, *Planta Sabec est veneranda crux. Juxta Ebræos videtur Sabec remißio eße & condonatio. Aries verò qui in Sabec hærebat ad plantam, figuravit Christum pro nobis in cruce immolatum.* Paulo aliter Aug. de Civit. Dei lib. 16. 32. qui dicit eo præfiguratum esse Christum, qui antequam immolaretur, spinis Judaïcis coronatus fuit. Hinc etiam judicium feret cordatus lector de animadversione Leonis Castrii, lib. 6. Apologetici, & ad cap. 29. Jesaiæ, quam Corn. â Lapide subtilem vocat, *Christum videlicet verbis istis* ἐλὶ ἐλὶ λαμὰ σαβαχθάνι *ad eandem plantam Sabec allusisse, ut indicaret, se eße illum arietem penden-*

Libro de Abraham cap. 8.

pendentem atque suspensum ex arbore Sabec, quam Dominus sub typo alterius arietis pendentis ex planta Sabec Abrahæ olim ostenderat. Verbum enim Sabactani à nomine Sabec inflexum videtur. Admirentur hanc subtilitatem alii, nos scimus, hoc σαβεκ in Ebr. scribi סבך / σαβακτανι autem scribi שבקתני à themate שבק / quod signif. dereliquit. Mariana hoc commentum ridens dicit locum Psal. 22. sic tunc reddendum fuisse, *Deus mi D. mi. cur ligasti me.* Id Euangelistæ ad versatur.

CAP. XXIII. 3.

*Cumque surrexisset Abraham * ab officio funeris.*

* Belg. Lovan. van den dienst des lijcks.

Ita convertit vulgatus hæc Ebraïca, וַיָּקָם אַבְרָהָם מֵעַל פְּנֵי מֵתוֹ / *Et surrexit Abraham à faciebus mortui sui.* A facieb. mortui, Ebraïsmus est, pro, *à mortuo*, Ideo Græci, ἀπὸ τοῦ νεκροῦ αὐτοῦ. Vsus autem est Moses voce mascul. מֵת / respiciens ad corpus, quod Ebraice גוף dicitur masc. genere. Abenezra, רמז לגוף id est innuit corpus. Sensus verborum Mosis iste est, desiit tandem plangere, positoque lacrymis & luctui modo, de sepultura subiit cogitatio. Et quia luctus officium quoddam pietatis censetur, tolerari posset vox *officii* licet hic ab Interprete sine ullâ necessitate interpolata nisi ex Pontificiis non gregarius aliquis miles, sed Romanæ Sedis Atlas, isq; Ebraicè non imperitus, Bellarm. ex hac versione conatur probare, in Genesi Purgatorii mentionem implicitè saltem injici, Illudque proinde primis mundi seculis non fuisse ignotum. *Quid prohibet*, inquit, *per illud officium intelligere non solum lacrymas, sed etiam orationes & jejunia*, pro defuncta scilicet. Egregia certè interrogatio. Quia scilicet ab aliquot seculis inter Christianos celebrari cœperunt mortuorum officia disputat ex voce *officium*, cujus nec vola nec vestigium in fontibus extat. Textus itaque originarius prohibet hic officia illa intelligere. Id viderunt Corn. à Lapide, Lyra ipseque adeo Carthusianus, ac proinde Purgatorii hîc non meminêrunt. Mariana de amplexibus conjectat. Videtur, inquit irruisse in amplexus cadaveris. De purgatorio altum silet.

de Purgat. lib. 1. 15.

CAP. XXIV. verſ. 63.

Et egreßus erat Iſaac ἀδολεσχῆσαι εἰς τὸ πεδίον

In veteri Latina Græci textus verſione, *Exiit Iſaac exerceri in campo.* Ita quoque Auguſt. in Quæſt. ſuper Geneſin, quæſt. 69. operæ erat doctiſſimum Patrem hic audire diſſerentem, licet ſuſpenſo gradu. *Qui verbum hac de re Græcum neſciunt*, inquit, *exercitationem corporis putant. Scriptum enim eſt*, ἀδολεσχεῖν (at omnium codicum conſtans lectio eſt ἀδολεσχῆσαι) ἀδολεσχεῖν *vero ad animi exercitationem pertinet, & ſæpe vitio deputatur. More autem Scripturæ plerunque in bono ponitur. Videturque mihi ſignificare animi affectum ſtudioſißime aliquid cogitantis, cum delectatione cogitationis, niſi aliud ſentiant qui hæc verba Græca melius intelligunt.* Hæc Auguſtinus. Illud veriſſimum eſt, in literis myſticis in bono poni. Suidas, Ἀδολεσχία δὲ παρὰ τῇ γραφῇ ἡ συνεχὴς μελέτη. καὶ ἀδολεσχήσω, ἀντὶ τοῦ, διηνεκῶς μελετήσω. Hinc vulgatus Ebræum השיה (quod per ἀδολεσχεῖν reddunt LXX. vertere amat *meditari.* Extra Vet. Teſt. garrulitatem ſignificat. Heſych. ἀδολεσχεῖ, φλυαρεῖ, μακρολογεῖ. Et Lexic. vetus, ἀδολεσχῶ, arguto, garrio. Atque hoc quoque ſenſu bis uſurpavit Sirachides, 32.9. ὅπου γέροντες, μὴ πολλὰ ἀδολέσχει. & 7.15. μὴ ἀδολέσχει ἐν πλήθει πρεσβυτέρων. Cæterum quod ad præſentem locum attinet, invenio duas verſiones ſatis commodas. 1. *ad meditandum.* 2. *ad orandum.* Cerre שוח idem eſt quod הגה / habetque, authore Kimchio, עִנְיַן דִּבּוּר ſignificationem ſermonis. Sic dico, שוח ſignificat loqui ſecum, aut cum alio. Qui ſecum loquitur, proprie meditari dicitur. Qui cum alio, vel cum Deo, vel cum homine loquitur. Qui cum Deo, precari aut orare dicitur; qui cum homine, confabulari.

Hoc loco abutuntur Pontif. ad prob. purgatorium vide chamierum tomo 3. l. 26. c. 15. p. 1198.

CAP. XXXI. verſ. 13.

Ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς ὁ ὀφθείς σοι ἐν τόπῳ θεοῦ. *Ego ſum Deus qui ibi apparui in loco Dei.* Aug. Locut. Sacrarum lib. 1. hic ſe non expedit, niſi conjectando, eſſe locutionem qualis illa, *Et pluit*

Dominus à Domino id eſt Filius à Patre. Sed nota Tiro, in Ebræo, pro ἐν τόπῳ θεοῦ, legi, בְּבֵית אֵל / Et Bethel, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, ἐν τόπῳ (ſeu verius οἴκῳ) θεοῦ. Cl. Druſius Miſcel. 2. cap. 85.

Verſ. 41.

Decepiſti mercedem meam decem agnabus.

Ita laudat hunc textum B. Auguſtinus in Quæſtionibus, quæſt. 31. atque hæc inſuper addit. *Hoc quomodo & quando factum ſit, Scriptura non narrat, ſed utique factum eſt, quod iſte commemorat.* Et paulo poſt. *Decem agnos dixit decem tempora, quibus oves quas per ſexennium* (verſ. eodem, & ſex annos ſervivi tibi pro pecudibus tuis) *paſcebat, pepererunt. Bis enim pariebant in anno.* At ſi bis peperêre quotannis, oportet hoc ſexennio duodecim iviſſe tempora Quomodo ergo dicit *decem tempora*? Hic ita ſe expedit Auguſt. ut dicat vel potius divinet, eas primo hujus ſexennii anno jam peperiſſe ſemel ante conditiones initas, & antequam ſecundò parerent, anno ultimo, ſeceſſiſſe Jacobum. Pergit Auguſtinus, *Nec mirum quod hæc x. tempora* agnorum *nomine appellaverit, qui iiſdem temporibus naſcebantur, veluti ſi quis dicat, per tot meſſes aut vindemias, quibus numerus intelligatur annorum. Vnde ait quidam, poſt ariſtas id eſt meſſes id eſt annos, &c.* Habes hic. lector, ſpecimen ſupervacaneæ ſubtiſitatis Namque in Ebræo ita legitur, *& mutaſti mercedem meam* עֲשֶׂרֶת מֹנִים id eſt Interprete vulg. *decem vicibus.* Onkelos, עֲשַׂר זִמְנִין *decem temporibus.* Abenezra, עשרה במספר / Symm. δεκάκις ἀριθμῷ decies numero. Porro *decies*, putat Euſebius poſitum eſſe pro πολλάκις, Quid ergo vidit Auguſtinus cum hæc chartis illineret? Secutus eſt τοὺς Lxx. qui verba Ebræa ſic reddidêre, καὶ παρελογίσω τὸν μισθόν μου δέκα ἀμνάσιν. Et verſ. 7. δέκα ἀμνῶν. Cl. Druſius conjectabat eos ſcripſiſſe μνῶν minis, & legiſſe מָנִים illamque vocem poſtmodum in ἀμνῶν demigraſſe. At iſti conjecturæ obſtat verſ. 41. ubi ἀμνάσι conſtanter legitur. Quicquid ſit, verſio iſta probari non poteſt, & dum eam illuſtravit Auguſt. oleum & operam perdidit.

CAP. XXXII. vers. 28.

Non dicetur ultra nomen tuum Iacob, sed Israel.

Circa vocis Ebraïcæ originationem valde sudârunt Patres, qui si fontes consulere quivissent, facillimè se expedivissent. Ecce n. hoc eodem versu redditur ratio hujus tranominationis, כִּי שָׂרִיתָ עִם אֱלֹהִים / Vox ergo Israel composita est ex אֵל *Deus* & * שָׂרָה cum puncto in sinistro cornu, quod significat, *principem esse, instar principis se gerere, de principatu contendere.* Jun. *Nam ut principem te geris.* Drusius, *de principatu contendisti cum Deo & hominibus & prævaluisti.* Errarunt ergo Patres, & sono vocis, prout vulgò exprimitur, semidocti quidam Ebræi decepti sunt, qui Ἰσραὴλ interpretantur *rectus Dei.* Quod ab ipso * Hieron. viro Ebraicè peritissimo non animadversum miror *Propriè juxta Ebræos* inquit, *& literarum fidem Israel* rectus Dei *dicitur.* Fallit & fallitur, inquit Cl. Drusius, nam Israël punctum in cornu sinistro habet, יָשָׁר autem id est *rectus* in dextro in quâ censurâ Drusio quoque astipulatur Corn. à Lapide & assentientur quotquot Ebraismũ vel à limine, quod ajunt, salutârunt. Errant & illi, qui vocem illam sic explicant, a *Mens videns Deum*, b *Vir videns Deum*, c *Est videns Deum*, d *Videns Deum*, e *Vincens potentiam.* Ajo in his Interpretamentis nihil esse mentis. In voce Ebr. nihil est, quod *mentem* significet, & אִישׁ *vir*, יֵשׁ *est*, scribuntur cum שׁ non שׂ / ut planè vox Ebræa non possit resolvi in has יִשְׂרָאֶה אֵל vel אִישׁ רוֹאֶה אֵל / Ut autem nihil aliud valeat, quàm *videns Deum*, non patitur litera שׂ quæ hîc non potest esse adititia. Planè autem ridiculum est, quod *Justinus* asserit, *Isra* significare *virum.* Communissimam tamen ex his omnibus illam fuisse interpretationem, *vir videns Deum*, his verbis docet Hieron. in traditionibus Ebraïcis, *Illud autem quod in libro nominum interpretatur*, Vir videns Deum, *sive*, mens Deum, *omnium penè sermonibus detritum, non tam verè quam violenter mihi interpretatum videtur.* Et paucis interjectis, *quamvis igitur grandis authoritatis sint & eloquentiæ, & ipsorum umbra nos opprimat, qui Israël, virum* Dei, *transtulerunt, nos magis Scripturæ & angeli vel Dei, qui ipsum Israel vocavit, authoritate ducimur, quàm cujuslibet eloquentiæ secularis.* Vide nunc notas Drusii ad Sulp. Sev. pag. 66.

* Ita etiam Corn. à Lapide & doctiores Pontificii. Firmat & Josephus, qui sic reddit ἀντιστάντα ἀγγέλῳ θείῳ, Ruff. reluctante angelo divino.

* Comm. in Jesa. 44. at in Tradit Ebr. melius interpretatur, *princeps cum Deo*

a Origen. περὶ ἀρχῶν 4.4.

b Philo, Nazianz. Hilarius, Prosp. &c.

c Aug. serm. 4. de verbis DOMINI.

d Chrysost. hom. 4. in Joh. & Euseb. dem. Eu. 5. 11. Aug. de Civ. Dei 16. 39.

e Justinus in coll. cum Tryph.

CAP. XXXIV. 5.

Ita legunt Græci codices Καὶ ἤκουσεν Ιακωβ ὅτι ἐμίανεν ὁ υἱὸς Εμμὼρ δεῖναν τὴν θυγατέρα αὐτοῦ, *Et audivit Jacob, quod filius Hemor temerasset* (seu depudicasset) *Dinam filiam ejus.* Verba illa, ὁ υἱὸς Εμμὼρ quia sunt ex glossemate, olim obelo fuerunt confossa. At Procopius Gazæus existimavit, obelum istum tantum pertinere ad vocem υἱός, non ad duas illas, υἱὸς Εμμωρ. *Ebraicum exemplar,* inquit, *non habet* filius Hemor, *sed sola dictio* Hemor *in Ebræo ponitur.* Erras, Procopi erras. Nec *filius Hemor*, nec *Hemor* in Ebræo legitur, sed Sichem *filius Hemor* intelligitur. Sic enim sonant Ebræa, וְיַעֲקֹב שָׁמַע כִּי טִמֵּא אֶת־דִּינָה בִתּוֹ / *Et audivit Jaâkob quod temerasset filiam suam Dinam*, sub. Sichem filius Hemor. Credidit ergo Procopius, Ebræa sic legi, *Et audivit J. quod Hemor temerasset filiam ejus Dinam. Vnde conjectare possumus*, inquit, *non filium solum sed & Patrem concubuisse cum Dina, quod quidem gravissimum piaculum censebatur.* Certe nimis temere tam infandi sceleris reum peragis bonum Principem Procopi, nam & illa, quæ postea subjicit, non satis fuerint convincendo homini. *Huic sensui videtur congruere*, inquis, *quod infra dictum est* vers. 13. Responderunt filii Jacob, Sichem & Hemor, & collocuti sunt cum iis dolo, quia polluerant Gr. ἐμίανεν) sororem ipsorum, *Ecce ibidem ponitur pluralis numerus, quasi uterque objecerint stuprum virgini. Et iterum*, nunquid ut scorto utentur sorore nostra? Gr. ἀλλ' ὡσεὶ πόρνῃ χρήσονται τῇ ἀδελφῇ ἡμῶν. Ajo non utrobique rursus singulare est in Ebræo. Et quidem vers. 13. טִמֵּא / ἐμίανε, versu verò ultimo יַעֲשֶׂה *faceret*, an tanquam cum scorto ageret cum sorore nostro? Validius longe argumentum desumsisset ex vers. 27. *quia* טִמְּאוּ *temeraverant Dinam.* Hic in Ebr. est plurale, sed vel per Enallagen adhibitum pro singulari, ut, *Mortui sunt qui quærebant animam tuam*, Exod. 4. de Pharaöne, & Math. 2. de Herode, vel ex ea loquendi consuetudine, qua factum unius, præsertim principis, toti societati tribuitur, juxta illud, Quicquid delirant Reges plectuntur Achivi. Certe omnes unius noxam exitio luerunt, tanquam si omnes rei fuissent.

Cap. XXXVII. vers. 35.

Ebr.	Vulg.
Descendam lugens אֶל־בְּנִי לְשְׁאֹל	Descendam lugens ad filium meum in infernum.

Vox Ebræa indifferens est tam ad infernum quam ad sepulchrum, unde voces Infernus & Αδης apud Interpretes sæpe pro sepulchro ponuntur. Taxamus tamen hunc locum, tum quia hac ambiguitate apud imperitam plebem ad stabiliendum fictitium suum limbum abutantur, tum quia nuper vidimus à πικρο-λόγῳ a Monacho hinc criterium hæreticorum Bibliorum cusum. Hanc enim inter alias ponit notam διακριτικὴν, quod ubi Catholica habent, *in infernum*, Gen. 37. hæretica habeant *in sepulcrum*. Hæreticus ergo tibi est *b Arias Montanus*? Hæreticus *Pagninus*, *c Joh. Benedictus*, Parisiensis; Theologus ille, ut *Senensis* de eo asserit, celeberrimus, Atque hìc in limine sistet me forsan aliquis ex eorum genere, qui nodos cum solvere desperant, secent, negabitque vocem Ebr. unquam significare sepulcrum. Ex quibus sunt *i* Crocquetius, Stapleton. Mart. Delrio, in Adagialibus V. T. tomo primo. His addi posset *k Bellarm.* nisi unica vocula semet ipsum ab illorum consortio separasset. Sed quid nobis hic probatione opus est? Dedimus jam testes & advocatos *Pag. Mont.* & *Joh. Benedictum*, do *l* Lovanienses Doctores qui Biblia Interlin. approbârunt. Do *m* *Sixtum* Senensem, qui cum multa in *n Steuchum* nobis hic consentientem notavarit, hoc tamen reliquit intactum. Dedit jam ante Cl. *o Rainoldum p Ferum*, *q Oleastrum* Inquisitorem Hisp. *q Cajetanum. q Lippomanum*, *q Clarium*, qui omnes docent hoc loco *sepulcrum* denotari, Quid adversus hanc tantorum testium nubem excipies Lancelotte? Et quandoquidem in titulo tuo adeo tibi placuisse videris, quodnam Quia repones ad hoc meum Quare? Sed ex superfluo alia aliquot loca proferam, ubi vestrorum etiam judicio vox hæc controversa non aliter quam pro sepulcro sumi post. Psal. 141. 7. *dispersa sunt ossa nostra in* שְׁאוֹל id est sepulcrum, teste *r Genebr.* Joh. 17. 23. *Si Scheol domum meam expectavero* id est sepulcrum, quod ipse *s Tomas* & Lyra

Lyra fatentur. Sic verſ. ult. *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea.* Quin & locum Num. 16. ubi ſeditioſi illi vivi dicuntur deſcendiſſe שְׁאוֹלָה / urgent *Cajet.* & *Oleaſtrius*, & locum Prov. 15. Epiſc. Gandavenſis Janſenius. Quibus omnibus addo *t* Riberam Jeſuitam, cujus hæc ſunt, *Infernus pro ſepulchro ſumitur & in infernum deſcendere pro ſepeliri.* Et *u* Andradium ad locum Pſal 16. & *Emanuelem Sa* in phraſibus Scripturæ, quas ad notationes ſuas adjecit, ubi XXVI. locorum inductione oſtendit infernum pro ſepulcro ſeu morte ſumi. Accedat & *Lorinus* Jeſuitam cap. 2. Actorum, verſ. 24. & Eccl 9. Et *Sanctius* Jeſuita in Jeſaiam & Chriſtoph. à Caſtro Baruch. 2.6. Verba ejus hæc ſunt, *Inferorum nomine licet aliqui velint intelligi ſinum Abrahæ, verius tamen & uſui Scripturæ conformius accipiemus ſepulcrum: ut accepit Jacob* Gen. 37. 35. cum dixit, Deſcendam lugens ad filium meum in infernum, *hoc eſt, lugere non deſinam, donec me ſepulturæ mandetis.* Quid jam dices Lancelotte? Imo quid tu ſociennis tuis reſpondebis Del-rio? Non ſatis eſt dicere *eos muſtea ſectari, animo non ſatis cauto, & minus attentos eſſe ad fraudes Hæreticorum.* Scilciet tu ſolus ſapis, ὁ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι Tu ſolus acutùm cernis inſtar aquilæ vel ſerpentis Epidaurii, illorum vero oculos Saturninæ lemæ vitiarunt. Non ſatis eſt exclamare, *Cur non omnes potius Catholici unanimiter Calviniſtis obviam tendimus & reſiſtimus, potius quam novis iſtis verſionibus ſuppetias imus malitiæ perfidorum?* Scilicet Hannibal eſt ad portas & in hoc loco de fortunis univerſi Papatus certatur. Næ tu nimis ferox & imperioſus es Delrio. Non ejuſmodi clamoribus ſed argumentis agendum erat. Videamus ergo quo argumento Cardinalis veſter Bellarm. ſignificationem Limbi (qui pars inferni erat) tueatur. *z Non poteſt accipi de ſepuchro, quia dicit ſe iturum AD filium ſuum, quem putabat devoratum à feris & proinde caruiſſe ſepulchro.* Huic terribili argumento crus dextrum fractum ex R. *a* Salomone Jarchio, & Hiſcuni, qui notant hoc loco אֶל *ad* poni pro עַל *propter.* Et tunc argumentum Bellarm. alto à culmine ruit. Quin oſtendit hoc ipſum Rabbinus ille exemplis, אֶל שָׁאוּל propter Saul, אֶל בֵית הַדָּמִים propter domum ſanguinum, quæ occurrunt 2. Sam. 21.1. Licet autem argumentum illud à *Poſſe aliter accipi* in objiciendo non procedat, in reſpondendo tamen vim magnam habet. Stabit

enim hæc responsio, usque dum Adversarius ostenderit אל hoc loco pro על accipi non posse. Alterum frangit solidissimè solidissimus *z* Rianoldus, dum ostendit & exemplis probat, *sepelire* (cujus conjugatum est sepulcrum) catachresticè sæpe in script. & profanis usurpari pro, *terræ reddere*. Mecœnas, cætera effæminatus, hoc unum masculè dixisse perhibetur,

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.

c Sèneca, *Omnibus natura sepulturam dedit, naufragos idem fluctus, qui expulit, sepelit; suffixorum corpora crucibus in sepulturam defluunt, eos, qui vivi uruntur, pœna funerat.* Sed quid clarius loco *d* Jerem. de Jojakim, *Sepultura asini sepelietur.* Sepelietur, terræ reddendus: *Sepulturâ asini*, non terrâ condendus. En insepultam sepulturam. Si sic sumitur *sepelire*, quid obstet, quominus sic ejus conjugatum sumi queat, Adversario monstrandum fuisset.

a Lancelotto in suo Heretico quare & Catholico quia. *b* Vide Bibl. Interlin. *c* Vide Biblia Vulg. cum notis margin. Joh. Ben. Paris. in fol. 1565. *i* Andreas Crocquetius Benedictinus Theol. Licent in Catechesibus suis confectis ex Catecheticis homiliis Math. Galeni apud Duacenses quondam Cancellarii & primarii Professoris. Cath. 19. sic ait, *Et ne vehementius sibi placeant ob suum illud Sheol, nunquam efficient ut uno saltem Scripturæ loco prolato præclaram illam interpretationem sepulcri confirment.* *k* De Christo lib. 4. cap. 10. art. 4. *Vox Sheol vel raro vel nunquam accipitur pro sepulcro.* *l* A. Hunnæum. Corn. Goudanum, Joh. Harlemium. *m* Biblioth. lib. 5. *n* Episc. Xisamens. & Biblioth. Apostolic. ejus verba hæc sunt ad hunc ipsum Geneseos locum, *Vbicunque Hieron. & Lxx, interpretati sunt infernum, Ebraice est Sheol id est fossa sive sepulcrum* Et paulo post, *quare non proprie inferos signat Sheol.* Deinde laudat Abenezram culpantem Chaldæum Interpretem quod Gehennam verterit, aitque eum varia loca citare, *ex quibus cognoscatur, Sheol semper sepulcrum denotare.* Ac denique sic concludit, *hæc concludimus nihili facientes ea quæ hac de re somniat Lyra. Vere enim figmenta sunt quæ de limbo scribit hoc loco,* *o* Cens. lib. Apocr. lect. 80. *p* In comm. ad hunc locum, *quamvis descendere ad inferos nihil aliud sit apud Ebræos quam sepeliri, mori & in foveam ire.* *q* Omnes in comm. ad hunc locum. Addo Marianam, *Pagninus*, inquit, *& Leo Iuda pro inferno sepulcrum posuere. Neque hoc loco multum referebat, Id significare vult, moriar, nam mortuo filio non possum vivere.* *r* Comm. ad Psal. istum. *s* Thomas præl. 2. in 17. caput Jobi ad vers. ult. *quicquid meum est ad sepulcrum deducetur.* Ecce profundissimum infernum exponit de sepulcro. Quam pulcre his consonant verba Bellarm. de Christo lib. 4. cap. 10. §. 1. *profundissimum infernum opponi altissimo cœlo: Spulcrum autem non abesse à terra duobus palmis aut paucis ulnis, ut* §. 2. locutus est. *t* Comm. in Hos. cap. 5. & Indice in comm. suum in minores proph. titulo, *infernus.* *u* Defensione Concilii Tridentini libro secundo. *y* De Christo lib. 4. cap. 10. §. 4. *z* Idem loco citato. *a* Verba ejus, הרבה אל שמשמשין בלשון על *multa reperiuntur El, quæ serviunt in significatione* propter. *b* Lect. 80. censuræ in libros Apocr. *c* Controvers. lib. 8. contr. 4. *d* Jerem. 22. 19.

CAP. XXXVIII. verſ. 23.

Cum inveniri non poſſet Thamar, cui hœdum ex pacto per amicum mittebat Judas, apud quam arrhabonis loco reliquerat annulum, cidarin & pedum ſuum, ſic loquitur ad amicum: *Habeat ſibi, ne forte ſimus in contemptum:* q. d. malo rerum iſtarum jacturam facere, quam ulterius quærendo vulgo plebique materiem male de me loquendi præbere. Vulgatus autem longe à verbis ſenſuque Judæ aberrans ſic vertit, *Habeat ſibi, certe mendacii nos arguere non poteſt.* Ex quibus verbis Thomas ſecundâ ſecundæ concludit, quod homines interdum faciant ſibi conſcientiam majorem de culpa minori, quàm graviori. Quemadmodum Judas de mendacio quod non eſt ſemper mortale, quàm de fornicatione, quod ſemper eſt mortale, loquendo de eâ formaliter. Hæc deſcripſimus ex Carthuſiani commentariis, qui hæc immediatè ſubjungit, *Porro, ut recitat Lyra, in Ebræo habetur, Habeat, ne forte ſimus deſpectui,* &c. Et ingenue Steuchus ad textum vulgatum inquit, *Ebraice is ſenſus non eſt. Hæc enim aliud ſonant.* Idem Card. Cajetanus notavit. Satius ergo fuiſſet τῶν Lxx. veſtigia preſſiſſe, qui optime & fideliſſime, μή ποτε καταγελασθῶμεν. Sic & Chald. Quid & Aquila & Symm. μήποτε γενώμεθα εἰς ἐξουδένωσιν. Unde & Mercerus, alias ſic ſatis indulgens excuſationi hujus Interpretis, ad hunc locum coactus fuit aſſerere, *parum fideliter hunc locum redditum ab Interprete,*

CAP. XLI. verſ. 45.

Ebr.	Vulg.
Vocavit nomen Ioſephi צפנת / פענח	Vocavitque eum Salvatorem mundi;

Solent reges iis quos ad honores ſummos ſublimârunt, nova indere nomina, ut hoc loco Pharaonem feciſſe legimus. Voces iſtæ plane Ægyptiacæ cenſendæ ſunt, ut ut prima cum Ebr צָפַן coincidere videatur ratione thematis. Illud enim certo certius eſt, Ægyptiacam, Punicam, Abrabicam cæteraſque

que illas Orientales, Ebrææ matris dialectos esse, admodum-
que affines, id quod in Arabicis ex Lexico Scindleri, qui the-
mata vocesque Abrabicis characteribus expressit, quivis etiam
Arabismi plane ignarus viderit. Quid ergo mirum si in Agypt.
tres radicales Ebrææ vocis retentæ? Sic ab Ebr. נְצַר fit Ara-
bicum נֶצֶר / Sic ab ארץ fit ארץ *ardon.* Sic à מַיִם & מֵי fit Ægypt.
מו / unde *Moab* interpretantur *aqua patris.* Sic Ægyptii Mona-
chos (si non fallit nos Erasmus in Hieron. de custod. Virgin.
ad Eustochium) vocarunt Nonnòs (unde apud nos mansit
Nonna id est monialis) id est filios, ab Ebr. נִין / quomodo
eorum præfectos vocamus *Abbates* id est Patres. Hæc ideo ad-
duximus, ut eorum fundamentum everteremus, qui ut versio-
nem Vulgati Interpretis quæ hic habet *Saluatorem mundi*, de-
fendant, pertinaciter contendunt, has voces, quæ Ægyptiæ
sunt (quod libenter damus) non posse significare id quod
Ebræi tanto consensu, Chald. Philo, Theod. &c. tradiderunt.
Cum enim vox prima צפנת ad thema magnæ matris Ebrææ
reduci possit, quod significat, *abscondit, occultavit,* occultæque
hujus rei interpretatio huic nominis mutationi occasionem dede-
rit, cur non præferemus Interpretationem eorum, qui *occulta,
abscondita* vertunt? Quâ significatione admissâ sponte se pro-
dit Interpretatio nominis alterius, sive explanatorem, sive re-
velatorem, sive scientem sive inventorem sive Interpretem
vertas. Philo enim vertit ὀνειροκρίτην & κρυπτῶν εὑρετήν. Syrus
juxta Scholion ad Bibl. Rom. εἰδὼς τὰ κρυπτά. Theod. τῶν
ἀπορρήτων ἑρμηνεύτην. Josephus κρυπτῶν εὑρετής. Onkelos, *cui
retecta occulta sunt.* Jonath. *occultorum Interpres.* R. Sal. מפרש
הצפונות *enarrator occultorum.* R. Levi, *qui arcanorum scien-
tiam habet.* Hieron. quoque in Quæst. fatetur Ebraice sonare
repertorem absconditorum, sed Ægyptiacè, *Salvatorem mundi.* Ve-
rùm dicat mihi aliquis, utra vox prior an posterior *mundum*
vel *Salvatorum* significat. monstret quispiam ullum vestigium ha-
rum signif. ex lingua Ægypt. afferant vel unam conjecturam
quæ versioni isti robur addat, & lubentes eam admittemus,
utpote quæ magis factura esset ad mysterium Christi, cujus
Josephum in plerisque typum tradidit antiquitas. Lyra ingenuè,
*Vtrum idem nomen in lingua Æg. significet Salvatorem mundi, ne-
scio, nisi quantum dicit nostra translatio.* Mariana, *Ego voces, ut
sunt*

ſunt in Ebr. intactas relinquerem, ne cujuſquam interpretationi præjudicaretur. Non probat ergo additamentum vulgati Interpretis.

Verſu eodem occurrit nomen פוטיפרע nomen proprium viri, ſacerdotis On, cujus filiam duxit Joſeph. At cap. 39. 1. aliud nomen extat, nomen proprium ejus cui à Madianitis venditus fuit Joſeph, ſed illud unâ litera brevius eſt. Scribitur enim פוטיפר/ Hæc duo nomina Vulg. Lxx. confudêre. Vtrumque enim ille *Phutiphar*, hi πεντεφρῆς reddidêre. Quæ confuſio errandi occaſionem præbuit. Multi enim qui ad hanc differentiam non attendêrunt, vel quibus ad fontes præ linguarum imperitiâ recurrere non licuit, exiſtimârunt unum eundemque hominem fuiſſe hunc, cujus filiam duxit, & iſtum cujus antea tulerat imperium, quod admodum improbabile atque à veritate alienum eſſe prolixe oſtendit Mercerus. Lyra hoc vidit, qui relata hac opinione mox ſubjicit, *Sed contra hoc videtur, quod in Ebr. iſte Phutiphar habet unam literam plus quam præcedens in ſuo nomine, quia habet literam Aym* (lege Ain) *in fine, quam non habet præcedens, & ideo videtur eſſe alius homo à prædicto.* Scio & Ebræos quoſdam ex nugatorum ordine perſonas eas confundere, ut Vulgatus nomina, ſed ita eſt profecto, ut Lyra notavit. *Potiphar* fuit præfectus Satellitum: Potipherang Sacerdos ſive princeps Oniorum. Nunquid hæc evidens differitas eſt? Sed non ſic haſtam abjicit pertinax imperitia. Fuit præfectus ſatellitum, inquiunt, habuit conjugem, ex ea ſuſcepit hanc prolem, filiam vid. Aſenath. Sed poſtquam ad nefandum concubitum ſollicitaſſet Joſephum, divinitus caſtratum ajunt & poſtea munus illud ſuum cum ſacerdotio commutaſſe. At unde probant caſtratum fuiſſe? quia vocatur *Eunuchus.* Reſp. Hæc duo *Sacerdos On* & סריס Eunuchus nunquam conjungi: At contra præfectus Satellitum & Eunuchus, ſemel atque iterum. vid. Geneſ. 37. 36. & 39. 1. Si סריס eſt exectus & Photiphar idem cum Photipherang, oportet eum exectum jam tunc fuiſſe cum Joſephum emeret. Vide loca jam citata. Dicet tiro quomodo exectus Potiphar ſi uxorem habuit? Reſp. Eunuchum aliquando & aulicum ſignificare, ſeu miniſtrum & præfectum regium. Scil. in Ægypto, Babylonia & Perſia, Regum miniſteriis fere execti adhibebantur. Tandem verò, ut fit, tranſiit in nomen dignitatis ſeu mini-

Corp. Canon. p. 2. decreti cauſ. 1. Quæſt. 1. § Sicut Eunuchus, in Gloſſa.

ministerii honorabilis, unde Chaldæus Gen. 39. 1. vertit רַבָּא *princeps*. & 2. R. 8. 6. plurale ejus per רַבְרְבַיָּא reddidit & 1. Sam. 8. 15. לְסָרִיסָיו ubi Jun. *aulicis primoribus suis*, Chald. רַבְרְבוֹהִי *principibus suis*. Ipse quoque 70. Jerem. 34. 19. *δυνάστην* reddiderunt. Act. 8. Græcum *Eunuchus* Syrus מהימנא id est fidelem reddidit. Quò respexit Scholiastes, qui Syros eodem vocabulo *Eunuchos & Dominis suis fideles*, appellare prodidit.

CAP. XLII. vers. 13.

Δώδεκα ἀδελφοὶ ἐσμὲν οἱ παῖδές σου ἐν γῇ Χαν. Duodecim fratres sumus servi tui in terrâ Canaan. Ita LXX. At quomodo in terra Chanaan, qui in Ægypto? Respondet Augustinus, *sumus* positum esse pro *habitamus*. Certè *esse* aliquando pro *habitare* ponitur. Ruth. 1. 3. *& fuerunt ibi* id est habitarunt. Confer v. 4. ubi est וַיֵּשְׁבוּ in fonte. Sed plane aliena hîc est illa observatio. Sic enim habent Ebræa, *XII. servi tui fratres nos, filii viri unius in terra Chanaan.* Drus. Misc. cent. 2. cap. 88.

CAP. XLVII. vers. 31.

Incurvavit se ad caput lecti.

Vide quæ notamus ad Epistolam ad Ebræos 11. 21.

CAP. XLVIII. vers. 16.

Ebr.	*Vulg.*
Vocetur in iis nomen meum & nomen Patrum meorum.	Invocetur nomen meum & nomen Patrum meorum super eos.

Videantur hic Rivetus ad Ps. 16. & Chamierus tom. 3. lib. 15. cap. 7.

Verba sunt Jacobi utrique nepoti suo ex Joseph benedicentis. Quorum, ipso Lyrâ præeunte, hic sensus est, adopto eos in filios meos, licet ex te nati sint, tamen dicantur filii mei, uno ordine habeantur cum filiis meis ex me immediatè natis in divisione terræ & constitutione tribuum, denominentur non de nomine tuo sed meo. Similis locutio Jesai. 4. 1. *Tantummodò vocetur super nos nomen tuum*, id est, denominemur

de nomine tuo, ubi iterum Vulgatus, *invocetur nomen tuum super nos* Ex hoc loco prout à Vulgato conversus est, Invocatio Sanctorum vires & incrementa sumpsit. Hinc enim disputant, a Monachi Burdigalenses. b Eccius & c Canisius. Hinc d Bellarm. & e Valentia nomen Invocationis hominibus competere, probare satagunt. Audiamus etiam Carthusianum, potest quoque & ita exponi, inquit, ut Jacob, Isaac & Abraham invocarentur à fidelibus, tanquam tres sancti viri ad orandum pro Ephraim & Manasse. Sed vel sola collatio loci ex Iesa. citati docere eos potuisset, in phrasi illa pro Invocatione Sanctorum nihil omnino situm esse præsidii. Mea hæc est sententia, non tam versionem, quæ commoda aliqua Interpretatione locorumque aliorum collatione leniri posset, quam non intellectum Ebraïsmum, vocemque *invocetur* sine necessitate pro simplici *vocetur* positam indoctiores decepisse. Plane nobiscum hic faciunt f Ribera, Cajet & Corn. à Lapide & Fonseca ad marginem Cajetani & Lyra & Hugo Cardinalis ad hunc locum. Nec non Arias Mont. in idiotismis & Oleastrius & quidam g Hector Pintus Lusitanus & alii. Nec video quomodo ab his separari queat ipse Bellarminus. h Negat enim sanctos ante ascensum Christi in cœlos à vivis adoratos fuisse. *Quia ante id tempus*, inquit, *sancti non videbant Deum, non fuit consuetum in V. Test. ut diceretur, sancte Abraham ora pro me*, &c. Claudam verbis Merceri ad hunc locum, *Ebraismorum ignorantia* (addo, & eum subsecutus fontium contemptus) *multos errores peperit & invexit in Ecclesiam.*

a Artic. 57. professionis fidei in Aquitania editæ: Extat inter opera. Sadeëlis.
b In Enchiridio de Vener Sanct.
c Catech. cap. 3, art. 8, in margine.
d De Beat. Sanct. l. 1, 20.
e De Idolol. 3, 7.
f Ad Amos 9. Num. 42.
g Ad Jes. 4. 1.
h De Beat. Sanct. l. 1. 19.

Cap. XLIX. vers. 9.

Non recedet sceptrum de Iuda, &c.

Vide de hoc oraculo *Casaubonum*, Exercitat. Anti-Baron. 2. Sect. 2. & 3. & qui accuratius hæc pensitârunt & in quibusdam non sine gravissimis rationibus à Casaubono dissentiunt, *Cunæum* de Repub. Ebræorum lib. 1. cap. 9. & 10. & *Sculterum*, Exercit. Euangel. lib. 1. cap. 3. [*Montacutium*, in Analectis Exercit. 2. sect. 8.] Subdifficile est hoc oraculum; ac propterea variis expositionibus obnoxium. Baronius cum pleris-

risque Patribus continuum regnum tribui Judæ promitti existimat, ad Christi usque adventum, serie continuâ, aut non nisi ad tempus interruptâ, duraturum. Existimat in ultimo Hasamonæorum Antigono, & Hircano, quem Herodes sustulit, extinctum regnum Davidicum. In Herode denique completum hoc vaticinium. Hanc sententiam sic refutat *Causabus* ut ostendat, 636. annos ab edito hoc vaticinio usque ad Davidem excurrisse, queîs nullus ex tribu Judæ imperium tenuerit, præter Othonielem & Ibtzanem, illorumque imperium non fuisse regium. Regium autem imperium à Davide demum inchoatum, desiisse in Zedekia. In Zorobabele revixisse quidem, sed non ultra 53. annos durasse. Ex eo penes Pontifices & Hasamonæos fuisse rerum summam usque ad Pompejum solidam & plenam, at postea valde imminutam & Senatui Rom. obnoxiam usque ad Herodem magnum. Hunc etiam alienigenam fuisse cum illustriss. Scaligero negat, ac proinde in eo hoc vaticinium non fuisse completum, sed in destructione templi secundi. Id quod Iustinus in Colloq. cum Tryph. egregiè ostendit. Quin & si Herodes alienigena fuisset, priorem tamen fuisse Pompejum, qui Judæam sub Romanorum jugum misit. Vult ergo *Casaubonus*, per *Judam* in oraculo Iacobi omnem Israëliticum populum intelligi, secutus in eo *Eusebium*, quem etiam *Bulengerus* Casauboni adversarius hîc sequitur, ut hic sit Oraculi sensus, *non deficiet, Rex, Dux, propheta ex gente Israëliticâ, usque dum venerit Silo.* Tres ponit gradus interitus Reip, Iudaïcæ, primum, cum populus, sui antea juris, servitutis jugum subire coactus est à Pompejo. 2. cum Archelao Viennam relegato, Judæa in formam provinciæ redacta est. 3. cum Titus urbem solo æquavit. Falsa ergo tria illa ἀξιώματα, quæ à communis sententiæ Patronis tanquam si certæ & immotæ veritatis essent, sumuntur. I. Penes tribum Judæ fore perpetuum regimen usque ad Messiam. II. Messiam venturum tunc, cum rerum summa penes primum alienigenam esset. 3. Hunc fuisse Herodem magnum, Atque hic conveniunt Casaub. Montacutius, Scalig. Cunæus Scult. & alii. Hic verò diffident, universum populum Israëliticum sub nomine unius Judæ hic contineri. Quorum respublica est, eorum etiam esse sceptrum, asserit Cunæus, quem in omnibus

bus Scultetus ſequitur. Id verò à Moſe uſque ad Ieroboamum, non Judæorum ſed omnium Iſraëlitarum fuiſſe. De hoc ſceptro non locutum fuiſſe Jacobum, ſeros annos ſpectaſſe, cum tribus Judæa, ſciſſo in partes contrarias populo, ſuam ſibi Remp. ſeorſim habere cœpit. Hanc ſceptri majeſtatem, ex quo ea ſemel Judæorum eſſe cœpit, manſiſſe eorundem, etſi mutatus interdum Reip. ſtatus ſit, ac penes Pontifices modò, modò penes Reges & Principes ſumma rerum fuerit. Quicunque populus ſuâ quadam Rep. & legibus utitur, is rectè]de imperio ſceptroque gloriari poteſt. Perinde ac regnum Poloniæ ſemper manet, quamdiu corona & jus eligendi Regem apud Polonos manet, etiamſi exterus regnet. Etiam eo tempore, cum populum non principes ſed optimates regerent, in medio magni Concilii, quod Sanhedrin vocant, ſceptrum pependiſſe tanquam inſigne quoddam Majeſtatis. Nihil interesſe ergo, quâ de gente aut tribu fuerint qui Judaïcas res moderati ſunt, manſit enim ſemper Reſpublica Judæorum. Non enim Rempublicam Principis eſſe, ſed Principem Reip. Hæc literatiſſimus ille Juriſconſultus, Acad. Leidenſis nequaquam poſtremum columen cujus in ſacris diligentiam utinam Verbi divini Interpretes æmularentur! Hâc oraculi Interpretatione id effectum dedit, ut nulla nos cogat neceſſitas de Herode contentionis ſerram reciprocandi, an vid. is alienigena fuerit nec ne, cujus negativam ita tutati ſunt Scal. & Caſaubonus, ut quam plurimis eruditiſſimis viris non omnino ſatis fecerint.

Duos ergo Iacobus ſibi propoſitos habuit ſcopos,

I. ut oſtenderet, quo uſque Reſp. Judaïca, poſt abductas à Salmanaſſaro decem tribus, eſſet duratura, vid, ultra adventum Meſſiæ, *non recedet ſceptrum*, vel ut Junius, *non deſiſtet tribus à Juda*, donec venerit Tranquillator, Ebr. עַד פִּי יָבא quod commodè reddi poteſt, *donec venerit*, ut intelligatur, primò venturum Chriſtum in regnum ſuum, illudque ſolenniter inchoaturum, id quod poſt aſcenſum ejus in cœlum factum eſt in die Pentecoſtes. Errant enim qui adventum ejus tantum ad nativitatem ejus reſtringunt. Poſtea verò omnem penitus civilem Magiſtratum, & ordinem hierarchicum deletum iri. Quomodo

do Num. 20. 17. legitur עַד אֲשֶׁר נַעֲבוֹר *donec transierimus.* II. circa quod tempus venturus esset Messias, circa illud vid. mox subsecutura esset Reip. Judaïcæ πανολεθρία, adeo ut ea certissimum & infallibile documentum Christi jam nati Judæis esse debuerit. Interpres Italicus *Deodatus* non recedit ab hac oraculi interpretatione, per sceptrum intelligens *majoritatem, & imperium hujus tribus, postquam semel ejus facta fuerit compos, & statum tribus, qui nunquam omnino desiit, usque ad Christum, qui eum convertit in regnum spirituale.* Pisc. in Bibl. Germ. *non recedet, id est, non omnino auferetur, ut nulla superfutura sit spes illud sceptrum id est regimen recuperandi, donec, &c.* Idem in Quæst in Genes. *non desinet tribus Judæ, neque etiam potestas omnis imperandi adimetur ei, antequam venerit Christus in regnum suum, illudque solenniter incoarit.* Genevenses in annot. *Sceptrum non recedet,* &c. *id est, tribus Juda manebit à cæteris tribubus distincta, usque ad Messiæ adventum, retinebitque politicum & Ecccesiasticum regimen una cum notitia & cultu veri Dei aliquo modo, en quelque sorte.* Non ergo in Herode magno hujus vaticinii complementum constituunt, utpote sub quo nec Pontifices, nec sacerdotes, nec synedrium nec tribus distinctio desiêre. In his certe inter Herodis tempora & urbem vastatam nulla insignis facta est mutatio.

Porro, tironem moneo, vocem *Silo* commodissimè sic acci- Olcastr.
pi, ut sit formæ קִיטוֹר. קִימּוֹשׁ & significet Sospitatorem, tran- *quietum* interpre-
quillatorem, omnis tranquillitatis authorem, ut ה sit thematis tatur.
litera, à them. שָׁלָה unde שָׁלֵו tranquillus, שַׁלְוָה tranquillitas, unde Latinum *Salus, salvus, salvare, Salvator.* Ut vel hinc videas, quanta sit inter duo isthæc nomina SILOH & JESUS affinitas. Namque τὸ *Jesus* si non Latinius, at saltem ἐμφατικωτέρως reddi *Salvator,* quàm *Servator,* nemo opinor, Melanth.
iverit inficias. Quàm autem de facili ipsa *Salvatoris* vox à no- Scultetus.
minis Silo themate deflectatur, jam ostendi. Communis autem illa interpretatio, SILOH *Filius ejus* explicari non potest, nisi per multas ambages. Primo enim erit ה pro ו / quod exemplo non caret. Deinde שִׁילוֹ erit שִׁלְיוֹ, atque hoc rursus pro שִׁלְיָהוֹ ut פִּנָּה pro פִּנָּתָה / Tertiò erit Metonymia. Vox enim Ebræa שִׁלְיָה secundas significat, vel ut vulgo loquuntur *secundinas,* sic dictas, quod in iis *tranquillè* agat fœtus,

Ex his omnibus, fateor, nihil eſt, quod non ſit in S. Literis frequens. Sed an ſecundæ viro poſſunt tribui? Affixum enim ſi eſt, M. generis eſt & ad Judam referetur, Ego puto priorem ſententiam eſſe ſimpliciorem, videoque placuiſſe eam Oleaſtrio, Fagio, Mercero, Druſio, Scultero, Melanth. Forſtero, Caſtellioni, Schindlero, & aliis. Cave autem ne tibi quoque Porchetus & Galatinus imponant, affixum ה in שִׁילֹה ad Virginem Mariam referri, ut innuatur hac voce *Meſſiam de matre abſque patre naſciturum*, ut loquitur Galat. pag. 199. lin. 4. cap. 4. ה enim non magis eſt fœmin. affixum, quàm in אָהֳלֹה עֶזְרֹה / ipſeque Galat. p. 208. ex Kimchio docet, ה eſſe loco vau. Ita tamen hanc interpretationem vocis SILOH probo, ut alterum *Filius ejus*, atro lapillo non notem. Fruatur quiſque judicio ſuo. Illud diſſimulare non poſſum, eam, quam vulgatus interpres elegit, neutiquam mihi probari interpretationem, *mittendus, donec veniat qui mittendus eſt*, nec tueri eam queunt Pontificii, niſi cum rejectione textus Ebræi. *Exiſtimo hunc locum corrupiſſe Judæos*, inquit Steuchus. Itane Steuche? Quomodo ergo antea fuit ſcriptum שִׁילוֹחַ inquis. Ita & Corn. à Lapide, qui & illud addit, hoc commune olim nomen Meſſiæ fuiſſe, ut patet, inquit, Exod. 4. 13. Quo in loco ego tamen vocem שִׁילֹחַ non invenio. *Unde ad hoc ſuum nomen*, pergit à Lapide, *Siloach alluſit Chriſtus, cum cœcum illuminaturus miſit ad piſcinam Siloë*, Joh. 9. 7. En ſuavi-ludia. Cui vero cordato id perſuaſeris Corneli, Cum enim Ebræi & ante Hieron. & poſt eum, locum hunc de Meſſia acceperint (Ex. gr. Chaldæi Interpretes tres, Thalmudici in Maſſech. Sanhedrin cap. XI, R. Salomo, Kimchi in Radic. &c.) quis credet locum hunc ab iis corruptum, & quidem eo fine, ne de Meſſiâ acciperetur: Certe ante Hieron. à LXX. Interpretibus non fuit lectum שִׁילֹחַ / quomodo enim ex eo, τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, vel ut Euſeb. citat. ᾧ ὑπόκειται, *cui repoſitum eſt*, exſculpſiſſent. Sed audiamus Galatinum, virum aliàs in accuſandis fontibus nimis facilem. Sic ergo ille lib. 4. cap. 4. *Judæi noſtri temporis latam habent viam fugiendi* ſi ſc. שילח per Cheth legeretur) *objicere enim facile poſſent, Prophetiam hanc non de Meſſiâ, ſed de aliquo alio intelligendam eſſe, & præſertim de Nebucadnetzar qui ad peccata eorum punienda mittendus erat, &c.* Quomodo & Lyra ab

hac versione deceptus exposuit. Vide jam Salom. Glass. ex professo de hoc loco cum Gordonio in Philologiâ sacra διαλεγόμενον, nec non Martinii Lexicon Philolog, Fagium, Mercerum, [Chamierum] & alios.

Tollam manum de hac tabula ubi istis, quæ supra à me disserta sunt, confirmandis adscripsero locum ex *Montacutio*, qui postquam probasset, יָבֹא vertendum esse VENERIT, authoritatibusque *Justini*, *Eusebii*, *Athanasii*, *Hieronymi* comm. in Sophoniam, *Theodoreti* in hunc locum, se munivisset, ut sententiam hanc de novitate absolutam in antiquorum classem transcriberet, objicit sibimet ipsi in hunc modum. At enim vero anni tunc effluxerant à nato Servatore LXXIII. præter propter, cum eventum sortiretur hoc vaticinium. (vid. in destructione urbis.) Rectè. Sed & anni non minus multi ab ablato per Herodem principatu & regno ad Idumæos translato, cum nondum Messias nasceretur. Esto autem. multò plures effluxissent: * non sunt adeo coërcenda vaticinia. Qui volunt in Herode defecisse sceptrum, non statim advenisse Messiam contendunt. Totos annos XXVIII. intervenisse vult Baronius. Ultra equidem XXX. largiri debuit à semoto legis-latore & translato sceptro, neque tamen Messias nascebatur. Satis ergo vaticiniis factum esse solet, si eventum ipsorum non in ipso τῷ νῦν, sed in vicinitate quadam terminemus. Dictum est, illud *veniet* non præsentem denotare; sed præteritam rei prædictæ mentionem, & jam quidem Messiam advenisse oportere, cum sceptrum auferretur, non priusquam veniret auferendum fuisse. Sed & aliter occurrendum est huic scrupulo, & in ipsomet adventu & illius τῷ νῦν, terminus defigendus impleti hujus vaticinii. Χριστοῦ γὰρ παρουσίαν καταγγέλλομεν, οὐ μίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ δευτέραν, inquit Cyrillus Hierosol. Et certè memorant Prophetæ geminum adventum, contraham verba authoris, primum inhonorum, secundum gloriosum. Qui duo adventus inter se tam disiuncti ἀναμὶξ plerunque à prophetis proponi solent, vix ut internosci queant. Gloriosus autem ille adventus duplex est particularis & generalis. Generalis, qui erit in novissimo die. Particularis cum adversus homines singulares judicium suum exercet. Judex in utroque idem Christus. Joh. XXI. ἐὰν θέλω αὐτὸν μένειν ἕως ἔρχομαι, τί πρὸς σε; usque dum venero. Ad

* Vide in eandem sententiam Cunæum lib. I. cap. [illegible]

Ad judicium exercendum, non universale, sed contra Judæos particulare, quo & urbs & regnum & Resp. fato quodam occubuêre. Ita locum exponit secutus vetustiores Theophylactus, κατὰ τῶν σταυρωσάντων με Ἰουδαίων, μέλλων αὐτοὺς διὰ τῆς τῶν Ῥωμαίων ῥάβδου πατάξαι καὶ καταστρέψαι τὴν πόλιν αὐτῶν. Donec venero, ad judicium scilicet contra Judæos qui me crucifixerunt, quos per Romanorum virgam sum percussurus & subversurus eorum urbem. Quo quidem casu cum sceptrum & legislator ablatus defecerint omnino, impletum est quod dixit, *non deficient, &c. donec venerit.* Cum autem venerit, tunc deficiet & non restituetur in æternum. At ad illa usque tempora regnatum non est per duces è Juda & domo David. Fateor equidem, neque opus erat. Nec secundum Cardinalem regnatum est. Regnum enim proprie dictum finitum est in Zedekia. Regnum impropriè, id est potestas & principatus, in Zorobabel. Si per Assamonæos recuperatum dixerit principatum, quod affirmat, præterquam quod hoc liquido falsi convicerimus, non enim erant illi de Juda sed Levi, tum ne quidem in Herode principatus defecit ad eum modum, cum ab exitu illius per lineam fœmininam in Herode Agrippâ repullulaverit. Sed non erat opus ut regnaretur. Non enim de Judâ in individuo dixit, non in particulari de tribu Juda, sed de gente Judæa. Sensus ergo, Judæos ab illo tempore, quo cum cæteris gentibus censebantur, non desituros gentem esse, nec dissipandos, sed cum formâ aliqua reip. perstituros, sacerdotium & Legem retenturos, usque dum Messias advenisset. Hactenus Montacutium audivimus. Jam lege Bulengerum & videbis eum semper petere illud quod est ἐν τῇ ἀρχῇ. Aut impletum est hoc vatininium inquit, in Zedekia, vel in Pompejo, vel Herode, vel Tito. Non in Zedekia, non in Pompejo. Hoc fateris inquit ad Casaubonum, non etiam sub Tito. Et quare? Jam enim dudum natus & mortuus erat Christus. Ergo aut vaticinium erit falsum, aut sub Herode Idumæo erit impletum. Vides illud VENIAT primarium Bulengeri esse præsidium. Illud postremò addam, Si adventum Christi cum Piscatore & aliis accipias de adventu ejus in regnum suum, quod in die Pentecostes solenniter incoâvit, ex eo usque ad eversam urbem tantùm XL. annos præter propter inter-

intercessisse. Cum autem inter Herodiani regni initium & Christum natum triginta circiter anni effluxerint, videbit facile cordatus Lector, illud argumentum quod à longiore illa temporis intercapedine adversùs nostram sententiam depromi supra dicebamus non esset anti, ut propterea illi repudium mittendum sit.

EXODVS.

CAP. IV. vers. 25.

Et tulit ilico Sephora acutissimam petram
Et Josuæ 5. *fac tibi cultros lapideos.*

THomas Aquinas, cujus ego viri ingenium merito suspicio, postquam movisset objectionem adversus usum cultelli petrini in circumcisione, in hunc modum respondet, *Ad secundum, dicendum quod cultellus lapideus non erat de necessitate circumcisionis, unde non invenitur tale instrumentum præcepto divino determinatum. Neque etiam communiter tali instrumento Judæi utebantur ad circumcidendum, sicuti neque modo utuntur.* Hactenus vera & certa locutus est. Quæ vero sequuntur, incerta sunt *Legantur tamen aliquæ circumcisiones famosæ, cultello lapideo factæ, sicuti legitur Exod. 4. quod tulit Sephora acutißimam petram, & Jos. 5. dicitur, Fac tibi cultellos lapideos* Hæc dico admodum esse incerta. Cl. Drusius in notis ad Josuam inclinat eò ut putet fuisse petrinos cultros. Ramirezius cap. 4. Pentecontarchi valde sudat, ut opinionem istam stabiliat. Argumenta à doctissimo Masio mutuatus est. At Cl. Junius, [a] Piscator, Genev. [b] Cajet. B. Arias Mont. & Pagn. existimant in voce צור quæ proprie *acumen* denotat, esse vel Motonymiam adjuncti synecdochicam, pro cultro acuto: vel metaphoram, quatenus צור *petram* significat. Quod ergo ex Theodoreto, Quæst. in Josuæ caput 5. & Iustini Dialogo cum Tryphone, subjicit Thomas, *Per quod figurabatur, circumcisionem spiritualem esse fiendam per Christum*

Parte 3. Summæ Quæst. 70. art. 3.

[a] in Quæstionibus.
[b] ad Jos. 5.

ctum, [a] *de quo dicitur*, 1. *Cor.* 10. *Petra autem erat Christus*, quam firmo nitatur munimento, jam liquere arbitror.

CAP. X. vers. 19.

Mare rubrum.

Quod Ebræus vocat ים סוף id est mare algosum, id Græci θάλασσαν Ἐρυθρὰν vel Ἐρυθραῖαν, Latinus verò *Mare Rubrum* vocat. Et quidem bis extat in Novo T. Act. 7. & Hebr. 12. Creditum multis, sic illud, dictum à colore aquæ, unde vulgò quoque sic pingitur. Sed jam olim * Curtius prodidit, maris illius aquas ne colore quidem abhorrere à cæteris. Brodæus in Misc. 3. 9. testatur se diligentissimè sciscitatum de multis, qui mare illud sulcaverant, atque id responsi tulisse semper, quæ de rubra aqua aut arena vulgò dicuntur, falsa esse, neque ullum unquam repertum adeo stolidum, qui id ab Oceano nostro quicquam differre existimaret. Ludovicus Vartomannus, oculatus testis, in Itinerario, *Satis*, inquit, *in confesso est omnibus, quod dictum æquor non sit rubrum, sed instar reliqui æquoris.* Ast ego de arenæ colore ἐπέχω. De algæ colore rubeo non contendo. Illud monuisse tironem satis fuerit, aquas istius maris non rubere. Unde ergo dictum *Rubrum*? Illud interpretamentum est Græci, Ἐρυθρός. Curtius, *Ab Erythro Rege inditum est nomen.* Suidas, Ἐρυθρὰ ἐκλήθη οὐκ ἀπὸ χροιᾶς τοῦ ῥοθίου, ἀλλὰ ἐκ τινος ἀνδρὸς Ἐρυθρᾶ τὴν προσηγορίαν, [b] ἐνδυναστεύσαντος τοῖς τόποις ἐκείνοις Agatharhides apud Photium, cum duas recensuisset sententias, quarum prima à colore undarum, altra à dominatore, nomenclaturæ communis arcessebat originem, sic inquit, ἔστι δὲ τὸ μὲν ἀπὸ τοῦ χρώματος τὴν κλῆσιν κατασκευάζον, ψεῦδος, οὐ γάρ ἐστιν ἐρυθρά. τὸ δὲ ἀπὸ τοῦ δυναστεύσαντος, ἀληθές. Quis verò ille *Erythrus* sive *Erythras*? Hic omnes futilitatis numeros impleverunt Gentiles. Hunc Erythrum *Esavum* fuisse, qui cognomen habuit *Edom* id est ἐρυθρός. Genebr. ad Ps. 106. Drus. ad loca diffic. Exod. pag. 187. Scaliger ad Festum voce, *Ægyptius*, & omnium diligentissimè Fullerus Miscell. 4. 20. ostenderunt. Miraris lector, *Edomum* huic sinui nomenclaturam dedisse? Cogita, unicum montem *Atlantem* vastissimo

* lib. 8.

mari

mari nomen dedisse. Cogita, Philistæos mari mediterraneo, cujus nec ita diu, nec magna admodum parte domini fuere, de suo nomine nominasse *Palæstinum*, Exod. 23.11. Quid ergo miraris, potentissimum, quà late isti patebant campi, Monarcham, Esavum, aut potentissimam ejus progeniem nomen imposuisse isti sinui, quem diutissime sola possedit? Illud etiam adverte, veterum Idumæam nequaquam tam augustis circumscriptam fuisse terminis, ut hodie in tabulis depingitur, sed maximam Arabiæ Petrææ partem sibi vindicasse, finesque suos longo oræ maritimæ tractu ad sinum usque Arabicum seu mare rubrum protulisse. Omnem super hac re dubitationem tollit nobilissimus locus, 1. Regum. 9. 26. *Præterea classem paravit Rex Salomo in Hetzion Geber, quæ est prope Elothas. ad littus maris algosi in terra Edom.* Scribendum ergo *Mare Rubrum*, principe litera vocis *Rubrum* majuscula, cum non sit appellativi, sed proprii nominis interpretamentum. Vide Fullerum.

CAP. XII. vers. 7.

Et sument de sanguine ejus ac ponent super utrumque postem, &c.

Quàm versatus fuerit in S. Literis is qui Decretum Gratiani glossa illustravit, vel ex eo liquebit, quod distinctionem XI. caput *Ecclesiasticarum*, ubi inter alia de salutiferæ crucis signaculo agitur, hæc chartis illevit, *Veruntamen videtur signum Crucis traxisse originem ex Veteri Testamento, quod cum angelus deberet occidere primogenita Ægypti præceptum est filiis Israel, utrumque postem liniri de sanguine agni, ad modum Thau literæ, quæ est instar crucis.* Hæc Glossator. Ego verò nihil tale in ulla Editione invenio. An vero Thau crucis habuerit figuram ad Jezech. cap. 9. videbimus. Augustinus eadem dexteritate crucem ex historia Numerorum 20. exsculpsit Quæst. in Numeros, quæst. 35. *Quod petra virga percutitur, crux Christi figuratur. Ligno enim accedente ad petram gratia manavit, & quod bis percutitur, evidentius significat crucem. Duo quippe ligna sunt crux.* Certe lentis maxillis eos edere oportet, quibus istæ cupediæ sapiunt.

Verſ. 11. *Phaſe.*

Ebr. פֶּסַח / Antiquâ lectione *Phaſe*. Penacuta enim nomina hujus formæ ſolent exprimere, quaſi ſemper in Pausâ eſſent, פָּסַח / Et ח / ע ſive phathach furtivum ſub ſe, ſive phathach nativum ante ſe habeant, per E exprimebant, *Noach*, *Noë*, *Corach Core*, *Tharach Thare*, quod exemplum huic planè geminum eſt. De hac voce vide Martinium in Etymologico, Druſium ad voces Ebr. Novi Teſtamenti. Ex iis diſces, pleroſque veterum vocem terminatione Chaldaicâ hinc derivatam *Paſcha* pro Græcâ habuiſſe & non per quandam alluſionem, ſed ſerio ἀπὸ τοῦ πάσχειν deflexiſſe. Quod ex veteribus etiam Hieron. in cap. 26. Matthæi, & Iſidorus lib. 6. cap. 17. refutârunt.

Verſ. 5.

Iuxta quem ritum tolletis & hædum.

Ita legitur in Editione vulgaria. Ea verſio complures in iſtam ſententiam præcipites dedit, duo diſtincta ſacrificia agni & hœdi hic præcipi, quam prolixe refutarunt præter alios Abulenſis & Lyra. Recte notavit Cajetanus, pro poſteriori membro in Ebræo eſſe, *ex agnis & ex capris accipietis*. Et addit, *Hinc clare patet, quod dictio* (שה) *ſuperius interpretata* agnus, *communis eſt tam agno quam hædo, ex eo quod jubetur accipi ex agnis & capris*. id eſt vel ovib. vel ex capris. Oleaſtrius, *Ex hoc loco apparet id quod ſupra diximus, vid.* שה *ſignificare pecus, ſive ſit agnus ſive hœdus*. Diſce tiro ex Cajetano, copulam vau (Et) hic idem eſſe quod diſiunctiva או *aut*. Qui maledixerit patri Et Matri, Matth. 15. 4. ἢ μητρὶ, *aut matri*. Et quidem talium exemplorum magnam farraginem Grammatici comportarunt. Jubet itaque, verba Theodoreti ἵνα ὁ μὲν πρόβατον ἔχων τοῦτο θύσῃ. ὁ δὲ σπανίζων τοῦ προβάτου, τὸν ἔριφον id eſt *ut qui ovem habet, eam immolet: qui verò ea caret, loco ejus hœdum jugulet*, Chaldæus & Lxx. Ebræa κατὰ πόδα reddidêre, copulativam retinentes. Quod ſi hi eam per diſiunctivam expreſſiſſent, aut valde fallor, aut B. Auguſtinus nunquam tradidiſſet

dixisset ea quæ jam subjiciam. Sic ergo ille Quæst. in Exod. 42. *ab agnis & hædis. Qua in re Christus significari merito accipitur. Quid enim opus erit ovem vel agnum ab agnis & hædis accipiendum moneri, nisi ille figuraretur, cujus caro non solum ex justis sed & peccatoribus propagata est.* Vides Augustinum verba Mosis sic accepisse, quasi agnum è miscello ovium hœdorumque grege seligi jussisset. Porro, Cajetani sententiam de vocula שה firmatum ibo authoritate principis Grammaticorum Davidis Kimchii, הקטון מן הכבשים ומן העזים נקרא שה id est, *parvus ex ovibus caprisve vocatur* שה /

Absque maculâ.] Vidi virum eruditum, qui hoc interpretaretur de maculâ coloris. Certè non illud excidisset viro eruditissimo, si vocem Ebræam considerasset. Ea est תָּמִים id est perfectus, integer, sine vitio, non mutilus, aut truncatus, aut vitiosus ulla parte corporis. Oleastrius, *non prohibebantur à sacrificiis agni maculosi velleris, sed debebat esse integer quoad membra.* LXX. reddunt τέλειον id est perfectum, Chald. Onkelos שְׁלִים / quod idem valet. R. Salomo & Aben-Ezra interpretantur, בְּלֹא מוּם sine maculâ i. e. vitio, ἄμωμος, quæ vox (μῶμος) videtur esse originis Ebraïcæ, ut vid. sit à מום / Unde Genebrardus in comm. ad Ps. 119. 1. ulterius progressus τὸ תָּמִים / cum per vocem ἄμωμος redditur, non à תמם sed מום deflectit. Ridiculè. Quis enim unquam ejusmodi formam Heemanthicam ex Quiescentibus Ain Vau vidit derivatam? Et si id daret quispiam, tamen vox ea magis *maculatum*, quàm *immaculatum* significaret. Nisi quispiam ostendat, ת Heemanthicum vim τοῦ ἀστερητικοῦ habere. Quid ergo? תָּמִים semper est à תָּמַם / De victimis usurpatum optimè redditur *perfectus, immaculatus, sine maculâ.* Hominibus verò etiam sanctissimis tributum [a] Noæ, [b] Davidi, [c] Jobo, significat *syncerum, integrum, ἄδολον,* sine fuco, Belgicè oprecht / habetque in opposito חָנֵף hypocritam. Hoc sensu acceptum Vulg. aliquando *simplicem* & תֹּם *simplicitatem* vertit, ut Genes. 20. vers. 5. & 6. & quidem optimè. Aliquando tamen *perfectum*, aliquando *immaculatum*, & *sine maculâ* reddidit, haud omnino sine periculo, quod Interpretes tollere satagunt distinctione inter perfectionem viæ & patriæ, absolutam & comparatam, graduum & partium. Verùm si prædictis similibus locis vocem Ebræam reddas, ut diximus, omnia erunt plana, nec distinctionis istius indiga.

[a] Genes. 6.
[b] Ps. 18.
[c] Job. 1. 1.

CAP. XIII. verſ. 18.

Quintâ autem generatione aſcenderunt filii Iſrael de terra Ægypti.

Ita Lxx. At cornua obvertit Oraculum Gen. 15. *Generatione quartâ redibunt hùc.* Hæc difficultas non parum exercuit Damaſum, ut liquet ex Epiſtola Hieronymi 23. qua Damaſo ad hanc quæſtionem reſpondet. Atque adeo ipſe Hiero. profitetur, nodum illum ſibi initio viſum inſolubilem. Auguſtinus Quæſt. 9. per Generationem intelligit ſeculum, puta ſpatium C. annorum, locumque Geneſ. 15. accipit de quarta generatione id eſt centenario annorum completo: hunc verò de incoato. Hieronymus hanc præmittit reſponſionem, Oraculum Geneſeos 15. completum in generationibus Levi. Levi enim ingreſſus eſt Ægyptum cum filio Cahath, Cahath genuit Aharon, Aharon Eleazarum, qui unà cum patre ex Ægypto exceſſit. Ecce 4. generationes. At dum Moſes hic quintæ generationis meminit, reſpicere ad tribum Judæ. A Juda enim uſque ad Naaſſon, qui ex Ægypto egreſſus, eſt, eſſe generationes 5. Juda, Phares, Ezron, Aram, Aminadab, Naaſſon. Vtraque reſponſio magnis urgeri poteſt difficultatibus. Neutra ſolida eſt. Altera quam Hieronymus adfert firmiori in originario textu tibicine fulta eſt, Videlicet in Ebræo non legi בְּדוֹר חֲמִשִׁי ſed חֲמֻשִׁים / Quam vocem Aquila & Symmachus reddidêre καθωπλισμένοι id eſt *armati*, quod eſt ipſiſſimum interpretamentum vulgarii interpretis. Ebræorum Interpretum Coryphæus Kimchi, *qui quintam coſtam* (חֹמֶשׁ Ebraicè) *ſuccinctam habet armis militaribus.* חֹמֶשׁ eſt coſta quinta. Lxx. ſolent ψόαν interpretari id eſt lumbos, Aben Ezra, חֲגוּרֵי חֹמֶשׁ לַמִּלְחָמָה accincti quintâ coſtâ ad bellum, ut חֲלוּצִים ſint חֲגוּרֵי חֲלָצַיִם accincti lumbis. Onkelos, מְזָרְזִין *accincti*, εὔζωνοι, quod ipſiſſimum hujus vocis interpretamentum eſt, Joſ. 1. 14. apud eoſdem Lxx. Iidem verò Jeſa. 4. 12. uſi ſunt voce διεσκευασμένοι, parati. Vtrobique vulgatus, *armati.* Theodotio ſolus reddidit, πεμπταίζοντες, *numero quinario incedentes*, quod video placuiſſe noſtris Interpp. Junio & Trem. quorum illud eſt, *militari ordine.*

ordine. Sed frustra tot verba facio, cum non existimem ullum inter Pontificios fore, qui Græco textui hîc sit patrocinaturus.

CAA. XXI. vers. 3.

Cum quali veste intraverit, cum tali exeat.

Ita vulgatus. Cajetanus, *Nulla hic vestium mentio.* Et Steuchus agnoscit גַּף semper corpus denotare. Verba Ebræa, אִם בְּגַפּוֹ יָבֹא בְּגַפּוֹ יֵצֵא / *si cum corpore suo* (Lxx. μόνος, solus) *venerit, cum corpore suo* (Lxx. μόνος) *exibit.* Chaldæus utitur voce בִּלְחוֹדוֹהִי / quæ idem significat quod Græcum μόνος. Oleastrius quoque agnoscit in Ebræo *venire cum corpore*, notatque Ebraïsmum esse, pro *venire solum,* Jam vide allegorias Scholasticorum de hac veste, nominatim vero commentarium Dionysii Carthusiani & cave sequaris.

CAP. VI. vers. 3.

Nomen meum ADONAI non indicavi illis. Ita Vulgatus.

Etiam Lxx. καὶ τὸ ὄνομά μου κύριος οὐκ ἐδήλωσα αὐτοῖς. In quorum vestigia pedem quoque suum posuit B. Lutherus. At illud esset Ebriacè הוֹדַעְתִּי אוֹתָם vel לָהֶם / In textu Ebræo ita legimus *at* [*in*] *nomine meo* יְהוָֹה לֹא נוֹדַעְתִּי לָהֶם IHUH *non innotui illis.* Atque ita uno impetu concidunt plurimæ quæstiones, quas super hoc loco moverunt Interpretes. Quia vero Interpres Latinus τὸ τετραγράμματον ὄνομα hîc loci reddit per cognomen ADONAI, puto non admodum fore alienum, si hîc exhibeam eum tractatum quem Lectoribus meis non semel sum pollicitus.

SIXTINI AMAMA

DE

NOMINE

Tetragrammato.

DISSERTATIO.

CUM

RESPONSIONE

Ad argumenta Cl. Viri,

D. NICOLAI FULLERI, Angli, quibus pro vulgatæ lectionis JEHOVAH certitudine disputavit.

Ad Reverendum, Pietate, varia eruditione & meritis insignem virum,

D. FESTVM HOMMIVM,

SS. Theol. Doctorem, Ecclesiæ Leidensis Ministrum & Collegii Theologici Regentem, dominum & patronum meum omni observantia colendum.

CUM ante annos XII. Oxonii literas Ebraïcas docerem, rogabar sæpe ab auditoribus meis, cur in textus Ebr. lectione voci יהוה cognomen *Adonai* substituerem. Respondebam breviter, nomen illud alienis vocalibus scriptum esse, proprias vero superstitionis & quæ ex ea tandem orta est, ignorantiæ tenebris obrutas exolevisse: Illud saltem ne pervicacissimum quidem, qui Cl. Drusii tetragrammaton legisset, inficiaturum, lectionem vulgatam *Iehova* incertam esse. Quærebatur magno studio tetragrammaton Drusii, sed quia distracta jam pridem erant exemplaria, rogabant auditores, ut ipse ad tironum captum aphorismos aliquot conscriberem. Parebam libens, & quæ Cl. Drusius habebat ad rem propius pertinentia, transcribebam, cæteris, ne in immensum excurreret dissertatio, missis. Ex selectissimis Bodlæanæ Bibliothecæ authoribus eam auctum ibam. Memini, inter alios, Reverendum & Magnificum virum, D. JOH. PRIDEAUXIUM, Theologiæ Doctorem & Professorem Regium, nunc Academiæ pro-cancellarium, communem nostrum amicum, illam dissertationem meam legere, & discedentem hortari, ut eam aliquando evulgarem. Ego licet à me impetrare non potuerim ut ejusmodi scriptulum seorsim ederem, non destiti tamen illam ipsam

eruditis & piis Theologis communicare. Fidem mihi faciet vel unicus *Scultetus*, & iste communis noster amicus, ὁ νυῦ ἐν ἁγίοις, cujus Epistolam hic repræsentabo.

SIXTINO AMAMÆ
S. P.

Vir Clarissime, Legi, & ut, quod res est, dicam, cum voluptate legi, tuas de Tetragrammato meditationes, rogoque ut per prælum illa communices Theologiæ studiosis. Joh. Seldenus *de Dis Syrorum procul dubio tibi visus est. Is quoque hanc materiam attigit, sed paucis.* §. 48. *omisisti annum, quo* Galatinus *floruit.* Bucholzerus *meus in Indice Chronolog. annotat*, P. Galatinum *anno 1518. scripsisse Epistolam ad* Reuchlinum. *Hunc ergo annum tibi nominandum existimem. Vale. Embdæ 1623. 18. May.*

ὁ σὸς ABR. SCULTETUS.

Ex eo in vestra urbe prodiit doctissimi viri tractatus de genuina antiquitate vocalium, cum appendice oratione de hoc ipso nomine. Tum vere plane sedebat, meum istum fœtum æternis tenebris sepelire. Tam enim eleganter, tam plene Orationis istius author de isthoc argumento disserebat, nihil ut à me addi posse existimarem. At rursus, postquam incidi in postremos libros Miscellaneorum Cl. Viri, D. NIC. FULLERI, ut vidi magnum virum in appendice disputare adversus Cl. Drusii præceptoris mei, aliorumque eruditissimorum virorum sententiam, ut cognovi quosdam vitio creatos Prætores, istis qui *Adonai* legunt, superstitionis & *nequiter imminutæ textus efficaciæ* crimen impingere, consilia in contrarium retuli.

tuli. Oſtendendum quippe erat, quam procul doctiſſimi viri, quorum me ſequacem profiteor, ſuperſtitionis cauſas habuerint. Abſtergenda erat *nequiter imminutæ textus efficaciæ* macula. Oſtendendum erat auditoribus meis, hanc lectionem eſſe antiquam & ab ipſis Apoſtolis ſacratam, occurrendum erat ſcandalo, quod ea lectio teneræ conſcientiæ auditori præbere poſſet. Rogandi denique erant omnes boni, ne pertinaci præjudicio condemnent lectionem, quæ graviſſimis rationibus & magnorum virorum exemplis nititur. Hæ rationes cum apud me præpotuiſſent, recognovi juvenile ſcriptum & multis additamentis auctum ivi. In teſtimonia Thalmudicorum & Rabbinorum, quæ vulgo huc afferuntur, inquiſivi accuratius. Ibi vero deprehendi, quam ſæpe teſtimonia Ebræorum obtorto collo à viris etiam doctiſſimis trahantur aliorſum atque authores voluere. Ea cauſa eſt cur multa præteriverim teſtimonia, quæ vulgo in hac materia accongeruntur. Interim alia ſe obtulere, quæ ſtudioſo lectori non nolenti erit legere. Ita factum eſt, ut quod antea unius atque alterius ſchedæ erat, ut vara vibiam ſequitur, in aliquot ſchedas ſuccreverit. Hic vero publice proteſtor, ſicuti nulli unquam ob lectionem *Iehova* litem movi, ita ne nunc quidem mihi ſcopum eſſe, ut cum quopiam ſuper hac re litigem, nedum ut petulantis linguæ verbere eos inſecter, qui hic diverſi à nobis abeunt. Qui me hiſtoriam ſacram Sulpitii Severi publice enarrantem audiunt, norunt, me à voce *Iehova*, quando loca ſcripturæ integra ex Verſione Junio-Tremelliana cito, non abhorrere. Quis enim ego ſum, ut brachia dirigam contra hunc inveteratæ conſuetudinis torrentem? Adhæc, non iſta quæſtio

eſt

est à qua salus vel pax Ecclesiarum dependeat, Grammaticæ pulpæ est. Ac proinde pectoris me angustiæ non capiunt subtilitatem istius responsi, quo omnia argumenta nonnulli difflare solent, *Non curamus Grammatica argumenta.*

Nunc ad te venio, Reverende & Clarissime vir, Magna sunt tua quibus me tibi obligasti, merita. Jam tum cum Lugduni Batavorum Musis litarem, eximium in te patronum habui. Ex quo in hac statione versatus sum, sæpe benevolentiam tuam expertus sum. Atque hactenus fortassis gratitudinem aliquam præstare potuissem. At ex quo molestissimum istud iter, ante biennium, hyberno tempore, intensissimo gelu, suscepisti, ut mihi repræsentares diploma Magnificorum Acad. Leidensis Curatorum, quo, te præcipue obstetricante, ad ordinariam Ebrææ linguæ professionem, quam magnus ille *Erpenius* immaturo suo obitu vacivam fecerat, vocabar, ex eo, inquam, omnis dignas grates persolvendi spes decollavit. Ex eo, ingrato mihi vivendum & moriendum esse video. Et quidem hæc ingenua, & ab intimis mentis meæ penetralibus profecta confessio est. Ejus chirographi vicem hanc dissertationem accipe, quam ex antiqua formula tuæ Rev. L. M. Q. dico & dedico. Materiam quam tracto, ut tibi approbem, non admodum laboro. Tu enim istius Synodi pars magna fuisti, in qua illa, quam hic defensum eo, lectio, prudentissimo decreto approbata est. Magis laboro, ut candidum hunc animum tibi probem, qui tuæ Rev. æternum devotus erit. Vale Rev. Domine & diurna bono Ecclesiarum & Academiæ. Franck. Fris. 12. Janu. 1628.

Tuæ Rev. devotissimus cultor

S. Amama.

SIXTINI AMAMA DE NOMINE Tetragrammato DISSERTATIO.

I. NOminum Dei alia ab essentia ejus, alia ab effectis attributisque desumpta sunt.

II. Primas meritissimò tenent illa, quæ ab essentiâ desumpta, [a] Theologi Græci ὀνόματα τοῦ ὄντος vocarunt. Itaqne Deo propriissimè conveniunt, utpote qui ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι, οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον id est *universum illud esse complectens in se habet, quasi pelagus quoddam infinitum & immensum.*

III. Suntque ea numero tria, יָהּ / אֶהְיֶה & quod principem locum obtinet. יהוה /

VI. Nam quod [b] alii quartum accongessêre, vid הוא / nimium à veritatis regione, ut Luciliano isto utar, aberrârunt. Citant locum ex Ps. 102. 28. ubi & Lxx. ὁ αὐτός reddidêre. Sed & isthîc, & alibi, vid· Jesa. 42. 8. quæ duo loca hîc afferri solent, pronomen illud à propriâ notione dimovere nihil cogit. Meritò ergò à viris doctis explosum est.

V. Tria hæc nomina ab uno eodemque themate descendunt. Primum enim quod attinet, vid. אֶהְיֶה / futurum est, Kal. ab הָיָה / esse autem nomen Dei adversus [c] *Paulum Burgensem* docent ex loco Exodi 3. 14. אֶהְיֶה *misit me ad vos.*

VI. Sunt qui [e] putant hoc esse τετραγράμματον & quod Deus de se dixit primâ persona, אהיה id est sum, id homines de illo efferre in tertiâ יִהְיֶה est ille qui est, & mutato Jod in Vau (ut literæ istæ alternare solent) יהוה /

VII. Hiscuni „ ad Exod. 3. 15. אהיה האמור בפסוק הראשון הוא שמי לעולם שכן אנו כותבין השם המיוחד במצפץ שהכה קורא לעצמו תצמץ ואנו קורין לו מצפץ / Quæ verba sic convertit Cl. Drusius, pag.

[a] Nominatim Damascenus. Vide Cl. Drusii Tetrag. cap. 1.

[b] Inter alios Galatinus lib. 2. cap. 23. *Dictio* הוא *qua Latinè idem quod* ipse, *apud Ebræos divinum nomen est, & Deum propriè significat*, Et Capnio de verbo Mirif. 2. 16. Sed & non defuere qui זֶה ס״ד ex Exo. 15. 2. inter nomina Dei recensuere. Vide apud Gal. 8. 17.

[c] In Additionibus ad Lyram.

[e] Vide Drus. cap. 3. & Bellarm. Exercit, ad Ps. 36.

94. *Ehjeh memoratum versu præcedente* [vid. 14.] *est nomen meum in seculum.* [*Sic enim nos scribimus nomen appropriatum per Mitz-phatz,*] *Deus enim benedictus vocaverat* [vocat] *se ipsum* חצמץ *hoc est* אהיה / *sed nos vocamus eum* מצפץ id est יהוה / Hactenus Cl. Drus. Ecce מצפץ` פי interpretatur יהוה / & חצמץ` פי exponit per אהיה / Sed non explicat. Ego hic hærebam, neque me expedivissem, nisi commodum in mentem mihi venisset commutatio literarum, quam *Ethbasch* vocant. מצפץ ergo in ista commutatione est יהוה / Et חצמץ est אהיה / Ita amant tenebriones isti caliginem offundere suis commentariis, ut sæpe alium commentarium desiderent. In sequentibus clarior est idem Hiscuni, *Porro,* inquit, *Vau in* מצפץ (id est יהוה) *ponitur pro Jod, ut in* הוה fuit, *pro* היה / *Et quia non convenit, ut dictio significans essentiam sanctitatis eadem sit cum dictionibus denotantibus essentiam profanam, mutata est ab aliis profanis vocibus,* / vid. per migrationem ℥ Jod in vau, uti antea dixerat.

VIII. Secundum quod attinet, יָהּ / *f* decurtatum putatur ex Tetragrammato יהוה / cujus certe duas anteriores literas nec id tantum, sed & primæ syllabæ sonum, si vera ea lectio est, quam Samaritanis *g* *Theodoretus* aliique asscribunt, nimirum *Jave.*

IX. Hoc esse illud nonnulli opinantur, quod in nominum quorundam finibus occurrit, ut זְכַרְיָה יְשַׁעְיָה עוֹבַדְיָה / &c. cui sententiæ adversatur Scindlerus, tum quia in ejusmodi nusquam comparet ה Mappik, tum quia sæpe cum vau Paragogico leguntur, יְשַׁעְיָהוּ / &c. sed primæ ejus rationi oppono vocem יְדִידְיָה * quam ipse Scindlerus in themate ידד interpretatur *dilectum Domini*, præeunte Scriptura, 2. Sam. 18. vers. 24. 25. Quicquid sit, illud extra omnem contraversiæ aleam positum est, ex hoc nomine compositam esse vocem הַלְלוּיָה / unde, licet οἱ Lxx. vocem Ebr. retinuerint, *h* *Theodotio* tamen Interpres vetus, αἰνεῖτε τὸ ὄν, reddidit. Ergo יָהּ τὸ ὄν. Ens entium, principium essendi.

X. Friget nimium illud quorundam commentum, hoc nomen, ut à Tetragr. decurtatum est, sic & denotare Deum decurtatum & imminutum id est Christum hominem factum & pro peccatis nostris passum. Neque etiam video quid spectaverit Hieronymus, quando ad Jesa. 26. asserit, nomen JAH invi-

f Vide Thes. Pagnini & Mosem Maimonidem in More Nebuchim lib. I. cap. 62. *Nomen duarum literarum, inquit, quod est sumptum à nomine quatuor literarum, est de ratione firmitudinis essentiæ.*

g In Qu. 15. ad Exodum.

* hæc vox scribitur sine Mappik in 3. editionibus Venetis in fol. & in quarto, Edit. Basil. & Rob. Stephani in 4. & Regiis.

h vid. Drus. cap. primum.

invisibilem, Adonai vero *ineffabilem* significare.

XI. Facessam ab hoc nomine, si illud apposuero, juxta Cabalistas hoc nomen symbolum esse istius affectus in Deo, quo condonat peccata; Quia vid. frequentissimè iis in locis & argumentis usurpatur, ubi hæc misericordia ceu materia & seges divinæ laudis commendatur. Onkelos & Jonathan vocem illam aliquando reddiderunt per דְחִילָא id est timorem, pavorem Certe Gen. 31.42. Deus vocatur פַּחַד יִצְחָק *pavor Isaac* id est interprete Chaldæo Onkelos, דְדָחֵיל לֵהּ יִצְחָק *quem timuit Isaac*. At cur nomen יָהּ ita reddiderint, adhuc quæro. Loca ex multis hæc sunt, Jesa.12.2. Jesa. 26 4. Psal. 118.14. Exod. 17. vers. ult.

ᵢVide hic quoque *Aria Montani* Joseph, seu de arcano sermone cap. 1. de Deo. Adducit autem hæc loca Scripturæ, Psal. 102. Ps. 106. Ps. 111. Psal. 112. Ps. 113. 115. 135.

XII. Restat tertium, *κατ᾽ ἐξοχὴν ὄνομα τοῦ ὄντος* & שֵׁם הָעֶצֶם nomen substantiæ dictum, videlicet nomen Jod, He, Vau, He.

XIII. Thema habet הָיָה *fuit*. Ergo ab essentia deductum hoc nomen est. Et certe Deus non solum *est*, sed & facit *esse*. Hinc optimè dicitur nomen illud denotare Dei æternitatem, & veracitatem. *Æternitatem*: Ille enim verè *est*, qui æternus est, qui est primus & ultimus, Apocal. 1. 8. ὁ ἦν, ὁ ὢν καὶ ὁ ἐρχόμενος. * & vers. 4. ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, pro quo Apoc. 16.5. ὁ ὢν, ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος, quomodo istum locum restituit D. Beza. Quam æternitatem simili periphrasi Gentiles suo quoque Jovi adscripsêre. Illi enim, teste Pausania, hoc versu accinebant vates,

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστί, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ

* planè ut in Ebraismo ימים הבאים & עולם הבא dies futuri & seculum futurum.

XIV. *Independentiam* addidi. Ille enim verè *est*, qui à se ipso est. Quò respiciens Cl. Junius hoc ipsum nomen in suo Irenico, *αὐτοὼν*, reddidit. *Efficacitatem*: À Deo enim habent suum *esse* omnes creaturæ. *Veracitatem* denique: Namque Deus præstat & *esse* facit id quod promisit, sive quod idem est. omnibus suis promissionibus dat *τὸ εἶναι*; ut non solum sit *ὁ ὢν καὶ αὐτοὼν*, sed & *οὐσιῶν* & *οὐσιοποιός*. Atque hoc postremum, vid. veracitatem, potissimum spectavit Deus apud Mosem, Exod. 6. 2. Istorum enim verborum hæc mens est: Apparui quidem Abrahamo, &c. nomine *El schaddai*, id est Dei omnipotentis, atque ita docui me *posse* ipsis præstare promissionem terræ

Canaan: At in nomine יהוה non innotui illis id eſt nondum præſtiti ipſis quod promiſi. Nunc demum cognoſcetis vim hujus nominis, vid. cognoſcetis me non ſolùm ὄντα, ſed & εὐποιοῦντα. Quod promiſi, quod mihi factu poſſibile eſſe Abrahamó declaravi., jam tandem faciam ut *exiſtat*, jam præſtabo. Ebræorum de voce illa pervulgata ſententia hæc eſt, in *Elohim* eſſe ſignificationem מדת הדין id eſt proprietatis iudicii & ſtricti juris, at in יהוה contineri מדת הרחמים proprietatem miſericordiæ. At neutrum firmo in S. Literis tibicine nititur. Namque τὸ Elohim quod attinet, illis accedimus, qui ejus themati jam inuſitato (אָלַה) notionem adorandi aſſignant, idq; ex Arabiſmo, in quo אלה *adorare* ſignificat. Vnde Arabes Deum quoque *Ilahon* vocant, quia ſolus adorandus eſt.

XV. Graviter ergo hic lapſus eſt. * Hieron. ab Oleaſtro, Hiſpanus, Dominicanus, ſacerrumique Senatus Inquiſitionis, dum viveret, aſſeſſor, dum vocem *Jehova*, quam putat veram lectionem Terragrammati eſſe, ſeriò deducit à nomine הֹוָה, quod perniciem, calamitatem, accidenſque malum ſignificat, ſemperque in malam partem ſumi & Lexica & concordantiæ docebunt.

* Comm. in Geneſ. cap. 2. verba ejus hæc ſunt, *Ego video in radice* הוה *duo eſſe* vid. הָוָה *eſſe &* הֹוָה *quod juxta Ebræos eſt accidens eventus que malus: Et cum* hova *plus ſimilitudinis habeat cum* Jehova, *quam* hava, *puto melius derivari ab hova quam ab Hava.*

XVI. In hunc errorem præcipitem eum dedit falſa hypotheſis, quâ credidit, vocem *Jehova* veram nominis, de quo agit, lectionem eſſe. Sed quemadmodum cavendum eſt, ne in diſputatione vocem controverſam *Jehova* cum nomine Tetragram. confundamus, niſi βαττολογεῖν & τὸ ἐν ἀρχῇ κείμενον petere velimus, ita & ab altera parte videndum, ne cum nomine אֲדֹנָי (per quod tamen ab omni ævo lectum eſt) in interpretatione miſceamus. In quo præ imperitiâ Ebraiſmi Tertullianum lapſum fuiſſe ſupra pag. 292. oſtendimus.

XVII. Sed redeamus ex diverticulo in viam. Vocatur hoc nomen τετραγράμματον id eſt quadriliterum, idque κατ' ἐξοχὴν, nam & alia Dei nomina quadrilitera ſunt, ut אֶהְיֶה / אֱלוֹהַּ / אֲדֹנָי / Atq; hic non poſſum non mirari craſſam illam *n Mathæi Doringii* inſcitiam, qui ipſam hanc vocem [τετραγράμματον] putavit eſſe illud nomen, quod eruditi τετράγραμμον vocare conſueverunt.

n Hujus replicæ pro Lyra contra Burgenſem in Bibliis Lyræ ſimul excudi ſolent. Dixerat,

XVII. Appellatur & aliis nominibus (quæ invenies apud o alios. Celeberrima appellatio iſta eſt, שֵׁם הַמְּפֹרָשׁ *ſchem ham-*

me-

mephorasch. Vnde autem ita appellatum ſit, non una erudito-rum ſententia eſt. In cauſa eſt πολύσημον vocis. Radix enim in linguis orientalibus ſignificat *ſeparare, exponere, proferre.* Hinc alii reddunt, nomen ſeparatum. Maimon in More, cap. 61. כל שמותיו יתעלה הנמצאים בספרים כלם נגזרים מן הפעולות וזה מה שאין העלם בו. אלא שם אחר והוא יוד הא ויו הא שהוא שם מיוחד לו יתעלה ולזה נקרא שם מפורש שהוא יורה על עצמו יתעלה הוראה מבוארת אין השתתפות בה / hoc eſt, *omnia nomina* [Dei] *exaltandi quæ reperiuntur in libris deſumpta ſunt ab ejus operibus. Atque hic plane nulla eſt occultatio. Sed nomen unum eſt, vid. nomen, Jod, He, Vau, He, quod eſt appropriatum illi exaltando, quod ideo vocatur nomen mephoraſch, nempe quia denotat Deum ſignificatione perſpicua &c.* אמנם שאר שמותיו הנכברים מורים בשתוף להיותם נגזרים מפעולות / hoc eſt, *Sed cætera nomina ejus glorioſa * ambigue ſignificant quia ſumpta ſunt ab operibus.* Vides ex hujus mente dici *mephoraſch* id eſt ſeparatum, quia ſeparatum eſt ab aliis Dei nominibus, utpote nomen ab omni æquivocatione & ambiguitate liberum & proinde creaturis incommunicabile. Ut non male reddi quoque poſſit, nomen clarum, evidens. Sed quia omne id fere, quod miramur, ideo miramur, quia ratio agendi & cauſæ ejus à mente captuque noſtro *ſeparatæ* ſunt, ideo Munſterus in Diction. Chald. reddidit *nomen mirabile.* Jud. 13. 18. In Ebræo eſt פלאי *mirabile*, proprie *ſeparatum.* Hæc enim eſt generalis thematis notio, ad quam reliqua ſignificata, *occultum, difficile, impoſſibile, mirabile, ignotum eſſe,* &c. tanquam ſpecies ad genus referri poſſunt. Chaldæus reddit מְפָרַשׁ / ad verbum, *ſeparatum,* ſcilicet, ex Munſteri mente, à noſtro captu. Et certe merito dixeris nomen mirabile, quod puram Dei eſſentiam ſignificat, quam humani pectoris anguſtiæ non capiunt. Sed Cl. Druſius conjectat iſtic loci pro מְפָרַשׁ legendum מַפְרַשׁ / *in Afel,* & vocem פרישן quoque notare *miracula.* Alii perpetuo שם המפורש interpretantur, *nomen expoſitum.* Hanc Interpretationem ſibi præ altera illa arridere, profitetur Cl Druſius cap. 6. Et certe uſitatiſſima notio & פרש in conjug. *Phiel* hæc eſt, *interpretari, exponere, declarare.* Cur autem ſic dictum? Reſpondent ita appellatum, quod per nomina 12. & 42. literarum exponeretur, de quibus in ſequentibus dicetur. Vide Galatin. 2. 10. Ego ut hanc interpretationem non dam-

Burgenſis in Additionib. ad cap. 3. Exodi qu. 3. nomen Tetragrammaton carere plurali numero. Rogat delirus homo, quid vetet dicere à *Tetragrammaton, tetragrammatones,* ſicut à *Simeon Simeones?* Verè itaque de eo Steuchus ad Gen. 37. *non eſſe dignum qui nominetur, ob univerſam V. T. ſcripturam fœdiſſimâ barbarie conſpurcatam,* o Druſ. c. 5. & Buxt. dict. pag. 129.

* vel cum participatione.

mo, ita eruditorum judiciis expendendam dabo meam conjecturam. פָּרֵשׁ in *Phael* Chald. passim significat *proferre*, *pronuntiare*, *nuncupare*, Quid ergo, *nomen* suis propriis literis *prolatum pronuntiatumve*? שֶׁקְּרִיָאתוֹ כִּכְתִיבָתוֹ quod legitur uti scribitur. Ut hac nomenclatura distinguatur à cognomine *Adonai*, per cujus ceu vicarii nominis consonas vulgo exprimitur. Atque hæc de pervulgata illa hujus nominis appellatione. A cæteris abstineo.

XIX. Abstinebo quoque manum ab inumeris aliorum circa hoc nomen speculationibus, quas dum tractant multi, videre quidem est verborum ᵖ νάματα, solidæ autem veritatis vix ᵠ φαλαγμόν. Illud tamen inter eas paululum eminet; In hoc nomine tres esse literas distinctas, יהו / quæ totidem personas in adoranda Triade denotent, literam autem secundam ה secundam personam denotantem duplicari, ad indicandam duplicem Christi naturam. Sed ridiculi illi sunt, qui ex hoc nomine nomen ʳ Ιησȣ̃ς deduxêre. ש vero insertam putant ex voce איש *Vir*, ad incarnationem ejus denotandam, quasi *Jehovam virum* dicas. Nos literam ע / præcipue si vocem claudat, demi aliquando, at nunquam addi solere didicimus.

XX. Circa hoc nomen multa quæruntur ad forum Theologorum magis pertinentia, quæ impræsentiarum non tangam, ne objectetur mihi τὸ ὑπὲρ τὸ σκάμμα πηδᾶν, καὶ ἐν ἀλλοτρίῳ χορῷ πόδα τιθέναι. Illud nostri fori esse opinor quo quæritur, quomodo hæc vox sit efferenda, sitne hodie usitata & pervulgata vox *Jehova* certa & germana nominis ejus, de quo agitur, lectio. Hanc controversiam ad captum juniorum hic tractare mihi decretum est. Judices deposco omnes quotquot has literas amant, existimant, intelligunt. Sicubi lapsus fuero, ostendant, viam erranti comiter monstrent, lapsum erigant, non tam paratus quisquam ad monendum fuerit, quam ego ad corrigendum.

XXI. Sed antequam ad ipsam quæstionem accedam, tu, φιλομαθὲς Lector, patere te per diverticula quædam non omnino, ut spero, injucunda duci, historiamque hujus paulo altiùs repetituro, aures paululum substringe.

XXII. Illud primò animo imprime, nomen hoc quia Deum ab essentiâ, peculiari & sigulari quodammodo denominat, illud-

que

ᵖ *rivos.*
ᵠ *guttulam.*
ʳ Osiander in annotat. ad Harmoniam Euangelicã, ut & Castalio alibi. Magis ridiculus ille Theologus, cujus meminit Erasmus in Encomio Moriæ, qui interpositum *Sin* ex lingua Scotica deduxit, utpote in quà *peccatum* ac si respectũ eo esset, *Ecce agnum Dei, qui portat peccata mundi.*

Quæstio

que Deus sibi peculiariter reservatum, nec alteri communicatum voluit, apud priscos Ebræos in majori *t* reverentia fuisse quam reliqua Dei nomina. Hinc pio quodam studio ab ejus pronunciatione abstinebant, ne quotidiano usu vilesceret, ut solent ea quæ quotidie in ore & usu sunt. Maimonides in More cap. 61.
סוף דבר גדולת זה השם והשמירה מלקרא אותו להיותו מורה על עצמו יתעלה מאשר לא ישתתף אחד מן הברואים בהוראה ההיא
hoc est, *Summa rei hæc est, magnitudo hujus nominis & cautio ne quis illud legat hinc est, quod significet Dei exaltandi substantiam seu essentiam, & quidem ita significet, ut nulla creatura communicet cum eo in ista significatione.* [Alsted. in Paratitlis Theol. p. 153. *Principio tenendum est veteres Judæos, non ex superstitione aliqua, ut hodie posteri eorum faciunt, hoc nomen vulgo proferri noluisse: sed quod primum in eo Christi mysterium agnoscerent, quatenus is tunc adhuc à tergo Abraham, ut sic dicam, cognoscebatur, Gen. 22. 13. Deinde, ut indicarent ea, per quæ Deus se iis revelasset, religiosè potius custodienda & observanda esse, quam ut profano vulgi usui, aut humanæ disceptationi permitterentur. Quæ sancta & castissima consuetudo si in Ecclesia N. Test. semper observata fuisset, Theologiam hodie multo simpliciorem haberemus, ambitiosæque contentionis & scandalosissimorum certaminum minus esset.* Et pag. seq. *Certum est; veteres Judæos ante Christum abstinuisse à promiscua hujus nominis prolatione, non superstitione, sed religione.*]

XXIII. Tantum à sacerdotibus in benedictione illa solenni, de qua Num. 6. versibus ultimis, & quidem cum illam in ipso templo recitabant, pronuntiabatur. Thalmud in Massecheth Sota, cap. 7. Misna 6. ברכת כהנים כיצד במדינה אומרים אותה ג׳ ברכות ובמקדש ברכה אחת במקדש אומרים את השם בכתבו במדינה בכנויו במדינה כהנים נושים את ידיהן כנגד כתפיהן ובמקדש על גבי ראשיהן חוץ מכהן הגדול שאינו מגביה את ידיו למעלה מן הציץ hoc est, *benedictio sacerdotum* (N B. non dicit sacerdotis magni) *quomodo se habet? In * prouincia pronunciant eam tanquam tres benedictiones* (Scholion, & populus respondet *Amen* inter singulos versus) *at in templo tanquam bene dictionem unam.* (Schol. Ibi enim non interponit populus suum Amen) *In templo pronunciat nomen* (Tetragammaton) *secundum scriptu-*

ram

t Theodoretus quæst. 15. in Exodum Euseb. lib. 11. præp. Euang. Galatinus lib. 2. 10. P. Burgensis ad Exod. 3. Drus. c-7. 8. Buxtorf. loco citato. Scaliger in notis ad frag. selecta pag. 34. Rivetus ad Psal. 110. Alstedius in Lexico Theol. Omitto Ebræos quorum nomina hoc spatium non capit.

* vel urbe.

ram ejus at in provincia per cognomen ejus (Scholion, per nomen Aleph daleth id est Adonai) *In provincia attollunt sacerdotes manus versus humeros. At in templo, supra caput, excepto summo Pontifice, qui non attollit manus supra laminam* (intelligit frontale, cui inscriptum erat קדש ליהוה Exod.28.36. Maimonides in libero Jad, halacha de Precatione & benedict. Sacerdotum cap. 14. §. 10. ואומר את השם בכתבו והוא השם הנהגה מיוד הא ויו הא וזה הוא השם המפורש האמור בכל מקום ומדינה אומרים אותו בכנויו הוא באלף דלת שאין מזכירין את השם בכתבו אלא במקדש בלבד ומשמת שמעון הצדיק פסקו הכהנים מלברך בשם המפורש אפילו במקדש כדי שלא ילמוד אותו אדם שאינו חשוב ושאינו הגון ולא היו הכמים הראשונים מלמדים שם זה לתלמידים ובניהם ההגונים אלא פעם אחת לשבע * שנים כל זה גדולה לשמו הנכבד והנורא hoc est, *Pronuntiat nomen tetragrammaton secundum scripturam ejus* (repete ex §. præcedenti, in sanctuario, id est, in templo) *atque hoc est illud nomen, quod pronuntiatur per Jod, He, Vau, He, quod Schem hammephorasch dicitur. In omni loco & provincia efferunt illud per cognomen ejus, vid. nomen Aleph Daleth, neque enim pronunciant nomen illud secundum scripturam ejus, nisi in templo tantum. At ex quo in fata concessit * Simeon Justus, a desierunt sacerdotes benedicere per nomen illud, etiam in ipso templo, vid. b ne illud disceret homo, qui non esset bonæ existimationis & honestus. Et prisci Sapientes non docebant illud nomen discipulos suos, nisi semel tantum singulis septimanis atque hoc totum in honorem nominis honorati & reverendi.*

* Lego, ימים / ita legitur in Thalmud. Massecheth Kiddischim cap. 4. fol, 71. Et in More Neb. part. 1. cap. 61. vel in Ebræo 62. atque alibi passim.

* Hic non est ille Simeō Luc. 2. sed Simeon, quem Josephus Jadduā vocat, qui fuit coætaneus Alexandri Magni. Drus. in Tetragr. cap. 10. & in Præt. Luc. 2.

a Qua authoritate?

b An ergo antea nullos inhonestos cives habuit Ebræorum Respublica?

XXIV. Idem in More parte 1. cap. 62. quod in exemplari Latino est 61. fol. 44. צונו בברכת כהנים וכה שם יי׳ בכתבו אשר הוא שם המפורש ולא היה נודע אל כל אדם איך יהיה הדבור בו ובאיזה הנועה יניע כל אות מאותיותיו או אם ידגש קצת אותיותיו אם היתה אות מקבלת דגשות / אבל אנשי החכמה היו מוסרים אותו זה לזה רוצה לומר תואר הדבור בו ולא היו מלמדים אותו לאדם אלא לתלמיד הגון פעם אחת בשבוע : hoc est. *Mandatum accepimus de benedictione sacerdotum & cum ea de pronuntiando nomine Domini secundum scripturam ejus, atque hoc est schem hammephorasch. Non constabat autem cuilibet homini ejus pronuntiatio, vid. qua vocali singula*

ſingula literæ eſſent exprimendæ, an litera aliqua eſſet dageſſanda, hoc eſt, an reciperet duplicationis ſymbolum, &c. Sed viri ſapientes tradebant ſibi invicem, volo dicere, modum pronuntiationis ejus. Non docebant autem ullum hominem niſi diſcipulum idoneum ſeu honeſtum, idque ſemel in ſeptimana. Pergit Maim. ואני סובר שזה שאמרו שם בן ארבע אותיות חכמים מוסרים אותו לבניהם ולתלמידיהם פעם אחת בשבוע אין זה איך יהיה הדבור בו לבד אלא ללמד גם העניין אשר בעבורו יוחד זה ויהיה בו סוד אלהי id eſt *Ego autem opinor, illud quod ajunt ſapientes, iſtos nomen hoc quadriliterum ſemel qualibet ſeptimana filiis ſuis diſcipuliſve tradidiſſe, non ſic intelligendum eſſe, quaſi tradiderint ſolummodo nominis pronuntiationem, ſed etiam inſuper docuiſſe ejus ſignificationem, propter quam hujuſmodi nomen Deo eſſet appropriatum, quæ in re divinum latitat myſterium.*

XXV. Pronuntiatum ergo fuit hoc nomen in benedictione Sacerdotali uſque ad Simeonem Juſtum, ſi vera narrant Thalmudiſtæ. Sed & illud addit Maimonides cap. 61. quod in Lat. exempl. eſt 60. pronuntiatum itidem fuiſſe à Pontificè ipſo die expiationis, vid. x. die menſis Thiſri. *Nomen hoc non pronunciabatur*, inquit אלא במקדש וכהני השם המקודשים לבד בברכת הכהנים וכהן גדול ביום הצום *niſi in ſanctuario, & quidem à ſacerdotibus Dei ſanctificatis tantum in benedictione Sacerdotali & à Pontifice, ipſo die jejunii.* Maſſecheth Joma fol. 39. p. 2. תנו רבנן עשר פעמים מזכיר כהן גדול את השם בו ביום שלשה בווידוי ראשון שלשה בווידוי שני ושלשה בשעיר המשתלח ואחד בגורלות hoc eſt, *Tradiderunt Magiſtri noſtri, decies eo die memoraſſe Pontificem τὸ τετραγράμματον ὄνομα, ter in confeſſione* [a] *prima, ter in confeſſione* [b] *ſecunda, ter circa* [c] *hircum ἀποπομπαῖον, ſemel* [d] *in ſortitione.* Atque huc reſpexit magnus Scaliger, quando in notis ad fragmenta ſelecta pag. 34. ita ſcribit, *Quomodo efferendum erat, nemini licebat concipere præterquam Pontifici maximo, idque decima Thiſri & quidem ἐν ἁγίοις.* Quem tamen in eo hallucinatum fuiſſe, quod ſacerdotes reliquos ab hujus pronuntiatione excludat, ex iis quæ ante dicta ſunt, liquido apparet. Cæterùm & ad Pontificem & ad ſacerdotes reliquos reſpexit Philo, cum lib. 3. de vita Moſis ſic inquit, χρυσοῦν δὲ πέταλον ὡς στέφανος ἐδημιουργεῖτο τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος: ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτταν

[a] Levit. 16. 6. quæ privata erat.
[b] Ibid. v. 24. quæ publica erat.
[c] Ibid. v. 21.
[d] Ibid. v. 9.

σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν, καὶ ἐν ἁγίοις λέγειν. Ἄλλῳ δ' οὐδενὶ παράπαν οὐδαμοῦ. Ubi ἐν ἁγίοις, nihil aliud est; quam Thalmudicorum בְּמִקְדָּשׁ / *in sanctuario*, quod totum templum complectitur.

XXVI. Ex his jam illud insuper liquere arbitror, illam priscorum εὐλάβειαν paulatim degenerasse in superstitionem, quæ ubi semel admissa fuit, altiores indies radices egit. Etenim, ut porro ejus incrementa videamus, à cujus promiscua pronuntiatione primo quidem ex quadam εὐλαβείᾳ, postea verò ex superstitione, sed εὐλαβείας mantello velatâ, abstinebatur, illud postea sub pœna mortis æternæ pronuntiari vetitum fuit. Præcipuè vero ejus pronuntiatione interdictum fuit plebeiis, quo respexisse autumant Eusebium, cum illud ἄλεκτον τοῖς πολλοῖς appellat.

XXVII. Si quæras super hac re expressum Thalmudicorum testimonium, ecce tibi illud ex cap. * XI. Massecheth Sanhedrin, folii 90. facie prima, ubi sic sciscunt Magistri nostri,

* In parva Edit. Misnajoth est cap. X.

כל ישראל יש להם חלק לעולם הבא שנאמר ועמך וגו' * ואלו שאין חלק לעולם הבא האומר אין תחיית המתים מן התורה ואין תורה משמים ואפיקורוס ר' עקיבא אומר אף הקורא בספרים החיצונים ולוחש על המכה ואומר כל המחלה וג' אבא שאול אומר אף ההוגה את השם באותיותיו id est *Omnis Israëlita habebit partem in futuro sæculo, sicuti scriptum est,* Et populus tuus, &c. Jesa. 60. 21. *Istis autem Israelitis non erit pars in futuro sæculo, qui dicunt non esse resurrectionem mortuorum ex Lege, qui negant Legem cœlitus datam,* * *Epicuræus. R. Akiba addit, qui legit libros profanos, qui admurmurat super plaga, recitatque ista verba,* omnem ægritudinem, &c. Exod. 15. 26. *Abba Saul dicit, etiam qui pronuntiat nomen literis suis.*

* al. ואלו ישראלים

* Maimon. ait esse vocẽ Aramæam, eamque deducit à פקר

XXVIII. Ubi in Gemara adjecta est hæc glossa, בגבולין ובלשון עגה / id est *extra Jerusalem locum illum sanctum* (nam גבולים vocantur קרי חוץ למקדש inquit R. Salomo, id est urbes reliquæ præter illam in qua erat sanctuarium) & lingua barbara, vel ut alii, in sermone profano & otioso.

XXIX. Audiamus etiam Philonem, libro 3. de vita Mosis de historia Levit. 24. multa locutus sic tandem ait, *Quod si*

quis non dico blaſphemaverit hominum Deorumque Dominum, ſed auſus fuerit vel nomen ejus intempeſtivè pronuntiare, noxam luat capite. Quandoquidem ne mortalium quidem parentum nomina proferunt ii quibus cordi eſt pietas, ſed omiſſis propriis honoris gratia, utuntur naturalibus, patrem appellantes matremque: atque ita profitentur accepta immenſa beneficia, ſuamque gratitudinem. Quomodo igitur merentur veniam, qui temere abutuntur ſanctiſſimo Dei nomine, tantum ad explendum ſermonem, non aliter quam profanis vocibus.

XXX. Atque huc illa quoque pertinent, quæ in eodem tractatu Sanhedrin occurrunt, cap. 7. המקלל אביו ואמו אינו חייב עד שיקללם בשם קללם בכנוי מאיר רבי מאיר מחייב וחכמים פוטרים hoc eſt, *Qui maledicit patri & matri ſuæ, non eſt reus* [*lapiditionis*, pendent enim hæc ab iſto paragrapho, אלו הנסקלין iſti lapidantur.] *niſi maledixerit illis per nomen* [*tetragrammaton:*] *Quod ſi maledixerit illis per cognomen aliquod,* [ex gr. Elohim, ſchaddai, Adonai, &c.] *R. Meir eum condemnat* [ut lapidetur,] *at ſapientes eum abſolvunt* [non à peeccato vel omni pœna, ut vulgo hæc accipiuntur, ſed à lapidatione.] Ibidem, המגדף אינו חייב עד שיפרש השם id eſt *blaſphemus non eſt reus* [lapidationis] *niſi expreſſerit* Nomen. Iterum κατ' ἐξοχὴν τὸ τετραγράμματον innuitur. Hoc decretum ſuperſtruxerunt Magiſtri noſtri iſtis verbis Levit. 24. verſ. 15. & 16. quæ hoc modo vulgo interpretantur, אִישׁ אִישׁ כִּי יְקַלֵּל אֱלֹהָיו וְנָשָׂא חֶטְאוֹ׃ id eſt *unuſquiſque, ubi maledixerit Deo ſuo, portabit peccatum ſuum* id eſt peccato congruam. וְנֹקֵב שֵׁם יְהוָה מוֹת יוּמַת בנקבו שם יומת׃ *At qui nominat*, vid. inter * maledicendum, *nomen* Domini, *morte morietur*, — *quando nominat nomen, morietur*, Abenezra, ויש אומרים כי יקלל אלהיו בסתר והנכון שמלת אלהים שם התואר והמלאכים יקראו אלהים וכן הדיינים ומי יוכל לדעת מה יש בלב המקלל אך אם יפרש השם הנכבד שאינו. שם התואר ולא יתערב כי הוא לבדו שם עצם [ita enim locum, in poſterioribus verbis corruptum, reſtituendum putabat eximius juvenis dignuſque qui vel in celeberrima Acad. literas Græcas Ebraïcaſve profiteatur, Joh. Cocceius *Bremenſis*, cujus ego in tanta Græciſmi, Ebraïſmi, Rabbiniſmi, Thalmudiſmi & Theologiæ peritia, inſignem modeſtiam cum ſingulari pietate conjun-

* Ita quoque Auguſtinus Quæſt. 87. in Leviticum.

junctam non possum pro merito prædicare. In editis sic legitur ולא יתערב עם שם כי הוא לבדו sensu aut nullo aut incommodo.] id est *Sunt qui dicunt, illa verba* יקלל אלהיו vers. 15. *de eo intelligenda esse qui clanculum* (id est sine testibus & præmonitione, ut loqui amat R. Sal.) *blasphemavit. Sed rectius est, ut* ה' Elohim *sit nomen appellativum, Namque & angeli & Judices vocantur* Elohim. *Et quis scire potest quid fuerit in corde blasphemi, nisi expresserit ipsum nomen gloriosum* (יהוה). *quod non est appellativum, neque confundi potest, nam illud solum est nomen proprium.* Doctores in Gemara, Massecheth Sanhedrin, fol. 56. sic interpretantur, Qui maledixerit Deo per nomen proprium יהוה / morte afficietur: at qui per cognomina, increpatur. Glossa, Illi incumbit כרת id est exterminium (*Hiscuni*, res illa pendet inter ipsum & *possessorem ejus) & quod dicitur de increpatione, dicitur ad excludendam mortem, sed non ad excludendum כָּרֵת / Ibidem illam quoque Legis restrictionem invenies, *qui maledixerit nomini per nomen*, ut lapidari non potuerit blasphemus עד יברך שם בשם id est nisi ipsum Deum nomine יהוה indigitatum blasphemaverit per ipsum illud יהוה / vide §. 40. Hanc glossam admodum subtiliter exsculpsêre ex verbis istis, ונוקב שם בנקבו שם / Ecce inquiunt, illud requiritur שיגקוב שם בשם ut blasphemet יהוה per יהוה / In Massecheth Sanhedrin cap. 9. Misna ultima, alius & ab his diversus casus proponitur, הגונב את הקסות והמקלל בקוסם וגו' קנאין פוגעין בו id est *In eum qui furatur vasa ministerii* (Maimonides Hal. Sanhedrin cap. 18. clarius הגונב כלי שרת מן המקדש qui furatur vasa ministerii ex Sanctuario) *& qui maledicit per idolum, in eum, inquam, zelotæ irruunt*, id est occidunt. Maimonides distinctius, *Quisquis occidit talem, præclarum & magni meriti opus patrat*,] (vid. instar Phineas). בית דין אין נזקקין להן *domus judicii non miscet se istis.* Addam obiter quæ sequuntur & in Thalm. & in Maim.

* .i. Deum.

כהן ששמש בטומאה אין אחיו הכהנים מביאים אותו לב"ד אלא פרחי כהונה מוציאין אותו חוץ לעזרה ומפציעין את מוחו בגזירין

id est *sacerdotem pollutum, qui sacris operatur, Collegæ sacerdotes non sistunt domui judicii, sed flores sacerdotii* (id est, adolescentes, candidati sacerdotii) *educunt eum ex atrio & elidunt ipsi cerebrum lignis.* Sed redeamus ad locum Levitici. R. Sal. *qui maledixerit*

(Nota

(Nota eum ר״ל נקב שׁ׳ aſſignare לשון קללם id eſt ſignificationem maledicendi, ſicuti & Pheſiktha) *Deo ſuo etiam per nomen ipſum* יהוה / *portabit peccatum ſuum, id eſt punietur* בְּכָרֵת / *quando vid. nulla anteceſſit præmonitio. At ſi præceſſerit præmonitio, tunc morte morietur.* Vides ut adverſis frontibus inter ſe concurrant magiſtri? Theodoretus Quæſt. in hunc locum ait verſ. 15. *nomen Dei æquivoce ſumi, pro eo qui talis falſo nominatur, cui quidem qui detrahit, hunc peccare aſſerit, nulla tamen pœna condemnat. Non enim peccat pius, dum blaſphemat Deum, qui falſo Dei nomen uſurpat; ſed credit in eum & tamen convitiatur. Blaſphemat enim. peccatum igitur ejuſmodi blaſphemiam appellavit, non propter ejus cui blaſphemia infertur, dignitatem, ſed propter blaſpemantis opinionem. At eum, qui verum Deum blaſphemat, lapidari vult.* Simpliciſſima illa Interpretatio eſt, quam Cl. Junius prodidit, & ſupra Magiſtrorum vulgus caput hic extulit R. Meir, qui inſuperhabita communi ſententia, omnem blaſphemum, ſive nomen ſive cognomina pronuntiaſſet, hac lege complexus eſt. Vide fol. 56. ſæpius jam citati tractatus in Gemara. Cordatior hic quoque Maimonides eſt, & libere à Magiſtris diſſentit in Halacha Aboda zara, c. 2. *Blaſphemus non eſt reus,* inquit, *lapidationis, niſi expreſſerit nomen Dei proprium quatuor literarum, Aleph, Daleth, Nun, Jod, & maledixerit ei per aliquod nomen ex eorum numero, quæ eradere nefas eſt.* [talia autem Halacha Jeſode thora cap. 6. recenſet 7. videl. יהוה ארני אהיה אליה אלהים שדי צבאות / credo eum ר״ל יָהּ ſub tetragammato comprehendiſſe] *ſicut ſcriptum eſt,* Et qui exprimit nomen DOMINI, &c. *Ergo propter nomen proprium expreſſum lapidatio: propter cognomina, increpatio* (אזהרה) *Eſt autem quidam qui eam legem ſic interpretatur, blaſphemum non eſſe reum niſi expreſſerit nomen* יהוה / *At ego dico, quod propter ambo illa* [vid. יהוה & ארני *lapidandus ſit.* Hæc ille, in quibus non ſemel à receptis Thalmudicorum placitis diverſus abit. Primo enim ארני ר״ל vocat שם המיוחד של ד׳ אותיות / nomen, ut quidem vulgo reddunt, Deo proprium. Et certe nulli creaturæ communicatur. 2. Si quis Deum blaſphemans vel nomen יהוה vel ארני enuntiet, eum reum lapidationis pronuntiat, cum alii ſoli nomini יהוה id prærogativæ tribuant. 3. Ubi alii hoc quoque requirunt, ut nomen יהוה blaſphemetur per ipſum יהוה (vide & §. 40.) Maimonides ſtatuit ſatis eſſe, ſi Deus ſive per nomen יהוה / ſive ארני denotatus, blaſpheme-

phemetur per unum ex 7. illis cognominibus. Ineptus essem, si hæc omnia probarem. Audebo illud tamen dicere, Maimonidem minus hic ineptum esse, quam reliqui Thalmudistæ, quorum glossæ in ipsum Deum magis injuriæ sunt. Notabis illud quoque hoc loco, isti glossæ, qua τὸ נקב redditur *nuncupare*, *nominari*, natales suos debere istam quorundam sententiam solam יהוה & prolationem blasphemiam esse. Cui non parum roboris accessit à versione Onkeli & Lxx, quorum ille hoc verbum per Chald. פרש id est *exprimere*, hi per ἐπονομάζειν reddidere, Sed nec hoc termino stetit gentis istius audacia. Cum enim non omni blasphemiæ capitalem pœnam destinaverint, tamen non defuisse, qui nudam יהוה & pronuntiationem crimen morte expiandum censuerint, supra §. 29. ex Philone ostendimus.

XXXI. Vides, Lector, quanto studio nomen illud venerabile occultaverit superstitiosa natio? Huic δεισιδαιμονία non multum absimilis illa est, quam * Plinius Romanis abscribit; Narrat enim eos nomen Dei, in cujus tutela erant, studiose occultasse, ne quomodo ab hostibus evocatus aliò commigraret.

* Naturalis. hist. 28. 2.

XXXII. Diximus supra, ex sententia Thalmudicorum, pronuntiationem nominis יהוה in benedictione sacerdotali obtinuisse usque ad excessum Simeonis Justi. Sed & ante ejus obitum plebem ignorasse veram nominis pronuntiationem, ex Ebræis colligi potest. Nam quid aliud sibi volunt illa verba, quæ supra §. 24. ex More Nebuchim & §. 25. ex Philone produximus? Quomodo, inquies. Annon clara voce benedicebat Sacerdos? Ita certe. Maim. in halacha de Benedict. Sacerdotum, cap. 14. §. 1. כה תברכו בקול רם id est *Sic benedicetis, vid. voce alta.* Sed quemadmodum in Papatu Sacerdos istas voces. *Hoc enim est corpus meum*, ita apud se mussat & demurmurat, nemo ut astantium distincte exaudire valeat, ita & superstitiosus in Judaïsmo Sacerdos hoc nomen. Massecheth Kidduschin cap. 4. fol. 71. אמר ר׳טרפון פעם אחת עליתי אחר אחי אמי לדוכן והטיתי אזני אצל כהן גדול ושמעתי שהבליע שם בנעימת אחיו הכהנים

Dixit R. Tharphon, aliquando ascendi post avunculum in suggestum, & adverti aurem ad sacerdotem magnum, & audivi quod celeriter pronuntiaret & quasi absorberet nomen (Tetragrammaton) *inter modulationem sacerdotum.*

XXXIII.

XXXIII. Sed non hoc solum nomen superstitioni Judæorum obnoxium fuit. Namque etiam circa nomen Elohim, Deo tributum, eadem occupata fuit, atque etiamnum est. Illud enim extra Biblia passim scribunt אלקים vel אלרים / Sed, ut redeamus ad tetragrammaton, Si adeo profunde demersi fuere in hoc superstitionis cœno Magistri, quid miramur miserum vulgus ita fuisse fascinatum, ut qui illud fortassis noverant, pronuntiare, qui vero ignorabant, in illud inquirere non fuerint ausi. Verissimum siquidem ab omni ævo comprobatum illud Q. Curtii fuit, *Nihil efficacius regere multitudinem, quàm superstitio.*

XXXIV. Ipse Josephus, qui exusto templo & captæ urbi superavit, cordatissimus alias scriptor, hac superstitione sideratus fuit. Ille, utpote sacerdos, & quidem sacerdos ἐκ τῆς πρώτης ἐφημερίας τῶν εἴκοσι τεσσάρων, veram hujus nominis pronuntiationem non potuit ignorare. Et tamen Antiquit. 2. 5. de Mose verba faciens sic inquit, καὶ ὁ Θεὸς σημαίνει αὐτῷ τὴν ἑαυτοῦ προσηγορίαν, οὐ πρότερον εἰς ἀνθρώπους παρελθοῦσαν, περὶ ἧς οὐ θέμις μοι εἰπεῖν. id est *Deus illi indicat propriam suam appellationem, quæ antea hominibus non innotuerat,* De Qua Mihi Non Est Fas Loqui.

XXXV. Illud mihi jam vide, Lector, si tunc quoque, cum in templo adhuc obtinebat ejus prolatio, adeo studiose eam occultarunt Sacerdotes, qui illud sibi solis vindicabant (Glossa ad fol. 18. pag. 2. Massecheth Erubim, *Nomen Tetragrammaton non est datum omni, sed tantum sacerdotibus.*) si postea omnino pronuntiari, etiam in templo, desiit, si sacerdotibus, qui templo superstitarunt, religio fuit nomen illud exprimere, atque ad posteros transmittere, quis mirabitur, tandem omnino obliteratum fuisse atque animis Judæorum evulsum.

XXXVI. Quoniam vero Christiani in primitiva Ecclesia, linguam Ebræam, aut res ad literaturam Ebraïcam pertinentes non nisi ex Ebræis discere potuerunt, quid miramur eos quoque genuinam certamve nominis hujus prolationem ignorasse? Neque enim discere potuerunt ex Ebræis quod ipsi Ebræi vel ignorabant vel utut scirent, præpostera tamen illa religione docere prohibebantur. Hinc natæ illæ voces & Epitheta nominis Tetragrammati, *a* quæ passim apud patres Græcos & Latinos, nominatim verò Clementem Alex. Theodoretum, Eusebium, &c.

a Drusius cap. 7.

&c. obvia habes, vid. ἀνεκφώνητον, ἄῤῥητον, ἄφραστον, ἄλεκτον, ἄφθεγκτον, [b] ἀπόῤῥητον, καὶ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον.

XXXVII. Ad quæ omnina hoc observetur, τὸ α vocibus prioribus quinque præpositum vel sic accipi posse, ut indicetur τὸ μὴ θεμιστὸν, quod non licuerit, vel τὸ μὴ εἰωθὸς, quod insolens fuerit, vel τὸ μὴ δυνατὸν, quod pronuntiari non potuerit.

XXXVIII. Tria ista locum habere possunt in istis vocibus, si distinguas tempora. Quamdiu enim duravit isthæc εὐλάβεια, *in usu non fuit* ejus pronuntiatio. Ex quo autem ea in superstitionem demigravit, non tantum in usu non fuit, sed & horrendi carminis lege *prohibita* fuit. Atque huc pertinet illud [c] *Theodoreti*, τοῦτο δὲ παρ' ἑβραίοις ἄφραστον ὀνομάζεται, ἀπείρηται γὰρ παρ' αὐτοῖς διὰ τῆς γλώττης προσφέρειν· id est *Hoc apud Ebræos ineffabile dicitur; Ipsis enim ejus prolatione interdictum est.* Ex quo denique una cum templo & superstitibus sacerdotibus prolatio ista intercidit, pronuntiari *omnino non potuit*; atque, ἄφραστον, ἄῤῥητον, ita & etiamnum & porro vocari jure merito poterit, usque dum verum & genuinum ejus sonum certis & indubiis indiciis doctorum industria eruerit.

XXXIX. Sic itaque dico, tres illas literæ A notiones in nomenclaturis istis posse habere locum, ut dixerint ἄφραστον, τοῖς Ἰουδαίοις scilicet ἄφραστον quondam, cum sacerdotibus nota adhuc esset ejus nominis lectio, quod primo quidem εὐλαβεία, postea vero ex superstitione observabant: Et ἄφραστον suo sæculo, cum ignorabatur: quod erat necessitatis.

XL. Sed rogabis hic & quidem opportunè, si toto illo temporis spacio, ante Templi destructionem, propriis vocalibus & per suas consonantes, primò ex εὐλαβείᾳ, deinde verò ex δεισιδαιμονίᾳ non fuerit pronuntiatum, lectumve, si etiam post fata Simeonis Justi in benedictione Sacerdotum pronuntiari desiit, quid ergo per eo lectum fuerit? Secundò; utrum hodie quoque ignoretur vetus & geuina lectio, Et si ita est, quid hodie pro eo legendum?

XLI. Respondebo ad utramque Quæstionem ordine. Et quidem primam quod attinet, distinguo loca. In judiciis: quando inquirebatur in blasphemum, cardo rei in hoc vertebatur, utrum Deum per ipsum nomen יהוה / an vero per cognomina blasphemasset. In hoc examine nomen יהוה nec pronuntiabant per proprias consonas, nec per vicarium *Adonai*, sed utebantur voce

[b] A. Donnæus Anglus in Hom. 8. Chrysost. in 2. ad Corinth. distinguit inter ἄῤῥητον καὶ ἀπόῤῥητον. Hoc dicit esse, quod dici non debet; illud, quod dici non potest. Sed Hesychius refellit eam & I. Boisius in notis ad eundem locum. Vide in opere Saviliano.

[c] Qæst. 15. in Exodum. Vide & Rainoldum de Idolol Rom. Eccles. 2.3.28. in marignalib.

voce יוֹסֵי *Jose*. Hoc eruo ex Massecheth Sanhedrin, cap. 7. ubi sic legitur in Misna, המגדף אינו חייב עד שיפרש השם אמר ר׳ יהושוע בן קרחה בכל יום דנין את העדים בכנוי יכה יוסי את יוסי נגמר הדין לא הורין בכנוי אלא מוציאין כל אדם לחוץ ושואלים את הגדול שביניהם ואומרים לו אמור מה ששמעת בפירוש והוא אומר והדיינים עומדים על רגליהם וקורעין ולא מאחין והשני אומר אף אני כמוהו והשלישי אומר אף אני כמוהו id est *blasphemus non* a *est reus* (lapidationis) *nisi expresserit ipsum nomen tetragr. Josua filius Korcha, toto* b *die judicant* c *testes per cognominationem, Percutiat Jose Josem. At ubi* d *absolutum est judicium, non* e *interficiunt per agnominationem: Sed exire jubent* f *omnem hominem, & rogant seniorem testem & dicunt ei, Dic nobis* g *clare & expresse, quid audivisti? Et judices stant &* h *scindunt vestes & non resarciunt eas. Et secundus dicit. Idem ego audivi, Et tertius, Et ego audivi idem quod ille.* Quæ cum obscuriuscula sint, ut solent tenebriones illi tenebras lectoribus suis offundere, non pigrabor illis ex Scholiis ipsorum facem allucere.

a *Vide supra* § 30. b *toto illo tempore quo tractabant & disceptabant illam causam.* c *judicant id est examinant, & fidem eorum variis quæstionibus explorant. Hoc volunt, judices in quærendo, testes in respondendo, non pronuntiabant nomen tetragr. sed utebantur cognominatione quadam seu substitutione alterius nominis, illud autem erat* יוסי / *Et cur* Jose *potius quam aliud nomen huic rei adhibitum? Quia & hoc quadriliterum est, ut* ה״ט יהוה / *& quia in numeris ad eandem summam ascendit, ad quam nomen* אלהים / *Nam si vocis utriusque literas redigas in numeros, habebis* 86. *Istis ergo verbis,* percutiat Jose Josem *proponitur formula blaspemiæ, quam homo blasphemus in ipsum Deum per proprium ejus nomen expressum evomuit, addito rursus eodem nomine, quod dicunt blasphemare* שם בשם *vide supra* § 30. d *Hoc est, ubi jam res clara est & finis imponitur inquisitioni, quando dicunt judices,* חייב הוא *reus est, & nihil restat præter solennem condemnationem, & eductionem ad supplicium, quæ in diem sequentem differebatur* e *id est non possunt procedere ad irrogationem supplicii ex isto testimonio, quod huc usque ex ore testium audiverunt. Sic dico, ex isto testimonio in quo nomen* יהוה *per* Jose *expresserunt, præcedere possunt ad condemnationem illam non solennem, sed antequam educatur ad supplicium, oportet judices ex ore testium ipsam formulam blasphemiæ audire sine ulla cognominatione, prout ex ipsius blasphemi ore audiverunt. Aliter enim sacra illa non constabant.* f *præter testes. Id videntur postulare sequentia. Nam secundus testis dicebat, Ego audivi idem quod ille, & sic tertius, non repetita ipsa blasphemia, quia turpe & indecorum censebant eam iterare.* Codices quidam pro שואלים rogabant, legunt

י	10
ו	6
ס	60
י	10
	86

א	1
ל	30
ה	5
י	10
ם	40
	86

legunt ומשיירין *& retinent, ſed, opinor, male. nolebant ergo formulam illam blaſphemiæ coram aliis recitari. Quod ſi dicamus, teſtes reliquos juſſos quoque fuiſſe exire, dum ſenior ipſam blaſphemiæ formulam recitabat, quomodo dicere potuerunt ſinguli, Ego idem autem audivi quod ille?* g *id eſt, ſine periphraſi aut cognominatione.* h *teſtes non tenebantur ſcindere in judicio, quia jam ante, cum primitus blaſphemantem audiebant, ſciderant.*

XLII. In templo, vel ut preſſius loquar, in benedictione ſacerdotali & liturgia ſummi Pontificis, die Expiationis (namque hic ipſum tetragrammaton olim prolatum fuiſſe ſupra vidimus) poſterioribus ſeculis per nomina 12. & 42. literarum, tanquam περιφράσεις quaſdam lectum fuiſſe, Ebræi prodiderunt. Horum nominum crebra apud Thalmudicos eſt mentio; atque in ipſo quoque templo) cum ipſum nomen יהוה adhuc à ſacerdotibus proferebatur, uſitata fuiſſe, liquet tum ex aliis locis, tum vel præcipue ex Maſſecheth Kidduſchin cap. 4. ut poſtea videbimus. Poſtquam ergo deſiit tetragrammati prolatio, hæc tanquam ejus vicaria retenta ſunt. Scindlerus in Lexico meminit quoque nominis 42. literarum, quod ex cap. 6. Tetragrammati Cl. *Druſii* hauſit. Obſervo tamen in paraphraſi Chald. Cantic. 3. quem locum Cl. *Druſius* citat, non memorari nomen של עב אותיות id eſt 72. literarum, quomodo loqui ſolent, quando nomen 12. aut 42. literarum innuunt, ſed שמא רבא מפרש בשבעין שמהן id eſt nomen magnum expreſſum vel expoſitum per 70. (pro 72.) nomina.

XLIII. Lubet ſuper iſtis audire teſtimonia Thalmudicorum? Ecce tibi Maſſechet Kidduſchin, cap. 4. fol. 71. pag. 1. תנו רבנן בראשונה שם בן שנים עשרה אותיות היו מוסרים אותו לכל אדם משרבו הפריצים היו מוסרים אותו לצנועים שבכהונה והצנועים שבכהונה מבליעים אותו בנעימת אחיהם id eſt *Tradiderunt Magiſtri noſtri, quod primo nomen filium 12. literarum tradiderint cuilibet homini. At ex quo multiplicati ſunt profani homines, tradiderunt illud modeſtioribus ex ſacerdotali ordine. Et hi abſorbebant illud* (id eſt præcipitanter demurmurabant) *inter modulationem fratrum ſuorum.* Ad quem locum Scholiaſtes hæc notat. שם בן יב׳ ובן מב׳ לא פרשו לנו id eſt *nomen 12. & 42. literarum non expoſuerunt nobis.* Et poſtea ad illa verba, משרבו &c. hæc notat, *qui abutebantur eo.* Fortaſſis ad Magicas artes & præſtigias. Modeſtioribus] *ut benedicerent*

populo

populo per illud in sanctuario, post peractum cultum jugis sacrificii matutini. Absorbebant autem illud inter modulationem fratrum. Quando Sacerdotes illi, qui in eo non erant exercitati, & proinde benedicebant Deo per nomen יהוה / *quando illi inquam in modulatione sua trahebant vocem suam, hi absorbebant nomen 42. literarum, ut audiri à plebe non potuerit propter vocem modulationis collegarum,* בנעימת ביסים קול שקורין טרוף id est בנעימת est suavis vocis modulatio, *quam* טרוף *vocant.* Hæc Scholiastes. Ex quo illud colligo, jam tunc cum prolatio nominis יהוה adhuc in usu erat, obtinuisse in divino cultu hoc nomen 42. literarum. De quo illud porro legitur in ipso textu ejusdem paginæ, *nomen 42. non traditur nisi verecundo, humili & mediæ ætatis viro, non iracundo, non ebrioso, non pervicaci. Quicunque illud novit & in pretio habet, conservatque pure, is dilectus est supra & acceptus est infra* (id est in cœlo & terra) *eumque reverentur & metuunt homines, ac hæres sit seculi.* Judica lector, utrum hoc non propemodum sit magicam quandam vim vocibus adscribere.

XLIV. Maimonidis verba de his nominibus cap. 61. partis primæ ﬞ Moreh hæc sunt גם היה אצלם שם בן יב׳ אותיות והוא בקדושה למטה מזה משם בן ד׳ אותיות והקרוב אצלי שלא היה שם אחד אלא שתי שמות או שלשה כלל אותיותיהם שתים עשרה אותיות id est *Fuit etiam penes ipsos nomen 12. literarum, quod sanctitate infra nomen tetragrammaton fuit. Videturque mihi non fuisse nomen unum sed potius duo vel tria quorum literæ in universum fuerint 12.* Et paulo post de eodem loquens, אין ספק שהיה מורה על ענין יותר מיוחד מהוראות אלף ד׳ id est *non est dubium, quin illud significaverit aliquid magis proprium Deo, quam nomen* ארני / Et rursus pauculis interjectis משמת שמעון הצדיק בטלו אחיו הכהנים מלברך בשם אלא היו מברכים בזה שם בן יב אותיות אמרו בראשנה שם בן שתים עשרה אותיות היו מוסרים אותו לכל אדם משרבו הפריצים היו מוסרים אותו לצנועים שבכהונה הפריצים שבכהונה מבליעים אותו בנעימת אחיהם הכהנים id est *Ab excessu Simeonis Iusti desiere fratres ejus sacerdotes benedicere per* NOMEN [tetragrammaton.] *Sed benedicebant per hoc nomen 12. literarum. Ajunt nomen 12. literarum primo traditum fuisse omni homini. At postquam incrementa sumsit numerus profanorum, tradidisse illud tantum modestioribus inter Sacerdotes, illosque absorpsisse illud* [id est præcipitanter & tacite demurmurasse]

inter modulationes fratrum suorum, Sacerdotum. Et postea והיה אצלם גם כן שם בן מב״ אותיות וידוע אצל כל בעל הציור שאי אפשר בשום פנים שיהיה מ״ב אותיות מלה אחת וגי id est, *Eratque apud eos similiter nomen 42. literarum, noruntque omnes intelligentes, neutiquam fuisse unum nomen, sed plura, quæ in universum habuerint literas 42.* Postea invehitur in illos, qui literis istorum nominum vim quandam magicam adscribunt, quod hominum genus capite quoque præcedenti perstrinxerat. Operæ pretium erit audire gravissimam censuram doctissimi istius Judæi. Sic ergo inquit cap. 61. Edit. Ebr. vel 60. Edit. Latinæ, לא יעלה במחשבתך שגעון כותבי הקמיעות ומה שתשמעהו מהם או תמצאהו בספריהם המשונים ומשמות חברום לא יורו על עניין בשום פנים ויקראו אותם שמות ויחשבו שהם צריכים קדושה וטהרה ושהם יעשו נפלאות כל אלה הדברים לא יאות לאדם שלם לשמעם כל שכן שיאמינם id est *ne ascendat in cogitationes tuas insania eorum, qui scribunt amuleta aut si quid præterea audiveris ex illis aut inveneris in eorum libris monstrosis. Colligunt autem illas voces quas chartis istis inscribunt ex nominibus & nihil omnino significant, & legunt ista nomina & opinantur illis necessario inesse sanctitatem & puritatem quandam, imo & vim miraculorum. Omnia ista indigna sunt, quibus sanæ mentis homo aures suas locet, nedum fidem habeat.* Locum alterum ex cap. sequenti repræsentabo tibi ex versione Latino, anno 1520. edita. Codex enim Ebræus editus Savionetæ, anno à condito mundo שי״ג id est 313. juxta æram minorem (id est à nato Christo 1553.) nihil tale habet, ut vel eam editionem mutilatam esse, vel si Latinus Interpres ex Arabico vertit (liber enim ille ab ipso authore Arabice conscriptus est) ipsum Maimonidis textum ab Interprete Ebræo truncatum esse oporteat. Juvat conjecturam meam, quod Interpres Latinus passim authorem contrahere & mutilare, non vero ad eum tam multa addere soleat. Sic ergo introducit Maimonidem, cap. 61. fol. 25. *Notum est ac manifestum cuilibet aliqualiter intelligenti & ponderanti rationes divinarum rerum, literas & characteres seu figuras literarum etiam nostrarum, manu artificis scriptarum, esse puras creaturas, & ideo secundum in superioribus à nobis declarata, non habere ullam potentiam aut virtutem à se nisi recidamus ad ignorationem idololatrarum, Creaturas pro creatura adorantium, quorum peccatum demonstravimus esse impiam blasphemiam &*

Deo abominabilem. Et paulo post, * *cum autem homines pravi & insipientes invenerunt ista verba, fuerunt potentes in mendacio, dicentes, quod cum conjungerent literas quaslibet, possent facere hoc vel illud cui scriberent eas vel proferrent super tali vel tali re.* Hunc locum eo lubentius produxi, quod videam hujus ævi Judæos ad hanc impietatem magis magisque indies ferri præcipites. Reverendi & Cl. Theologi, *D. Francisci Gomari*, liberalitate possideo Psalterium, quod ipsum quoque editum est Savionetæ 1556. Ad ejus calcem additus est libellus hoc titulo שמוש תהלים id est usus Psalmorum. In eo singulis Psalmis suus assignatur usus. Dabo gustum. Ps. 2. ut libereris ex tempestate maris recita hunc Psalmum & inscribe eum testæ & projice illam in mare & consilescet. Si cui caput dolebit, scribe hunc Ps. usque ad illa, *confringes eos virga ferrea, &c.* & suspende illam de capite ejus. Ps. 3. Si quis humerum & caput dolebit, pronuntiet hunc Ps. super oleo olivarum & inungat eo partes affectas. Ps. 7. Vtilis est iste Psalmus ne homines tibi possint nocere, & ut in fugam vertas inimicum tuum, qui te persequitur. Accipe pulverem ex terra & recita super eo hunc Ps. & sparge pulverem istum coram inimico tuo, qui te persequitur & retrocedet. Et nomen divinum quod ex hoc Psalmo exurgit est אל עליון / א ex verbis illis אשר/ ל/שר ex voce אורה per commutationem * אלבם Albam, Et dic, placeat tibi Deus altissime convertere cor inimicorum meorum, sicuti fecisti inimicis Abrahami patris nostri, cum hoc nomen memorabat. Porro, si quis habeat inimicum, accipiat ahenum novum & impleat illud ex fonte aquarum & recitet hunc Ps. quater à קומה יהוה usque ad finem, & effunde illam aquam in loco inimici tui & prævalebis ei, &c. Ps. 120. cum vides serpentem aut scorpionem, recita eum septies. Ps. 123. contra servum fugitivum. Inscribe laminæ plumbi duo illa nomina ארון *dominus*, & עבר *servus*, & revertitur. Ps. 126. utilis est mulieri cujus liberi moriuntur, scribe eum in pergameno, & adscribe hæc

שנוי סנסנוי סמנגלף

in postrema linea, & pones illud in quatuor angulis domus. Ps. 130. Quando vigiles circumeunt urbem si velis invisibilis transire coram illis, mussa eum versus quatuor plagas mundi, & obruet

* Hæc ex Ebræo.

* Vide Buxtorf. abbreviat. pag. 27.

eos ſopor. Tædet plura adſcribere. Quis jam mirabitur, ſuperſtitioſam illam gentem nomini יהוה vim miraculorum tribuiſſe? Cl. Buxtorf. ex libro Caphthor fol. 56. iſta citat משה לא נשתמש אלא בשמו הגדול וכל נפלאותיו אשר עשה היו בשם המפורש שהוא שם יהוה ואהיה אשר אהיה id eſt *Moſes non eſt uſus niſi nomine magno, & omnia miracula ejus, quæ fecit, fuerunt, per nomen* יהוה *& Ehjeh aſcher Ehjeh.* Quis item mirabitur Thalmudicos crediidiſſe, R. Haninam per nomen 42. literarum potuiſſe facere כל אשר חפץ id eſt quicquid vellet, ut eſt in Scholiis ad Maſſ. Aboda Zara fol. 17. pag. 2. Edit. Cracovienſis.

XLV. Sed ut his ineptiis tandem finem imponamus, revertamur ad nomen 12. & 42. literarum. Vidiſti, opinor, I. illa una cum ipſo tetragrammato olim prolata fuiſſe. II. poſt hujus vero pronuntiationem deſitam, illorum prolationem aliquandiu manſiſſe. III. Ea quoque propere ſubmiſſaque voce à ſacerdotibus pronuntiata fuiſſe, ne vulgus ea perciperet, neque etiam quemlibet ſacerdotem eorum prolationem doctum fuiſſe. IV. Omnium iſtorum nominum celationi prætexi metum profanationis, & eorum impietatem, qui iſtis ad magicas præſtigias abutebantur. V. Mirum non eſſe, ſi iſta quoque una cum nominis יהוה prolatione tandem interciderint.

XLVI Fruſtra ergo in iſta inquiſiveris. Excute univerſum Thalmud, Maimonidem & quicquid eſt uſpiam Ebræorum ſcriptorum, nihil certi & in quo poſſis acquieſcere, erues. Quod enim R. Bechai in principio Geneſ. fol. 5. col. 2. notat, nomen 42. literarum deſumptum fuiſſe ex primo & ſecundo verſu libri Geneſeos, vid. à litera ב vocis בראשית uſque ad literam ב vocis וָבֹהוּ / quæ ſunt 42. literæ, ex quarum varia combinatione Cabaliſtis nota factum fuerit nomen 42. literarum, item nomen 12. literarum, conflatum fuiſſe ex triplicata combinatione nominis יהוה / nullam apud me meretur fidem. Neque etiam mihi perſuadere poſſum, Galatinum ex Ebræorum monumentis eruiſſe illa quæ libro 2. cap. 10. exibuit. Hoc enim ponit nomen 12. literarum אָב בֵּן וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ id eſt *Pater, Filius & S. Sanct.* Nomen vero 42. literarum illud aſſignat, אָב אֵל בֵּן אֵל וְרוּחַ הַקֹּדֶשׁ אֵל אֲבָל לֹא שְׁלֹשָׁה אֱלֹהִים כִּי אִם אֱלֹהַּ אֶחָד id eſt *Pater Deus, Filius Deus, Sp. S. Deus; at non tres Dii, ſed unus Deus.* Magnum

operæ pretium esse, inquit Cl. Buxtorfius, hanc expositionem posse ex libris Rabbinorum firmari. Scaliger, Drusius aliique in Ebræorum monumentis versati negant ea in Ebræorum monumentis hodie reperiri. Quid ergo? Existimo ego, Galatinum, seu potius Raimundum Sebundum, cujus scrinia compilasse Galatinum Scaliger author est, veterum scriptorum imitamento & hæc & alia vel finxisse, vel ex libris ὑποβολιμαίοις descripsisse *Primis Ecclesiæ temporibus*, inquit Casaub. in Exercit. *quamplurimi extiterunt, qui facinus palmarium judicabant, cœlestem veritatem suis figmentis ire adjutum.* Quæ facilius sc. Christiana religio vel à Gentium Judæorumque Sapientib. reciperetur, vel neophyti in eadem magis magisque confirmarentur.

Exercit 1. Sect. 16. pag. mihi 73. vide & Erasmi declarationes ad censuram Parisiensium artic. 91.

XLVII. Vidimus quomodo in judicio blasphemi, quomodo item in benedictione solemni & liturgia diei expiationum pronuntiatum fuerit nomen יהוה / Nunc videamus quomodo extra illos casus & extra templum communiter fuerit pronuntiatum. Sed quid dico, videamus? Iam supra vidimus & testimoniis evicimus, Illud pronunciatum fuisse per cognomen אֲדֹנָי / a quod specialiter & κατ' ἐξοχὴν τινα כִּנּוּי vocant. Sic dico, lectum pro eo fuit *Adonai*, excepto uno casu, quando vid. vel ante vel post se habet ipsum cognomen *Adonai*. Tunc enim ad vitandum concursum duorum *Adonai*, τὸ τετραγράμματον expresserunt per nomen אלהים *Elohim*, id est Deus.

Qui ergo rident eos qui *Adonai* legunt, & putant morem istum ab hodiernis Judæis introductum, non merentur quibus respondeatur, inquit magnus Scaliger, in notis ad fragmenta selecta, pag. 34. vide & Abulensem ad Exod. 6. Scindl. in Lexico, Alstedium in Lex. & alios.

XLVIII. Diserte idem confirmat d *Galatinus*, qui tamen primus vocem *Jehova* usurpasse putatur, ipsumque Mosem istius lectionis [ADONAI] authorem statuit.

XLIX.

a ADONAI, Nomen plurale est à singul. אָדוֹן quod videtur descēdere ab אֶדֶן *basis, fulcrum.* Videtur compositum cum affixo primæ personæ plur. numeri. Sed forma ista sæpe pro absoluta usurpatur, ut חַלֹּנַי *fenestra*, גּוֹבַי *locusta*. Cum Deo tribuitur semper desinit in (ָ) διακρίσεως ἕνεκα, estque tam incommunicabile creaturis, ac ipsum יהוה / At cum creaturis tribuitur, desinit in fathach, præterquam in pausa. Tunc enim & hic subinde est Kamets. Deo tributum sensum semper singularem habet, ut ipsum אֲדֹנִים & אֱלֹהִים / Ocurrit in Bibliis קלד id est centies trecies & quater præter ea loca, ubi jungitur cum nomine יֱהֹוִה / vide ad §. 71. Hoc nomen אֲדֹנָי vocatur ab Ebræis וודאי id est confessum, quod ejus puncta confessa sint & certa, non ignota, aut incerta, ut puncta τοῦ יהוה vide Eliam orat. 9. secundarum tabularum Masoreth & Mercerum Amos 5. 16. d De arcanis Cath. verit. lib 2. 10. *ob nominis hujus reverentiam*, inquit, *antiqui Iudaorum, à magno suo praceptore Mose edocti, statuerant hoc nomen minime proferendum, sed ubicunque inveniretur, loco ejus* Adonai *esse legendum.* vide Burgensum ad Exod. 3.

XLIX. Illud extra omnem controversiæ aleam est, omnes Interpretes priscos, qui vel Biblia vel aliquam eorum partem transtulerunt, vid. Chaldæos, LXX. Senes, Theodotionem, Aquilam, Symmachum, authores 5. & 6. Editionis Græcæ, Hieronymum, authorem vulgatæ, Arabes, Persas, Æthiopes, Syros, &c. ad unum omnes, hoc nomen per cognomen *Adonai* legisse, ejusque interpretamentum posuisse. Ut plane ignaros antiquitatis eos esse oporteat, qui istius Lectionis originem Masorethis adscribunt.

L. Atque ita redditum quoque fuit ab Euangelistis & Apostolis, Patribus Græcis & Latinis, [e] usque ad *P. Galatinum*, qui circa annum 1518. floruit.

[e] Ita Cl. Drusius. vide ejus Tetragr. & Buxtorfii Lexicon. Genebr. in Chronol. pag. 8c. Pagninum videtur facere primum ejus vocis authorem: sed fallitur, ille enim post Galatinum floruit, & tamen in suo Lexico non memorat hanc vocem ad nomen יהוה ut dubium non sit, quin ab aliis vox ea sicuti & plurima alia posterioribus versionis ejus Editionibus sit infarta.

LI. Nullus certè, vocem eam cuiquam ante P. Galatinum usurpatam, adhuc ostendit. Ipse Drusius locum produxit ex commentariis, vulgò Hieronymo inscriptis, in Ps. 8. Edit. Plantinianæ, Ibi enim legitur *Jehova.* Sed ostendit idem, in MS. & Frobenianâ (addo ego, & in Parisiensi) esse *Jao*, quæ vox cum in Hieron. etiam alibi occurrat, *Jehova* vero nusquam, quis eo exemplo moveatur? Non dubium est quin operis ejus corrector, Ebraïcarum rerum, ut ex multis apparet indiciis, imperitior, cum ignoraret antiquum esse *Jao*, substituerit vocem suo sæculo magis notam. Hæc Cl. Drusius.

LII. Vidi & ego semel in Addit. Burgensis ad 3. Exodi, Edit. Lugdun. ubi hæc legas, [a] *Proferri tamen potest* Jehova, *unde & Jovem pagani dixêre.* Sed tota ista περικοπὴ ab aliis omnibus, quotquot ego vidi, exemplaribus abest. Vnde constat vel à *Fevardentio*, vel alio aliquo esse interpolatam. Ubi & illud obiter observetur, in eadem Edit. pessime ad marginem citari locum * Theodoreti, *Samaritani vocant illud* [b] Menjame, *Judæi verò Aja.* Sic enim scribenda sunt verba Theologi, *Samaritæ* καλοῦσι μὲν Ἰαβαὶ, [vel Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι δὲ Ἰαώ. Particula *Men* voci Ἰαβε adjecta est ab imperitis, β porro in μ depravato, ut in σενναχερεὶμ pro

[a] Quæstione I.

* Teodoret. in Epitome divinorum dogmatum.

[b] Sic quoque hunc locum citatum invenies apud Aug. Steuchium in Recogn. Vet. Test. ad Exod. 4 ni fallor. Sed conferendus hic locus Theod. cum altero lib. 3. hæretic. fabul. cap. de Valentin.

pro--ρεὶϐ. In veteri enim Scripturâ facillimus erat lapsus de β in μ. Vidi & in nupera Editione Latina Rhemensi *Clementis Alexandrini*. Sed in Græcis omnibus est Ιαοῦ, quod & ille notavit, qui collectanea ad eam versionem edidit.

LIII. Illud quoque dissimulare non debeo, me ante dies pauculos illud invenisse in comment. *Dionysii Carthusiani*, ad Exodi cap. 6. Edit. Coloniensis, anni 1548. quem ante Galatinum floruisse ex Sixto Senensi didici. floruit enim anno 1472. Sed annon & hic vocem *Jehova* pro *Jao* vel alio nomine Editionis istius corrector intruserit, illi viderint queîs antiquiora vel aliarum Editionum exemplaria suppetunt. Ego qui in universa hâc provincia aliud exemplar videre non potui, hic ἐπέχω.

LIV. Remanserunt tamen in Antiquitate, tum apud Samaritanos, tum apud alias Gentes quædam vetustæ pronunciationis, licet obscura, vestigia. Namque adeò variè leguntur ea nomina, atque ita à criticis variantur, ut certi nihil de vocalibus nominis liceat colligere. Theodoretus, quem suprà citavi, disertè ait, Samaritanos vocare id *Jabe*, Judæos verò *Jao*.

LV. Illud [*Jao*] robur accipit ex [a] *Diodori Siculi*, qui ait, παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις Μωσῆν τὸν Ἰαὼ ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. Et à versu Apollinis Clarii, prout eum citat [b] Macrobius,

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω. Similia loca apud Patres Iren. Epiph. Clem. aliosque invenies, quorum pleraque citat [c] Drusius in Tetragr. cætera supplebis ex [d] Rainoldo, [e] Fullero & [f] Scaligero.

[a] lib. 1. part. 2
[b] Saturn. lib. 1. 18.
[c] cap. 11.
[d] de Idol- lib. 2. cap. 3. § 18.
[e] Miscell. lib. 2. 6. & lib. 4. 13.
[f] In notis ad fragm. Selecta pag. 34.

LVI. Hoc [vid. *Jabe*] magis analogum fuerit, ut sit vid. fut. Kal יְהֶוֶה accedetque ad Ariæ Montani *Jeheveh*. Loca Patrum priscorumque hûc facientia ex iisdem petes. Vtramque conjecturam juvat decurtatum יְהִ /

LVII. Fuerunt ex Græcis quos *Procopius* in suis ad Jesaiam commentariis secutus est qui hoc nomen per ΠΙΠΙ *Pipi* expressêre. Quæritur unde hoc *Pipi*? Postellus arbitratur id esse à Samariticâ scripturâ, qua hoc nomen per duo Jodin (ut & adhuc hodie à Chaldæis ײ) scribebatur, quorum unumquodque videtur conflatum ex Π & I. Potest ita esse, tamen inclino magis in conjecturam [g] *Hieronymi*, quam & Cl. *Drusius* suo calculo approbat, qui ex Ebræis characteribus hanc lectionem natam ar-

[g] Epist. 136. ad Marc.

 bitra-

bitratur. Jod enim & Vau ſimilitudinem habent cum Jota & ה cum Η Græco.

LVIII. Atque ita reſponſum ad quæſtionem priorem eſt, Aphoriſmo 40. propoſitum. Reſtat jam ut ad poſteriorem quoque reſpondeamus. Ea autem eſt bimembris. Primo enim quæritur, utrum hodie quoque ignoretur germana tetragrammati lectio. Deinde, ſi ignoratur, quomodo ea vox hodie legenda ſit. Ad utrumque reſpondeo, multum quidem ab eruditis viris laboratum fuiſſe in eruenda vera prolatione, ſed tamen eam in hunc uſque diem adeo eſſe incertam, ut præſtet priſcam illam, licet vicariam, lectionem retinere, vid. ADONAI, quam novæ alicui incerte adſueſcere. [Alſtedius, poſtquam quædam *certa*, quædam *veriſimilia* de hoc nomine propoſuiſſet, ſic tandem concludit, *Nomen* יהוה *pronuntiandum eſt vel* Jehovah, *vel* Jeheveh, *vel* Jahveh, *vel* Jihveh.]

* in Paratitlis p. 155. col 2.

LIX. Dico incertam etiamnum eſſe veram & germanam τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος prolationem. Addo, inter eas, quas collegit D. Alſtedius, maxime alienam videri illam, cui principem locum aſſignavit, vid. *Jehova*.

LX. Sed dices, An in tanta literarum luce ignorari aut in incerto eſſe poteſt divini iſtius nominis prolatio? Reſpondeo I. Magno adhuc intervallo à ſua perfectione abeſſe Philologiam Ebraïcam, & merito exclamare hic poſſe doctiſſimos & celeberrimos linguæ Ebrææ Magiſtros, *Quantum eſt quod neſcimus!* Addo, Quantæ adhuc reſtent difficultates in librorum Vet. Teſt. authenticis tabulis, in quampluribus phraſibus & vocibus infinitis, non niſi indoctiſſimum poſſe ignorare. II. Illud rogo, unde certa & vera hujus nominis prolatio haberi potuerit, an à Judæis an ex ipſis Bibliis? Certè non à Judæis. Illi enim hanc juxta cum ignariſſimis ignorant, & ſi fortaſſis eam noſſent, tamen eam Chriſtianis vel invideret eorum invidia, vel celaret ſuperſtitio. Si enim non quemlibet Judæum ad pernoſcendum hoc myſterium admittebant Magiſtri, quomodo Chriſtianos docerent? Neque etiam ex ipſis Bibliis certam lectionem inveſtigaveris. Atque hic rurſum dices, nunquid in illis nomen illud ſic invenimus punctatum יְהֹוָה *Jehovah?* Reſpondeo, Ita quidem, ſed audi magni & eruditiſſimi Theologi, *Theodori Bezæ* a judicium, *puncta illa, quæ hodie voci* יהוה *ſubjiciuntur, non ſunt ipſius*

a Annotat. ad cap. 1. Apocalypſ. verſ 4.

ipsius nominis propria, sed aliunde adscita, Et alterius Theologi, *b* *Mea sic fert sententia, non sunt propria puncta nominis Tetragrammati, sed sunt nominis Adonai propria, & interdum & Elohim, si occurrat Jehovi.*

b Alstedii, in Lex. Theol. pag. 78.

LXI. Hic autem jubeo te paululum sistere gradum quisquis in his literis tiro es. Disce, in textu Ebræo V. Testamenti consonas cum propriis suis vocalibus passim quidem occurrere, ut פָּקַד אֱלֹהִים יַעֲקֹב / &c. Sed & non raro cum alienis & aliarum vocem propriis repræsentari. Ex quo casu duplex existit lectio, una secundum consonas, altera secundum vocales. Sic dico, Consonis quarundam vocum in textu Biblico subjiciuntur vocales aliarum consonantium, seu, quod idem est, aliarum vocum: quæ consonæ vocesve in margine repræsentantur. E.g. Jes. 36. שֵׁינֵיהֶם hæ vocales non sunt istarum consonantium, quibus subijciuntur, propriæ, sed istarum quæ in margine exhibentur, מֵימֵי רַגְלֵיהֶם / Hæc igitur est lectio secundum vocales, *meme raglehem*. Lectio certa cujus vid. vocales ipse textus, consonas margo repræsentat. Illarum vero consonarum שיניהם lectio incerta est, quia earum vocales nec in textu nec in margine exhibentur.

LXII. Hæc autem scripturæ anomalia, seu ut vulgo loquuntur, lectionis varietas, (quæ in margine per ק׳ id est קְרִי *legitur*, in textu vero per circulum voci impositum id est כְּתִיב / *scribitur*, indicatur) orta est vel ex metu profantaionis, ut in יהוה / ubi tamen ob vocis frequentiam τὸ קְרִי in margine nunquam exhibetur, vel honestatis causa, ut in vocibus illis quæ vulgo obscænæ dicuntur, vel ex mendosa codicum descriptione, & varia lectione proprie sic dicta, de quibus prolixe disseruimus in dissertatione nostra de Keri & Chetib, quam in Coronide nostra ad Grammaticam jam pridem evulgavimus & in hoc ipso opere ad Psalmum 22. cum bono Deo, denuo repræsentabimus. Inde petes, Lector, quæ faciant illustrandis istis quæ jam delibavimus.

LXIII. Istæ autem sunt regulæ Grammaticorum. I. nullas consonas legendas esse alienis vocalibus, sed vel propriis, si de iis constet: vel si de iis non constet, lectionem instituendam esse secundum vocales. II. Lectionem secundum vocales in casu variæ lectionis esse præferendam illi, quæ secundum consonas

 est,

est. Quia vid. de ista magis genuina est, hæc vero plerunque mendosa, ut E. g. in istis quæ tertii generis sunt, vel quia ista quæ juxta vocales est, est certior, utpote quarum consonas margo repræsentat, hæc vero juxta consonas incerta est, utpote quarum vocales nullibi exhibentur. Per quos verò ista varietas in sacros codices introducta sit, in Dissertatione ista, cujus jam jam meminimus, dictum est.

LXIV. Rursus itaque tibi hoc inculco, nullas voces legi debere alienis vocalibus. Imo quasdem omnino non posse. Quod ideo adjeci, quia ubicunque non est consonantium aut vocalium numerus redundans, aut ubi non impingitur in principia linguæ, ibi potest subinde ex sonis & vocalibus alienis conflari vox aliqua articulata & in speciem non absurda, perinde ac si ex vocalibus nominis *Dominus* o i & u junctis cum consonis nominis *Deus*, D. & S. fingeres vocem Dojus.

LXV. Hoc faciunt qui *Jehova* & *Jehovi* legunt. Hi enim sunt lectionis istius natales. Qui puncta Bibliis adscripsere, sub hoc nomine posuerunt puncta nominis אֲדֹנָי / nisi præcederet aut sequeretur alterum אדני / tunc enim ne bis diceretur *Adonai Adonai*, sub יהוה posuerunt puncta nominis אֱלֹהִים / ita vid. יֱהֹוִה /. Qui vero has voces *Jehova* & *Jehovi* primitus in Scholas introduxerunt, existimarunt istas vocales istorum consonantium non alienas, quod nos jam jam probabimus, sed proprias esse, ac proinde ex istis junctis unam vocem conflarunt.

LXVI. Atque hoc puto spectasse Galatinum quando ita infit, *hæ vocales si cum consonantibus jungantur, potest legi* JEHOVAH. Cum tamen ipse nunquam ea voce usus sit, sed semper τὸ יהוה per *Dominus* expresserit, addita voce [Tetragrammaton] duobus istis signis inclusa. Aliud est dicere, *potest legi*. Aliud est, *debet legi*, Certe si ipsam יְהֹוָה nude positam (nota, nude positam) consideres, nec vocalium nec consonarum numerus, nec ulla Grammaticorum regula isti lectioni *Jehovah*, adversatur, nec enim novum est, Jod Heëmanthicum per scheva efferri, nec insolens est nomen proprium etiam masc. gen. in ָה desinere. Ecce enim exemplum in יְהוּדָה /

LXVII. Sed proponam tibi ex magna exemplorum sylva unum atque alterum, quod nullus, etsi in omnes se vertat formas, legat prout scribitur. Jesa. 36. 12. שֵׁינֵיהֶם Conare, quisquis

quis es, has vocales cum consonis, quies subjectæ sunt, efferre & eris mihi magnus Apollo, si præstabis. Licet enim utrique Jod punctum tribueris, (id quod in isthac forma fieri omnino nequit, Jod enim ante affixum הם semper quiescit) unum tamen punctum semper supererit. Ibidem extat vox חֲרָאֵיהֶם / quod juxta vocales junctas cum consonis in margine positis, quarum propriæ sunt legitur צֹאָתָם / 2. Reg. 10. 27. extat vox מחראות / cujus קְ׳ id est קְרִי in margine ponitur מוֹצָאוֹת / cujus vocis istæ vocales sunt. Hic utique ex consonis in textu positis subjectisque vocalib. nunquam vocem nisi monstrosam & una litera redundantem conflaverit. Deut. 28. 27. extat עְפָלִים / Si leges ut scribitur, ע litera gutturalis in principio syllabæ efferetur per Scheva, id quod portentum est in lingua Sancta. Literæ enim quas à gutture denominant, nunquam habent scheva syllabam incoans, quod *mobile* vulgo vocant. Namq; ejus vices puncta rapta obeunt. Quid ergo? puncta sunt vocis טְחֹרִים / cujus consonas in margine repræsentarunt Masorethæ.

LXVIII. Vides Tiro, nam tibi ut gratificarer, prolixior hic fui quam par erat, multas in textu Ebr. occurrere voces anomale punctatas, quas cum subjectis vocalibus nunqnam valeas exprimere. De his si plura desideras cognoscere, adi Coronidem ad Grammaticam Ebræam Martinio-Buxtorfianam, ubi hæc & id genus alia suo quæque loco, ordine Biblico, explicuimus.

LXIX. Sed dices, hanc irregularem punctationem à Judæis introductam, ac proinde neutiquam nos ea obligari: olim aliter, vid. cum propriis vocalibus, voces istas lectas fuisse. Cui sententiæ uti non adversor, ita illud quoque sentio, satius esse, pro vocibus istis marginales istas vicarias legere, quam, aliis vocalibus consonantibus istis ex incerto subjectis, barbarismum committere & voces veteribus forsan omnino inauditas procudere. Si ergo lectione illa, quam Masorethæ in margine exhibuêre, qua nec fidei nec pietati ullum infertur detrimentum, contentus non es, doce nos proprias istarum vocum vocales, per quas olim lectæ fuerint, & habebis nos astipulatores. Doce evidenter & demonstra. Nullus hic locus conjecturis, quas in cæteris forsan ex analogia aliarum formarum feceris: At in tetragrammato ex analogia nihil erues. Nomina enim propria sub

nullis formis contineri Grammaticorum regula est.

LXX. Quod vero ad voces istas ἀνομάλως punctatas attinet, nos dissertatione nostra de Keri & Chetib, numero 19. & 20. sententiam nostram professi sumus, eas vid. non ab ipsis Prophetis sed à Scribis esse introductas. Inde petes quæ huc spectant, ne frustraneis repetitionibus nimis excrescat hic liber. Iisdem ergo, Scribis videlicet, ut universi Biblici contextus, ita & anomalam istam vocum prædictarum & nominatim hujus quoque nominis punctationem transcribimus. Et quidem hanc sententiam, de punctis post mortem Christi additis, validissimis & invictis rationibus evicerunt *P. Martinus* in Thechnologia, *Lutherus*, *Mercerus*, *Scaliger*, & *Drusius*, passim. *Calvinus* ad Zachar. c. XI. 7. *Zwingl.* præfat. in Jesaiam. *Piscator* ad calcem Quæst. in Pentateuchum ex professo, *Rainoldus* in Censura librorum Apocryph. lect. 32. p. 278. [Sed omnium diligentiam superavit anonymus author diatribes de vera antiquitate vocalium, quam Cl. *Erpenius* 1624. edidit. Ille enim sententiam istam adeo valide confirmavit; rationesque, quæ in contrarium vulgo afferuntur, adeo solide refutavit, ut doctissimorum Theologorum, qui antea contrariæ sententiæ mordicus hærebant, alios in suam sententiam pertraxerit, alios vero non parum dubios reddiderit.]

LXXI. Quod si tamen ab adversa sententia, puncta vid. ab ipsis Prophetis adscripta (quam sententiam multi pii Theologi bono zelo defensum eunt) te quoque dimoveri non pateris, nec est mihi animus, nec incumbit mihi necessitas, in præsens super ea quæstione funem contentionis tecum ducere. Esto. Adscripserint ipsi Prophetæ vocalium figuras. Eo magis ista quæ jam subjiciam argumenta, constringent. Quod si dixeris punctationem genuinam in hoc nomine & pauculis vocibus à Judæis esse mutatam & ad recentem superstitionem accommodatam, invenies responsum in dissert. nostra de Keri & Chetib num. 19. & 29. Illi, qui puncta Masorethis adscribunt, & plausibilius & verisimilius dicerent, genuinam nominum istorum prolationem ab ipsis studio fuisse suppressam, si modo ipsi eam novere, (id quod de nomine יהוה neutiquam mihi videtur credibile, quandoquidem post destructum templum puncta adscripsere) aut, si eam nescivere, ejus loco exhibitam fuisse illam recentiorem. Et certe ita judicat Cl. Theologus *Piscator*, cujus testimo-

ſtimonium poſtea §. 75. productum ibo.

LXXII. Sed redeat tandem oratio noſtra in viam, poſt calcata tot diverticula. Dixi ſupra §. 60. nomen יהוה in textu Biblico alienis vocalibus notatum eſſe, non hoc fine, ut cum iis legeretur, ſed ut pro eo legerentur eæ voces quarum vocales ei ſubjecere. Nomen יהוה aut ſic יְהֹוָה aut ſic [יֱהֹוִה] ſcribitur. Cum priori modo ſcribitur, ajo eſſe puncta nominis *Adonai*; cum poſteriori, eſſe puncta nominis *Elohim*. Eaque hoc fine voci iſti ſubjecta, ut per ea legeretur. Illud jam probatum ibo aliquot rationibus. Deinde Authoritatem & exemplum omnium priſcorum Interpretum proferam. Poſtremo autem loco teſtimonia recentiorum adducam.

LXXIII. Principem locum teneat illa ratio, quod hoc nomen, quotieſcunque vel præcedit vel ſequitur cognomen [a] *Adonai*, & nunquam [b] aliàs, ne bis legeretur *Adonai Adonai*, ſemper mutet ſua puncta, ac pro ſcheva, Holem & Kamets, ſemper accipiat chateph ſegol, Holem & Hirik, puncta vid. nominis אֱלֹהִים/ Hoc mihi conſidera, ſi illa puncta, quæ vulgo ſub tetragrammato ponuntur, eſſent vera ac ſtata ejus puncta, quid obſtaret quominus liceret dicere, *Adonai Jehova*, vel *Jehova Adonai*? Cur huic nomini, & quidem hoc caſu, & ſemper, accideret, quod nec ulli alii, nec huic ipſi unquam alias? Quæ vel probabilis ratio afferetur?

[a] N B. אֲדֹנָי Adonai, *non* אֲדֹנֵינוּ/ *ut Pſ.* 8. 1. *nec etiam* לַאדֹנִי/ *ut Pſ.* 110. 1. *ut fruſtra hæc loca objiciantur. Aliud eſt* Adonai *aliud* adonenu & ladoni. *Hoc* אֲדֹנָי *reperiri* קל״ד *id eſt* 134. *vicibus. Addidimus, eo numero non comprehendi illa loca, ubi* Adonai *junctum eſt* יֱהֹוִה ע״ב/ *Obſervatum autem à Maſorethis eſt,* אֲדֹנָי יֱהֹוִה *occurrere in Bibliis* 222. *vicibus, cujus numeri memoriale afferunt vocem* רֶכֶב currus, *Maſora magna, litera* א/ אדני וודאי קל״ד ז׳ מנהון לַאדֹנָי וסי׳ נמסר בישעיה ריש סי׳ כ״ח ותי׳ מבהון ואדני id eſt Adnai nomen illud confeſſum occurrit 134. Et 7. ex illis ſunt, *ladonai*, & recenſentur ad initium cap. 28. Jeſaiæ. & tria ex illis ſunt *vadonai*. *Poſtquam autem Maſora omnia enumeraſſet, ſubjungit,* וכל אֲדֹנָי יהוה דכותי׳ ד׳ מנהון בתורה וד׳ בתהלים ושארה בנביאים והם דבקי׳ וסימ׳ רכב אלהים רבותים id eſt Omne אֲדֹנָי יֱהֹוִה ſimile eſt. Illa autem conjuncta quater occurrunt in Lege, quater in Pſalmis, reliqua ſunt in Prophetis, & me-

& memoriale est, currum Dei duæ myriades *Ps.69. Innuit vocem illam* רכב / *Et columna sequenti*, ארבי יהוה octies sic scribitur, quater in lege, & recensentur ea loca [*in Masora parva*] in lectione לך לך (*Gen.15.*) & in Psalmis, *Psalm. 69.* Et omnia loca Prophetarum eodem modo se habent, præter quinque, ubi occurrit יְהוָה אֱלֹהִים * quæ recensentur in Masora parva ad 2. *Reg.* 19. (*ubi vid. primo occurit*) Et transposita in hunc modum (יֱהוִה אֲדֹנָי) quinquies occurrunt, & recensentur in Masora parva *ad Psal.* 140.8. *Habes specimen indefessæ Masoretharum industriæ.* b *Forsterus citat locum ex Iezech.* 21.5. *ubi seorsim occurrat* יֱהוִה *sed omnia exemplaria illi adversantur*

* N B. non verò, יְהוִֹת הָאֱלֹהִים Illa enim seq. columna dicuntur sexies occurrere & recenseri ad c.23. Josuæ.

LXXIV. Qui *Jehovi* hodie legat defensetve, puto extare neminem. primis Editionibus Tremellio-Junianæ versionis non comparet ea vox. Vere nobilis & de Ecclesiis præclare meritus Theologus, *Fr. Junius*, postquam in fata concessisset *Tremellius*, vocem eam usurpavit, docuitque tum Grammatica, tum in notis ad Gen. 16. esse πάθος singultientis. Ego neminem adhuc vidi, qui istam acutissimi & polyhistoris viri conjecturam suo approbaverit calculo. Existimo, probabilius conjectasse Cajetanum ad 1. Regum 8. vocem illam sic inflexam esse ad dulcedinem affectus supplicantis. Ariæ Montano & Mercero (ut de Scalig. Drusio, Buxtorfio &c jam nihil dicam) vox ea adeo aliena visa est, ut ab ista punctatione יֱהוִה palmarium argumentum contra vocem Jehova deprompserint. *Si* Jehova *leges*, inquiunt, *etiam* Jehovi *aliquando legendum erit*, *quod erit absurdissimum.* Omitto quod Jod nunquam cum chateph segol & ה nunquam in Chirik quiescens occurrat.

LXXV. Hoc argumentum tanti fecit Logicus ille Theologus, *Joh. Piscator*, ut ex eo porro collegerit, puncta ab ipsis prophetis non fuisse adscripta. Vide ejus Scholia ad Gen.15.8. [Idem in appendice ad Quæstiones in Pentateuchum, ubi ex professo disputans adversus antiquitatem punctorum, tertio loco hoc argumentum collocavit, *Si puncta*, inquit, *ut hodie leguntur, ab ipsis sacris scriptoribus fuissent addita, tunc vocabulum* יהוה *constanter esset scriptum* יְהֹוָה / *Neque enim idonea caussa afferri potest, cur punctationem illam mutaverint. Atqui vocabulum* יהוה *passim occurrit cum punctis alienis, puta nunc nominis* אֱלֹהִים / *ut cum scribitur* Ezech.15.5. *& alibi passim*, יֱהוִה / *nunc vero nominis* אֲדֹנָי / *ut cum scribi-*

ſcribitur Pſ.34.3. בַּיהוָֹה / Idem in Quæſt. ad Exod. 3.15. poſtquam dixiſſet, nomen יהוה & poſſe pronuntiari & fas eſſe illud pronuntiare, & vicariam illam *Adonai*, tanquam ex ſuperſtitione introductam, eſſe repudiendam, ſic pergit, *Ex qua conſuetudine nata eſt hæc illorum audacia atque ineptia, ut nomini* יהוה *quoties conjungitur nomini* ארני / *tribuant puncta nominis* Elohim, *ſcribentes* יֱהֹוִה / *quam punctationem Grammatica prorſus reſpuit. Vnde miror noſtros quoque Interpretes, viros Chriſtianos & linguæ Ebrææ peritiſſimos, in veſione ſua punctationem iſtam retinuiſſe, ſcribentes ſc.* Jehovi.

LXXVI. In quibus eruditiſſimi Theologi verbis illud veriſſimum eſt, quod de *Jehovi* pronuntiat. De cæteris verò §.82. videbimus.

LXXVII. Secunda ratio depromitur à natura literarum מֹשֶׁה וְכָלֵב / Hoc enim extra controverſiam ponet mecum, quiſquis Ebræam linguam vel à limine ſalutavit, ex iſtis ſeptem, literas מוּכָלֵב ante dictionem, à Jod Schevato incipientem, habere Chirik, in quo Jod, abjecto ſuo ſcheva; quieſcit, Exempli gratia à יְהוּדָה fit בִּיהוּדָה / לִיהוּדָה &c. Vnde ſequitur, ſi vera & juxta proprias vocales lectio eſſet *Jehova*, dicendum & ſcribendum etiam fuiſſe מִיהוָֹה בִּיהוָֹה &c. quæ punctatio cum nuſquam appareat, merito illam lectionem ſuſpectamus.

LXXVIII. Harum enim literarum ultimæ quatuor (וכלב) ante hoc nomen habent *Phathach*, in quo Jod quieſcit, ut בַּיהוָֹה &c. quod fieri non poſſet niſi haberetur ratio ſequentis puncti rapti Chatheph Phathach, quod eſt ſub א in אֲדֹנָי / Puncta enim rapta requirunt ante ſe ſub iſtis ſervilibus punctum affine.

LXXIX. In hâc punctatione & illud inſuper conſidera, א in nomine *Adonai* poſt וְכָלֵב peculiari quodam modo ſemper quieſcere in Phathach præcedentis ſervilis, ut pro בַּאֲדֹנָי legatur בַּאדֹנָי &c. Sic ſemper בַּיהוָֹה pro בִּיְהוָֹה &c. Sed non faceſſam ab hac ratione, niſi & hoc addidero, nullam conſonantem cum præcedenti ſyllaba jungi, ut fiat ſyllaba mixta, aut quaſi diphthongus, niſi per Scheva quieſcens (cujus hoc munus eſt) & quidem in medio dictionis ſemper expreſſum. E. gr. לַיְלָה / Hoc conſiderent, qui *Baihova*, *Laihova* legunt, quomodo enim Jod in medio vocis coaleſcet cum ſyllaba præcedenti, *Va*, *ba*, *la*, *cha*, ſine ſcheva quiſcenti expreſſo? Hic enim nulla omnino da-

no datur exceptio. Cur hîc quæso te, non manet scheva sub Jod, quod in voce absolutâ semper adscribitur? Quod si vero *Bahova* legeris, impinges in principia linguæ Ebrææ, quæ neutiquam admittunt, ut Jod in phathach quiescat.

LXXX. Quod ad literam מ attinet, ea nunquam ante hoc nomen habet hirik, sicuti analogia postularet, siquidem *Jehova* legeretur; sed perpetuo est cum tsere. Id quod fieri nullo modo posset, nisi haberetur ratio alicujus literæ gutturalis aut Resch sequentis. Cujus autem ex his rationem haberi dicemus, nisi א / à qua literâ vox אֲדֹנָי incipit? מֵיְהוָֹה / מֵאֲדֹנָי /

LXXXI. Illud addam, sicuti א vocis ארני *Adonai* post literas וכלב phathachatas id est vocali phatach notatas, adjecto suo (ֲ) quiescit in phathach servilium, & propter eam causam prima quoque nominis tetragrammati litera post illas literas suo scheva privatur: Ita & litera א nominis *Elohim*, post literas easdem quiescit (ֱ) & (ֵ) in tzere contractis, לֵאלֹהִים pro לֶאֱלֹהִים / Idem fit ante nomen τετραγράμματον, cum puncta nominis *Elohim* suscipit, E. gr. Ps. 68. 11. לֵיהֹוִה אֲדֹנָי *Elohim Adonai.*

LXXXII. Objicies, hac quidem ratione evinci, in לַיהוָֹה בַּיהוָֹה וַיהוָֹה מֵיְהוָֹה &c. esse puncta nominis אֲדֹנָי / ac proinde ista, retentis istis vocalibus non aliter posse legi quam *ladonai, badonai, wadonai, meadonai*: at in voce nuda יְהוָֹה aliam esse rationem, ibi quippe proprias vocales esse retentas, atque hoc inde apparere quod non scribatur יְהוָֹה cum hateph phatach sub Jod, quomodo scribendum fuerat, si haberet puncta & אֲדֹנָי (quemadmodum scribitur יֱהֹוִה quando suscipit puncta & אֱלֹהִים) sed יְהוָֹה cum scheva nudo sub Jod. Respondeo primo, nullam probabilem rationem afferri posse, cur nomini tetragrammato, nude posito, vel ipsi prophetæ (ut demus ipsos vocales adscripsisse) vel Masorethæ, proprias vocales, & eidem præfixis juncto, alienas addiderint. Secundo, me ne conjectura quidem posse assequi quid magnus ille Piscator spectaverit, quando istis in locis quæ supra §. 75. produximus, illud ipsum adeo præfidenter asseruit. Certe μέγα αἴτημα est, & quod nullus, qui rem accuratius pensitabit, ipsi dederit. Ecce enim ipse statuit puncta à Masorethis fuisse adscripta: Agnoscit in בַּיהוָֹה &c. esse vocales & *Adonai*, in לֵיהֹוִה & *Elohim*, & tamen יְהוָֹה proprias vocales retentas esse asserit: At quis color huic assertioni inducetur?

cetur? Liceat mihi sic ratiocinari ex hypotesi ipsius D. Piscatoris, Masorethæ aut sciverunt genuinam nominis יהוה lectionem, aut nescivere. Si nescivêre, quomodo eam potuerunt repræsentare? nisi forte dixeris eos inscios cum Cajapha prophetasse, & aliud agentes rem acu, quod ajunt, tetigisse. Si scivêre, quod tamen verisimile non est, quia sæculis aliquot sacerdotibus quorum ævo templum solo æquatum est, posthumarunt, sed da scivisse, Si scivere, inquam, quis sibi persuaderi sinet, liceat mihi hoc iterare, eos in nomine cum præfixis juncto eam celasse, in nudo verò expressisse? Sed bene habet, quod etiam aliunde constare possit, punctatores Bibliorum, quicunque fuerint, & nudum יהוה & cum præfixis junctum vocalibus τȣ Adonai vestivisse: Atque hæc sit.

LXXXIII. Ratio tertia. Literæ בגד כפת initio dictionum post voces in literam quiescentem desinentes solent adspirari, id est, ut vulgo loquuntur, sine Dages leni scribi, quod alii vocant *raphari*, nisi interveniat accentus distinguens aut Rex. Jam vero illud constat, prædictas illas literas, post vocem יהוה tam nudam, quam cum præfixis compositam, non adspirari, sed leni Dages notari, etiam cum nulla Pausa vel Rex intervenit. Vnde liquido constat, eos qui puncta adjecere, utroque casu, non vocem יהוה, cujus ultima quiescit, sed aliam vocem spectasse, quæ in literam non quiesentem desinat, qualis est *Adonai*.

LXXXIV. Quod vero ad illud attinet, quod in יְהוָה sub Jod non hateph-phathach, sed nudum scheva sit, ac proinde non esse puncta nominis אֲדֹנָי, in qua objectione multum roboris nonnulli ponunt, isti abunde satis-fecit Drusius. Puncta rapta esse schevata composita, simplicisque scheva sub gutturalibus vicaria, nemo tam hospes in Grammatica, qui ignorat. Adhæc, scheva simplex à priscis fuisse expressum per vocalem A, ac si hateph phathach esset, modo non sequeretur litera gutturalis aut Jod, quamplurimis exemplis doceri potest, E. gr. שְׁלֹמֹה *Salomo*, שְׁמוּאֵל *Samuel*, כְּנַעַן *Canaan*, &c. Cum ergo sequente Daleth, utpote litera non gutturali, prisca pronuntiatione idem fuerit sonus τȣ (ְ) & (ֲ) punctorum nec genere, nec specie, nec natura, sed tantum figura & numero invicem differentium, quid necesse fuit ad Scheva sub Jod positum addere phathach? Alia plane ratio erat in voce אֲדֹנָי, Ejus

Drus. cap. 14. Bellarm. in praxi Gram.

 enim

enim princeps litera cum gutturalis sit, necessario ad scheva simplex vocalis ex tribus illis brevibus (—) (∵) & hirik una adsciscenda fuit. Quod scheva simplex est sub cæteris consonis, id scheva compositum est sub gutturalib. Compendium ergo scripturæ quæsitum est in voce singulis fere lineis recurrente. At quia idem nomen cum punctis nominis Elohim rarius occurrebat, non pigrati sunt integrum (∵:) literæ Jod subjicere [יֱהֹוִה]

LXXXV. Plura argumenta huc possent accongeri, nisi arbitrarer liquido satis esse probatum, in Bibliis Ebraïcis nomen Tetragrammaton alienis vocalibus esse vestitum, & secundum istam punctationem, pro diversitate subjectarum vocalium, jam ADONAI, jam ELOHIM esse legendum. Neque superstitionis notam illis inuri posse, qui isthac lectione contenti, à nomine יהוה secundum consonas efferendo, & voce *Jehova*, utpote omnium quæ ab authoribus afferuntur, incertissima, abstinent. Qui nescit, qui non credit puncta illa esse tetragrammati genuinas & priscas vocales, ille certe excusandus est, si *Jehova* legat. At qui credit puncta illa esse vocis *Adonai*, non vero tetragrammati propria, qui credit genuinas vocales aut ignorari aut incertas esse & nihilominus in Ebræo textu (non frustra dico *in Ebræo textu*) vocem *Jehova* legit, næ ille ultro, sciens volens βαρβαρίζει.

LXXXVI. Jam lubet authoritate & testimoniis virorum in Ebraïca literatura principum hanc dissertationem obsignare. Equidem cum multis in hoc & similibus argumentis sæpe disserui, qui post gravissimas rationes vana sophisticatione & impudenti prævaricatione elusas, ad unius Theologi authoritatem derepente obstupuere. Adeo servile quorundam ingenium est. Verum ipsis non est verum, quia verum, sed quia hic vel ille dicit esse verum. Hoc verò est non vero sed hominibus sacramento dicere. Ut ergo & his gratificer & erectioris animi juvenes confirmem, præter *Lyram*, *Burgensem*, *Abulensem*, præter Cl. *Drusium*, cujus tetragrammaton sæpius citavimus, produco in hanc scenam *Pagninum* in Thesauro, *Mercerum* in cap. 2. vers. 4. & cap. 15. Geneseos, & in Amos cap. 3. & 5. *Rod. Ant. Cevalerium* addit. ad Thes. Pagnini, *Scaligerum* in notis ad fragmenta selecta, in calce operis de Emendat. Temporum, p. 34. *Buxtorf.* in Dictionario th. הוה/ *Genebr.* Præf. in Psalmos, sed nimis

mis πικρῶς hâc de re suo more differentem, *Danæum* in scripto contra Genebr. *Bezam*, annotationibus in Apocal. 1. 4. *Ariam Montanum*, in libro Joseph (qui extat in apparatu ad Biblia Regia) cap. 1. *Scindlerum* in Grammat. *Alstedium* in Lexico Theol. *Bellarm.* in Grammat. Ebræa & de Christo 1. 7. *Erpenium* in Grammat. & doctissimum è Gallia Theologum, authorem eruditissimi tractatus de punctorum verâ antiquitate, à Domino Erpenio editi, in oratione ex professo hac re habita & ad calcem operis prædicti adjecta.

LXXXVII. Unum illud jam reliquum est, ut Tironi ostendam, quomodo hoc nomen per ADONAI lectum, ejusque interpretamentum *Dominus* expressum, ab ipso nomine communi ADONAI, ejusque interpretamento possit discerni. Viri docti suadent & sunt qui exemplis præivère, nomen *Dominus* cum τῦ τετραγραμμάτυ interpretamentum est, totum majusculis literis scribendum, DOMINUS. Similiter, DEUS, cum in Ebræo est יֱהֹוִה Aliàs satis esse, si Dominus vel Deus scribatur, primâ majusculâ. Ita suadebat Episcopo Eliensi *Rod. Cevalerius*, cujus super ea re Epistolam Cl. Drusius suo Tetragrammato vulgavit. Hoc observarunt *Lutherus* (vide eum tomo 8. Jenensi Germ. fol. 146.) & Piscat. in Germ. HEERE Angli in novâ versione, LORD, Et Galli in primâ versione SEIGNEUR. Nam in postremis Editionibus substituerunt vocem *l' Eternel*; Tigurini in vernacula HERR, & in Latina, DOMINUS. Idem *Buxtorfius*, *Drusius*, aliique passim imitati sunt. Quin & Dordracenæ Synodi Theologi in nova Bibliorum versione idem ut fieret prudentissime sanxêre. Verba * decreti (si quis ea forte desiderat) ista sunt, * Sessione 12. pag. 23.

Secunda quæstio fuit, Quomodo nomen Jehova (ita ex communi consuetudine appellant nomen יהוה) *in Veteri Testamento sit transferendum? Utrum in Belgico sit retinendum, an vero per vocem* Heere, *uti hactenus, aut similem exprimendum. At consultum fuit judicatum, cum alia commoda atque usitata vox Belgica non extet qua vis istius nominis exprimatur, ut Interpp. vocem* Jehova *transferant per vocem* Heere, *utque hæc vox majusculis literis in textu exprimatur. Ubicunque vero vox* Jehova *emphasin habere videtur peculiarem, ubi ponendum esse asteriscum, & vocem* Jehova *in margine adscribendum. Monendos quoque interpretes, ut ubi vox hæc habet puncta vocis* Elohim, *dispiciant, an*

illis locis commodius per vocem GODT, *quam per voce* HEERE, *tansferri non possit.* Hactenus verba decreti.

Atque hic abrumpo telam. Dixi hæc & scripsi cum lege resipiendi & resiliendi, si quis meliora. Interea sequor, quod rationes claræ & authoritates non contemnendæ mihi jam pridem persuasêre. Si & aliis persuasero, bene est: Sin minus, & hoc benè. Eos, qui aliter sentiunt, nec rideo nec tanquam criminis alicujus reos postulo. Illud vicissim ab illis flagito, ne superstitionis Judaïcæ maculam iis inurant qui in nominis hujus pronuntiatione, Euangelistas, Apostolos, (qui genuinam non ignorabant) atque universum Patrum chorum imitantur; quos denique non sine rationibus à communi via hac in parte diversos abire vident. Si quam pudet dediscere, quæ male didicit, & inolitam consuetudinem non vult aut potest deponere. per me licet fruatur ille judicio suo. Legat, quisque prout libuerit. Nulli præscribo. Tantum de incertitudine istius pronuntiationis monui, & illi, cui innutritus ego sum, superstitionis maculam abstergere conatus sum. Hoc autem quam felicirer aut infeliciter præstiterim, eruditorum esto judicium. Cæterorum censuras securus sinam præterfluere.

Responsio ad ea, quæ

Cl. Vir,

NICOLAUS FULLERUS,

Micell. lib. 2. cap. 6. & lib. 4. cap. 13. & 14. & ad calcem libri 6. pro nomine JEHOVA *disputavit.*

Nicolaus Fullerus, vir extra controversiam eruditissimus, Miscell. lib. 2. & 4. multa egregiè de nomine Tetragr. ex priscorum monumentis eruta, edisserit. Idem ad calcem Miscellaneorum posteriorum, vid. libri 5. & 6. in Cl. Drusium apologiam edidit, in quâ ejus sententiam de nomine Tetragr. obiter perstringit. Quod attinet ad primam Apologiæ partem, quâ suæ ingenuitatis defensionem parat, eam ego non tango.

Nec

Nec enim lubet eam controversiam facere meam. Si Cl. Drusius responsum ejus legisset, aut fallor valde, aut eum sui caloris pœnituisset. Ita certe est, In multis labimur omnes, suos quisque patimur manes, sui cuique nævi, optimus ille qui minimis urgetur. Eadem inveniri, & excogitari posse ab iis, qui tempore locisque inter se quàm longissimè distant, res certa & multis experimentis comprobata. Cum Cl. *Drusius* suam de nomine Elohim sententiam proponeret, putabit se ejus patrem esse. Postea cum eo nomine apud quosdam imperitos male audiret, & tantum non hæreseos postularetur, magno suo bono cognovit, idem ante se, Bellar. Calvinum, Danæum, Cajetanum, ipsumque adeo Alphonsum Tostatum observasse. Ipse *Fullerus* se primum prodidisse arbitratur, cur mare Suph Erythræum & Rubrum vocetur, Miscell. 4. cap. ult. & tamen Scaliger ad Festum, voce, *Ægyptium*, Genebr. ad Ps. 106. & Drusius idem ante eum observaverant.

Ἀλλὰ ταῦ μὲν περιπλύχθαι ἐάσωμεν, & videamus, quid adversus communem Ebraïcè peritorum de nomine Tetragr. sententiam proferat.

P. 193. Appendicis Apologeticæ ait Drusium conqueri, Anglos Samariticam lectionem rejicere, quæ tamen genuina sit. Ego vero ea verba in Drusio non reperio. Pag. 142. annot. ad loca diffic. Mosis, *ut ut sit*, inquit Drusius, *conjicio hanc (Jave* vid. quod dixerat ἀρχαϊκῶς lectum pro יַהֲוֶה *Jahave* & hoc rursus pro יְהֹוָה) *germanam esse lectionem nominis Tetragrammati*, non asserit, sed conjicit. Conjecturæ suæ fulcra petit ab analogiâ, (putat enim habere formam futuri Cal) & à moribus gentis Samariticæ, *natio simplex*, inquit, *& rituum suorum tenacissima eam retinuit. Cur spernimus? Nam & antiquos characteres Ebræorum eadem conservat, quos Judæi cum Assyriis commutarunt.* Alibi veram pronunciationem certò sciri posse negitat: inclinat tamen eò cum Mercero, Ariâ Montano, & aliis, ut putet ex omnibus lectionibus, quæ ex antiquis monumentis virorum doctorum eruit industria, hoc ipsum *Jahave* vel *Jeheve*, quod Samaritanis adscribit Theodoretus, ad genuinam lectionem proximè accedere. Quod ergo subjicit Fullerus, *Est ubi Drusius quasi re deplorata sic sentiat, cum nomen Tetrag. non habeat proprias vocales, non posse legi suis consonantibus*, verum est, sed dextrè accipiendum.

In tex-

In textu enim Biblico non habet proprias vocales adſcriptas, ac proinde ſi quis in legendo ad vocales ſubjectas reſpiciat, non poteſt ſuis conſonantibus legi, ſed iſtis conſonis, quarum ſubjectæ ſunt vocales, quæ ſunt ארני / Hæc τοῦ μακαρείτου mens eſt.

Pergit Fullerus, *Planiſſimè ergo efficitur, ut idem ipſum nomen omnino legi nequeat. Vnumquodque enim vocabulum ſi verè legitur, ſuis, non alienis vocalibus legitur.* Reſp. Hoc non planè effici. Quid ſi enim poſtea genuinæ vocales innotuiſſent? Eas certe ſi alienis ſubſtitueres, poſſes vocem ſuis vocalibus exprimere, E. gr. Jeſa. 36. legimus שֵׁינֵיהֶם Negabit Fullerus, has vocales eſſe alienas? Si neget, exprimat mihi has conſonas cum ſubjectis vocalibus. Res manifeſta eſt & docet nos Maſora marginalis, eſſe proprias vocales duarum vocum מֵימֵי רַגְלֵיהֶם / Per has ergo conſonas vox ea legenda eſt. Quod ſi jam eruditus aliquis vir proprias conſonarum, quas textus exhibet, vocales nobis erueret, certe per eas legi poſſet. Duplex ergo in Ebraïco textu lectio, una regularis, quâ conſonæ cum ſuis vocalibus exprimuntur, altera irregularis & neceſſitatis, quâ conſonæ, quarum propriæ vocales ignorantur, per alienas, quas in textu ſubjectas videmus, proferuntur.

FULLERUS.

Atqui, inquiet Druſius, à Samaritanis didicimus ſanctiſſimi iſtius nominis vocales, quibus enucleatè pronuncietur.

AMAMA.

Vellem te formalia Druſii verba produxiſſe, vel paginam & librum citaſſe, ubi hæc dixerit. Ego certe in ejus libris ejuſmodi nihil lego. Conjicit eorum pronuntiationem eſſe genuinam pag. 162. & non ſpernendam eſſe dicit pag. 136. comm. ad loca difficiliora Pentateuchi.

FULLERUS.

Nobis verò nefas eſt (in rebus præſertim ſacris) Samaritarum eſſe diſcipulis, ut qui à ſummo Magiſtro luculenter didicerimus. Samaritanos (Joh. 4.22. Rom. 3. 2.)

adorare

adorare quod nesciunt, & salutem ex Iudæis esse.

Amama.

Neque hoc vult Drusius. Lectionem tantùm, quæ apud Samaritas remansisse dicitur; Grammaticæ magis analogam esse vult, quàm ea quæ Judæis adscribitur, vid. Jao, vel Javo, hoc enim sic scribendum esset יְהֹוֶה cum nullum extet exemplum futuri 2. Kal ordinis quiescentium Lamed He in Holem desinentis. Nisi quis fortè illud per (ָ) expresserit, ut solent ordines מצא & גלה confundi, יְהָוֶה *Iahava*, contractè *Iava* vel *Iaâ*, & A in o ex dialecto Syriaca mutato, *Iao*. Quod verò ad loca Scripturæ, quæ allegas, attinet, non video quid efficias. Samaritani adorant quod nesciunt. Potuerunt tamen verum Dei veri nomen retinuisse. Gentiles, te judice, habuerunt, dum eum *Iovis* appellarunt in casu recto, & tamen adorarunt quod nesciebant. *Salus ex Judæis est*, sed quid hoc ad lectionem τῆς τετραγραμμάτου; in qua salutem consistere, nunquam opinor, fateberis.

Fullerus.

*Deinde ex Apostolo, ut * ante hac observavimus, constat, non Samaritanis sed Iudæis concredita esse Dei eloquia. Igitur ab his, non illis petenda.* * Miscell. 2. 6.

Amama.

At nondum probasti ullo ἀξιοπίστῳ testimonio, veterum Judæorum pronunciationem à Samaritanâ fuisse diversam. Judæis concredita sunt Dei eloquia. Quid tum? Ergone nulla superstitionis vestigia in sacro Codice reliquerunt? Ergo literas majusculas, minusculas, inversas, voces extra ordinem apicibus notatas, easque lectionum varietates quæ circa voces, quas obscœnas vocant, versantur, ipsis scriptoribus adscribes? Nunquid satis est, quod Canonem, prout acceperunt, integrum ne minimâ quidem literulâ de industria corruptum vel auctum vel diminutum, ad nos transmiserint? Sicubi in vocalibus

signandis sibi plusculum indulsêre, in eo non peccasse se arbitrati sunt, cum textum vocalibus nudum à Prophetis accepissent, eaque omnia, non citra religionem in excessu peccantem, eò tenderent, ne in textu & consonantium linea vel literam unam mutarent, adderent, vel detraherent, etiam ubi manifestum erat sphalma, sicuti in * Dissertatione nostrâ de Keri & Chetib ostendimus. Concredita illis fuerunt elogia Dei, & tanquam fideles capsarii & librarii ea nobis tradidêre. Sed an inde colliges; omnia quæ majores eorum noverant, posteriores quoque memoria suâ conservasse? Nullo modo. Calamitates, exilia, persecutiones & posteriorum quoque socordia multa obliteravêre. Ut enim de quamplurimis aliique taceam, quis posteriorum Judæorum docere nos potuit, quid fuerint Vrim & Thummim, quomodo responsa sua per ea dederit Deus, Quis potuit nos docere veram notionem vocis Sela? Quis interpretari potuit tot Psalmorum titulos? Quis edisserere potuit, quæ fuerint propriæ vocales vocis שיניהם Jesa 36. nihil tamen detraxerunt Scripturæ, dum alienas substituêre: proprias enim Esaias non adscripsit, sed per traditiones alter ab altero didicit, usque dum profunda eas sepelivit oblivio. Atque idem fuisse propriarum Tetragrammati vocalium fatum supra ostendimus. Sed dicit Fullerus, à Judæis petendam veram pronunciationem hujus nominis. Quænam vero est ista? Ἰωβα, Miscel. 2.6. *A qua mihi certè religio est discedere* inquit, *siquidem cum Judæis non cum Samaritanis in unum Ecclesiæ corpus coaluimus.* Sed unde eruis nobis illud Ἰωβα? Ex Epiphanio adversus Hæreses lib. 1. Tom. 4. At ille habet Ἰαβὲ non Ἰωβα. Provoco ad omnia exemplaria.

* vide eam ad Ps. 22.

Miscel. 2. 6.

FULLERUS.

Ibid.

Sed corruptum proculdubio à librariis. Crediderim ab initio scriptum fuisse Ἰωβά. Mutatio autem deinceps ω in ε proclivis admodum erat, propter magnam harum literarum similitudinem, situ tantummodo, non figura (ω, ε) discrepantium. Et syllabarum literarumque transpositionem creberrimam experimur. Atque hoc pacto pro vitiatâ voce Ἰαβε, *quàm emendatissima nobis restituetur* Ἰωβα.

AMA-

AMAMA.

Hæc conjectanea tantum ſunt, quæ eadem facilitate negari poſſunt, quâ tu affirmas. Haberent ea majus pondus ſi vel unius codicis authoritate niterentur. Si item illud Ιαϐε nuſpiam alibi occurreret. Dum verò hoc paſſim occurrit, illud verò, quod tu ſubſtituis, nuſpiam, ignoſce, vir eruditiſſime, ſi hanc tuam criſin non admittimus. Aut alias profer rationes, cur admittendam eam cenſeas.

FULLERUS.

Eam ſi admiſerimus, conſulemus exiſtimationi doctiſſimi Patris, linguæ etiam Ebrææ non ignari: Sin minus, quid tandem fiet vocabulo Ιαϐε*? Ad nullum enim aliud ex omnibus apud Ebræos attributis divinis ulla ratione reduci poterit.* Ibidem.

AMAMA.

Rogas quid futurum ſit vocabulo Ιαϐε? Reſpondeo habere formam futuri Kal, ut pleraque nomina propria à Jod Heëmanthico incipientia, יִצְחָק ,יַעֲקֹב &c. Eritque Ebræum יַהְוֶה ut יַעֲשֶׂה vel יַהְוֶה ut יִחְיֶה. Jam vero, E. & ɘ. ſæpe permutari & ν connam a Græcis paſſim per β efferri, non negabis. Eliſionem denique ipſius ה ipſe paſſim inculcas & in tuo Ιωϐα oſtendis. Sed redeamus ad Apologeticam tuam appendicem & iſti lineæ porro inſiſtamus.

FULLERUS.

Quod ſi teſtimonium Samaritanorum valeat ad confirmationem lectionis Jahave *ſive* Jave, *qui ſunt Gentiles, impuri, cur non æquè reliquos Gentiles, multò etiam antiquiores advocemus ad aſſerendam pronunciationem* Jehovah *ſive* Jehovih? *Quid enim eſt aliud* Jovis, *vetuſtus Latinorum nominativus, quàm nomen* Jehovi *contractum?* [*Eadem habet Miſc. 2.6.*] Append. Apologet. pag. 194.

AMAMA.

Si Gentiles dæmoniorum suorum patrem *Jovem* vocassent, gravius quatefecisset me hoc argumentum. Vox enim *Jehovi* nihili est, ac proinde ab iis quoque qui lectionem *Jehova* defensum ivêre, rejecta. Qua de re diximus supra §. 74. quæ non libet iterare. Si vox *Jehova* veteribus inaudita fuit, an putabimus vocem *Jehovi* fuisse pervulgatam? Sic ergo dico, Si Gentiles suum illum dæmoniorum principem Jovam vocassent, probabilior fuisset ejus ab Ebræo derivatio. A *Jova* enim per crasin sic dicto pro *Jehova* (ut Juda pro Jehuda) fuisset *Jovas*, *Jova*, ut à Juda, Judas, nunc verò, quid omne illud quod hic à *Marino*, *Castalione* & *Fullero* adfertur, aliud est, *quam inanis quadam conjectura*, inquit author Diatribæ de vocalium antiquitate, *non alio fulta fundamento, quàm vano præconceptæ opinionis præjudicio? Nam quomodo probabunt hoc suum etymon, si negetur?* Hæc ille. Cur non manemus intra pomœria linguæ Latinæ & *Jovem* à *juvando* deducimus? At dices tunc *Juvem* dicendum fuisse. Respondeo, o & u sibi invicem succedere, quæ sunt formalia tua verba, Fullere, Misc. 2.6. p. 211. Quibus addo insigne testimonium Prisciani, qui lib. 1. sic inquit *u quoque multis Italiæ populis in usu non erat, sed è contrario utebantur O. Vnde Romanorum quoque vetustissimi in multis dictionibus loco ejus o posuere.* poblicum *pro* publicum, *quod testatur Papyrianus de Ortographia*, polcrum *pro* pulcrum, colpam *pro* culpam, Hercolem *pro* Hecusem, servos *pro* servus, volgus &c. Quintil. lib. 1.6. o & u *permutatæ invicem, ut* notrix, dederont, probaveront. *Adhæc non facile mihi persuaserim*, inquit idem author Diatribes, *Deum voluisse eò usque laxare Satanæ habenas, ut sacrosanctum illud nomen, quod in Scripturâ Deo est proprium, Apostata ille sibi usurpaverit. Sed esto, demus*, inquit, *Jovem à Tetragrammato derivatum, an propterea sequetur çeva, Holem & Camets esse propria Tetragrammati puncta?* An in Jovis est Kamets? Annon poterunt voces illæ *Iovis*, *Iao Ievo*, *Iabe*, ab eo duci, etsi aliis prolato vocalibus? Quis nescit in deducendis ab una lingua in aliam vocibus, nullam penè haberi vocalium rationem, utpote quæ promiscuè invicem nullo negotio permutentur, sed duntaxat consonantium, quæ sunt magis

magis constantes & immutabiles? Tetragrammati lectio olim fuit varia, alii *Iavo*, alii *Ievo*, alii *Iave*, alii aliter legerunt & expresserunt. Fuerit aliquis, qui, forte fortuna, *Iova* vel *Iovi* legerit, an inde sequetur, eam genuinam vocis lectionem fuisse? An ergo Romanorum *Iovis* magis idoneum erit eruendæ veræ & germanæ lectioni, quam & Patrum Samaritanorum *Iao* & *Ιευώ*? Quidam Græcarum literarum affinitate decepti יהוה ΡΙ ΡΙ ΠΙΠΙ legerunt, Quod si hinc aliquis *Pipium* vel *Pipem* fecisset, an ideo eam vocis controversæ genuinam lectionem fuisse assereres? Sed bene habet, quod ipse Fullerus se hoc argumento non niti profitetur.

Fullerus.

Hæc & alia in Miscell. supra commemoravimus, licet valde probabilia sint ac diluda, nos tamen Gentilium testimoniis non nitimur, sed omnino divinitus revelatis, & in utroque testamento perspicuè consignatis. Siquidem in S. literis ubique 4. consonantes nominis Tetragr. Iod, He, Vau, He, tres has vocales habent, E, O, A, quibus clare & explicate profertur vox IEHOVA. Igitur IEHOVA, genuinam lectionem & pronunciationem esse ex animo credimus & profitemur.

Amama.

I Non exagitabo illud, quod Sieva vocalem appelles, quandoquidem ea catechresis apud Grammaticos frequens est. II. Quod dicis *ubique*, cornua tibi obvertunt ista, יֱהוִה בַּיהוָה / לַיהוָה III. Ajo, te hic principium petere. Nam tria illa puncta, Sjeva; Holem, Camets, eo fine consonis יהוה subjecta esse, ut cum iis in unam vocem coalescant ego audactar nego.

Fullerus.

Negant autem superstitiosi Judæi, Drusius itidem, aliique Christiani nonnulli, qui illorum traditionem mordicus tenent, has tetragrammati proprias esse vocales, sed prorsus alienas, & ad nomen Adonai *peculiariter spectare vehementer contendunt.*

AMAMA.

Superstitiosos Judæos non moramur. Illi hanc controversiam non intelligunt. Doctissimi illorum qui hodie vivunt, de punctis nomini subjectis controverti ignorant, ex purâ putâ superstitione ejus pronunciationem fugientes. Drusium verò, aliosque Christianos non superstitio, non Traditio, sed gravissimæ rationes, quarum tu nullum confutasti; movent, ut sic statuant. Cur verò eos non nominas, aut saltem elogio quodam honestiori ornas? Posset enim imperitior aliquis titulum illum *superstitiosi* ex præcedentibus ἀπὸ κοινοῦ repetere, cui errori occurrisses, si ita dixisses *Drusius itidem, aliique Christiani nonnulli viri Ebraicè peritissimi ac in sua professione Principes.* Hoc enim & amplius merebantur præter *Drusium, Scaliger, Buxtorfius, Mercerus, Arias Montanus, Erpenius, Schindlerus* & alii.

FULLERUS.

Quasi dicant, sunt vocales nominis Adonai. *Ergo non tetragrammati. Frigidum certè argumentum & penè dicam ridiculum. Quasi verò nomina diversissima non possint, nec subinde soleant iisdem efferri vocalibus. Nihil fere notius opinor. Quocirca utcunque sint propriæ nominis* Adonai, *tamen Tetragrammati pariter non desinunt esse propriæ.*

AMAMA.

Vtinam clarius mentem tum edisseruisses! Diversa nomina iisdem vocalibus posse efferri, quis adeo impudens, qui ausit negare? At hæc duo nomina יהוה & ארני iisdem vocalibus afferri, non satis erat dicere, sed & respondendum erat ad argumenta, quibus Drusius & alii evicêre, vocales istas, quæ hodierna punctatio exhibet, non posse esse Tetragrammati proprias. Si enim çeva, Holem, Camets propria sunt τοῦ τετραγραμμάτου ὀνόματος puncta, cur ergo ea mutat in (∵:) Holem & Hirik, sequente vel antecedente ipso *Adonai*, & quidem solo hoc casu, sine nulla ullius loci exceptione? An hæc quoque puncta communia habet cum ארני / vel potius cum nomine אלהים? Cur ergo

ergo in constructione cum literis מוכלב per omnia punctationem & אֲדֹנָי imitatur, dum illæ non solum ejusmodi afficiuntur vocalibus, quas Grammatica ante nomen à litera gutturali & hateph phathach incipiens requirit, sed & litera Jod suum scheva vel retinet vel abjicit, plane ut א vocis *Adonai* suum hateph phathach. Hæc tibi diluenda fuerant, Fullere. Quamvis nesciam an hoc velis, לֹא יְהוָה cum à Syntaxi literarum syntacticarum liberum est, proprias: cum vero literas syntacticas, vel ipsum אדני ante se habet, alienas habere vocales. Certe dubitandi causam mihi suggerit altum tuum de rationibus istis silentium, quas à sententiæ nostræ Patronis præcipuè urgeri non poteras ignorare. Eadem Piscatoris fuit sententia, ad quam cum supra §.82. responderimus, hic verbum non addam. Porro nudum illud יְהוָה quod attinet, quomodo defendes, scheva, Holem & Kamets utriusque nominis proprias esse vocales? An ergo scheva syllabam incoans indifferens est ad literam Jod & Aleph? At non ignoras literas gutturales tale Scheva in universum respuere. Si dixeris, scheva sub Jod vices & —: obire, & olim prolatum fuisse per A, vide annon potius JAHOVA legendum sit. Si dixeris, —: sub א vices obire & scheva simplicis, quia ex classe gutturalium est, rogabo, cur non potius retinendo eidem sono (∴:) subjecerint אֱדֹנָי? Quicquid dixeris (fateor enim alia insuper dici posse) magnum robur addes ad responsionem nostram, qua supra in dissertatione §. 84 primarium adversæ sententiæ patronorum argumentum diluimus. Sed videamus, quibus rationibus evincere satagas, çeva, Holem & Kamets proprias & יהוה esse vocales.

FULLERUS.

Ex tribus illis vocalibus, duas primas vid. E. & O. *Tetragrammati genuinas esse, evincitur, si paulo attentius considerabimus nomina propria, quæ ex Tetragrammati parte priore & potiore composita passim occurrunt: qualia sunt* Jehonathan, *id est* Jehova nathan. Jehoram, Jehova ram: Jehoschaphat, *id est* Jehova schaphat, *cætera que consimilia permulta. Hic nemo, ut equidem opinor, legendum aut pronuntiandum censuerit* Adonathan, Adoram Adoschaphat, *&c. quoniam* E. & O. *proprias nominis compositi vocales existimat.*

ſtimat. Sin autem partis in compoſitione propriæ ſunt, cur non itidem totius extra compoſitionem, cum idem utrobique inviolabile nomen exiſtat, illic ſecundum partem, hic ſecundum totum.

AMAMA.

Hæc quæ profers nomina ex Tetragrammato compoſita eſſe alius fortaſſis negaret, quem equidem convincere ſolida probatione ullâ vix poſſem. Quid enim? An authoritatem Patrum objicerem, queis יְהוֹשֻׁעַ eſt Ιαώ σωτηρία, *Domini ſalus?* At prætérquam quod illi in interpretandis nominibus propriis ſæpe miſerabiliter impegêre, hujus nominis interpretationem ipſe neutiquam admitterem, ſiquidem à pervulgato themate ישע ilud derivaveris. Tunc enim Holem non יְהוֹ / ſed erit indicium primæ thematis Jod, ה verò epenticum, ut in יְהוֹסֵף ipſumque Jod heêmanticum cenſebitur. Alia erit rei facies, ſi ab inuſitato שׁוּע quod idem cum ישע ſignificaverit (plane ut טוב & יטב & plurima alia) unde arceſſendum quoque videtur תְּשׁוּעָה *ſalus*, vocem illam deflexeris. Sed quod ad illa quæ Fullerus producit, attinet, non inficiebor ea ex Tetragrammato eſſe compoſita. Nec tamen conficiunt illud quod Caſtalio vult. Illius enim hoc argumentum eſt, ut illud de ſtercutio Gentilium Jove. Hoc Hoc quæſo adverte Lector, rara eſſe illa *Jehonathan*, *Jehoſchaphat*, *Jehoram*, &c. Frequentiſſima contrà, *Jonathan*, *Joſaphat*, *Joram*, quomodo Jeremiæ 23.6. etiam reperitur Ιωσεδεκ, quæ ipſa vox mihi manum injicit, ut confitear, prædicta illa nomina ex Tetragrammato primam accepiſſe ſyllabam. Reſpondet quippe ea duabus Ebraïcis, יְהוָה צִדְקֵנוּ / Sed quid hæc omnia lectioni magis *Jehova*, quàm alteri illi *Jaô*, cujus Græci Theologi in horum nominum etymologia meminerunt, patrocinantur? Ex Jaö enim non inuſitatâ * craſi fit Jo. Sed urgebis illud *Jeho*, indeque per craſin dices exiſtere Jo. Ego contrà pertendo, veriſimilius eſſe, ut ex Jao factum ſit, *Jo*, ac ex hoc rurſus per Epentheſi literæ ה / natum ſit יְהוֹ / cujus Epentheſeos manifeſta habes exempla in יְהוֹשִׁיעַ *ſalvabit*, pro יוֹשִׁיעַ Pſ. 116.6. יְהוֹדֶה pro יוֹדֶה Neh. 11.17. *Jehoſeph* pro *Joſeph* Pſ. 81.6. & aliis. Huic ergo lectioni *Jao* tam patrocinatur illa compoſitio, quàm iſti controverſæ *Jehova*.

* א N. hæc craſis, *Iao Io*, tam ſe poteſt tueri, quam Fulleri, *Iehova*, *Iah*. vide ſeq.

FULLE-

FULLERUS.

Ultimam verò vocalem A, sive Kamets, peculiarem Tetragrammati esse, vel ex ipso nomine Adonai *satis liquere poterit, Etenim ubi nomen illud humanum est, cum Phathach id est A brevi, in syllaba postremâ scribitur uti Grammatices etiam ratio postulat. Ubi autem divinum est, cum Camets, idque contra analogiam Grammaticam. Cedo causam. nimirum ut nomini Tetragrammato exprimendo aptè congruat & conveniat. Quod si igitur Camets seu A longum nomini* Adonai, *quanquam alieno loco, supponitur propter Tetragrammaton; sane multò magis, loco nativo vereque suo eidem ipsi Tetragrammato subjiciatur necesse est propter se. Rursus, cum Camets nomen* Adonai *humanum à divino distinguat, consentaneum videtur, ut vocalis illa nominis absolutè divini, nempe* Jehova, *propria sit, ideoque distinguat.*

AMAMA.

Iterum miror, te nullam anatomen alterius istius punctationis יְהֹוִה instituere. Cæterum universus hic discursus nititur hypothesi planè controversâ, vid τοῦ τετραγραμμάτου & nominis *Adonai* easdem esse vocales. Id supra quoque asserebas, sed nos, quia non probabas ullo argumento, eadem facilitate rejiciebamus. Illud nunc insuper addis, non minus ἐν τῇ ἀρχῇ κείμενον, vocem אֲדֹנָי cum Deo tribuitur, notari vocali (ָ) sub Nun, hanc ob causam, ut nomini Tetragrammato exprimendo apte congrueret. Atqui sufficere tibi debuisset vel sola διάκρισις. Certè non aliâ de causâ אֲדֹנָי cum Deo tribuitur, habet (ָ) quàm διακρίσεως caussâ. Nec ignoras, illam unicam multas anomalias in Grammaticam Ebr. invexisse. Sic אֲחַל / יָחֵל cum (ַ) *profanabo*, אָחֵל יָחֵל *incipiam*. Nulla certe pagina est in Gramm. quæ similia non suppeditet. Pergo igitur.

FULLERUS.

Tantundem quoque efficitur ex Jah *nomine essentiali, sive essentiæ similiter indice. Quippe hoc religiosissimi & Hebraicè doctissimi viri nihil aliud judicant, quàm ipsum Tetragrammaton Jehova decurtatum.*

*hoc est, ex trisyllabo in monosyllabum per *syncopen contractum, &c.*

*Jehovah. Jah.

AMAMA.

Ego verò ex JAH firmius argumentum pro JAHVO vel JAO deduci posse existimo. Si enim Jah ex Tetragrammato decurtatum est, ut Ebraicè periti loqui solent, probabiliùs inde sequetur, primam Tetragrammati syllabam fuisse JAH. Si enim contractum dixeris ex *Jehova* per syncopen, dic causam cur ה in יָהּ sit Mappicatum. An ultimum ה in יְהֹוָה *Jehova*, Mappicatum est? Non opinor. At contra prius illud ה in voce יהוה *Mappic* sive mobile est, quòd vel per scheva vel per vocalem subjectam ostenditur, quæ in ista decurtatione, vau & posteriori ה resectis, nec puncto Scheva, nec vocali notari potuit, unde successit punctum in ה/ quod specialiter vocatur Mappic, vicarium schevatis subintellecti. Ex. gratia, ה in אֱלֹהִים non quiescere, sed Mappic sive mobile esse, vocalis Hirik docet. Tolle literas ים/ remanebit אלה/ ut intelligat, lector, ה vocis prædictæ non quiescere sed moveri (litera enim quiescens & litera Mappic apud Grammaticos Ebræos opponuntur) necessario literæ ה imprimendum erat punctum quod specialiter & per synecdochen *Mapphik* vocatur, אֱלֹהַּ Judicet ergo lector annon probabilius sit, יָהּ ex Tetragrammato non esse contractum per syncopen, sed simpliciter esse decurtatum seu dimidiatum, & per consequens primam genuinæ pronunciationis syllabam fuisse יָהּ vel per crasin יָהּ/

FULLERUS.

Neque obscura est ea ratio, quæ ex Apocalypsi affertur, ubi ὁ ἦν, καὶ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἐρχόμενος *pulcherrimum est, ac distinctum, ac exquisitum Tetragrammati interpretamentum, recensionem syllabarum, nisi fallor, non Ebræorum more à dextrâ in sinistram, sed contra Græcorum ritu, à sinistrâ in dextram exordiendo & continuando. Sic namque primo loco* ָ *seu Camets obviam procedit. præteriti* הָיָה *id est* fuit, *indicium. Secundo* Ho *sive Holem Participii* הֹוֶה *nempe* est, *insigne. Tertio, Je sive Jod Futuri* יהוה *id est* Erit *characteristicon. Hisce ergo punctis vocalibus nomini* Jehova *suppositis, Æternitas naturæ seu essentiæ divinæ,*

menti humanæ dilucidè contemplanda exhibetur, &c.

AMAMA.

Argutè magis quam solidè hæc excogitavit *Zanchius*. Illi enim Misc.2.6. hanc observationem adscribis. De recensione syllabarum ordine retrogrado institutâ quod mones & hoc argutum nimis. Apocalyptes naturalem temporum ordinem observavit, quo præteritum prius est præsenti, & hoc rursus Futuro. Sed non satis inoffenso pede procedit illa observatio de Futuro. Jod enim Futuri temporis characteristicon quidem est, sed per scheva extra *Phiel* & *Phual* efferri non potest, ubi vox יהוה usitata non est.

FULLERUS.

Dicet quispiam, Lectio Jehova *nusquam apud illos extat. Ita est* Pag.198. *profectò. Nec injuriâ utique propter insignem linguæ, qua locuti sunt & scripserunt, ἀδυναμίαν. Vnde prolatio ineptissima, maximeque absona, nec ullo modo toleranda evasisset, ut in Miscellaneis lib.2. cap.6. & lib.4. cap.13. declaravimus.*

AMAMA.

Multa certè hac de re Miscell.lib.2.&4. protulisti, indeque ἀνεκφώνητον id est ineffabile dictum existimas. Sed quæ quæso te hujus ἀδυναμίας causæ? Tres opinor. 1. quod Græci j consonâ careant. 2. quod in medio non aspirent, 3. quod v consonam non agnoscant. Sed eædem difficultates aliis etiam vocibus sunt communes, per quas tamen, non stetit, quominus eas Græci expresserint. Nam quod primum attinet, ecce tibi Ιȣδα, Ιακωβος, & quæ ipse ex Græcis produxisti, Ιαβὲ, Ιαώ, Ιευώ. Quod ad 2. cum aspirationem passim neglexerint Græci, ut in Αβρααμ Ιωάννης, &c. cur hic quoque negligi non potuisset? Et quis illud ignorat, ה cum præeunte (:) à Græcis ferè semper absorberi, nec uspiam Ιεȣδα, Ιεωραμ, sed semper Ιȣδα, Ιωραμ, &c. inveniri. Quin & si tantum in adspiratione ista retinendâ fuisset situm, cur non tam scribi potuisset

tuiſſet Ιεωβα, quàm ἀώροι? ut nihil jam dicam, apud Jones tralatitiam fuiſſe adſpirationem in medio, quamdiu figura H pro adſpiratione utebantur, E. G. ΕΝΗΟΔΙΑ, ἐνόδια. Quod ad 3. attinet, ei oppono Δαβιδ, Λεβι, Λευι, Ιαυω, Ιέυω, Ιαβαι, & multa id genus alia, ubi ו Ebræorum vel per β vel per υ expreſſum eſt. Et nunquid tu ipſe Miſcell. lib. 2. cap. 6. & lib. 4. 13. ex Ιαω, ipſum [a] Ιωα, ex [b] Ιαβε, ipſum Ιωβα conaris effingere? Nunquid p. 557. ex ipſo textu Græco LXX. Interpretum, 2. Sam. I. 12. ubi in Ebr. eſt עם יְהוָה *populis* DOMINI, pro Ιȣδα reſtiuendum putas vocem Ιουα? ut holem per ο parvum expreſſum ſit, ut & in σοδομα, βοοζ, &c. & vau per υ, plane ut דָּוִד δαυιδ in Bibliis Græcis Romanis & Ιαυαν I. Chron. I. 5. Gen. 10. 2. & apud Dionyſ. Halicarnaſſæum ἀυεντῖνος, Aventinus, & apud Suidam ὀκλαυιανὸς, &c. Potuiſſet ergo hoc nomen exprimi vel per Ιωβα vel per Ιουα, vel per Ιεωβα. Quomodo ex tua ſententia & ab Epiphania & à LXX. expreſſum eſt. Neque dubitandum, quin Euangeliſtæ & Apoſtoli, quocunque etiam modo, expreſſuri fuiſſent illud nomen, ſi ipſis hæſiſſet hæc opinio, ſubſtitutionem τȣ̃ אֲדֹנָי aut ſuperſtitioſam eſſe aut per eam nimis nequiter efficaciam textus tolli. Sed ut ego quid de loco 2. Sam. I. 12. ſentiam ingenuè profitear, puto fruſtrà te eſſe. Quis enim ignorat LXX. Interpretes paſſim non tam verborum quam ſenſus habuiſſe rationem. Cum ergo populus Judæ tunc temporis fuerit populus DOMINI, quid miramur, ſi vocem *Juda* pro *Domini* poſuerint? Et quis adeo in Græco textu hoſpes eſt, qui ignoret aliquoties יְהוּדָה & יהוה ab illis eſſe confuſum, & hoc pro illo interpretatum, quod vel ex unius Druſii Conjectaneis ad Græcum Textum τȣ̃ Δωδεκαπροφήτȣ liquere poteſt. Illud reſtat ut verbum addam ad ea quæ pag. 556. libri 4. Miſcell. ad locum Euſebii & verſus iſtos notaſti,

[a] Pag. 206.
[b] pag. 208.

> Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
> Γράμματα, τ̃ πάντων ἀκάματον πατέρα.
> *Me ſeptem celebrant elementa vocalia magnum,*
> *Æternumque Deum, perpetuumque Patrem.*

Præpar. lib. II. pag. 305.

Verba Euſebii, *Septem* φωνηέντων *in unum idemque nomen compoſitionem unius cujuſdam ineffabilis appellationis enuntiationem complecti ajunt. Quod quidem nomen quatuor literis notatum Hebræorum natio ſupre-*

supremæ Dei potentiæ assignat, &c. Hinc intelligimus, inquit Fullerus, nomen Dei יהוה / septem, hoc est, cunctas Græcorum vocales comprehendere, iisque certo quodam ordine dispositis, idem nomen apertè planeque exprimi, verbi gratiâ ιε [η] ω [ο] υα Jeova. Argutè & hoc, ut fere omnia. Sed quæso te Clarissime Vir, an tibi met ipsi hic satis-fecisti? Si 7. vocales exprimunt hoc nomen, cur ergo otium agunt η & ο Illis sublatis, vides tantum 5. superesse. Miror te non ita potius expressisse ΙΕΗΩ [Ο] ΥΑ & ex η adspirationem fecisse. Certè olim η non vocalis, sed adspiratio fuit. Et vocem Eta ab Ebræo Heth deductam, & hinc esse Latinorum H, res certa est. Tamen ne sic quidem confecta res esset. Turbaret enim adhuc supervacaneum illud ο. Scaliger in Fragmentis suis ad calcem operis de Emendat. temporum hic etiam sudat. Explicat enim hæc de duabus הוא יהוה / quas sic exprimit, ΗΟΑ ΙΕΥΩ, Quod rursus explicatione eget. Ecce enim ה exprimit per H nunc vocalem, E. gr. HEKATON, Ho, ΕΝΗΟΔΙΑ, pro ἕκατον, ὁ, ἐνόδία, Vau per ο. Olim enim vau sonabat o vel u. א per A. Namque & hæc litera olim vocalem A repræsentabat, cum novi isti vocalium characteres necdum essent, unde tres illæ literæ אוי matres lectionis vocantur, unde & ab א Ebraïco Græcanicum Αλφα τὴν ἐπίκλησιν ἔλαβε, inquit Suidas, quod certe durius fuisset, si א olim tantum spiritum lenem valuisset. Sed quid opus tam anxiâ explicatione? Nulla necessitas est, inquit Scaliger, per φωνήεντα vocales tantùm intelligere, cum Josephus disertè quatuor Tetragrammati literas τέτταρα φωνήεντα vocet, ut vel hinc appareat quasvis literas φωνήεντα appellari posse. Sed oppones Eusebii, μίας τινὸς προσηγορίας, *unius cujusdam appellationis*, seu vocis, cum hic duæ sint. Resp. Versus nihil tale habere, & Eusebio condonari id posse, utpote qui Ebraïcè nescivit. Addo, probabilem magis illam esse conjecturam, quam idem Scaliger in Animadv. ad Eusebium prodidit, vid. versibus istis denotari Deum Sinopensium in Alexandriam civitatem Ægypti tanquam inquilinum receptum, θεὸν Αἰγυπτίων οὐ πάτριον, ἀλλὰ ἐπίθετον, quem septem literis exprimunt, his vid. *Serapis*, vel Sarapis. In quam sententiam citat Hesychium, ἐπιπαγέσματον, ὀργιλὸν, σκληρὸν ἢ Σέραπιν. Pag. 541

 COROL-

COROLLARIUM.

Quæritur, an ſubſtitutio nominis ADONAI nimis nequiter tollat efficaciam textus, & an illis, qui nomen יהוה per *Adonai* legunt, obnuntiari poſſit lex horrendi carminis, quæ extat Apoc. 22. verſ. 18. & 19. Affirmativam non ita pridem vir quidam eruditus publice tutatus eſt. Aſſertio ejus integra hæc erat, *vox* יהוה *propriis conſonantibus per vocales quam poſſumus convenientiſſimas, non per vocem* Adonai *exprimenda eſt; præterquam enim quod vocis iſtius ſubſtitutio ſuperſtitionem neſcio quam Judaicam ſapiat, inſtabilis ſit & cacophoniam pariat*, NIMIS NEQUITER TEXTUS EFFICACIAM TOLLIT, *Contra illud* Apoc. 22. verſ. 18. & 19. Hactenus verba theſeos. Adſcribam locum Apoc. integrum, *Si quis adjecerit ad hæc, imponet ei Deus plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſi quis abſtulerit aliquid ex verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus è libro vitæ, & ex urbe illa ſancta & ex iis, quæ ſcripta ſunt in hoc libro.*

Per vocales quam poſſumus convenientiſſimas efferenda eſt vox יהוה / inquit Diſputator, non per *Adonai*. Cur non una opera adſcripſit ſuum judicium, quas vocales putet eſſe convenientiſſimas? Agnoſcit ergo vocales proprias eſſe incertas, & quæ nunc in textu adſcribuntur, eſſe alienas? At hoc totum illud eſt, quod ſubinde in lectionibus meis, cum iſtius, cui aſſuevi, lectionis rationem reddo, inculco: hoc illud eſt, quo univerſa mea aurigatur diſſertatio. Si lectionem illam *Adonai* religione quadam & metu profanationis primitus introductam, & ab ipſis poſtea Apoſtolis ſacratam, lubebat convellere, ſignandæ erant certæ vocales, præſcribenda conſtans lectio, cui adhæreſcere debeat juventus. In re, diſputatoris judicio, tam ardua, non in incerto linquendi erant animi. Dicet fortaſſis, ſatius eſſe per quaſcunque vocales nomen *Adonai*, ἰȣδαΐζειν. Ignoſce, mihi doctiſſime vir, ſi hic à te diverſus abeam. σοὶ μὲν ταῦτα δοκȣ͂ντ' ἐςὶ, ἐμοὶ δὲ τάδε. Toleremus invicem. Ego ſic ſentio, non peccare qui nomen יהוה per priſcum illud, ab ipſis Apoſtolis interpretatum, creaturiſque tam incommunicabile, quam ipſum יהוה / pronuntiare malunt, quam incongrua vel alienarum vel incertarum vocalium cum conſonantibus commixtione ſanctiſ-

ſimum

ſimum nomen efferre. Explicabo mentem meam tironi familiari exemplo, *Tullius Cicero.* Ponamus, *Cicero* eſſe nomen, *Tullius* cognomen: Prioris * vocales ignotas aut admodum incertas & controverſas eſſe. Quis non mallet Oratorum illum principem ſemper appellare Tullium, præſertim ſi hoc nomine nullus alius orator extaret, quam vel *Ca Cer Onem*, vel *Cu Cur Onem*, vel *Ca Cur Onem*, vel etiam *CIc Er Onem*? *vid. Cicero.

Non per Adonai] olim cum propriæ vocales nominis יהוה non ignorarentur, fas erat illud per *Adonai* exprimere, & jam nobis qui proprias vocales ignotas aut incertas eſſe putamus, non fas erit iſta voce uti?

Superſtitionem neſcio quam Judaicam ſapit] Quorſum illa *neſcio quam*? an edulcandæ ſeu mitigandæ cenſuræ? Sed ad rem ipſam quod attinet, rogo utrum ipſi ergo Apoſtoli in ſuperſtitionis luto tibi hæreant? utrum infitearis, priſcos Ebræos ſuperſtitionis cauſas procul habuiſſe, cum aliquando per vocem *Adonai* nomen יהוה expreſſere? Acceſſiſſe poſtea ſuperſtitionem, ipſe prolixe doceo. Et audebo gloriari, paucos certiora teſtimonia iſti detegendæ & exaggerandæ protuliſſe. Sed demus, lectionem illam ſuperſtitioni non incrementum, ſed natales ſuos debere. Quid tum? Lectionem iſtam nobis vitandam eſſe inferes. Neque ego diſſentiam, ubi genuinam nominis יהוה pronuntiationem nos docueris. Porro, annon multa ſunt ex ſuperſtitione introducta, quæ viri pii ſine ſuperſtitione imitantur? Judæi ſignaturi numerum 15. pro יה ſcribunt טו / cujus conſuetudinis origo ſuperſtitioni Judaicæ verius deputatur. Video tamen Chriſtianos hoc ſine ſuperſtitione imitari. Sepulturam in templa & cœmeteria introduxit ſuperſtitio. Nos tamen, opinor, noſtros ſine ſuperſtitione iiſdem in locis ſepelimus.

Inſtabilis eſt] hoc forte vult Diſputator, aliquando etiam *Elohim* à nobis legi, quando vid. occurrit יֱהֹוִה / Eodem incommodo premit eos, qui *Jehova* legunt, nam aliquando & *Jehovi* legendum habent. Cæterum de inſtabilitate loqui non poteſt, qui ſtabilem lectionem nomini יהוה non aſſignat.

Cacophoniam parit] De cacophonia judicandum ex ſonorum collatione. Cum autem nullum certum ſonum ponat, quid de cacophonia loquitur? Et quod ad lectionem noſtram atttinet, quid κακόφωνον hac lectione, *Adonai Elohim, badonai, ladonai, wadonai*, &c.

Ni-

Nimis nequiter textus efficaciam tollit] Id vero nimis crude, nimis temere dictum. Nimis crude, non enim dicit disputator, utrum ubique an potius certis in locis textus efficacia tollatur. Nimis temere: Hic enim primo vapulant, *Scaliger*, *Mercerus*, *Drusius*, *Scindlerus*, *Cevalerius*, *Erpenius*, qui licet vulgo Grammatici per contemptum audiant, vitæ tamen sanctitate cum quibusdam ex professo res Theologicas tractantibus, facile potuere facere paria. Hic etiam ferula intentatur multis doctissimis Interpretibus, qua priscis, qua novellis, qui tam in Græcis & Latinis, quam vernaculis versionibus, non vocem יהוה sed אדני interpretati sunt. Hic denique ipsi Euangelistæ & Apostoli postulantur, qui nomen יהוה passim per interpretamentum *Adonai* (*κύριος*) reddiderunt. Dum verò addit Disputator, eos facere contra locum illum Apocalypseos, quis non inde inferet, cum omnes illos & universos orco adscribere? Vide Vir doctissime, *πῖ σ' ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων*; Ego sic existimo, ut theologos & verbi divini ministros, minus sancte viventes, ad salutem æternam adipiscendam nihil juvabit, si vocem יהוה propriis consonis per vocales convenientissimas efferant, ita doctissimis illis Grammaticis (ut de theologis, Interpretibus, Patribus & Apostolis sileam) cum depositis hujus corporis exuviis coram tribunali Dei comparuere, propter substitutionem *Adonai* non præclusam fuisse januam civitatis istius sanctæ, quæ in Apocal. memoratur. Cæterùm quod ad Apostolos & Græcos patres attinet, si objicies forte *ἀδυναμίαν* illam de qua supra p. 347. rogo te ut ea quæ isthic respondemus, expendas. Et posito, Græcos vocem exprimere non potuisse, vel hinc apparebit, non omnibus, qui vocem יהוה per *Adonai* exprimunt, *nimis nequiter sublata textus efficacia* crimen impingi posse. Quod ad caput rei attinet, jam ostendi in dissertatione §. 87. quomodo retenta lectione *Adonai* & retineri possit & à quamplurimis reformatis Theologis & Interpretibus retenta sit efficacia textus. Ad illa liceat mihi paucula addere. Efficacia textus per substitutionem vocis *Adonai* vel peribit legenti, vel audienti. Non legenti: Leget enim verbum Dei vel originali, vel ex versione. Si non intelligat efficaciam vocis, nihil intererit, sive textum originarium sive versionem legat. At si intelligat, quoties orignales V. Test. tabulas leget, etiam si pronuntiet Adonai, tamen videbit

illic

illic consonas יהוה / Sin leget versionem accuratam, ubi τὸ יהוה redditum est per interpretamentum vocis *Adonai*, majusculis literis exaratum ibi certe videbit, in Ebræo esse τὸ יהוה / Non etiam audienti: Nam si necesse est, moneri potest à legente, istis in locis ubi *Adonai* in Ebræo legit, vel in versionibus, ejus interpretamentum majusculis literis occurrit, in Ebræo esse τὸ τετραγραμματον. Atque hic iterum illud mihi expende, cum hoc indicium vel raro vel nunquam in concionibus fiat, cum multi Interpretes, cum, omnis antiquitas, cum ipsi denique Apostoli & Euanglistæ ne hoc quidem observaverint, ut vid. διακελόσεως ἕνεκα nomen κύριος, vel *Dominus* vel *Here* expresserint omnibus literis majusculis, imo ne primâ quidem majuscula Euangelistæ, & Apostoli nomen κύριος scripserint, annon omnes, te judice, textus efficaciam nimis nequiter sustulerint.

Contra illud Apocalypseos, &c.] Deum hunc locum præsenti argumento accommodas, præsupponis per illa verba, *libri hujus*, totum Bibliorum systema intelligi. Neque enim in Apocalypsi vel universo novo fœdere, nomen יהוה cum suis vocalibus reperies. Sed esto. Obsignentur istis verbis, tanquam sigillo quodam, tota Biblia, quid tamen inde efficies, ni simul ostenderis, ipsos prophetas proprias vocales voci יהוה olim adscripsisse? Ubi & hoc obtinueris, tunc styli tui mucronem in illos distringe, atque illis obnuntia hoc dirum carmen, qui vocales illis primi sustulerunt & alienas substituerunt. Eos certe qui vocem alienis vocalibus hodie in textu Biblico vestitam (hoc enim agnoscis, quando dicis *per vocales quam possumus convenientissimas*) legunt per eam vocem, cujus illas vocales existimant esse proprias, eos inquam hoc anathemate ferire plane alienum est. Cavendum est, ne objectetur nobis illud Salvatoris, væ vobis, qui colatus culices & deglutitis camelos. Atque hic finio, de loco Hebræorum 2. 16. suo loco dicturus.

Omnia Reformatarum Ecclesiarum judicio subjecta sunto.

FINIS.

CAP. XXI. verſ. 11.

Ebr.	Vulg.
מכה איש ומת מות יומת	Qui percuſſerit hominem, volens occidere, morte moriatur.

Hanc verſionem flagellant Cajet. Johan. Bened. & Oleaſtrius. Et certe verba Legis aliud ſonant. Audiamus eam, *Percutiens virum & mortuus eſt* (id eſt, ut moriatur) *morte afficiatur.* Ecce lex dicit effectum percuſſionis, Vulgatus videtur dicere intentionem, ut, etiam non ſecuta morte, voluntas morte mulctetur. Cui opinioni Lyra contradicit his verbis, *Quod ſi non occideret percutiendo, quantumcunque vellet occidere, non ob id puniretur morte.* In hanc Lyræ ſententiam video multos Interpretes fuiſſe. Contrarium tamen reſcripſit Imperator Hadrianus. Et certe ſi de intentione certo conſtet judici, annon robur accipiet Hadriani reſcriptum ex lege Talionis, *Sicut voluit facere alteri, ſic fiet illi?* Deut. 19. 19. Sed hac de re Theologi & Juriſ-conſulti viderint. At dices Vulgatum quoque ponere effectum, ſi τὸ *percuſſerit* exponas *occiderit*, ut paſſim in Scriptura, ut ſenſus ſit, *Qui occiderit virum*, non caſu, ſed *volens occidere* id eſt ἐκ προαιρέσεως, data opera. Eſto. Sed nihilominus ex hac verſione ſic accepta videri poſſet illud ſequi, eum qui percuſſerit alium vel læſerit, non quidem animo occidendi, ſed tantum lædendi, etiamſi mors è veſtigio ſubſequatur, non eſſe reum mortis, nec teneri homicidii. Id ſi obtineret, ſemper impunitatis ſpes nefarios homines ad homicidia prolectaret, nunquam prætextus deeſſent. Et quis hic judex eſſet? Unde Cajetanus, *Penſat lex effectum ſecutæ mortis ex percuſſione, non curando an ille percuſſerit animo occidendi, an vero percutiendi animo duntaxat. Et merito, percuſſiones enim non menſurantur.* Et Oleaſtrius, “Ponitur lex, inquit, in “communi, ut omnis percutiens ſive intendat occidere, SIVE “NON, & percuſſus fuerit mortuus, talis morte erat plecten-“dus: ſed ſtatim ponuntur exceptiones ab hac lege. Collatio verſus ſequentis non juvat Vulgatum. Ibi enim non abſolvitur homicidii, qui occiderit proximum *nolens occidere*, ſed, *ne quidem percutere aut lædere volens vel intendens.* Sola itaque intentio percutien-

*Vide parallela Legum Moſaic. & Roman. pag. 35.

cutiendi, si mox subsequatur mors, hoc versu quem jam castigavimns, morte mulctatur. Lxx. nihil variant à fontibus, ἐὰν ᾖ πατάξῃ τις τινὰ καὶ ἀποθάνῃ, θανάτῳ θανατούσθω, ut nec Chaldæus uterque. Lubet hic coronidis loco adjicere Misnam Thalmudicam ex Massecheth Sanhedrin cap. 9. ex qua intelliget Lector, quam latam illi fenestram, hoc intentionum obtentu aperuerint cœciilli duces. נתכוון להרוג את הבהמה והרג את האדם לנכרי והרג את ישראל לנפילים והרג ארת בן קיימא פטור *Si quis intendat occidere bestiam & occidit hominem: si intendat occidere gentilem & occidit Israëlitam; Apostatam, & occidet filium fœderis, liber est*, vid à pœna gladii. נתכוון להכותו על מתניו ולא היה בה כדי להמיתו על מתניו והלכה לה על לבו ומת פטור id est *Si intendat plagam inferre lumbis alterius, & quidem talem quæ non evaluisset eum ista parte corporis occidere, & plaga illa aberrans impacta fuerit cordi seu pectori, fueritque talis ut potuerit eum occidere illa parte corporis & moriatur, ille liber est.* Pergunt Magistri nostri, *Si intendat ejusmodi plagam infligere adulto, quæ non valeret occidere adultum & illa per errorem infligatur parvulo, fueritque talis ut potuerit eum neci dare, & moriatur, liber est. Si intendat percutere parvulum plaga, quæ ipsi lethalis esse potuisset, & illa incidat in adultum, cui lethalis esse non poterat, & tamen moriatur, liber est, At qui intendit plagam inferre lumbis alicujus, quæ posset esse isthic loci lethalis, & aberrans excipiatur pectore & mors subsequatur, ille reus est. Iterum, si quis intendat percutere adultum plaga ejusmodi, quæ ipsum letho dare poßet, & per errorem lædatur parvulus, & mortem oppetat, & ille reus est, R. Simeon, inquit, Etiamsi intendat occidere hunc & occidat illum, liber est.* Hactenus Misna. Equidem ita statuo, in casibus dubiis & obscuris nulla satis de morte hominis cunctatio longa est. Et satius esse nocentem absolvere, quam innocentem damnare. Recto tramite incedendum est. Ubi ille non semper apparet, quicquid æquo plus futurum est, in hanc clementiæ partem potius præponderet. Sed ejusmodi commentis legi divinæ intercedere imo, manifeste illudere, antiquare, id vero gravissimum scelus duco.

Verſ. 21.

Ebr.	Vulg.
Si rixati fuerint viri & percuſſerint mulierem prægnantem ויצאו ילדיה ולא יהיה אסון puniendo punietur.	Si rixati fuerint viri & percuſſerit quis mulierem prægnantem & abortivum quidem fecerit, ſed ipſa vixerit, ſubjacebit dammo.

In Ebr. textu eſt אָסוֹן exitium vel mors ſimpliciter, ut tam ad mortem prolis quam matris referri poſſit, imo debeat, Vulgatus ad ſolam matrem reſtringit. Cajetanus, *negatur mors tam matris quam prolis.* Eandem cenſuram ſtringit idem Cardinalis in verſum ſequentem.

וְאִם אָסוֹן יִהְיֶה׃ | Et ſi mors fuerit ſubſecuta.

Sic enim ad hæc, *conſiderat lex iſta de percuſſore mulieris gravidæ duos caſus; primo, ſi non erit mors ſive matris ſiceprolis, & tunc punietur percuſſor pœna arbitraria: Alterum, ſi intervenerit mors & tunc punietur pœna homicidii.* Infanticida tam reus erat quam matricida, inquit Cor. à Lapide. Idem, inquit, judicium ſi percuſſor non occidiſſet prægnantem, ſed illi prolem jam animatam excuſſiſſet. Id diſerte indicant Lxx. &c. Et Carthuſ. *ejus] matris vel fœtus jam animati.* Chaldæus quoque manet in generalibus, אִם לָא יְהֵי מוֹתָא *ſi non fuerit mors*, & poſtea, אִם מוֹתָא יְהֵי ſi mors fuerit; quod ideo noto, ne quis verſionem Fagii ſecutus exiſtimet Chaldæum ad mulierem ea reſtrinxiſſe. Sic enim ille vertit, *Ipſa tamen non moriatur.* Et poſtea, *ſi autem mortua fuerit.* Qui vel Chaldaice legere didicit, videbit nimium hic ſibi indulſiſſe Fagium. Sed de univerſo hoc textu ego ſic arbitror, ſi de ſola muliere mors intelligatur, legem eſſe ſupervacaneam. Occiſor enim ejus lege generali tenetur. Vide Lyram & marginalia Benedicti. Uterque enim à nobis ſtat. Lxx. hic longiùs à verbis Ebr. deviârunt, dum ſic vertunt hæc verba, ולא יהיה אסון / μὴ ἐξεικονισμένον, & egreſſus infans ejus *non fuerit effigiatus* id eſt non habuerit figuram hominis. De ſenſu Phyſici & Medici viderint. Si enim ſimulac effigiatus, eſt, infunditur rationalis anima, uti videntur Lxx. ſtatuiſſe,

ſenſum,

sensum, qua ad fœtum spectat, non male expressere. Vide August. Quæst. 80. in Exodum.

CAP. XXIV. vers. 9. 11.

Et ascendit Moses & Aharon & Nadab & Abiud & LXX. è senioribus Israëlis, καὶ τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραὴλ οὐ διεφώνησεν * οὐδὲ εἷς. Quæ sic conversa invenio in codice Basileensi, *Et electorum Israel non dissonuit neque unus.* Et quis aliter istas Græcas interpretaretur? Διαφωνέω enim est *dissono, discrepo, dissentio*: Non est dubium quin Græci patres, Latinique, qui ad κοινὴν Latinè versam commentati sunt, multa ἀπροσδιόνυσα ad hunc locum convectaverint. Dico ἀπροσδιόνυσα. Nihil enim tale originalibus tabulis continetur. Sic enim illic legimus, וְאֶל־אֲצִילֵי בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל לֹא שָׁלַח יָדוֹ *& in selectos filiorum Israel non misit manum suam.* id est non affecit eos ullo malo, non læsit eos, non occidit eos, non enim temere sed Deo jubente accesserant. hoc illud est, quod subjicit, *viderunt Deum & ederunt & biberunt.* Hoc est, viderunt Deum & vivi incolumesque mansere, non exanimati sunt ex gloriosa illa visione. Confer Jud. 13. 22. *Immittere manum in aliquem*, aliquando significat, lædere, detrimentum inferre, occidere. Esther 2. 21 *quæsiverunt manum immittere in Regem Assuerum.* Hanc sententiam expressere Lxx. verbo διεφώνησεν, In Latina Editione Romanâ invenies locum hunc sic conversum, *Et electorum Israel nullus detrimentum accepit.* Alii, *nullus exnaimatus est.* H. Stephanus in Thesauro, διαφωνέω pro exanimari sæpe ἐν τῷ περὶ ἱππιατρικῶν. Moschopulus, διαφωνεῖν dicitur interdum, ὅταν ἐπιχειρήσῃ τις ὑπὲρ δύναμιν βοῆσαι, εἶτα μείνει ἀχανής, qualia, inquit, accidunt illis, qui παρὰ τὴν δύναμιν ἐπιχειροῦσι βοᾶν. Addit Stephanus, At in v. l. legitur διαπεφώνηκεν, extremam vocem edidit, expiravit, ex Chrysost. Hactenus Steph. Locum Chrysostomi invenies Comment. in Psal. μζ. pag. 662. Tomi 1. Edit. Savilianæ. διαπεφωνήκαμεν παρηναλώμεθα. Ad quem locum Boisius in notis, διαπεφωνήκαμεν, ἀπωλόμεθα, vox propria τῶν ό id est Septuaginta. Hactenus ille. Sic ergo locum istum interpretabimur, *Et electorum Israëlis nullus expiravit, id est nullus periit*, vel quod hîc æquivalens erit, *nullus desideratus fuit.* Huic expositioni fir-

* Alii legunt οὐδείς.

mandæ adducam duo loca ex Lxx. Ezech. 37. 11. ubi Ebræa, נִגְזַרְנוּ לָנוּ *excisi sumus nobis*, Lxx. διαπεφωνήκαμεν id est periimus. Num. 31. 49. וְלֹא נִפְקַד מִמֶּנּוּ אִישׁ & non desideratus fuit * è nobis quisquam. καὶ οὐ διαπεφώνηκεν ἀπ' αὐτῶν οὐδὲ εἷς. ἀπ' αὐτῶν id est ex illis qui nobis commissi fuêre, *qui fuerunt in manu*, sive, *potestate nostrâ*, hoc est, ex nobis, ex nostro numero. [Coronidis loco illud addam, magnum *Heinsium* acute observasse, ex hoc Exodi loco prout ille vulgo intellectus fuit, natam esse fabulam de consensu Lxx. Interpretum. Scilicet quod hic de Lxx. Senibus à Mose delectis legebant, ad illos quoque, qui Græcæ versioni elaborandæ destinati fuere, tanstulerunt. Vide ejus Aristarchum sacrum pag. 207.]

* uel ex ea. vid. summa ראש

Ibidem, *electorum Israel*] Augúst. Quæst in Exodum, quæst. 102. *Quis dubitet illos, quos nominatim expreßit & LXX. seniores, nunc appellatos electos Israel, qui proculdubio personam gerebant eorum qui electi sunt in populo Dei. Non enim omnium est fides. In magna autem domo sunt alia vasa in honorem alia in contumeliam. Quoniam ergo quos ante præscivit & prædestinavit — quos autem justificauit & glorificauit, profecto de electis Israel non dissonuit nec unus.* Hæc alieno loco à doctissimo patre disseri judicabit quisquis originarium textum expenderit.

CAP. XXVIII. vers. 30.

De VRIM & THVMMIM

Ebr.	Vulg.
Et pones in pectorali judici Vrim & Thummin, *id est ad verbum, testibus Cajet. Ariâ & aliis.* ignes seu illuminationes & perfectiones.	Pones autem in rationali judicii doctrinam & veritatem.

Cajet. De Vrim & Thummim diversi diversa judicāt, nec certi aliquid habetur, Scito

Varias de Vrim & Thummim opiniones videbis apud Vatablum & Fagium in Chald. Paraphrasin Onceli, ex quo libro non tantum hoc, sed & pleraque alia desumpta sunt, quæ sub nomine Vatablinarum notarum edita sunt. Multa quoque de eis habet in magnis Ann. Cl. Drusius. Nos impræsentiarū examinemus

hæc

hæc vulgati gemina interpretamenta. Vrim extra omnem controversiam hactenus creditum fuit descendere ab אור luxit, unde אור ignis & lux. Similiter *Thummim* à תָּמַם perfectus fuit. Singulare תֹּם / ut à עוז fit עזים *gnuzzim*, juxta consuetudinem duplicantium Ain. Provoco ad omnia Lexica Ebræorum, Christianorum, Protestantium & Pontificiorum. Unde Aquila Levit.8. 8. φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις reddidit, *illuminationes & perfectiones.* Sed res magis clara quam ut tot verbis opus sit. Voluit autem Deus his vocibus illud inculcatum, Pontifici *splendorem* seu lumen scientiæ & *integritatem* vitæ inesse oportere. Sed quomodo has voces interpretatus est Vulgatus? *Doctrinam & veritatem.* Admodum coacte, si spectas themata. Atque hic non possum non deplorare quorundam ex recentioribus Papistis miseram & plusquam servilem conditionem, quib. ne dubitare quidem de veritate hujus interpretamenti sinit Concilii Tridentini Canon. nec rursus mirari satis possum quorundam impudentiam, qui etiam ineptissima in suum vertere satagunt emolumentum. Ecce enim *a* Bellarminus dum in infallibilitate Papæ astruenda laborat, facit quod furibundi homines assolent, quidvis arripit, lapides, faces, ligna, sudesque præustas, furiosus sedis Romanæ zelus arma ministrat. *Pontifex Vet. Test. in pectorali habebat doctrinam & veritatem : ergo Pontifex Novi Testamenti, Papa, cum totam Ecclesiam docet in his quæ ad fidem pertinent, nullo casu errare potest.* Quam bene à Pontifice Vet. Test. ad Pontificem Novi procedat argumentatio, Theologi discussêre. Tu illud nota, Lector, si genuina illa interpretamenta, *splendorem & integritatem* sumsisset, sic ipsi inferendum fuisset, *Ergo in Papa splendor cognit. & integritas vitæ est.* At prævidit Bellarminus, hæreticos oppposituros vitas Pontificum, quotidianam experientiam, ipsamque adeo ipsius Bellarmini confessionem, quam in Præfat. istius Controversiæ vis veritatis ei extorserat, vid. *plerosque Papas fuisse sceleratißima monstra.* Sed videamus quomodo eam versionem stabiliat Bellarminus. Ea enim si cadat, simul & argumentum satis alias elumbe corruat necesse est. Dicit illuminationem μεταληπτικῶς sumi posse pro doctrina, ut φωτίζω pro doceo. Sed ut hoc tolerabile est, ita illud plane intolerabile quod dicit in progressu; τὸ אורים à רָה / descendere, quod in Hiphil הורה docuit, ut & Thummim ab אָמַן verax fuit.

Quis

certum esse quod sint nomina plurium, & quod alterũ lumina; alterum perfectiones significet: Mart. Delrio Disq. Mag. lib. 4. cap. 1. qui. 2. Sect. 1. Vrim significat illuminationes à radice Vr. Thummim signif. perfectiones à thamam. Sic quoque Ribera ad Malach. 2. pag. mea edit. 587. Sic quoque Oleastr. ad hunc locum.

a De Pontifice lib. 4. cap 3.

Quis unquam adeo portentoſam originationem ſomniavit? Ego certe cum apud Rainoldum eam primo citatam viderem, in ſtuporem datus ſum, & licet veraciſſimum in allegationibus Theologum illum ſemper expertus ſim, tantum a me impetrare non potui ut beatæ iſti animæ, niſi ipſo Bellarm. inſpecto, fidem adhiberem. Sed in majorem admirationem dedit me Bellarmini argumentum quo verſionem Vulgatam conſtabilitum it. *Plus*, inquit, *credendum eſt Hieronymo qui doctrinam vertet* & veritatem, & τοῖς *LXX. qui verterunt*, δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, * *quam Judais & Judaizantibus.* Sed quid reſpondebis Rainoldo, Bellarmine, roganti te unde δήλωσις deſcendat? An ea tibi fiducia, ea frons, ut diceres à διδασκω? Certe ſi tibi ipſi conſtare velis, deducenda tibi ea vox à διδάσκω eſt, cur enim & hic non potius Hieronymo credendum qui *doctrinam* vertit, quam Lexicis? Omnem vero impudentiam & ἀναισθησίαν ſupergreditur orginatio vocis תֻּמִּים ut ſit ab אָמֵן/ Auſim ad ipſam Bellar. conſcientiam, ad omnes omnium Pontificiarum Academiarum Profeſſores Ebræos provocare. Auguſtinus Steuchus Epiſcopus licet aſſerat Vrim deduci poſſe ab הורה/ tamen non ita frontem poſuit, Thummim ab Aman deduci poſſe aſſeruerit. Ea quam poſui originatio Regulis Grammaticis, omniumque Ebræorum & Chriſtianorum Lexicis conformis eſt, aſtipulatores habet * *Papiſtas ipſos*, quotquot ante Conc. Trid. & poſt illud extra calorem diſputationis commentati ſunt, conſervat in ſingulis tres radicales, ſiquidem מ in Thummim ob dages poteſtate duplex eſt. At quid tale in ſua Originatione monſtrabit Cardinalis? In utraque voce una manebit radicalis; in priori ר/ in poſter. מ/ Sic Balbus lib. 2. de Nat. Deor. apud Cicer deducebat Neptunum à nando, unica litera retentâ, at hoc in perſona Cottæ ſalſe ridet Cicero, aitque Balbum magis ſibi in ea originatione viſum nataſſe quam Neptunum. Ad primam reſpondebit, ſc. Vrim, primam thematis deliteſcere in vocali longa Shurek, tertiamque He ita ſolere elidi cum aliquid additur, ut à שָׁנָה fit שָׁנִים/ At quid in voce Thummim conſilii? ubi א אָמֵן? Quieſcit, inquies. At in qua vocali longa? Nulla utique hic contractio eſt, ut in מֶלֶךְ pro מַאלָךְ/ Et quæ ratio heëmanthicæ? An unquam vel fando auditum eſt, א compenſari per Dages præeunte Kibbuts

*Ita & Jus Canon. diſt. 36. in pr. p. Decreti C. Qui Eccleſiaſticis. & Auguſtinus reddit, *demonſtratio & veritas.*

* Cajet. Oleaſtr. Riberam Del-Rio.

buts ſub ח ſervili ? Ubi ultima ו ? Periiſſe dices ut in אֶפֶּרַח pro אפנרח / Eſto, ſed ea apparet in compenſatione ſimulac aliquid additur, ut in אֶפְּרוֹ cujus hîc nullum veſtigium. Sed, inquit, Hieronymus Thummim vertit *veritatem*. Ergo deducenda vox à themate in quo veritatis notio. Et mihi ergo ſic liceat argumentari, vocem *Thummim* Deut. 33. 8. Hieron. vertit *perfectio*, Ergo derivanda à themate quod perfectionem ſignificat. At illud eſt תָּמַם / non ſemper itaque Hieron. *veritatem* vertit. Et quid ſi ſemper ? Quando Hieronymi interpretatio Lexicorum norma eſſe cœpit ? Nec eam mentem fuiſſe Tridentinis, nec hoc ubique admiſſurum Bellarminum mihi perſuadeo. καὶ ταῦτα μὲν δὲ ταύτῃ.

CAP. XXX.

Utrum altare thymiamatis fuerit in ſancto, an vero in ſancto ſanctorum, dicetur ad Lucæ cap. 1.

CAP. XXXIV. 29. 30. 35.

Ebr.	Vulg.
Et ignorabat Moſes quod קָרַן cutis facici ſuæ.	Et ignorabat Moſes quod cornutā eſſet facies ſua.

Vox Ebræa קָרַן ſignificat radios cornuum inſtar emittere. Unde Lxx. appoſite, ὅτι δεδόξασαι ἡ ὄψις τοῦ χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ. Ad quam verſionem Apoſtolus 2. Cor. 3. alluſit. Oncelos, *quod multus eſſet ſplendor gloriæ facici ſuæ.* Jonathan tanquam interpres τῶν Lxx. *quod glorificatus eſſet ſplendor aſpectus faciei ſuæ.* Hieron. ſecutus Aquilam qui ante verterat, κερατώδης ἦν vertit, *cornuta eſſet.* Jam audiamus Steuchum Epiſcopum Xiſamenſem, *Vox ambigua fecit in Editione errorem. Non enim habetur in contextu Ebr. faciem Moſis fuiſſe cornutam, ſed radiantem fuiſſe cutem. Ex hoc poteſt emendari prava conſuetudo, qua duobus cornibus pingunt Moſen; non enim cornua è fronte egrediebantur, ſed & frons & naſus & os & mentum radiabant. Et mirum quod Hieron. non conſiderata veritate Ebraica non adverterat etiam quid LXX. tranſtuliſſent, qui bene hunc locum tranſtulerunt. Rident itaque nos & execran-*

Oleaſtr. non intelligas Moſem cornua in facie prominentia habuiſſe ut perperam à pictoribus pingitur, ſed quod radii a cute faciei ipſius ad modum cornuum egrediebantur ex locutione cum Deo.

irantur Judæi, quoties Mosen in templis nostris cornuta facie depictum videnti, quasi nos eum Diabolum quendam (Drusius addit, *aut uxorem ejus adulteram*, ei enim qui uxorem adulteram habet affingi solere duo cornua ex Apologis Ebraicis probat) *esse putemus.* Hæc Steuchus. Cajet. vertit. *cornificavit*, & addit, *Emissio radiorum metaphorice appellatur cornificatio, eò quod tanquam emissio cornuum sit emissio radiorum.* Vide & Benedict. & [a] Senensem. Vide & Ferum & Oleastrium in hunc locum. Nec dissentit [b] Bellarminus. Et Thomas non dubitat asserere, faciem Mosis melius dici splendidam quam cornutam, maleque ipsi appingi cornua è capite egredientia. Cur igitur illud sibi sumere non fuēre ausi Pontifices, ut pro *cornuta* reponerent *splendida*? Mirari & illud lubet, Pontifices Sixtum & Clementem in novis suis Bibliis approbasse vulgi à tot doctis damnatam consuetudinem, quæ Mosi appicti radii non è tota facie micantes, sed duorum instar cornuum è capite ascendentes. Utrum hoc factum sit ad Vulgatam Edit. statuminandam, an vero ad defendendas Episcoporum bicornes [a] mitras, an ad utrumque, merito quærit Rainoldus.

[a] Biblioth. lib. 5. annot. 116.
[b] De Eccl. triumph. 2. 4.
[a] in Epist. 2. ad Cor. cap. 3. lect. 2.
[a] Vide Polyd. Virgil. de Invent. lib. 4. cap. 7.

CAP. XXXVIII. 8.

Ebr.	Vulg.
E speculis הצובאות אשר צבאו ad ostium tabernaculi conventus.	E speculis mulierum quæ excubabant in ostio tabernaculi.

Eadem vox צובאות extat 1. Sam. 2. 22. ubi vertit Vulg. *quæ observabant.* Nomen צָבָא significat exercitum & turmam militum. Unde optime reddas, *è speculis mulierum turmatim convenientium, quæ turmatim conveniebant ad ost. t. Conv.* vel *quæ circumexercituabant tabernaculum* ut ex Gloss. veteri citat Cl. Casaub. Alii simpl. vertunt, *convenientium.* Vulgatus, *excubabant*, quod interpretamentum occasionem Papistis dedit locum hunc adducendi ad probandam hanc thesin, in V. T. fœminas voto religionis astrictas fuisse, quæ in cellis circa templum habitantes inde nunquam recesserint. De quo somnio prolixe Casaub. Exerc. 1. cap. 23. cujus scrinia non compilabo. Est enim aut saltem

Cajet. significat mulieres instar exercitus exercituantes quæ exercituaverunt portam tabernaculi. Concursus siquidē mulierum ad portam tabernaculi describitur instar exercit.

ſaltem debebat iſtud opus in omnium manibus eſſe. Num. 4. 23. de Gerſonitis uſurpatur idem verbi, quos tamen expleto miniſterii tempore ſibi invicem ſucceſſiſſe atque à tabernaculo receſſiſſe certò certius eſt.

LEVITICVS.

CAP. V. 4. vide Numer. 19. 2.

CAP. XII. verſ. 2.

Ebr.	Vulg.
Si fœmina תַזְרִיעַ & pepererit maſculum.	Mulier ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum.

Oleaſtrius ad hæc verba, ſuſcepto ſemine, *ſic ait*, Bern. & Origenes hom. 8. in hoc caput & Alb. Magnus annotarunt, per „ ea verba Moſen ab hac lege virginem puriſſimam excipere vo- „ luiſſe, quæ non ſuſcepto ſemine filium peperit. Sed libet & „ Dionyſium Carthuſianum audire, *Secundum Orignenem ſuperſlue* „ *Moſes addidiſſet*, ſuſcepto ſemine, *niſi ſciviſſet in ſpiritu virginem maſculum parituram, atque ut addit S. Pater Bern. Moſes dicturus*, Mulier ſi pepererit immunda erit, *timuit crimen blaſphemiæ ſuper matre Chriſti incurrere: ideo addidit*, ſuſcepto ſemine. *Hinc alii dicunt quod beata virgo excepta ſuit ab iſta lege, quia concepit & peperit ſine virili ſemine.* Quid ad hæc Oleaſtrius? *Hoc optime notatum eſſet*, inquit, *ſi hæc lex ita in Ebræo haberetur, ſed cum longe aliter habeatur, non eſt locus myſterio*, &c. Vox Ebr. הזריע propriè ſignificat, *dare ſemen.* Ad verbum, *ſeminificaverit*. Paſſim herbis tribuitur, ubi ſuſceptio ſeminis denotari non poteſt. Viris eam vocem paſſim attribunt Ebræi, quod nos diceremus, ſemen emitto, jacio, Itaque Aben. exponit כִּי תִתֵּן זֶרַע *cum dederit ſemen.* Ubi & illud tradit, *Multi ajunt, quod ſi prima det ſemen, maſculum concipiat, ideo ſequitur & pepererit maſculum. Ideo ſapientes Græciæ ajunt fœminas habere ſemen, quod coagulet ſemen maris.* Eadem leges R. in Salom. Geneſ. 46. 15. Ego itaque

cum Aben. aliisque doctis hoc Interpretamentum retinendum censeo, *si dederit semen*, urgendumque adversus Anabaptistas; qui, ut suos de humanæ Christi naturæ origine errores stabiliant, fœminas semen habere præfractè negant. Atque huc retulerim locum *Ebræorum* 11. 11. *de Sara*, εἰς καταβολὴν τοῦ σπέρματος, quod malim reddere, *ad emittendum* vel *ejiciendum semen*, ut excretio seminis Saræ ex lumbis uterum intelligatur. Certe invenio in Lexicis, καταβάλλειν σπέρμα, esse *emittere semen*. Quadraret huic sensui, ut videtur, magis vox ἐκβολὴ, sed magis emphaticam vocem καταβολὴ esse, notavit Cl. Piscator, utpote quâ fluxus denotatur. Theophylactus memorat, suo quoque ævo locum sic expositum fuisse, indeque probatum, fœminas quoque semen conferre, nec omnino esse asymbolas. Beza in ultima Edit. exposuit *ejaculari semen*, sed ex antecedente intelligi voluit consequens, unde suppleta voce *concipiendum*, vertit, *ad ejaculatum semen concipiendum*. Vide jam & Drusium in præteritis ad Ebr. 11. 11.

And. Laurentius quoque lib. 2. cap. 9. fœminas semen habere contra Aristot. probat.

CAP. XVIII. 21.

August. Quæst in Levit. qu. 66. *A semine tuo non dabis servire principi.*] *Hic non video*, inquit, *quid intelligatur, nisi principi qui pro Deo colitur. Non enim ait* δουλεύειν, *sed* λατρεύειν *in Græco, quod Latinus non solet interpretari, nisi ut dicat*, servire. *Plurimum autem distant. Nam servire hominibus, quo servi serviunt, quod non est* λατρεύειν, *sed* δουλεύειν, *scriptura non prohibet. servire autem secundum id quod est* λατρεύειν, *non jubetur hominibus, nisi uni vero Deo, sicuti scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* Tu disce tiro, supervacaneam esse hanc magni viri περιεργίαν. Namque ubi Græci habent, καὶ ἀπὸ τοῦ σπέρματός σου οὐ δώσεις λατρεύειν τῷ ἄρχοντι, Ebræa plane alium sensum habent, *non dabis de semine tuo* לְהַעֲבִיר לַמֹּלֶךְ *ad traducendum Molocho*. Ecce cultus Molochi, non ministeria aut servitia prohibentur. Sed LXX. vocem *lehagnabir*, legerunt cum daleth in fine, ut magna est istarum literarum affinitas. Et למלך sine punctis indifferens est ad מֶלֶךְ & מֹלֶךְ / Miror Augustinum non vidisse quod Theodoretus vidit, vid. cæteros Interpretes *Moloch* reddidisse. Scholion ad Biblia Græca, τὸ ἑβραϊκὸν μόλοχ ἔχει, καὶ

Theodoretus Quæst. 25. Quidam ajunt prohiberi, ne dent pueros suos alienigenis principibus, ut sint illorū servi vel armigeri, ne participes fiant impietatis eorum.

τοῦτο οἱ λοιποὶ ἑρμηνευταὶ τεθείκασι. Quod ita reddidit Theodoretus, *Hebraicum exemplar Moloch habet, quod reliqui interpretes annotarunt*, imo dixisset potius, in sua translatione *posuerunt*. Sed ut ad Augustinum redeat oratio, miraris forte Lector, cur ille de simplici ministerio exteris principibus non præstando legem hanc interpretatus non sit, quomodo illi quos Theod. notat, eam accepere. Observa, Augustinum, postquam semel discrimen illud inter δουλείαν & λατρείαν meliori mente quam eventu tradidisset, omnia loca quæ istud evertere videbantur, sic fuisse interpretatum, nequid ex iis pulcra ista distinctio detrimenti caperet. Vis aliud specimen? Locutionum sacrarum lib. 5. Ad Deut. 28. 48. *Et servies inimicis tuis. Græcus habet λατρεύσεις. Solet autem hoc verbum in ea servitute scriptura ponere, quæ debetur Deo. Unde idololatræ vocantur, qui ea servitute idolis serviunt. Ergo hic inusitate positum est hoc verbum, quamquam posset etiam hunc sensum habere* (vides jam quo tendat?) *quod tam graviter multa dixerit ut inimicis suis nimium superbientibus tanquam Diis servire cogantur.* Omnia hæc unâ liturâ delevisset doctissimus Pater, si scivisset in Ebræo esse עבר / quod promiscue & de cultu Dei & ministeriis, quæ hominibus præstantur: neque apud profanos tantum quod a *Bell.* b *Azorius*, c *Jansenius* fatentur, sed & in N. T. & Græca Vet. Test. versione, voces illas passim confundi. Confer hæc loca, Rom. 1. 9. Act. 20. 19. & 7. 6. & 12. 11. & 14. 18. & 16. 18. Epih. 6. 7. Phil. 2. 22. Coloss. 3. 24. Matth. 4. 10. Act. 20. 19. Gal. 4. 8. Rom. 1. 25. Ebr. 9. 14. 1. Tess. 1. 9. Porro in LXX. Interpretibus vide hæc loca Deut. 28. 48. Deut. 6. 13. confer cum 1. Sam. 7. 4. item Jud. 2. 11. cum 1. Sam. 8. 8. Hac de re prolixius disseruere *Paraus* in Epist. ad Rom. *Vives* ad August. de Civitate Dei 10. 1. *Jac: Laurentius* in Apologetico contra Sandæum. *Chamierus* Tom. 2. pag. 769. & seq. & alii.

Vide eundem de Civit. Dei 10. 1.

a De beat. Sanct. cap. 14. b Mor. Instit. tom. 1. lib. 9. cap. 5. c In conc. Euang. c. 16. ita & Tolletus in Luc. 4. & alii.

NVMERI.

CAP XII. verſ. 3.

Et Moſes erat עָנָו מְאֹד מִכֹּל־הָאָדָם וגו׳ *manſuetus valde præ omnibus hominibus*, &c. Ita habent fontes. Ita redidêre præter vulg. Lxx. & Chaldæum etiam Junius, Piſc. Italicus, Genev. Angli, Tig. Pagn. Eo magis miror quid in mentem venerit B. Lurheto qui hæc verba ſic interpretatus eſt, Aber Moſe war ein ſehr geplagter menſch uber alle menſchen/ &c. **Ende Moſes was een ſeer gheplaeght menſche/** &c. Tædet referre quid ad hunc textum explicandum convectare ſoleant, queîs ne Interpretem quidem alium inſpicere vacat. Multa dicunt de calamitatibus & forte piorum, ſed extra oleas. Manſuetudo Moſis hic commendatur. Diſinant ergo hunc textum ex prava verſione citare. Caveant religioſus, ne pravam verſionem populo explicent.

CAP. XVI. verſ. 33.

Ebr.	Vulg.
Et deſcenderunt ipſi & quidquid ad eos pertinebat, vivi שאלה/	Deſcenderuntque vivi in Infernum

Ex hoc textu colligunt Pontificii Interpp. omnes eos in Gehennam deſcendiſſe. Sed obſervandum eſt vocem שְׁאוֹל male hic ab Interp. per *Infernum* expreſſam. Fatentur etiam Abulenſis, Hieron. ab Oleaſtr. Fonſeca, Cajet. aliique *ſepulcrum* hic denotari. Circumſtantiæ hoc manifeſte urgent. Deſcenderunt, inquit textus in Scheol, cum omnibus quæ ad ipſos pertinebant, Sed illa verba *& quicquid ad eos pertinebat*, omiſit Interpres, quod non parvum momentum attulit firmando communi errori. Hoc ſpectans Cajetanus, *Iterum litera manca eſt*, inquit, Lxx. omnia expreſsêre, καὶ κατέβησαν αὐτοὶ καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτοῖς, ζῶντες εἰς ᾅδου. NB. καὶ πάντα ὅσα αὐτοῖς, non πάντες ὅσοι, &c. Sic enim & ipſe vulg. verba illa וְכָל־אֲשֶׁר לָהֶם verſu 30. reddi-

reddiderat. Illa autem omnia fuerunt tentoria, opes, verſ. 32. ipſaque adeo, ut LXX. verterunt, κτήνη, jumenta. At quis dicet ea omnia in infernum proprie dictum id eſt locum ſubterraneum animarum deſcendiſſe? Intelligendus ergo eſt locus ſubterraneus corporum. Ita tamen, ut negandum non ſit, quin eorum animæ, qui in malitiâ perſtiterunt, corporibus ſolutæ ad locum animarum devenerint. Et cui adeo cornea erit fibra, ut omnes hos homines audeat in damnatorum numerum referre? Nec enim ſoli, ſed cum liberis parvulis, ſervis, ancillarumque catervâ diſcendiſſe leguntur. Illud mihi dabunt, ſpero, adverſarii, fieri potuiſſe, ut inter eos quidam pœnitentiâ vitam clauſerint. Cur ergo ſepulcrum omnibus non damus, animarum judicium ſoli Deo relinquimus? maxime cum vocem *Sheol* ſepulcrum ordinarie ſignificare ad Gen. 37. demonſtratum ſit. Sed an hoc ſupplicium tam horribile & tremendum, dixerit aliquis? Eſt ſane. Veſtales virgines, ſi eas temerari contigiſſet, hoc ſupplicio tanquam αἰσχίστῳ & miſerabiliſſimo fuiſſe mulctatas, literis proditum eſt. Quamquam in contextu non tam atrocitas quam novitas ſupplicii depingatur, cum enim non ſoleant homines ſepeliri niſi ante mortui ſunt, hi vivi terra obruti ſunt. Sed hæc adverſus eos diſputata ſint qui hunc locum de loco animarum exponendum mordicus contendunt, inter quos Bellarm. Cont. 2. lib. 4. cap. 11. nec non eos, qui τὸ Scheol nunquam ſepulcrum id eſt locum ſubterraneum animarum, inter quos Andreas Crocquetius ad Geneſ. 37. nobis citatus, aut rariſſime, inter quos rurſus Bellarm. ſignificare contendunt. Si enim vocem *infernum* hoc loco expoſueris ſupulcrum, nulla inter nos erit diſſenſio.

CAP. XIX. verſ. 2.

Deus præſcripturus Judæis rationem conficiendæ aquæ, quæ ab immunditia eos eſſet purgatura, ita præfatur, זאת חֻקַּת הַתּוֹרָה אֲשֶׁר צִוָּה יְהוָה לֵאמֹר id eſt *hoc eſt ſtatutum legis, quod præcepit* DOMINVS, *dicendo*, ubi חֻקָּה & תּוֹרָה tanquam ſynonyma ἐν παραλλήλῳ junguntur, ut *volumen libri*, *petra ſilicis*, *canticum Pſalmi*, vide Gramm. noſtram lib. 2. cap. 1. §. 24. Junius, *ſtatutum legale*. Vulg. *iſta eſt religio victimæ*, quod

Corn.

Con. à Lapide interpretatur, ceræmonia id eſt lex ceræmonialis. Et certe חֻקִּים & חֻקּוֹת quando à מצוות & משפטים diſtinguuntur ſæpe leges ceræmoniales ſignificant, quas Græci δικαιώματα vocare ſolent, quo ſenſu eadem quoque voce uſus eſt B. Paulus, Ebræorum 9. verſ. 1. Reddatur ergo, & hic, *hæc eſt ceræmonia legis*, vel per hypallagen, hæc eſt lex ceremonialis. Hoc an illo modo vertas, hilum non intereſt. Lxx. αὕτη ἡ διαςολὴ τȣ̃ νόμȣ, ὅσα συνέταξε ὁ κύριος. Quæ ita reddita fuerunt in Latina tranſlatione qua uſus fuit Auguſtinus, *Hæc eſt diſtinctio Legis, quæcunque conſtituit Dominus.* Audiamus jam Auguſtinum ſuper hoc loco perorantem. Sic ergo Quæſt. in Num. q. 33. *Iſta diſtinctio Legis, &c. Non ſatis digne feſtinantes dicere de tanto ſacramento valemus. Primo enim quod ita cœpit loqui, quem non moveat & intentiſſimam mentem faciat in altitudine ſacramenti*, Iſta diſtinctio Legis, &c. *Proculdubio non eſt diſtinctio niſi inter aliqua duo vel plura. Nam diſtinctionem ſingularitas non requirit. Nec diſtinctionem cujuſlibet rei commemoravit, ſed addidit*, Legis, nec cujuſcunque legis; aſſidue quippe in Scri-
„ ptura dicitur de unaquaque re de qua legitime præcipitur. *Hic vero cum dixiſſet*, hæc eſt diſtinctio legis, *ſecutus adjunxit*, quæcunque conſtituit Dominus, *præcipiendo utique non creando. Si ergo hæc eſt diſtinctio legis, quæcunque præcepit Dominus, procul dubio magna diſtinctio. Et certe intelligitur duo teſtamenta diſtinguere.* Et paulo poſt, *Temporalium autem bonorum & carnalium & ſpiritualium & æternorum, quæ clarior & certior diſtinctio eſt, quam paſſio Domini noſtri Jeſu Chriſti?* Et rurſus pauculis interjectis. *Hanc ergo paſſionem Domini noſtri Jeſu Chriſti, tanquam diſtinctionem duorum teſtamentorum, hoc quod de juvencæ rufæ mactatione narratur, ſatis congrue præfigurat.* Hæc Auguſt. Examina hæc ad fontes, & evaneſcent. Decepit Interpretem, decepit Auguſtinum unica illa vox διαςολὴ, quæ in N. fœdere ocurrit in notione diſtinctionis, Rom. 3. 1. Corinth. 14. Et certe διαςέλλω eſt *diſtinguo.* At ſi vel Interpres vel Auguſtinus locum hunc cum fontibus conferre fuiſſet quitus, diſtinctionis ejuſmodi, qualem hic Auguſt. intellexit, nec volam nec veſtigium inveniſſet. Quid ergo? Ibi vidiſti jam vocem חֻקַּת / eam expreſſere Lxx. jam per [a] δικαίωμα, jam per [b] πρόςαγμα, jam per [c] νόμιμον, jam per [d] νόμον, jam per [e] ἐντολὴ Semel per διαςολὴ, vid. hoc loco διαςολὴ hic ergo eſt mandatum

[a] Gen. 26. 5.
[b] Gen. 47. 26.
[c] Exod. 12. 14.
[d] Exod. 12. 43.
[e] Deut. 16. 12.

datum, præceptum, qua notione in profanis authoribus occurrit ἐπιστολή. Hesych. ἐπιστολαὶ, ἐντολαὶ, διαταγαί. Cæterum quod ad vocem διαστολὴ attinet, non mirum eam pro præcepto & statuto hic usurpatam. Nam τὸ διαστέλλομαι & in Hellenica & Hellenistica lingua passim significat, *distincte aliquid præcipere, mandare.* Eadem vox recurrit Num. 30. 8. neque amplius. Sed hic significat distinctam pronuntiationem seu effatum, respondetque Ebræo מִבְטָא / Levit. 5.4. τὸ בטא itidem per * διαστέλλω reddidere, quod Latinus interpres reddidit, *distinguere.* *Anima quæ juraverit*, ἡ διαστέλλουσα τοῖς χείλεσι καλοποιῆσαι ἢ κακοποιῆσαι, κατὰ πάντα ὅσα διαστείλῃ ὁ ἄνθρωπος, &c. *distinguens labiis suis ad benefaciendum, per omnia quæ distinxerit homo,* &c. Adi ad hunc quoque locum Augustini Quæstiones, & videbis versionem istam tenebras offudisse loco alias clarissimo. Desinam ubi illud notavero, Lxx. eadem hæc verba, זאת חֻקַּת הַתּוֹרָה Num. 31. 11. sic reddidisse, ἔστι τὸ δικαίωμα τοῦ νόμου, quæ hoc modo Latinus Interpres reddiderat, *hæc est justificatio legis.* Vulg. *hoc est præceptum legis.*

* i. distincte pronuntio.

CAP. XXIII. vers. 19.

Non quasi homo Dominus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.] Ita hunc locum citat Lactantius lib. 4. de vera Sapientia, cap. mihi 18. tanquam vaticinium de Christo aliquando crucifigendo. Ebræa nihil ejusmodi habent, לֹא אִישׁ אֵל וִיכַזֵּב וּבֶן־אָדָם וְיִתְנֶחָם *Deus non est vir ut mentiatur, aut filius hominis, ut pœnitudine ducatur.* Ubi vulg. sine ulla necessitate, *ut mutetur.* Lxx. οὐχ' ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαρτηθῆναι, οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου ἀπειληθῆναι. Quæ sic versa reperio in Edit. Basileënsi, *non ut homo Deus ad mentiendum, neque ut filius hominis ut minetur.* Crediderim interpretem eum quisquis fuit, legisse, οὐχ' ὡς ἄνθρωπος ὁ θεὸς διαψεύσασθαι, ut habet Editio Complutens. hoc enim est, *ad mentiendum*, à qua lectione quoad sensum non recedit illa Philonis in De vita Mosis, διαψευσθῆναι. Quid verò illud διαρτηθῆναι, dixerit aliquis. Scholion, quod extat in Edit. Romana, διαρτηθῆναι, οὔτ' ἐστι σαλευθῆναι. τὰ γὰρ κρεμάμενα σαλεύονται. διαρτηθῆναι, id est, agitari, commoveri, fluctuare. Ea enim quæ suspensa sunt, agitantur hùc illuc & fluctuant.

Hoc ergo, vult, *διαρτάω*, proprie esse *suspendo*, *κρεμάω*, *κρεμάζω*. At hic metaphoricè accipi, pro, inconstantem & varium esse in verbis suis. Vides jam Lactantium proprie accepisse hanc vocem dum vertit, *suspenditur*, atque inde infert, Deum aliquando suspendendum, non tamen ut ψιλὸν ἄνθρωπον. Quod si vocem eam, cum ea quæ in fontibus est, conferre quivisset, aut valde fallor aut nunquam in hanc expositionem fuisset delatus.

Vers. 22. Rhinocerotis) Vide Deut. 33. 17.

Cap. XXVI. vers. 10. 11.

Et devoravit (terra) *Core, morientibus plurimis, quando combussit ignis CCL. viros & factum est grande miraculum, ut Core pereunte filii ejus non sint mortui.*

Nota, extremum versus 10. cum principio vers. 11. esse conjunctum, ut hic sensus sit juxta vulg. *Et factum est grande miraculum, ut, Core pereunte, filii ejus non perierint.* At primo & Chald. & Lxx. versus hos distinxere, καὶ ἐγενήθησαν ἐν σημείῳ. οἱ δὲ υἱοὶ Κωρὲ οὐκ ἀπέθανον. Sic & Chald. והוו לאת / Deinde illa verba, והיו לנס / non possunt verti, *& factum est grande miraculum* ut ut נֵס miraculum alibi significet, constructio enim & modus loquendi obstant. 3. *Core pereunte*, non est in Ebræo. Quid ergo? prius illud, *& fuerunt in signum*, respicit terra igneque absumptos, *Illi fuerunt in signum* id est fuerunt exemplo aliis Israëlitis, non esse rixandum cum Domino. Posterius simpliciter narrat, filios Core cum patre non simul periisse, cum Dathanis & Abirami liberi una periisse videantur. Sic etiam Ebræi Interpretes, R. Sal. Aben. &c. Baal Turim, cujus notulæ ad Biblia Veneta in margine ponuntur, illud *esse in signum*, etiam eò respicere opinatur, quod hominum istorum 250. thuribula jussu Dei Num. 16. 38. in laminas extensas producta sint, & altari affixa, *ut essent*, inquit textus, לאות / in signum filiis Israel.

Sed libet ascribere faceta verba Lyræ ad hunc locum ut videas quò virum doctissimum, prout illud seculum erat, mala hæc versio traxerit. Sic ergo dicit, *Factum est miraculum) quale autem fuerit, in textu non dicitur, nisi in generali quod filii Core*

non fuerunt mortui cum eo; sed in glossa Ebr. super Psal. * 45. (nobis 46.) *dicitur ; quod quando terra aperuit os suum & devoravit Core cum multis aliis, filii ejus remanserunt stantes in aëre divina virtute, quousque terra fuit iterum clausa sub pedibus eorum.* Ad hanc Lyræ glossam, quam & Corn. à Lapide & Dionysius Carthusianus approbamunt, videatur Additio Pauli Burgensis, qui disertè ait opinionem istam non esse fundatam in litera, cum ea plane diversum habeat. Videantur & hic Cajet. Steuchus & Benedictus.

* Erit Ps.42. nobis 42.

DEVTERONOMIVM.

CAP. XVI. vers. 2.

Immolabis Phase de bobus & ovibus.] Ita Vulg. Abutuntur hoc loco Baronius & alii ut doceant, victimas illas quæ durante Azymorum festo immolabantur, vocari Pascha, ac proinde illas quoque victimas denotari Joh. 18. 20. *nolebant ingredi prætorium*, &c. *sed ut comederent Pascha.* In eodem errore versabatur magnus Scaliger, in prima Editione egregii operis de Emendatione Temporum. At postea sententiam illam cum meliori commutavit, sicuti ex secunda Editione apparet. Hoc notabunt tirones. Passim enim videbunt in doctissimorum virorum libris, magnis erroribus ab authoritate Scaligeri patrocinium quæri quos tamen ipse ille Heros in secunda operis Prædicti Editione solidè confutavit. Quoties ergo opus illud ab eruditis citatur, diligenter inquiret Lector utrius Editionis exemplar habuerint, quod, ex paginarum, quas citare solent, collatione non obscurum erit deprehendere. In Prolegomenis, ubi adversus Toletum de die Paschatis agit, *Nos verò*, inquit, *& hic mutavimus sententiam, cum huic stultæ opinioni hæreremus priore Editione.* Similia invenies lib. 6. Sed ad rem. Casaubonus in Anti-Baronianis ostendit, per *Pascha* illud Johan. 18. non posse aliud intelligi, quam agnum Paschalem. Hunc verò locum nihil adversæ sententiæ patrocinari, non enim in Ebræo

legi, *immolabis Phase de ovibus & bobus*, ſed, *immolabis Paſcha, boves & oves*, Paſcha id eſt agnum Paſchalem. Lxx. καὶ θύσεις τὸ Πάσχα κυρίῳ, τῷ θεῷ σου, πρόβατα καὶ βόας. Vide diſtingui agnum Paſchalem ab aliis victimis. Plane in eundem modum 2. Chron. 30.15. Paſcha & holocauſta diſtinguuntur. Illud autem nota Tiro, non ſolum intermediis illis diebus, quæ vid. inter primum & ultimum ſolennitatis ſeptiduanæ diem intercedebant, ſed & ipſo illo die quo agnus immolabatur, alia ſacrificia fuiſſe oblata. Vide Caſaub. pag. 475. Edit. Londin. R. Salom. ad hunc locum, Maimon in tractatu de Korban happheſach. Buxtorf. in Dictionario in voce עַרְבַּיִם /

CAP. XVII. verſ. 12.

Ebr.	Vulg.
Vir autem qui fecerit per ſuperbiam, ut non obediat ſacerdoti, qui ſteterit ad miniſtrandum illic coram Domino Deo tuo, aut judici, morietur.	Qui autem ſuperbierit nolens obedire ſacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur.

Antea legebatur, *ex decreto Judicis.* Sic citavit Hartus in Colloquio, atque inde contendit probare, ſummum ſacerdotem fuiſſe illum judicem, qui cauſſas illas anxias & difficiles terminaverit. Hanc lectionem Papali authoritate ipſe quoque *Sixtus* approbaverat. Sed *Clemens* VIII. repoſuit, *& decreto judicis.* Quo magis miror Bellarmino eam fuiſſe fiduciam, ut locum hunc ex antiqua eâque magis corrupta lectione [a] citatum in libro recognitionum, ad Editionem *Clementis* VIII. non correxerit. Sed cum rem perpendo accuratius, video Bellarmino eam lectionem viſam utiliorem. Cum enim [b] videret tandem, neceſſario cum Oleaſtro, Lyra, Cajet. Benedict. &c. dandum eſſe, quod Rainoldus in colloquio urget, & ipſa Lxx. & Chaldæi authoritate perſuadet, vid. judicem & ſacerdotem hic manifeſtè diſtingui, illud hinc elicit, duas quidem perſonas illas diſtingui, ſed ſacerdoti ſententiæ pronunciationem, judici vero ſeu principi executionem ſolam demandari. Sed inanem eſſe omnem ejuſmodi ex hoc loco probationem, is vi-

[a] De V. D. lib. 3. 4. & de P. Rom. lib. 4. 1.

[b] Vid. de P. Rom loco citato. Nam loco priori in acie ponit hanc ſent. ſacerdotem & judicem unam perſonam eſſe.

is videt qui Ebræum textum inſpicit. Nec enim ibi, *& decreto judicis*, nec, *ex decreto judicis* eſt, ſed ſolummodo, או שופט *aut judici*. Nec vox *imperii* comparet uſpiam. imo ſi conferas cum verſ. 9. videbis per *ſacerdotem*, uſitato, in ſcripturis loquendi modo, *ſacerdotes* intelligi. Jam adi [c] eos, qui ex profeſſo ad hunc locum Bellarmino reſpondere. Vide etiam quæ ad hunc locum diſputat. Anton. de Dominis lib. 1. cap. 12. num. 39. *Non legendum, ex decreto, inquit, ſed, & decreto, ut habent Biblia Ebræa & correcta vulgata Editio*. Miſeret me tui, Antoni, Plane enim inſtar cœci de coloribus judicas. Nunquam, nunquam vocem *decreto* ex Ebræo erues. Confer jam cum his quæ ſupra cap. 10. de vulg. verſ. pag. 130. ad hunc locum notavimus.

[c] Rain. cum Harto cap 6. Sect. 2. Lubbertum. Junium, Witak. ad locum Bell. Contr. 1.

CAP. XIX. verſ. 14.

Lex extat de non transferendis terminis quos poſuere majores. per terminos intelligit Moſes limites, quibus in regionibus iſtis agros, ſicut apud nos foſſis, diſtinguebant. Eraſmus in Apologiis pag. 637. exagitat ſuum Sutorem, qui non hunc ſolum locum, ſed & alia aliquot Veteris Teſtamenti, eo qui in concordantiis occurrunt ordine, vid. Deut. 19. Deut. 22. (ſcribere debuiſſet 27. ſed ſecutus eſt exemplar hîc mendoſum) Job. 24. Proverb. 22. novis Scripturæ Interpretibus objectat. Quaſi per *terminos* voces intellexiſſet Spiritus S. atque hujus Legis violatæ illi poſtulari poſſent, qui mutant rerum vocabula. Inepta certè Allegoria, quæ tamen in eos, verba Eraſmi, melius quadraret, qui in limpidiſſimos divinæ Sapientiæ fontes tantum Sophiſtices, tantum Ariſtotelicæ Philoſophiæ & Scoticæ Metaphyſices invexerunt.

CAP. XXI. verſ. 12.

Et circumcidet ungues] Ita vulg. Ita & Lxx. ϗ περιονυχίεις αὐτὼ. Quos & Lutherus & Deod. & alii ſecuti ſunt. Huic verſioni varias Allegorias antiquitas ſuperſtruxit. Quid opus eſt multa allegare? Hieron. citante Corn. à Lapide, *Chriſtianis doctoribus licet ea quæ apud Gentiles vel hæreticos docta & eleganti*

tia inveniunt, sibi adsciscere, dummodo ea quæ noxia sunt & superflua resecent. Rabanus & Glossa interlinearis ex hac captiva muliere animam peccatricem faciunt, de peccato ad gratiam translatam. Ea jubetur radere cæsariem id est vitia præterita per contritionem deponere, & præcidere ungues id est occasiones peccati. Sed moneo tironem, hanc allegoriam dubiæ & controversæ versioni superstructam esse. Namque & Junius & Pisc. reddunt, *alet ungues suos.* Genev. ambigue, *faciet ungues suos*, & in margine utramque sententiam exhibent, *præcidet, aut alet.* Ebr. עָשְׂתָה צִפָּרְנֶיהָ ad verbum *faciet ungues suos.* De voce עשתה quid ea sibi hic loci velit, Ebræi quoque dissentiunt. Thalmudi in Massech. Jebamoth cap.4. ר׳ אליעזר אומר תקוץ ר׳ עקיבא אומר תגדיל אמר ר׳ אליעזר נאמרה עשייה בראש ונאמרה עשייה בצפרניה מה להלן העברה אף כאן העברה / hoc est, *R. Eliezer exponit* τὸ עָשְׂתָה per תקוץ id est *præcidit* (a קצץ) *R. Akiba, per* תַּגְדִּיל *vel* תְּגַדֵּל id est *crescere faciet. R. Eliezer hac ratione nititur, Jubetur hic aliquid fieri circa caput & circa ungues. Quid ergo? illud* (vid. in præcepto de capite, hoc eodem versu) *jubetur ablatio, ergo & hic ablatio.* Q. d. illic jubetur præcidere comam, hic ungues. In sequentibus vero alia insuper additur ratio, desumpta ex collatione 2. Sam. 19. 25. *Mephiboseth non fecerat pedes suos, neque fecerat mystacem suum.* id est non aptaverat, concinnaverat, curaverat, sicuti & Chald. & Kimchi & R. Sal. & Junius & Pisc. istam R. Eliezeris sententiam. Sed quis ignorat pro diversitate additæ hujus vel istius vocis variari sæpe vocum significationes? עשה enim non solum aptare, curare, concinnare, sed & producere, & crescere facere seu alere significat, eoque sensu robur *facit* fructum Psalm. 1. & Jerem. 17. 8. Matthæi 7. 17. *arbor bona bonos fructus* ποιεῖ, & ager *facit* cibum, Habac. 3. Sed videamus rationem R. Akibæ, quæ extat in eodem loco, להלן ניוול אף כאן ניוול *Illic*, ubi vid. de radendo capite agitur, *intenditur deturpatio, ergo & hic deturpatio.* Eandem invenies rationem apud Abenezram, R. Salom. & alios, qui τὸ עשתה hic exponunt per תְּגַדֵּל quomodo & Onkelos per vocem תְּרַבֵּי id est *augebit*, Argumentatur ab intentione & scopo hujus legis, qui videtur fuisse ista, ut Israëlita ex aspectu fœminæ sordidæ

didæ & incultæ & flentis, pœnitudine tactus & relentescens, in servitutem assertam & adamatam alienigenam à se dimitteret. R. Bechai ad hum locum, citante Cl. Sckikkardo in Jure regio Ebræorum pag. 135. אולי תוך הזמן הזה יתנחם החושק ויעבור ויעבור חשקו מעליה בראותו אותה מתנוולה בגלוח הראש ובגידול צפרניה ובלבישת בגדים של שביה כי כבר הסירה הבגדים הנאים שעליה׃ אשר באה עמהם ובראותו אותה בוכה ומצטערת ישלחנה לנפשה id est, *Si forte intra hoc tempus amasium istum pœniteret & subsideret appetitus illius quo in eam ferebatur, aspiciendo eam in hunc modum deturpatam rasura capitis, incremento ungvium & indutam vestimentis captivæ convenientibus*, id est vilibus (*Jam enim deposuerat vestes pulcras, quibus induta venerat*) *& flentem & seipsam affligentem & hac ratione eam quocunque vellet, dimitteret.* Nota, in Ebræo textu Deuter 21. 13. vestem illam pulcram, qua induta in servitutem asserebatur, & quam hic deponere jubetur, vocari *vestem captivitatis.* Contrà apud Bechajum vestem illam sordidam vocari *vestem captivæ* id est captivæ convenientem. R. Sal. *vestem captivitatis suæ*] *quia ista pulcra sunt. Etenim gentium maledictarum filiæ in hunc modum se in bello ornare solent, ut alios ad scortationes prolectent.* Vides jam opinor probabilem magis esse R. Akibæ sententiam. Quod si hoc non vides, illud saltem vides, controversam esse phrasin, *facere ungves.* Parcius ergo hæc Allegoria in Ecclesiis sonet. Quicquid his & id genus aliis allegoriis vulgo docent Ministri, ex perspicuis Scripturæ locis doceri potest.

CAP. XXVI. vers. 16.

Maledictus sit qui patrem & matrem vilipendit] Ebr. מַקְלֶה LXX. ὁ ἀτιμάζων, id vulgatus reddit, *qui non honorat.* Chald. מְקַלֵּי / Thema est קָלָה quod in *Kal* significat, *torrefecit, assavit*, In *Niphal, vilescere.* In *Hiphil, vilipendere.* Exodi 21. 17. Sic intonabat Moses, *Qui maledixerit* מְקַלֵּל *patri & mari morte moriatur.* Ast hic ulterius progreditur Deus, atque illis etiam maledictionem denuntiat, qui parentes suos vilipendunt, id quod longe minus est quam maledicere. non male Carthusianus, *qui non honorat, tempore oportuno ipsis obediendo, seu indigenti-*

gentibus pro poſſe ſubveniendo , & maxime , qui non ſolum non honorat, ſed eis maledicit & convitiatur. Hæc eò notavi, ut monerem Germanos & Belgas , locum hunc à Luthero nimis indiligenter eſſe verſum. Sic enim habet, **verbloeckt zy hy die ſijn Vader ofte Moeder vloeckt** id eſt maledicit. Quaſi in Ebræo eſſet מְקַלֵּל / quæ vox uſurpatur loco illo Exodi ſuprà memorato. Textum Ebræum verſioneſque accuratiores magis ſtabilire reverentiam parentibus debitam, etiam illi judicabunt qui nondum ære lavantur.

Cap. XXVIII. verſ. 66.

Et erit vita tua quaſi pendens ante te] Ita vulg. Ebræa ſic habent , *Eritque vita tua ſuſpenſa tibi è regione.* Lxx. καὶ ἔσται ἡ ζωή σου κεκρεμαμένη ἀπέναντι τῶν ὀφθαλμῶν σου. Proverbialis locutio, inquit Junius, ſumpta à rebus corporeis, quæ à tenui filo pendent, jam jam ruituræ. Semper & indeſinenter deſperabis de vita tua. Carthuſ. *erit vita tua in ambiguo poſita, ita quod eris tam incertus de ſubſiſtentia vitæ tuæ, ac ſi jam eſſet tibi ſubtracta.* Hanc interpretationem firmant & conſequa verba, *Et non credes vitæ tuæ* id eſt interprete Corn. à Lapide , *non fides vitæ tuæ, vel te poſſe vivere , ſed de vita deſperabis.* Hæc eſt literalis & quam ſacer Spiritus intendit, hujus loci interpretatio. Lubet nunc audire, quàm abuſi ſint hoc loco Patrum nonnulli. Irenæus lib.4. cap.23. *Significans quoniam qui ab initio condidit & fecit eos verbum & in noviſſimis temporibus redimens nos & vivificans, oſtenditur pendens in ligno, & non credent ei, ait enim, Et erit vita tua pendens ante oculos tuos, &c.* Vides de Chriſto crucifixo eum hunc locum accepiſſe. Eadem habet lib.3.16. Lactantius lib.4.Inſtit.cap.8. Auguſt.lib.16. contra Fauſtum, cap. 21. Procopius in hunc locum , Tertull. adverſus Judæos, cap.11. qui inſuper ad textum addidit duas voculas, *in ligno. Erit vita tua pendens in ligno ante oculos tuos & non credes vitæ tuæ, q.d. Chriſtus qui eſt vita tua, ſuſpenſus erit ante oculos tuos in cruce, & non credis ei qui eſt vita tua.* Vide & Leonem ſerm. 8. de Paſſione & Theophanis orationem de elevatione crucis , pag 630. tomi 9. Biblioth. Patrum. Ubi primarium præſidium ponit in voce *lignum*, eoque trahit ex Pſ. 1. *lignum plantatum*, & Gen 2. *lignum vitæ.* Niſi enim crucem deſignaſſet, inquit,

ar-

arborem vel plantam dixiſſet, non lignum, Lignum enim poſt ſectionem demum nomen habet. Tu diſce tiro, Ebr. עץ & ξύλον & δένδρον ſignificare, ac proinde in lingua Helleniſtica illud pro hoc paſſim poni. Galatinum ulterius provexit Allegorizandi ſeu potius ineptiendi prurigo. Ille enim cap. 17. libri 8. de Arcanis Catholicæ veritatis, probaturus quod Deus aliquando eſſet ſuſpendendus, ex hoc loco primum petit argumentum, additque *ideò fortaſſis pluraliter* vitas *dixiſſe, quia ſicut gemina eſt Meſſiæ natura, ita & ejus vita, Deus ſcilicet & anima.* Admirentur hæc indocti & quos tales ſpeculationes delectant. Qui fontes adire poteſt, ſi vel Craſſus ſit, non poteſt ad tales ineptias non ridere.

CAP. XXIX. verſ. 29.

Occulta [pertinent] *ad DOMINUM Deum noſtrum: ſed* (Ebraicè, Et) *revelata* [*pertinent*] *ad nos & filios noſtros, ut faciamus omnia verba Legis hujus.* Hæc eſt ſimpliciſſima Ebraïcarum vocum interpretatio. Nihil enim notius eſt iis, qui vel ἀκροθιγῶς Ebræam Grammaticam attigerunt, τὸ ל ſæpe idem ſignificare quod *ad* cum Ellipſi verbi *pertinet*. D. Piſcator paulo aliter, *occulta* [ſunt] *penes Dominum D. noſtrum: at r. ſunt penes nos*, &c. Junius *occulta* [*ſunto*] *penes D.* &c. Senſus, ne ſapiamus altum, neque in ea, quæ Deus ſacri ſilentii ſupparo operuit, curioſè inquiramus. Quin hoc potius operam demus, ut ex præſcripto iſtius Legis, quam nobis revelavit, obſequii gloriam amplexantes, vitam noſtram inſtituamus. Hanc egregiam & auro contra non caram ſententiam commodè ſatis expreſſit ipſe quoque Vulgatus Interpres. Eò magis miror indiligentiam & dormitationem B. Lutheri qui & neglecto accentu Athnach in voce אֱלֹהֵינוּ / & inſuperhabita litera vau ante vocem הַנִּגְלֹות / quæ alterum illud axioma cum priori copulat, ſic vertit, das geheimnis des HERRN unſers Gottes iſt offenbaret uns und unſern kindern ewiglich / daſs wir thun ſollen allen wort diſes geſetzes. Quæ in * Belgica noſtra tranſlatione ſic verſa reperies, **de heymelijckheyt des Heeren onſes Gods is ons ende onſe kinderen geopenbaert eeuwichlijck**/ &c. Quicquid ad hunc textum ab Interpretibus convectatur, non illu-

Gen. Angli Ital. &c. Sed & LXX. & Chaldæus.

* Nota tamen in paucculis quibuſdam Editionibus, minoribus præcipue, hunc locum privata correctorum authoritate correctum. At Editiones Hackii & aliæ complures ipſam Lutheri verſionem exhibent.

illustrando verbo Dei, sed Lutheri affertur. Hoc ergo operam dent fidi Interpretes qui ad populum verba facturi sunt, ut loca Scripturæ quæ vel interpretaturi, aut confirmando convellendoque alicui dogmati citaturi sunt, vel cum fontibus, vel si id non possint, cum melioribus versionibus conferant.

CAP. XXXII. vers. 8.

Quando dividebat altissimus gentes, quando dispergebat filios Adæ, constituit terminos gentium κατ' ἀριθμὸν ἀγγέλων θεοῦ.] Ita Lxx. in quam versionem illæ voces, ἀγγέλων θεοῦ, irrepsere, pro υἱῶν Ισραὴλ, *filiorum Israel*, quomodo legunt Hebr. Chald. Aq. Symm. Vulgatus, &c. Non existimo quempiam adeo hospitem in Scholasticorum scriptis esse, qui ignoret magno calore ab ipsis quæsitum fuisse de numero salvandorum. Iverunt enim boni isti Patres in partes, dum alii contenderunt, tot homines salvatum iri, quot angeli ceciderunt, alii contra quot steterunt. Tractat hanc controversiam Magister Sentent. lib. 2. Dist. 9. qui in eum commentati sunt. Gregorius Magnus iis accessit, qui prædestinatorum numerum cum angelis, qui perseverarunt, componunt. verba Magistri, *Non enim juxta numerum eorum qui ceciderunt, sed eorum qui permanserunt, homines ad beatitudinem admittuntur. Vnde Gregorius*, Superna illa civitas ex angelis & hominibus constat, ad quam credimus tantos humani generis ascendere, quantos illic contigit angelos remansisse, sicut scriptum est in Cantico Deuteronomii *statuit terminos populorum juxta numerum Angelorum Dei.* Vide cordate Lector, quo magnum virum præcipitem dederit mala versio. Mosis ista mens fuit, Deus O. M. post confusas ad Babylonis turrem linguas ita distribuit regiones inter populos, ut spatium satis magnum assignaverit filiis Israël, secundum numerum & multitudinem eorum. Vide Cajet. Oleastrium, Jun. Pisc. Deodatum, &c. Designavit ergo Israelitis capaces terminos nondum existentibus. Abenezra, *dicunt. Interpretes hæc intelligi de ætate dispersionis* (Genes. 11.) *quando dispersa est universa terra, Tunc enim decrevit Deus ut terra 7. gentium esset aliquando Israëlitarum, & quia suffectura ea erat numero eorum, ideo dicit*, secundum nume-

Vide & Lyram.

Homil. 34. super xv. caput Lucæ.

merum Filiorum Iſrael. Cæteras expoſitiones ceu alienas mitto. Cæterum illud propemodum exciderat, hoc ipſo textu, prout in Græco legitur, uſos ex * patribus nonnullos, ut docerent ſingulis gentibus, imo & hominibus ſuos angelos ſeu cuſtodes aſſignatos, quam ſententiam ut non aſpernor, ita & certò perſuaſus ſum, nec volam nec veſtigium ejus in hoc contextu extare.

* Origen. Homil. 11. & 20. & 24. in Numeros. Hieronym. ad Mich. 6. 1. contende cum montibus. Vide & Maldonatum in Matth. c. 18.

CAP. XXXIII. verſ. 17.

Cornua Rhinocerotis ſunt cornua ejus] Ebraïcum ראם alibi in vulgata redditur *unicornis*, ut Pſal. 22. LXX. ubique μονοκέρωτα reddunt, uno loco excepto, ubi vertunt ἁδροὶ, *robuſti*. Agit de pulcritudine & potentia poſterorum Joſephi. Valde torſerunt hunc locum veteres, ac inter eos Juſtinus Martyr adverſus Tryphonem, *Monocerotis cornua dici & oſtendi non poteſt rem aliam aut figuram ullam referre, niſi eam quæ crucis ſpeciem adumbrat, &c.* Vide etiam Tertull. adverſus Judæos cap. 10. Ambroſium in De benedictione patriarcharum. At nihil hic de Chriſto, nihil de cruce. Dices, Joſephum fuiſſe typum Chriſti. Ego verò nullos agnoſco typos, niſi qui in libris Novi fœderis fundamentum ſuum habent. Jonam agnoſco typum Chriſti, quia id diſerte teſtatur Chriſtus ipſe Matth. 12. Agnus Paſchalis præfiguravit Chriſtum, Joh. 19. 36. at de Joſepho locum adhuc quæro. Neque toleranda eſt illa Ruperti Allegoria, qua ex Monocerote Chriſtum facit, *Fortiſſimus ſpirituum Deus, velut unicornis, id eſt potentiæ ſingularis, Deus incomprehenſibilis & invictæ virtutis, virginei tractus odore uteri, illique incluſus eſt, & ex eò tantùm comprehendi potuit & occidi.* In quam ſententiam prolixus eſt & Pintus Jeſuita comm. in Ieſ. XLV. 8. ubi hunc quoque torquet locum Pſ. 28. nobis 29. *Dilectus ut filius unicornium*, quem eo cum ait a B. Auguſtino de Chriſto exponi. Sed ſcire licet, locum illum plane aliter tinnire in origin. Laudat illic David Deum O. M. ab, effectis 3. inter ea eſt tonitru, quo de agit a verſ. 3. ad 10. *Vox Domini facit ut exiliant* (cedri Libani) ſicut vitulus, facit ut exiliant *Libanus & Schirion ut pullus unicornium.* Schirion nomen montis eſt Libano contigui, qui & Hermon & Senir dicitur, Deut. III. 8. 9. neque ullo modo per *dilectum* reddi poteſt, & ad Chriſtum referri.

Vide ſupra pag. 271.

Sed redeamus ad Ruperti Allegoriam, quam non tolerandam esse diximus. Et merito. Fundamentum enim ejus, quod Gregorius & Isidorus tradunt, *animal illud non nisi proposita virgine, quæ venienti sinum aperiat, capi posse, ac tunc demum omni ferocia posita caput deponere & soporatum capi*, falsum est, ipsique *Marcus Paulus Venetus*, lib. 3. cap. 15. *Gesnerus* & alii hanc de monocerotis per virginem cicuratione narrationem fabulis annumerant. Unde & Aristot. & Ælianus & Plinius, aliique qui historiam animalium ad posteritatem transmiserunt, de hac cicuratione altùm silent. Quin & Gesnerus fabulam istam ex eo ortam prodidit, quod animal illud tunc solummodo mitescat, quando cum femella sua miscetur.

FINIS LIBRI II.

ANTI-BARBARI BIBLICI LIBER III.

IOSVAS.

Cap. X. vers. 14.

Ebr.

Non fuit sicut dies ille ante ipsum aut post ipsum, לשמע ut audiret Dominus vocem hominis, quia Dominus pugnabat pro Israel.

Vulg.

Non fuit antea & postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis & pugnante pro Israël.

Manifestè docent Ebræa, *negari similitudinem illius diei in hoc, quod Deus condescendit deprecationi hominis in tanto miraculo, quod non esset verum si Deus condescendisset voci Esaiæ seu Ezechiæ in simili & etiam in majori.* Hæc * Burgensis. Masius ad hunc locum. *De hujus nostri diei longitudine non agitur comparatio. sed is eo solum antefertur diebus quibusvis, quod nullum alium diem Deus ad ullius hominis preces cædendi hostis gratiâ, interrupto solis motu, sic produxit, ut hunc produxit.* Jam adi Lyram ad hunc locum, ut & ad 2. Reg. 20. & vide quibus & quot contentiunculis materiem præbuerit addita vox *longa.* Illud enim ex illâ illatum, *ratione longitudinis hunc diem contendi cum omnibus quotquot ab orbe condito fluxêre & fluent.* At obstare visus dies, cujus 2. Reg. 20. mentionem facit sacra historia. Confecerat jam Sol decem horas inæquales seu planetarias, ut vocant, id est ut textus loquitur, ad decimum gradum seu lineam Horologii Achaz jam pervenerat. Ad postulata Ezechiæ retrocessit decem gradibus, ac totidem horis sensim primam repetivit lineam, atque ita de

* Burgensis ad 2. Reg. 20. Vide Lucubrat. Francatallenses Bertrami.

novo à Primâ ad duodecimam progressus, horas XXXII. eundo & repedando consumpsit. Hæc communis Doctorum & Interpretum opinio est. Diei autem Josuæ ad summum XXIV. horæ assignari possunt. Steterit in medio cœlo diem integrum, duplicatum habes diem artificialem. Hic ad diversa commenta & κρησφύγετα itum est. Pars in loco Josuæ, pars in Regum Historia quæsivere responsionis fundamenta. Sunt enim qui Solem hoc die bis quievisse affirmant. Semel in media cœli parte, atque iterum in ultimâ, cum jam vergeret ad occasum. Secundam illam quietem ex his Ebraïcis versus 13. extruunt, וְלֹא אָץ לָבֹא id est *non festinavit occidere.* Ita alii 48. alii 36. horas huic diei attribuunt Justinus Martyr quoque cum Tryphone agens, 36. horas huic diei assignat, per diem enim illum integrum, quo Sol in medio cœli dicitur substitisse, diem naturalem ex 24. horis constantem intelligit. Ex loco 2. Regum sic respondent alii, Solem retrocessisse à decima lineâ ad primam, non sensim, sed uno momento quasi fuisse abreptum, atque ita totum diem Ezechiæ 22. horis fuisse absolutum. Alii horologio isti attribuunt lineas seu gradus ἡμιωρίους id est constitutos ad denotandas semihoras. Sententiam hanc, quam & Junius secutus est, admodum persuadet versus 9. & 10. capitis 20. 2. Regum. Ecce enim umbra jam attigerat lineam decimam; optionem Regi hanc facit propheta, velitne Solem progredi gradibus x. an verò retrocedere totidem. Respondet Rex, facile fore Solem *declinare* לִנְטוֹת id est uno quasi momento decem adhuc gradibus præcipitari, malle se ut retrahatur ad gradus totidem. Si potuit umbra, quæ jam lineam decimam attigerat, decem insuper alias præcipitato & insueto percurrere, plures ergo quam duodecim lineas horologium illud habuerit necesse est. Si ultra 12. non potuit plures paucioresve habere quam 24. Diei enim artificialis horæ planetariæ semper fuêre 12. id est semihoræ 24. Sed ad rem. *Itaque sic dies* [Ezechiæ] *viginti duarum horarum effectus est*, verba Junii. Illud sic explico. Sol jam attigerat lineam decimam, quæ index erat semihoræ decimæ, seu quod idem, horæ quintæ elapsæ. Repetiit suum illum cursum pede retrogrado id est à decima linea rediit ad primam. Et ibi est quinquehorium. Eò revocatus ordinarium cursum repetiit, & duodecim horarum spatio iter emensus est. Ecce tibi 22. horas.

horas. Duabus ergo horis dies Josuæ præcellit, sive hanc sive præcedentem opinionem amplectaris. Alii tamen diem Ezechiæ longiorem statuunt, tum ob illa quæ nos jam attigimus, tum ob authoritatem Dionysii illius, quem Areopagitam vocant. Is enim Epistola 7. ad Polycarpum de recessu illo solis verba faciens, τοῦ τριπλασίου μίθρου meminit, τοῦτο τοῖς περσῶν ἱερατικοῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ τριπλασίου μίθρου τελοῦσι. Et Georgius Pachymerius ad locum illum sic ait, οἱ πέρσαι τὸ παρέκταμα τῆς ἡμέρας ἐκείνης διὰ τῆς τελετῆς τῶν μνημοσυνῶν τοῦ τριπλασίου σημαίνουσι. id est *Persæ extensionem illius diei in sacris quæ* mnemosyna seu *Memoria Triplasii id est triplicis Mithræ*, ut Dionys. loquitur, *appellantur*, *denotant*. Hinc illud est, quod Lyra in Postilla ait, diem Ezechiæ fuisse *triplicatum*, quamvis deficiant horæ quatuor, ex bis 10, & semel 12. horis constantem. Hi ad locum Josuæ respondent, eum referendum ad id tempus quo vel Josue vel alius quisquam historiam eam scripsit, q. d. Ex quo fuit mundus in hunc usque diem, quo hæc scribo, tam longa dies non extitit. At hoc non placet Lyræ, qui pro longitudine diei Josuæ stat. Is horas non artificiales intelligit id est inæquales & planetarias sed naturales. Sic dico, omnis dies artificialis habebat horas 12. artificiales. Earum termini erant ortus occasusque solis. Itaque pro diverso accessu & recessu solis, horæ illæ vel prolongabantur vel contrahebantur. Hinc fiebat, ut medio Junio aut circiter (circa hoc enim tempus accidisse hæc statuit Lyra) dies artificialis habuerit 18. horas naturales, quæ duplicatæ horas 36. efficiunt. Diei autem Ezechiæ à Dionysio tributas horas 32. Lyra ad 26. horas naturales & duas partes horæ revocat, hâc conjecturâ, eum in solstitium hyemale incidisse. Burgensis omnino negat diem Ezechiæ fuisse prolongatum, quem vide in Addit. ad 2. Reg. 20. Sed nimis jam prolixus fui. Illud mihi propositum fuit ostendere, quantas contentionum occasiones unica vox Ebræis fontibus superaddita præbuerit. Ut vere de iis asseri queat illud Poëtæ, *Pulveris exigui jactu*, &c. Chaldæus simpliciter verterat, *Et non fuit sicut ille dies ante eum & post eum, ut accepta fuerit precatio hominis*. Et LXX. καὶ οὐκ ἐγένετο ἡμέρα τοιαύτη οὐδὲ τὸ πρότερον, οὐδὲ τὸ ἔσχατον, &c. Hæc vestigia si pressisset noster, omnibus istis quæstiunculis præclusus fuisset aditus.

CAP.

CAP. XIV. verf. 15.

Ebr.	Vulg.
Nomen autem Hebronis olim fuerat Kirjath Arbe, (id eſt civitas Arbe; הָאָדָם הַגָּדוֹל בָּעֲנָקִים הוּא Homo iſte magnus inter Anakim *ſub. erat.*	Nomen Hebron antea vocabatur Cariat Arbe, Adam maximus inter Enacim ibi ſitus eſt.

Illud conſtat קִרְיַת eſſe *urbem*, *oppidum*, ex abſ. קִרְיָה / *Arbang* ſeu ἀρχαϊκῶς Αρβε (ut קֹרַח Core,) nomen proprium viri eſt. Patet ex demonſtrativo הוּא quod ſequitur, *Is*, inquit, *magnus erat inter Anakim* id eſt maximus Anakæorum. Locutio, ut in N. T. *benedicta tu in mulieribus* id eſt benedictiſſima mulierum. in V. Teſt. יָפָה בַּנָּשִׁים / *pulcra in mulieribus.* Quin & cap. 15. 13. *Vrbs Arba patris Anakæorum.* Faceſſant ergo nugæ Ebræorum qui ארבע hic exponunt *quatuor*, civitas τ̃ τεσσάρων. Quod vid. illic Gigantes 4. aut 4. paria conjugum, Adam & Heva, Abrah. & Sara, Iſaac & Reb. Jacob & Lea ſepulta ſint. Nec eſt, quod hic alium quæramus in ſequentibus verbis præter Arbam. Tripliciter itaque hic peccavit Vulg. 1. addendo vocem *ſitus eſt.* 2. omittendo demonſtrativum הוּא / 3 nomen apellativum אָדָם convertendo in nomen proprium τ̃ πρωτοπλάςȣ. Unde invecta opinio, Adamum hic fuiſſe ſepultum. Oleaſtrius ad Gen. 23. 1. *Anſam huic ſententiæ dederunt verba vulgatæ verſionis citata in Joſua quæ ſic habet*, nomen Hebron, &c. *quo loco in Ebræo habetur*, Homo magnus in Enakim ipſe. *Sed quia pro homine ibi ponitur Adam, putavit vulgatus ibi nomen proprium eſſe.* Bened. *Adam nomen commune hic eſt, & non proprium.* Lyra id quoque vidit, *Adam eſt nomen commune & ſignificat hominem, tamen appropriatum fuit primo homini. Dicunt igitur aliqui quod ibi tenetur Adam prout eſt nomen appropriatum, pro primo homine ibidem ſepulto. Alii dicunt quod accipitur pro illo Gigante qui dicitur Arbe.*

LIBER IVDICVM.

CAP. VII. vers. 5. & seq.

VAlde sudant Interpretes, ut rationem reddant hujus separationis. Qui curvato poplite biberunt domum remissi sunt, qui vero lamberant aquas istar canum, reservati prælio. Ebræi quidam istos geniculatores ideo remissos ajunt, quod inde collegerit Gideon, eos idola colere, quippe assuetos id facere coram Baal, unde illud, *qui non flexerunt genua sua Baali*. Alii, inter quos Lyra existimant geniculatores fuisse valde sitibundos, ac proinde fatigatos; cæteros autem qui lamberant aquas minus sitivisse, ac proinde non adeo lassos. Itaque hos retentos, illos ceu prælio minus utiles domum remissos. Alii, ut R. Levi, quem secutus est Cl. Piscator, putant geniculationem fuisse signum ignaviæ, ut contra τὸ lambere, masculi & fortis animi. Sic illi. At totus contextus eò nos ducit, ut statuamus, Deum hæc omnia ita instituisse, ut nihil humanis viribus ferrent acceptum, sed ut ipsi in solidum victoria adscriberetur vers. 2. *ne glorietur contra me Israel dicendo meis viribus liberatus sum.* Itaque trepidis pavidisque ex præscripto * Legis divinæ domum remissis, relictisque tantum decem millibus, novam instituit exercitus lustrationem, in quâ non fortiores, ut Lyra vult & qui eum sequuntur, sed minus fortes prælio reservat, ut ipsi soli victoria transcriberetur. Omnis victoria, etiam cum numerosus miles pugnat, est à Deo. Sed id magis perspicuum fit, quando cum numeroso & potenti hoste exigua & imbellis turba confligit. Prior separatio fiebat juxta Legem divinam, dimittebanturque manifestè trepidi. Ex iis qui relicti erant, alii aliis erant fortiores. Hic ergo reservantur ii, qui ad fortissimos comparati, trepidi erant. Josephus, l. 5. 8. *Gideoni Deus in somnis apparens, dixit homines tali ingenio esse, ut sibi placentes nulli velint virtute cedere, & victoriam sibi potius*

* Deut. 20.

quam Deo tribuant, nimirum magnis ſuis copiis freti. Vt igitur ſciant rem totam pendere ab ipſius auxilio, juſsit ut circa meridiem, cum æſtus fervet maxime, exercitum ducat ad fluvium, καὶ τοὺς μὲν κατακλιθέντας, καὶ οὕτως πίνοντας εὐψύχους ὑπολαμβάνειν. ὅσοι δ' ἂν ἐσπευσμένως καὶ μετὰ θορύβου πίνοντες τύχοιεν, τούτους νομίζειν, ὑπὸ δειλίας τοῦτο πάσχειν καὶ καταπεπληγότας τοὺς πολεμίους. Ποιήσαντος δὲ κατὰ τὰς τοῦ Θεοῦ ὑποθήκας τοῦ Γεδεῶνος, τριακόσιοι ἄνδρες εὑρέθησαν ταῖς χερσὶ μετὰ φόβου προσενεγκάμενοι τὸ ὕδωρ τεταραγμένως. Ἔφησέ τε ὁ θεὸς τούτους ἐπαγόμενον ἐπιχειρεῖν τοῖς πολεμίοις. id eſt *quotquot procumbentes, eos biberent animoſos crederet: quotquot autem trepide & tumultuarie potum ſumerent, ſic exiſtimaret, eos metu hoſtium hoc facere. Quod poſtquam ad mandata Dei feciſſet, trecenti inventi ſunt cum perturbatione aquam ſumere manibus eam ori admoventes. Juſsitque Deus ut his aſſumptis hoſtem invaderet.* Hæc Joſephus. Quem juvat verſ. 5. *ut ſolet lambere canis.* Notum adagium, *ut Canis è Nilo.* Canis animal per ſe timidum ex Nilo bibiturus metu crocodili bibit fugiens & lambens. Vide Adagia Eraſmi & Macrob. Satur. 2. Itaque qui nil metuentes hoſtem poplite flexo biberant fortiores habiti. Cæteri timidiores, quia canibus ſimiliores, judicati ſunt. Atque hos voluit cum hoſte miſcere prælium. Nunc libet audire erudítiſſimum Auguſtinum. Ille Quæſt. 37. in Judices, dicit Ebræa ſic habere. *Fuit itaque numerus eorum qui manu in os projicientes aquam lamberant, trecenti viri, &c.* Pergit, *Quorum numerus quia 300. erant, ſignum inſinuit crucis, propter literam T. Græcam, qua iſte numerus ſignificatur, per quos etiam, gentes magis in Chriſtum credituras, præfiguratum eſt, quod litera Græca eſt. Vnde Græcorum nomine Apoſtolus omnes gentes ſignificat, cum dicit, Judæo primum & Græco. Iſte numerus & in vernaculis Abrahæ animadvertendus eſt, per quos fratrem ab hoſtibus liberavit, quod enim ibi exuberant 18. (nam 318. fuiſſe referuntur) videtur mihi ſignificatum, quo etiam tempore fieret id eſt tertio, quod futurum erat ſub gratia. Nam primum eſt ante legem. Secundum ſub lege. Tertium ſub gratia. Singula vero tempora ſenario numero ſignificata ſunt propter perfectionem. Nam ter ſeni, decem & octo ſunt.* Quam hæc ſint ſolida, judicet eruditus Lector. Sed quod ad 318. illos vernas attinet, iſtius περιεργίας pater Auguſtinus non eſt. Namque ante eum Tertullianus in carmine adverſus Marcionem eadem tradidit.

Ne-

Neque solus his subtilitatibus hæsit Augustinus. *a* Audi Ambrosium, *ut scias non quantitatem numeri, sed meritum electionis expressum. Eos enim adsciscit, quos dignos numero fidelium judicavit, qui in Domini nostri Jesu Christi nomen crederent. Trecentos enim Tau litera Græca significat. Decem & octo autem summam* IH *exprimit, nomen fidei.* Audi & * Eucherium, *Quod vero Abraham tantum in* 318. *comitantibus adversarios principes debellavit, jam tunc in crucis sacræ figuram, quæ per Tau literam Græcam, & Jesu nomen, quod per Jota & Eta Græcis literis scribitur, qui salvator interpretatur, in numero* 318. *exprimitur.* Glossa ordinaria, *Quisque pro anima sua contra spirituales nequitias bellum gerat cum* 318. *vernaculis id est cum auxilio* IS. *crucis. Tau enim litera, quæ habet figuram crucis* (de eo videbimus ad Iezech. 9.) 300. *exprimit.* Ex his Cl. *Drusius* facem alluxit difficili, & qui multos exercuit, loco Prudentii, qui extat præfatione in psychomachiam,

a. Tractatu de Abraham lib. 1. cap. 3.

* in Genesin libr. 2. c. 17.

IH

T

> *Nos esse large vernularum divites,*
> *Si quid trecenti bis novenis additis*
> *Possint, figura noverimus mystica.*

Sed non stetit hoc termino ludendi (quid enim dixero mitius?) libido. Idem ille Ambrosius lib. 1. de fide, Liberius Papa in Epistola ad orientales, & Rupertus, ulterius progessi, existimarunt 318. istis militibus præfiguratos fuisse 318. Patres, qui in victrice Nicæa illum execrandæ memoriæ Arrium damnarunt. Credo bonos istos viros eo die cum hæc scriberent, purgamentum aliquod calcasse. Adeo à Spiritus S. & divini Amanuensis mente aliena chartis illevisse mihi videntur.

CAP XI. vers. 31.

Ebr. ad verbum.	Vulg.
Et erit quodcunque egredietur (sc. primum) è foribus domus meæ in cursum meum, — erit, inquam, DOMINO & offeram illud (in) holocaustum.	Quicunque primus fuerit egressus — cum holocaustum offeram DOMINO.

Ebræa sunt, si quis requirat, וְהָיָה הַיּוֹצֵא אֲשֶׁר יֵצֵא מִדַּלְתֵי בֵיתִי

וְהָיָה לַיהוָה וְהַעֲלִיתִיהוּ עוֹלָה — בֵּיתִי Interpres noſter primò, quod generaliter dictum, ut etiam beſtias poſſit comprehendere, ad ſolum hominem videtur reſtringere. 2. votum bimembre contraxit in membrum unum. Dico votum eſſe bimembre, ac proinde Kimchium patrem & filium, nec non Junium Vau expreſſiſſe per diſjunctivam particulam או *aut. erit Domino* ſcil. conſecratum, aut offeram illud in holoc. ſi vid. fuerit idoneum ſacrificio. Licebat enim ex quinque tantùm ſpeciebus ſacrificare Deo, vid. bobus, ovibus, capris, turture, & columbâ: Ἀνθρωποθυσίαν enim ſemper deteſtatus eſt ὁ φιλόψυχος καὶ φιλάνθρωπος Θεός. Sed hæc enallage copulæ pro diſiunctiva, licet alibi frequens ſit (ut ex. gr. *qui maledixerit patri & matri* Ex. 21. 17. quod Matth. 15.4. exprimitur ἢ μητέρα) hic tamen Domino Piſcatori videtur non congrua, ac perinde eſſe ac ſi quis diceret. *Aut animal aut homo*, cum poſſit eſſe & animal & homo. Imo ſi eſt homo, neceſſe eſt ut ſit animal. Sic poterat Deo conſecrari aliquid & ſimul offerri in holocauſtum, & quodcunque offerebatur in holocauſtum, id Deo ſacrabatur. Putat itaque inter duo iſthæc membra hoc eſſe diſcriminis, ut prius promittat conſecrationem primi obvii animalis ſimpliciter, etiam canis vel aſini. Potuiſſet enim redimi juxta præſcriptum Legis Levit 27. 11. poſterius vero cum tacitâ conditione, ſi vid. animal illud eſſet idoneum ſacrificio. Sententia autem eorum, qui pro immolatione filiæ contendunt, videtur ex hoc verſionis Latinæ loco & verſ. ultimo non leviter confirmata eſſe. Quin & ex hâc verſione quæſitum iſtius ἀνθρωποθυσίας patrocinium. Sic enim hic locus habet in eâ *Factus eſt ergo Spiritus Domini ſuper Jephte & circuiens Galaad — & tranſiens ad filios Ammon votum vovit* DOMINO; quaſi hæc omnia, quæ jungit Interpres, ab eodem ſpiritu fuerint profecta. In textu Ebræo narratio voti novam incoat ſententiam, quod etiam Cajet. annotavit. Sentio itaque non immolatam ſed conſecratam Deo & in perpetuum quaſi Naziræatum & ſeceſſum traditam, innuptam manſiſſe, ne alterius quam Domini eſſe videretur. Hinc verſ. 38. non vitam amittendam, ſed virginitatem conſervandam deflevit. Erat enim probroſa virginitas, Eſai. 4. Hinc verſ. ultimo narrat hiſtoria, filias Iſrael quotannis ivisse ad confabulandum cum eâ atque hoc modo tædium ſolitariæ vitæ fuiſſe ſo-

Vide Auguſt. libro 7. Quæſt. Quæſt. 49.

Ita & Arias Mont, in Comm.

ſolatas. At, inquiunt, nulla extitit lex de virginitate conſervanda, nullum exemplum ejuſmodi voti extat. Quin omnia videntur contra ire & damnare hujuſmodi votum. Reſp. nos non defendere, ſed vehementer improbare viri hujus temeritatem, cum inſigni juris divini ignorantia conjunctam. Et quidem temeritatem duplicem, videlicet temeritatem in vovendo, temeritatem in exequendo: Ignorantiam, ſiquidem Levit. ult. verſ. 4. hæc legere potuiſſet, *Quod ſi fæmina erit*, quæ vid. devota ſeu nuncupata fuerit Deo, *tunc erit æſtimatio tua* 30. *ſicli.* Magna vero & ſtupida temeritas in exequendo iſta fuit, quod toto illo bimeſtri ſacerdotem Levitamve non conſuluerit. Vel ſi placet, eum aut conſuluiſſe ſacerdotes aut à ſacerdotibus monitum, ſubſtituam inſignem contumaciam. Neque hæc tollet Elogium quod Ebr. 11. ipſi tribuit gentium Apoſtolus. ſiquidem in iſto catalogo etiam alii recenſentur, quorum inſignes ſacra hiſtoria prodidit lapſus. Sed & illud addam, non tam ſpectandam hic virginitatem, quam ſeceſſum virginis & ſeparationem ab omnibus mundanis miniſteriis. Ut virginitas intervenerit q. ex accidenti. Si enim fuiſſet maſculus, non opus fuiſſet virginitatis conſervatione; Maritus enim non miniſtrat uxori, nec ſubjectus ei eſt, unde Samuel licet Deo conſecratus, non tamen abſtinuit à conjugio. Fœmina autem Deo devota ſi implicuiſſet ſe matrimonii nexibus, etiam coacta fuiſſet ſervire marito, atque eum quocunque vellet, ſequi.

verſ. ultimo.

Ebr.	Vulg.
תֵּלַכְנָה לְתַנּוֹת לְבַת יִפְתָּח	Conveniant & plangant filiam Jephthæ —

Hæc interpretatio præcipuum ſtabilimentum fuit vulgatæ ſententiæ. Carthuſianus, *Hoc non feciſſent niſi fuiſſet occiſa.* Illam verò interpretationem Vulgatus debet τοῖς Lxx. qui vertunt θρηνεῖν. Chald. quoque habet לְאַלָּאָה ad lugendum. Sed nunquid id fieri potuit eâ adhuc ſuperſtite? An ideò ſequetur eam à Patre fuiſſe immolatam? An maritum jam nacta erat?

Cur non licebit dicere eas reſtauraſſe planctum virginitatis anniverſaria hâc coitione? Si luxêre mortuam, quid opus erat itione, ſeu, ut vulgatus, coitione in unum. Sed ſecabo hunc nodum, atque ajo hanc interpretionem niti falſa hypotheſi, hâc vid. τὸ לְתַנּוֹת eſſe themate תָּנַן unde תַּנִּין draco, cui in Script. tribuitur vox flebilis, Mich. 1. *faciam planctum* כַּתַּנִּים *ſicut dracones.* Quò reſpicit Job, cap. 30. *frater factus ſum* לְתַנִּים Dicitur autem תַּנִּים pro תַּנִּינִים & תַּנּוֹת fœm. Mal. 1. At לְתַנּוֹת non poteſt eſſe gerundium ex duplicantibus. Imò neceſſario quieſcentibus Lamed He adſcribi debet. Eſt enim gerund. *Piel*, ut לְגַלּוֹת / Thema itaque erit תָּנָה / vox magis Chaldæa quam Ebræa. Et tamen ex textu Ebræo poterit ejus ſignificatio inveſtigari. Jud. 5. 11. *Ibi* יְתַנּוּ *juſtitias Domini.* Vulg. *narrentur.* Melius, *narrent.* Hic certe *plangendi* notio non quadrat. Atque hic manifeſte apparet, cujus ordinis ſit, nec enim poteſt futurum eſſe ullius ordinis, præterquam quieſcentium Lamed ה / ut יְגַלּוּ / Præterea, ſi ſignificaret *plangere*, conſtrui debuiſſet cum עַל aut ſaltem cum אֶת / quæ particula אֶת ſubauditur quidem in loco Judicum, ſed quo plangendi ſignificatio omnino tolerari non poteſt. Sic ergo expono locum, *ad alloquendum filiam Jephthæ*, cum Pagn. Ariâ. Id eſt ad conſolandum. Nam & Latini uſurpant *alloqui* pro *ſolari* & *alloquium* pro *conſolatione.* Ebræi dicunt *loqui ad cor*, unde in gloſſa לְדַבֵּר עַל לִבָּהּ וּלְנַחֲמָהּ *ad loquendum ad cor ejus & ad conſolandum eam.* Kimchi in comment. לְהָשִׂיחָהּ *ad confabulandum cum eâ*, quod ſecutus eſt Jun. Tig. *ad diſſerendum cum eâ.* Senſus idem. Finis enim confabulationis eſt *ſolari.* Quid ſi & hoc modo, *ad narrandum* vel ut narrarent *filiæ Jepthæ* ſc. res lætas, novas, quò ſic levarent ſolitudinis tædium. Certe Jud. 5. non poteſt niſi lætam confabulationem denotare.

LIBER I. SAMVELIS.

CAP. II.

IN ipso capitis limine habes canticum Hannæ. Illi non facem alluxit, sed tenebras offudit Augustinus libro de Civit. Dei 17. cap. 4. ubi invenies prolixum in hanc religiosæ Matronæ odam commentarium. Non est mihi prolubium omnia examinare. Gustum dabo. Is ergo dum recitat Canticum, Græcæ versionis filum secutus, non solum ab Ebræa, sed & à vulgata Latina immane quantum discrepat. Exempli gratia,

August. ex Græco.	Vulgata.
Dans votum voventi, & benedixit annos justi, quoniam non in virtute potens est vir. Dominus infirmum faciet adversarium suum, Dominus sanctus.	Domini enim sunt cardines terræ & posuit super eos orbem. Pedes sanctorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent: quia non in fortitudine sua roborabitur vir.

Istis vero hæc ex LXX. subjicit Augustinus, *Non gloritur prudens in prudentia sua, & non glorietur potens in potentia sua: & non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur qui gloriatur, * intelligere & scire Dominum, & facere judicium & justitiam in medio terræ.* Horum nec volam nec vestigium in Ebræo invenies. Sed in Græcam versionem infarta sunt ex Jeremiæ cap. IX. ubi tamen postrema aliter leguntur, vid. non ἐν τῷ συνιέναι καὶ γινώσκειν τὸν κύριον, καὶ ποιεῖν κρίμα καὶ δικαιοσύνην ἐν μέσῳ τῆς γῆς. Sed hoc modo, ἐν τούτῳ καυχάσθω ὁ καυχώμενος, συνιεῖν καὶ γινώσκειν ὅτι ἐγώ εἰμι κύριος, ὁ ποιῶν ἔλεος καὶ κρίμα, καὶ δικαιοσύνην ἐπὶ τῆς γῆς id est *in hoc glorietur, qui gloriatur, quod intelligat & cognoscat me esse Dominum, qui facio misericordiam & judicium & justitiam in terra.* Nota, *in terra*, non, *in medio terræ.* Nota, *me esse Dominum qui facio.* Non vero, *quod intelligit & novit Dominum & facit.* Nunc ergo judica de hoc commentario Augusti-

* id est, *quod intelligit & novit Dominum,* &c. Et sic intetpretatur ea Augustinus.

gustini, *Quid est, facere judicium, &c. in medio terræ? Neque enim non debent facere judicium qui habitant in extremis terræ. Quis hoc dixerit? Cur ergo additum est,* in medio terræ? *Quod & tantummodo diceret, facere judicium & justitiam, magis hoc præceptum ad utrosque pertineret, & mediterraneos & maritimos. Sed nequisquam putaret, post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus judicium & justitiam faciendi, quam cum esset in carne non fecit, & sic divinum posse evadi judicium, in medio terræ mihi videtur dictum, cum quisque vivit corpore. In hac quippe vita suam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra communis, resurgenti utique reddituræ. Proinde in medio terræ id est cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est judicium & justitia.* Hactenus verba Augustini. Qui & in sequentibus locum illum Ps. 74. *Deus operatus est salutem in medio terræ,* interpretatur de Christo, qui, *dum in terreno habitavit corpore,* salutem nostram operatus est. Ad quam locum plura, *σὺν Θεῷ παλάμᾳ,* dicemus suo loco.

Ad vers. 36. ejusdem notæ commentarium habet, eodem libro, cap. 1. Non lubet ea huc transcribere. immane quoque ab Ebr. veritatis tramite hic exorbitavit vulgatus, sicuti in Censura nostra prolixe ostendimus.

CAP. VIII. vers. 12.

Hoc est jus regis] Ita vulg. LXX. *τοῦτο ἔσαι τὸ δικαίωμα τοῦ βασιλέως.* Belg. **het recht des Coninckx.** Valde hic sudarunt Interpretes, qua prisci, qua novi. Quid enim? an ad jus regis pertinebit adimere possessoribus vineas, agros, &c? Quid ergo peccavit Achab? Distinguunt vulgo inter jus Regis in necessitate & extra necessitatem constituti. *Prædicti omnia,* inquit Carthus. *possunt in necessitate ad jus regis pertinere, quia in tali casu sunt regis seu principis, ad utendum & disponendum de iis secundum exigentiam boni communis. At si extra necessitatis articulum modo prætacto bonis ac sobole subditorum utatur, puta ad proprium commodum, tyrannicum est.* Postea docet aliam esse dominationem naturalem & ordinatam, aliam innaturalem & inordinatam, aliam denique intermediam, &c. Vide & Lyram. Tu disce tiro, in fonte esse vocem מִשְׁפָּט quæ

Multa necessitate armorum excusantur, facit. 2. Histor.

quæ etiam consuetudinem quamlibet significat, non solum bonam & laudabilem, sed etiam malam & detestabilem. Fidem facit vel unicus ille locus hujus libri, cap. 2. v. 13. וּמִשְׁפַּט הַכֹּהֲנִים אֶת־הָעָם quæ verba vulgatus junxit cum præcedentibus, *nescientes Dominum, neque officium sacerdotum cum populo*, scil. scientes. Sed non tantum Chaldæus paraphrastes, sed & Græci verba ista sic acceperunt, tanquam novam sententiam incoantia, *Et hoc erat jus sacerdotum*, &c. jus id est consuetudo, ita amabant cum hominibus agere. Quis enim sibi persuaderi patietur, eos, quid officii sui essent, ignorasse? Sed Serarium audiamus, *Verius tamen est*, inquit, *jus illud pravum esse & falsum. Hic tamen dupliciter proponitur, ut prædictio & descriptio, non ut ejus approbatio sit. Prædictio quippe ejus quod eventurum erat; Et sic juris nomen pro dispositione seu sorte accipitur. Descriptio vero ejus, quod apud Reges Ethnicos fieri soleret, & sic jus significat morem vel consuetudinem, quod Hebr. nomini frequens est, ut infra cap. 27. 11. Ex. 21. 9. & 26. 30. Num. 9. 14. Et 29. 6.* Hæc Serarius. Quibus addo hæc loca, Gen. 40. 13. Jos. 6. 15. Ps. 81. 5. & 119. 132. Koheleth 8. 5. 1. Reg. 18. 28. 2. Reg. 17. 33. & 34. Recte ergo Junius Pisc. & Angli reddidere, *Hæc erit ratio regis.* Deodatus, *Questa sara la maniera che terrà il re.* Genev. *Ce sera ici le traittement que vous sera le roi.* Omnes describunt jus, quod usurpatum vulgo vocitant. Claudam verbis Hugonis Grotii, viri sui nominis, *Quod vero apud Samuelem est de jure regis, omnino recte inspicienti apparet, nec de jure vero intelligendum, id est, de facultate honeste & juste aliquid agendi (longe enim alia vivendi ratio præscribitur Regi in ea parte legis, quæ est de officio regis. Deut. 17. 14.) neque nudum factum: nihil enim esse in eo eximium, cum injurias facere etiam privati privatis soleant: sed factum, quod, effectum aliquem juris habeat, id est non resistendi obligationem.* lib. 1. de jure belli & pacis, cap. 4. pag. 97.

Thomas l. 3. de regimine principum, cap. 11. asserit hoc jus esse bonum, non simpliciter in se, sed respectu hominum adeò contumaci & ad malitiam projectorum, quos tyrannice & despotice gubernari & justum sit, sit perpetuaut veluti eorum pœna & correctio.

CAP. IX. vers. 2.

Erat ei filius vocabulo Saul, electus & bonus. Et non erat vir de filiis Israel melior illo.] Ita Vulg. Lxx. ἐυμεγέθης καὶ ἀγαθος, καὶ ὀυκ ἦν ἀνὴρ ἀγαθὸς ὑπὲρ αὐτὸν. Discrepant in priori epitheto. Cætera conspirant. Ex voce *electus posset quis dicere*

cere inquit Carthusianus, *Si electus, ergo & prædestinatus. Sed electus in scriptura frequenter aliter quam pro prædestinato sumitur, ut Psal, 104. Et Psal. 77.* Electos Israel non impedivit, *Fuit ergo electus id est elegans, magnæ prærogativæ in naturalibus & * bonus moraliter.* Et paulo post, *Per hæc verba videtur specialiter innui præcipua ejus excellentia in omni virtute, seu magna valde virtuositas ejus, propter quam nemo in populo Israel fuit dignior eo ad regnum.* Itane Carthusiane? Ergone ipsum quoque Samuelem virtute supergressus est? Nos scimus Ebræum בָּחוּר quod Vulgatus *electum* transtulit, passim *juvenem* notare, atque ita alibi non semel à vulgario interprete redditum. Scimus Ebræum טוֹב proprie quidem & πρώτως significare *bonum*, at passim quoque pro *pulcro* poni. Ex. gr. Gen. 6. 1. *Et viderunt filii Dei filias hominum*, כִּי טֹבֹת / Vulg. *quod essent pulcræ.* August. de Civit Dei, 14. 23. *consuetudo Scripturæ est, etiam speciosos corpore* bonos *vocare.* Contra רַע malus passim pro deformi usitatur, Gen. 41. *vaccæ* רָעוֹת id est deformes, macilentæ. Jonathan, שַׁפִּיר / *pulcer.* Kimchi, טוֹב בְּתֹאַר וּבְמַרְאֶה id est pulcer forma & aspectu. Cajet. *Dictio Ebræa licet bonitatem significet, tamen pro pulcritudine ponitur. Unde crediderim sensum literalem esse, & non erat pulcrior illo. Ita & Serar. in comm. Vatab. procop.*

* Ita & Ablensis & Gregorius lib. 4. 34. & Lyra.

CAP. XVIII. vers. 10.

Et prophetabat Saul in medio domus suæ] In decreto Gratiani, parte 2. caus. 1. Quæst. 1. §. *prophetavit*, probandæ isti conclusioni, *Sacerdotem malum etiam posse conficere corpus Christi*, inter alia allegantur & illa ex tractatu Augustini in Epistolam Johannis, *Prophetavit Saul Rex malus cum etiam S. David persequeretur. Non ergo se jactent, qui forte sine caritate habent sanctum munus Dei, sed videant qualem rationem habituri sint cum Deo, quod sancte utuntur.* Sed disce, Φιλόγλωττε adolescens, prophetare hic nihil aliud esse & spiritu malo actum, sermones & gestus ita componere, ut sancti prophetæ bono spiritu acti solebant. Hoc notarunt Lyra, Carthus. & ex vetustioribus Procopius. Ipsos quoque prophetas, quos sacer ille Spiritus afflaverat, profanum vulgus insanire credebat. Hinc Chald. reddit וְאִשְׁתַּטֵּי & insanivit. Kimchi, *loquebatur verba insaniæ.* Serarius, *propheta-*

phetare hic est furere, bacchari, arreptitiorum more insanire, absurda & loqui & agere. Certe tales passim describuntur à Poëtis Gentilium vates, unde prophetas Enthusiastas quoque dixere, ut ex Strabone, Plutarcho & Platone & aliis liquet. Talis describitur Æneidos 6. sacerdos illa, quam consulit Æneas,

——— cui talia fanti
Ante fores subito non vultus, non color unus,
Non comptæ mansere comæ, sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale sonans, afflata est numine quando
Iam propiore Dei.

Ecce Deum vocat Apollinem id est ipsum illum Spiritum, quo Saul incaluit, hoc ipso versu Spiritus S. appellat *Spiritum malum Dei*, & cap.16. v.14. vel 15. *spiritum malum à DOMINO.* Pergit Poëta paucis interjectis,

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse Deum, tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans.

Et rursus,

Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
Vt primum cessit furor & rabida ora quierunt, &c.

CAP. XXI. vers. 13.

Καὶ ἠλλοίωσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐνώπιον αὐτοῦ, καὶ προσεποιήσατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ, καὶ ἐτυμπάνιζεν ταῖς θύραις τῆς πόλεως, καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, καὶ ἔπιπτεν ἐπὶ τὰς θύρας τῆς πόλεως, καὶ τὰ σίελα αὐτοῦ κατέῤῥει ἐπὶ τὸν πώγωνα αὐτοῦ. Hactenus Græca interpretatio. Quæ ab Ebræo textu immane quantum discrepat. Videamus singula membra.

Τὸ πρόσωπον αὐτοῦ] Ebr. טַעְמוֹ / Vulg. *os suum.* Vox Ebr. proprie gustum seu saporem significat. Inde transfertur ad totius corporis habitum in sermone, gestu, forma. Ad animum translata significat mentem, rationem, sensum. Vnde Cajet. reddit, *prudentiam*, Junius *speciem suam*, Genev. *son maintien.* Deod. *Egli si contaafece*, Et in margine, *mutiò la sua maniera.*

Καὶ προσεποιήσατο ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ.] Latina versio, *& assimulavit in die illo.* Hæc omnino redundant. Hic enim vel duæ versiones, vel versio & glossema coaluerunt. Quod insolens non est in hac versione. Cæterum illud ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ unde haustum sit, nescio.

Καὶ ἐτυμπάνιζεν — πόλεως] Et hoc membrum in Ebræo non extat. Est enim vel alterius interpretatio vel glossema membri penultimi transpositum. Latina versio, *& tympano cecinit in portis urbis.*

Καὶ παρεφέρετο ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ.] Melius αὐτῶν. Certe in Ebræo est, בְּיָדָם *in manibus eorum*, Vnde liquido apparet, illam lectionem ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, *in manibus suis*, quam secutus Augustinus, neutiquam posse consistere. Latinus Interpres, *Et prætervehebatur in manibus ejus.* Alii, *ferebatur manibus eorum*, Nam fingebat se destitui pedibus inquiunt, ac manibus suis se sustentabat, aut portabatur manibus aliorum, instar hominis cui sanum sinciput non est. Vulg. *collabebatur inter manus eorum.* Quod omnes, quos ego vidi, Interpretes de lapsu corporis intellexere. Lyra, *collabebatur sicut epilepticus.* Vide & Carthus. Alii, sicut furiosus & ebrius, cujus pedes non faciunt officium. Omnem istam pugnam dirimit Originarius textus, וַיִּתְהוֹלֵל בְּיָדָם *& insanum se fingebat in manibus eorum.* Quis adeo in Ebraïsmo hospes est, ut ignoret τὸ הלל in significatione *insaniendi* passim esse obvium? Ecce tibi Ps. 5. 6. Ps. 75. 5. Job. 12. 17. Quis & illud nescit, in conjugatione *Hithphael* fictam actionem sæpe repræsentari? Nullæ ergo hic infantibus tenebræ. Kimchi *fecit opera stultitiæ & insaniæ coram illis, cum adhuc versaretur in manibus eorum, nam circumdederant eum.* R. Sal. exponit per נִשְׁתַּטָּה insanum se fingebat. Nec dissentiunt Cajetanus, Bened. Arias & Pagn. Sed an fortassis vulgatus Interpres fictum mentis lapsum intellexit? Ego ut hic ἐπέχω, ita plane nullus dubito, quin Græci Interpp. suum illud παρεφέρετο aliorsum acceperint atque eorum interpretes voluere. Siquidem παραφέρεσθαι etiam dicuntur mente capti. Et παραφορὰ furor, insania, & παράφορος insanus, cujus mens à ratione aberrat, delirus, & παραφόρως, errabunda mente, insanè. Vide Budæum, Henr. Stephanum & alios. Atque ita Græcis cum Ebræo pulcrè conveniet.

Καὶ ἔπιπτεν ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πόλεως.] Alii codices proprius ad Ebræum textum accedentes, ἐπὶ ταῖς θύραις τῆς πύλης id est *& incidit in januas portæ*, non, urbis. Vulg. *Et impingebat in ostia portæ.* Alia interpretatio, uti supra vidimus, καὶ ἐτυμπάνιζε, q. d. eum toties & tanto cum impetu impegisse in ostia, ac si tympanum aliquod pulsaret. Nugæ. Ebræa vox ויתו significat, delineare, scribere, signare, quod nec Lyra, nec Carthus. ignorarunt. Lyra, *In Ebræo habetur, & pingebat super ostia, faciendo sibi figuras quasdam, ut solent fatui.* Chaldæus ומשרט *& lineabat*, R. Sal. *scribebat.* Consentiunt Cajet. Bened. Pagn. Arias. Nota tiro, esse Futurnm Phiel ἀποκοπὴν, pro ויתוה / Thema enim est תוה /

Hæc prolixius ad tironum captum explicui, ut appareret, quam contorta sit illa Augustini Allegoria, quæ extat in comm. ejus ad Ps: 33. Ebr. 34. Cujus titulus iste est Græco, ὅτε ἠλλόωσε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐναντίον ἀβιμέλεχ καὶ ἀπέλυσεν αὐτὸν καὶ ἀπῆλθε. Sed antequam Allegoriam istam proponam monendus mihi tiro est, *Abimelech* nomen regum Palæstinæ commune fuisse. Kimchi, *aut duo nomina habuit* (vid. Achis & Abimelech) *aut est nomen generale omnium regum Palæstinæ. Siquidem invenitur & temporibus Abraham & temporibus Isaac.* Basilius, τοιοῦτον λόγον τινὰ φθάσαντα ἐκ παραδόσεως εἰς ἡμᾶς ἔχομεν, ὅτι οἱ βασιλεῖς τῶν ἀλλοφύλων κοινὸν μὲν εἶχον ὄνομα, τὸ Ἀβιμέλεχ ἴδιον δὲ ὁ προσηγορεύετο, Ita *Pharao* commune nomen regum Ægypti fuisse, nemo tam rudis qui nesciat. Ex priscis Theologis Græcis nonulli fuere qui pro Ἀβιμελεχ legere Ἀχιμελεχ. Vnde hæc coram Achimelech sacerdote gesta arbitrantur, 1. Sam. 21. Vide Theodoretum & Basil. Sed nunc Augustino aurium operam locate sultis. Primò non capit, quomodo hic vocetur *Abimelech*, qui 1. Samuelis 21. *Achis* vocatur. Recurrit ergo ad Allegoriam, cui postquam multa propylæa præstruxisset, sic tandem infit, *Non ergo nihil significat & quod nomen mutatum est, & quod hic dictum est*, coram Abimelech, *ibi*, coram Achis *dici. Non desuerunt docti viri, qui nobis nomina ex Ebræo in Græcam linguam, & in Latinam transferrent. Consulentes ergo nomina ista invenimus, Abimelech interpretari*, patris mei regnum (at hoc esset *Abimalchuth* vel *Abimamlachah*) *& Achis interpretari*, quomodo est. (at in qua lingua? Certe non in Ebræa.) *David, manu fortis*

Et hoc non capio.) Et multis interjectis, col. 230. C. *Mutavit ergo vultum suum coram Abimelech. Quid est, coram Abimelech? Coram regno patris. Quid est coram regno Patris? Coram Judæis.* Et dimisit eum & abiit. *Quem dimisit? ipsum populum Judæorum demisit & abiit. Quæris modo Christum apud Judæos & non invenis.* Interpretamentum autem ꝑ Achis, *quomodo est*, refert ad Judæos interrogantes Dominum in Euangelio, *Quomodo potest hic nobis dare manducare carnem suam?* Hæc Aug. concione prima. Piget cætera transcribere. Tu nota tiro, hanc allegoriam in eo quoque adversari literæ, quod pronomen *eum* ad Regem Achis referat. Hic enim est sensus literalis, *Et demisit Rex Achis Davidem & abiit David.* Postea progreditur Augustinus, ipsam historiam 1. Samuelis 21. allegorice de Christo interpretaturus. *Affectabat* (ita enim vertit τὸ προσεποιήσατο) id est *affectum habebat. Quid est, affectum habere? Quia compassus est infirmitatibus nostris & ideo voluit ipsam carnem suscipere in qua mortem occideret.* Et paulo post, *Ergo affectabat, quia pervenit usque ad mortem crucis. Et quia qui crucifigitur, in ligno extenditur; ut autem tympanum fiat, caro id est corium in ligno extenditur, dictum est, & tympanizabat id est crucifigebatur, in ligno extendebatur.* Et rursus aliquot verbis interjectis, quibus τὸ *tympanizare ad ostia civitatis* explicat de pulsatione cordium, *Et ferebatur manibus suis. Hoc vero, fratres, quomodo fieri posit in homine quis intelligat? Quis enim portatur in manibus suis? Manibus aliorum potest portari homo, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligamus in David secundum literam, non invenimus: at in Christo invenimus. Ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum ait,* Hoc est corpus meum. *Ferebat enim illud corpus in manibus suis.* Quæ tamen concione 2. paulo aliter protulit, *Quomodo ferebatur manibus suis? Quia cum commendaret ipsum corpus suum & sanguinem suum, accepit in manus suas quod norunt fideles, & ipse se portabat* QVODAMMODO, *cum diceret, Hoc est corpus meum.* Vide Lector quantum detrimenti attulerit doctissimo Patri linguæ Ebrææ ignorantia. Conferat hæc vel puer elementa Ebraïsmi doctus cum fontibus & demirabitur ejusmodi allegoriam magno Augustino excidisse.

CAP.

CAP. XXIII. verſ. 26.

David deſperabat ſe poſſe evadere à facie Saülis] Ita vulg. Ebr. ויהי דוד נֶחְפָּז *Et fuit David feſtinans abire à facie Saulis* חפז extra omnem controverſiam ſignificat *feſtinare.* Ebræi in fine Epiſtolarum, ubi nos ſæpe uſurpamus voculam *raptim*, ſcribere amant בְּחָפְזִי / *in feſtinatione mea.* Cajet. *Non deſperatio ſed feſtinatio ad recedendum ut evaderet, deſcribitur.* Deſperationem Ebræum נואש exprimit. Stadium ergo plane imaginarium ſibi fingunt Lyra & Carthuſianus, quando anxie quærunt, *quomodo deſperatio cadere potuerit in Davidem, qui per revelationem divinam certitudinaliter habebat, ſe poſt Saulem fore regem*, annon ergo David dubius fuerit in fide? Ad hoc quidam reſpondent, inquit Carthuſ. quod non deſperavit evaſionem pro ſe, ſed pro ſuis. Alii, quod non deſperavit evaſionem pro ſua perſona, quoniam certus erat de impletione divini promiſſi, ſed deſperavit ſe poſſe evadere abſque bello cum Saule. Poſtquam autem has reſponſiones rejeciſſet Carthuſ. oſtendiſſetque ex aliis locis, Davidem pro ſe quoque metuiſſe, er. gr. 1. Sam. 27. 1. & 20. hanc tandem probare videtur reſponſionem, Davidem deſperaſſe ſe poſſe evadere ſecundum ordinem & proceſſum proximarum & naturalium cauſarum ſeu propriis viribus. En σκιομαχίαν. Aliter nodum iſtum ſolvit Burgenſis, *Tranſlatio noſtra*, inquit, *hic multum deviat ab Ebr. veritate. Ibi enim non fit mentio de deſperatione. Sed in Ebr. habetur, David feſtinabat, &c.* Quid ad hæc Carthuſ. *Maleſonat*, inquit, *aſſerere, quod tranſlatio noſtra deviet ab Ebr. veritate. Sic enim deviaret à veritate, & falſa eſſet.* Concedimus totum. Sed quid tandem reſpondet Carthuſianus? *Idcirco tenendum eſt, quod ſermo ille Hebraicus* FORSAN *ſit ad utrumque horum æquivocus.* Sed quid ſi forte non ſit æquivocus? Quid ſi nunquam deſperationis notiónem habeat? Quod in tam ardua quæſtione tenendum eſt, firmiore tibicine ſuſtentandum erat.

LI-

LIBER II.
SAMVELIS.

CAP VI. verſ. 3. 4.

THeologi Proteſtantes, nominatim Hunnius, in loco de Eccleſia, adverſus Pontificios oſtenſuri, tantum abeſſe ut Eccleſia N. T. uni certo loco affixa ſit, ut ne quidem tabernaculum & arca fœderis in uno loco ſemper fuerit, ſtationes ejus varias recenſent. Namque inter alia loca, ubi ſubſtiterit, etiam Gibeam memorant, decepti interpretatione vulgati Interpretis & Germanica Lutheri. At ego arcam fœderis in urbe Gibea unquam ſubſtitiſſe cum D. *Tarnovio* intrepide nego. Abinadab iſte non habitabat in Gibea, civitate tribus Benjamin (Jud. 19. 16. 1. Sam. 22. 6.) ſed in Kirjath Jearim 1. Sam. 6. 21. & 7. 1. vel 2. ſitâ in tribu Juda, Joſ. 15. 60. unde 2. Sam. 6. 2. appellatur *Baale Juda.* Unde ergo nata opinio de ſtatione in Gibea? Ex ambiguo vocis גִּבְעָה 1. Sam. 7. 1. aliis 6. 22. Et 2. Sam. 6. verſ. 3. 4. Licet enim vox iſta alibi nomen urbis proprium ſit, primario tamen *collem* ſignificat. Vnde & Lxx. ἐν τῷ βουνῷ. Sic & Chald. & Jun. Piſc. & alii. Illud autem אשר vel refertur ad domum, *quæ domus erat in colle*, vel ad ipſum Abinadab, *qui habitabat in colle.* Hæc deſcripſi ex exercit. Biblicis D. JOH. TARNOVI. Verbum addam ad hunc locum. verſ. 2. vulg. & Lutherus מִבַּעֲלֵי יְהוּדָה ita reddiderunt, *de viris Juda*, **van den burgeren Juda.** At ex collatione hujus loci cum 1. Chr. 13. 6. liquet *Baale Juda* nomen urbis eſſe, quæ ibidem alio nomine *Kirjath Jearim* appelatur. Ex hac collatione & illud liquet, מבעלי יהודה idem eſſe quod בַּעֲלָתָה *Baalam*, Sic enim habent Ebrea 1. Chron. 13. 6. *& aſcendit David* בַּעֲלָתָה אֶל קִרְיַת יְעָרִים ut potius ſic vertendum fuerit *Baalima Juda*, מ hoc loco motum ad locum denotante. Vide quæ ſupra ad Geneſ. 13. notavimus.

CAP.

CAP. VII. vers. 19.

וְזֹאת תּוֹרַת הָאָדָם יְהוִה אֲדֹנָי Genuinam horum verborum mentem non difficile erit ex antecedentibus eruere. Valde amplificat David gratiosam illam Dei promissionem de perpetuando ejus regno. Demiratur Deum tam familiariter ei *συγκαταβαίνειν* & sermones miscere, ac si amicus cum amico ageret. *Hoc parum visum est in conspectu tuo Domine, nisi loquereris etiam de domo servi tui in longinquum,* וְזֹאת תּוֹרַת הָאָדָם יְהוִה אֲדֹנָי *idque [secundum] consvetudinem hominis*, vel hominum, *DEUS Domine.* Frequens est Ellipsis literæ Chaph in Ebraïsmo. Eam si hic admittas, & referas hæc verba ad τὸ *loquereris*, optime fluet sententia. In eandem sententiam Junius, *idque ratione humana Domine Jehovi.* und dasselbe [nach] der menschen weyse / O Herr HERR. Astipulatur Scindlerus, qui huc quoque reducit Chaldæam, וְדָא חֲזְיָא לִבְנֵי אֱנָשָׁא *& hoc* [hic agendi modus] *conveniens est filiis hominum*, q. d. ita solet amicus cum amico colloqui & familiariter animi sui sententiam depromere. Atque ita explicari etiam potest versio Græca, οὗτος δὲ ὁ νόμος τοῦ ἀνθρώπου κύριέ μου κύριε. Genevenses, & Angli verba Ebraïca pronuntiatione juvant quasi interrogatio esset, *Est-ce ici la façon des hommes Seigneur Eternel?* Angli, And is this the manner of man O Lord God? Atque hic imitati sunt R. Salomonem & R. Jesaiam. Quorum ille sic inquit ad hunc locum, בתמיה ראוי להתבשר כן לבשר ודם id est *cum admiratione* [hoc dicit David, q. d.] *an conveniens est, talia nuntiare carni & sanguini?* Hic vero locum sic παραφράζει. *Est ne hac conditio hominis ut inveniat gratiam in oculis tuis & tanti æstimetur? Novi me indignum esse hoc honore*, &c. Examinemus nunc duas interpretationes. Vulgatus, *ista est enim lex Adam.* Quæro, quid sibi velit illud *enim.* Quo respiciat, cum quibus verbis cohæreat? Miror, cur τὸ הָאָדָם reddiderit, *Adam*, tanquam si primus humani generis pater denotaretur. Obtendet patronus articulum ה/ quo nomen speciei אָדָם ad primum hominem restringi solet, ut cum dicimus ὁ προφήτης, ὁ ἀπόστολος, ὁ θεόλογος de uno inter Prophetas, Apostolos & Theologos principe. Sic הַשֵּׁם τὸ ὄνομα. הַדָּבָר ὁ λόγος, verbum Dei. Ego ut hæc non

inficior, (existimo enim & hic locum habere istud Galeni, εἰώθασι οἱ ἄνθρωποι τὰ πρωτεύοντα ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους ὀνόματι προσαγορεύειν, id est *Amant homines ea quæ in genere aliquo primas tenent, generis nomenclatura exprimere.*) ita vicissim illud quoque postulo, à nomine *Adam*, cum primi parentis nomen est, aliquando abesse articulum, Ex. gr. Gen. 4. 1. & contra, cum nomen speciei est, præire articulum. Atque hoc velim à tironibus semel observari. Sic dico. Tantum abest, ut articulus ה huic voci præfixus, nominis appellativi; ejusque absentia, proprii index sit, ut contrarium hic fere obtineat. Consule priora Geneseos. Alia est ratio nominum propriorum, quæ nunquam appellativa sunt, ut Abraham, Jacob, David. Ea enim nunquam admittunt articulum: alia eorum, quæ πρώτως appellativa sunt, id quod & in complurimis locorum nominibus observare est, הַלְּחִי / הָרָמָה &c. Sed quid opus est tot verbis? Ipsi Pontificii vocem *Adam* per hominem exponunt. Lyra, *ut scilicet quilibet sit sollicitus & desiderans posteritatis suæ prosperitatem.* Et Emanuel Sa, plane, ut nostri, *Lex Adam id est hominis q. d. sic mecum agis, ut solet homo cum amico.* Carthus. duplicem affert interpretationem, prima est, *hæc est proprietas hominis protoplasti, seu jussio ei facta, vid. sollicitudinem gerere de prolis successione & prosperitate.* Vel hæc est lex Adami id est *hominis, ut gratias agat Deo de beneficiis suis.* At quomodo hæc postrema interpretatio, manente vocula *Enim*, cum antecedentibus cohæret? Vides lector, omnes in eo conspirare, nomina illa Dei vocandi casu exprimenda esse. Lutherus, & ex eo Belgæ, **dat is een wyse eenes menschen die Godt de Heere is.** Hoc est, *Hæc est ratio hominis qui Dominus Deus est.* Prolixe super hoc loco disserit *B. Lutherus* * tomo 8. Jenensi Germ. pag. 145. & seq. Existimat Davidem respicere ad Messiam, eumque hic describi θεάνθρωπον, hominem simul & Deum Dominum. Tu cave, tiro, ex hoc loco pro isthoc articulo argumentum adversus hæreticos depromas. Christum Jesum esse θεάνθρωπον articulus immotæ veritatis est. Conspiret quicquid uspiam est hæreticorum: jungant fœdere cum ipsis inferorum portis, nunquam hanc veritatem evertere valebunt. Certum est, ex ipsis Vet. Test. tabulis hunc articulum probari posse. Concedo ex totius hujus promissionis serie per consequentiarum

* Ibidem hujus versionis authorem laudat Bernardum Ziegleru͂, & agnoscit nullum veterum ita exposuisse.

rum ambages probari posse utramque Messiæ naturam. At ex his verbis nihil nisi precario obtineri posse contendo. Quod si ita scriptum esset, וְזאת תּוֹרַת הָאָדָם אֲשֶׁר יְהוָֹה אֲדֹנָי melius procederet argumentum.

Sed non tollam sic manum de hac tabula: Excutiendus obiter locus geminus & ejusdem argumenti est, 1. Chron. 17. 17. Ubi eandem orationem his verbis Spiritus S. exprimit. *Et parum visum est hoc in oculis tuis, Deus, adeo ut locutus sis de familia servi tui in longinquum,* וּרְאִיתַנִי כְּתוֹר הָאָדָם הַמַּעְלָה יְהוָֹה אֱלֹהִים *& provideris mihi secundum rationem hominis [hanc] excellentiam, DOMINIE Deus.* Ita positum fuerit רְאִיתַנִי pro רָאִיתָ לִי / Porro ראה *video*, seu, ut prisci loquebantur, *specio*, pro *provideo, prospicio.* Ebræi enim cum composita verba non habeant, eorum loco simplicibus utuntur. Pisc. *& aspexeris me secundum rationem hominis* id est humanam, [*quoad*] *hanc excellentiam, DOMINE Deus.* Angli, *secundum rationem hominis magnæ dignitatis DOMINE Deus.* Probarem, si esset כְּתוֹר הָאָדָם בַּמַּעְלָה / Vulg. *Spectabilem me fecisti supra omnes homines, Domine Deus.* Quæ interpretatio cum fontibus neutiquam potest conciliari. Illud tamen recte quod bina illa Dei nomina vocandi casu expresserit. Lxx. καὶ ἐπεῖδές με ὡς ὅρασις ἀνθρώπου, καὶ ὕψωσάς με κύριε ὁ θεὸς id est *Et aspexisti me, tanquam aspectus hominis, & exaltasti me Domine Deus.* Videntur accepisse תור pro תֹּאַר / Cæteri vocem eam accepere, tanquam synonymam nominis תּוֹרַת / omnes vero in universum in interpretatione nominum Dei conspirandam Trinitatem. Itaque minus solidum rursus illud argumentum est, quod ex hujus loci versione Germanica aut Belgica pro Jesu Christo θεανθρώπῳ vulgo depromunt. Versio Germ. seu Belgica ita sonat, si Latinè reddas, *Et aspexisti me tanquam in figura hominis* (Osiander, *tanquam figuram hominis*) *qui est in supernis Dominus Deus.* Hoc sensu, Intelligo ista in me non quadrare, sed in Messiam, cujus ego typus seu figura sum, qui & Deus & homo futurus est, &c. Huic interpretioni multa obstant. Posito enim מַעְלָה hic idem esse quod מָרוֹם / tamen sic dicendum fuisset, כְּתוֹר הָאָדָם אֲשֶׁר בַּמַּעְלָה וגו׳ Nunc adi ad Exercit. Biblicas D. JOH. TARNOVI qui prolixius hæc loca examinavit.

CAP. XIX.

Gretzerus lib. 1. de cruce, cap. 6. *Ne quis miretur*, inquit, *me quercum, in qua Abſolon capillis pependit, vocaſſe crucem, vere enim crux fuit cruciſque Dominicæ manifeſta figura, in qua Abſolon pendens Chriſtum præfigurabat.* O triſtes ineptias! Ergone conſceleratum illud caput ſanctiſſimi Salvatoris typus fuit?

CAP. XXI. verſ. 6.

Ut crucifigamus.] Ita vulgatus. At vox Ebræa ſignificat *ſuſpendere*. Crucis ſupplicium Ebræorum Reſpublica ignoravit. Lxx. *καὶ ἐξηλιάσωμεν αὐτοὺς, & ſoli exponamus eos.* Cajet. *nihil dicitur de cruce in ſpecie.*

LIBER II.

REGUM.

CAP. II. verſ. 9.

Ebr.	Vulg.
וִיהִי נָא פִּי שְׁנַיִם בְּרוּחֲךָ אֵלָי / Sit quæſo duplex portio de ſpiritu tuo ſuper me.	Obſecro ut fiat duplex Spiritus tuus in me.

Locum hunc prima fronte ſubobſcurum illuſtrat locus Deut. 21. 17. *Agnoſcet filium primognitum minus amatæ, ut det ei* פִּי שְׁנַיִם בְּכֹל אֲשֶׁר יִמָּצֵא לוֹ *duplam portionem de omni quod inventum fuerit ei.* Vulg. *de omnibus quæ habuerit, cuncta duplicia* Chald. תְּרֵין חוּלָקִין *duas portiones.* Eadem locutio extat Zach. 13. & in Ebræo in Chald. Ubi Lxx. *δύο μέρη.* R. Levi hæc Eliſæi verba ſic. *παραφεράζει, Quando ſeparabis & diſtribues de ſpiritu tuo*

ſuper

ſuper filios prophetarum tunc ſit quæſo mea portio dupla ex adverſo uniuſcuiuſque eorum. Ita & Jun. & Piſc. & Angli & Tigurini. Neque diſſentiunt Genevenſes, *Je te prie, que i' aye de ton eſprit, autant que deux.* Nec Deodatus, *ſia in me la parte di due del tuo Spirito.* Tralata ergo locutio à diviſione corporalium bonorum ad diviſionem ſpiritualium. Vulgatus Interpres ab hoc tramite diſcedens occaſionem Interpretibus præbuit, alienas & ſupervacaneas quæſtiones movendi. Plerique enim Interpretes hoc ſancti viri αἴτημα ſic interpretati ſunt, ac ſi petiiſſet duplam portionem Spiritus, reſpectu ipſius Eliæ. Carthuſ. *Hoc dupliciter explanatur.* 1. *quod Eliſæus petivit, gratiam ſpiritualem Eliæ conceſſam ad prophetandum & ad faciendum miracula duplicari in ſe, ita quod haberet eam in dupla portione reſpectu Eliæ,* &c. Etiam Lutherus, dum in Vulgati Interpretis veſtigia pedes ſuos ponit, mentem Prophetæ aſſecutus non eſt, **dat uwen geeſt by my zy tweevoudigh.** Quod ſic explicat, *ut majori cum efficacia & potentia poſſim concionari.* At huic expoſitioni objici video ab Interpretibus illud Salvatoris, non eſt diſcipulus ſupra Magiſtrum, *Nimis præſumptuoſum fuiſſet,* inquit Lyra, *ſi Eliſæus duplam poteſtatem reſpectu magiſtri ſui petiiſſet.* Ad illud vero, quod Interpretes Eliæ 8. Elizæo vero 16. miracula adſcribunt, etiam commode ſatis ibidem reſpondet. Quid ergo? Duplicem ſpiritum referunt Lyra, Carthuſ. & alii, ad duo dona prophetiæ & miraculorum, ut non quæſiverit in iſtis ἀριστεύειν aut τοῦ διδασκάλου ὑπέροχος εἶναι ſed eadem eodem gradu ſibi optaverit. At ne hoc quidem Cajetano facit ſatis. Audiamus acutiſſimi ingenii & liberi oris Cardinalem, *Juxta Ebræum habetur,* os duorum, *Hac appellatione ſcriptura alias nominat portionem duplicem, quæ primogenito debebatur, — quia loco duorum ſuccedebat. Petit ergo ſuccedere Eliæ, non in agris, &c. ſed in ſpiritu Eliæ tanquam primogenitum in duplici portione. Ita quod plus petit quam duplicem Spiritum, prophetiæ vid. & miraculorum. Quoniam petit ſuccedere in ſpiritu Eliæ jure primogeniti, quod eſt præferri cæteris filiis Eliæ ſpiritualibus. Eſt ſuccedere non ſolum in ſpiritu miraculorum & prophetiæ, qui erat in Elia, ſed etiam excellenter* (reſpectu aliorum condiſcipulorum) *habere hujuſmodi ſpiritum, ſicut primognitis excellenter* (reſpectu fratrum) *ſuccedit in donis paternis.* Hæc Cardinalis Serarius, *Alii volunt minorem* [*ſpiritum poſtulaſſe,*] *ut ſi-*

Eliæ ſpiritus in tres partes divideretur, Eliſæus tantum duas haberet tanquam primogenitus, &c. *Idque phraſis Ebræa hoc loco importat.* Sed an textus Vulgatus idem quoque importat? Hoc ſilentio prætervehitur Serarius. Summa ſummarum huc redit, condiſcipulos, non præceptorem antecellere voluit ſanctiſſimus Eliſæus.

Ibid. verſ. 14. ποῦ ἐστιν θεὸς ἠλίου * Αφφώ.] Ita expreſſe invenies in verſione Græca hæc Ebr. אַיֵּה יְהוָה אֱלֹהֵי אֵלִיָּהוּ אַף הוּא / Quæ vulgo in hunc modum reddunt, *ubi eſt DOMINUS Deus Eliæ; etiam ipſe?* Vulg. *etiam nunc.* In cujus interpretatione & illud obſerva, voces iſtas, *Et non ſunt diviſæ*, non extare in Ebræo, ſed deſumtas eſſe ex Græco, καὶ οὐ διέστη. Ut fruſtra ſint qui iſtis colligunt Eliſæum inferiorem fuiſſe meritis ſuo magiſtro ut loquitur Carthuſ. Itaque Joh. Benedictus eas obelo jugulavit. Sed redeamus ad vocem ἀφφώ, quæ doctiſſimorum virorum, qua veterum qua recentiorum, induſtriam fatigavit. Aliquid & quaſi per tranſennam hic vidit Cl. Druſius in notis ad fragmenta Incomparabile illud Equitum & literatorum decus, * DANIEL HEINSIUS omnibus Interpretibus hic otia fecit. Animus erat locum integrum, utpote varia & recondita eruditione vernantem, huc tranſcribere. Sed quia incomparabile illud ſcriptum non ita pridem ex officina Elzeviriana prodiit & omnium jam manibus teritur, operam iſtam mihi compendi-faciam.

* alii codices Αφώ, alii Απφώ.

* Prolegomenis in Ariſtarchum ſacrum.

CAP. III. verſ. 27.

Et accepit [Rex Moab] *filium ſuum primogenitum.*] Ita Vulgatus, Lutherus Piſc. Angli Genev. Ad quem locum multa commentati ſunt Theologi. Monendi tamen ſunt verbi divini Interpretes, iſtam ſententiam non omnino immotæ veritatis eſſe. Ebræum enim affixum, quod eſt in voce בְּנוֹ / indifferens eſt ad utrumque, *filium ſuum*, &, *filium ejus.* ejus vid. regis Edom. Et quidem poſteriorem ſententiam elegerunt *Junius* & *Deodatus.* Juvare eos aliquantulum videtur locus Amos 2. 1. *Eo quod combuſſerit* Rex Moab *oſſa regis Edom in calcem.* Sic & hoc parallelon obnoxium eſt exceptionibus. Ego in cenſura mea prolixe diſſerui de hoc loco. Omnia quæ hinc inde afferuntur, examinavi. Video utrinque paria rationum momenta.

Itaque dubito, & plane, quod ajunt Græci, τὴν γνώμην ταλαντεύω.

CAP. V. verſ. 18.

Ebræa αὐτολεξεὶ ita ſonant, *Hac in re condonet DOMINUS ſervo tuo, cum ingreditur dominus meus ædem Rimmonis, ad incurvandum ſe ibi (nam is nititur manu mea) ſi incurvavero me in æde Rimmonis, in incurvatione mea condonet quæſo DONINUS ſervo tuo, &c.* Incurvatio illa Ebraïcè dicitur הִשְׁתַּחֲוָיָה / quod eſt nomen verbale ab הִשְׁתַּחֲוָה deflexum. Vox Ebræa ſignificat totius corporis proſtrationem. Lxx. Inrerpretes, προσκυνῆσιν vocare amant. Geſtus ille Orienti ſuetus erat in cultu, qua civili, qua religioſo. Cum in cultu religioſo uſurpatur, commodo redditur per Latinum *adorare.* Aliàs minus commode. Vulgato tamen Interpreti id admodum familiare eſt. Namque & hunc locum ita convertit, *Hoc autem ſolum eſt, de quo depreceris Dominum pro ſervo tuo, quando ingredietur dominus meus — ut adoret, & illo innitente ſuper manum meam, ſi adoravero in templo Rimmon, adorante eo* [nota in Ebræo eſſe *me* בְּהִשְׁתַּחֲוָיָתִי) *in eodem loco, ut ignoſcat mihi Dominus*, &c. Vides ter vocem *adorationis* uſurpaſſe interpretem. Lutherus quoque illud השתחוה / tam Naamani quam Regi tributum, eodem modo reddit, per **aenbidden.** Hinc natainter Interpretes quæſtio, liceatne interdum ipſam fidem diſſimulare, & idolorum cultum ſimulare. Memini etiam me alicubi Calvinum quiritantem audire, hoc Naamanis exemplum à quibuſdam Pſeudo-Nicodemis ſæpe allegari. Sed obſerva propriam ſignificationem vocis Ebrææ & videbis ſupervacaneam omnem iſtam diſputationem eſſe. Videbis multos imaginaria ſibi extruere ſtadia. Non poſtulat enim diſpenſationem circa adorationem veri numinis in iſthoc fano, nedum impuri iſtius dæmonii, cui in delubro iſto litabatur, ſed petit ſibi condonari iſtam incurvationem corporis, priſco ritu, Regi ſuo obſequium præſtituro. Agnoſcit interim verum Deum, idolis res ſuas ſibi habere jubet, vovet perpetuum & conſtantem cultum Deo Iſraëlis; nec dubium eſt quin in patriam redux eandem religionem profeſſus ſit. Vox ergo Ebræa, ut ut Regi tributa per *adorare* quoad ſenſum benè reddita ſit, tamen Naa-

mani tributa per *adorare* vertenda non fuerat. Lubet audire Cajetanum, *Adverte prudens Lector, quod Hebraica dictio, quamvis communiter interpretata sit,* adorare, *propriè tamen non significat adorationem, sed exhibitionem signi honoris in ipsius honorantis persona curvatione, sive curvatio hujusmodi fieret genuflexione, sive prostratione, sive capitis & humerorum inclinatione. Ita quoque non significatur actus interior, sed actus duntaxat exterior honoris. Est itaque sensus, quod curvante se rege in templo Rimmon Deo suo Rimmon, ego quoque me incurvabo, quia Rex innititur super me. Et hæc est actio, quam ignosci sibi à Deo petit.* Et paulo post, *dixit ei*, vade in pace. *Quæstiones duæ hinc oriuntur. Altera, an verba ista Elisæi annuant voto Nahaman, affirmando, quod Deus ignoscet. Altera est, an incurvatio hujusmodi fuerit ubi cita. Solutio primæ quæstionis est, quod verba Elisæi cum sint valde communia, stant cum permissione illius curvationis: & propterea ex vi sermonis non affirmant Deum ignosciturum, seu non imputaturum ad peccatum. Solutio autem secundæ quæstionis est quod aliud est loqui de genuflexione imitativa genuflexionis regiæ, & aliud est loqui de genuflexione obsequii. Nam genuflexio imitativa est ejusdem speciei cum genuflexione quam imitatur: Et propterea esset genuflexio idolatrica, quemadmodum genuflexio regis. Sed de hujusmodi genuflexione non esse sermonem, testantur verba ipsius Nahaman proponentis conscientiæ suæ scrupulum in loco & tempore talis obsequii, quia videlicet in templo Rimmon, tempore quo Rex adorabat Rimmon, ipsum Nahaman: genuflectente Rege, oportebat genuflectere, eo quod Rex innitebatur super eum, & quemadmodum Rege stante oportebat ipsum stare, ita Rege genuflectente, oportebat ipsum genuflectere. De hujusmodi itaque genuflexione obsequii est quæstio: Et dicimus quod secundum si erat licita: eo quod obsequebatur genuflexioni Regis absolutè, & non relativè ad idolatriam. Genuflexio enim ipsa Regis actio quædam est, secundum se non mala, sed iniquitatem idololatriæ habet annexam ex idololatrica mente Regis: minister autem obsequens genuflexioni, & non relationi ad idolum, est non particeps criminis. Quemadmodum nobiles comitantes Regem euntem ad concubinam, non sunt participes peccati; eo quod non comitantur eum, quatenus vadit ad peccandum, sed quatenus vadit absolutè, ipsum enim ire secundum se nullum est peccatum. Quamvis autem hujusmodi genuflexio secundum se non sit mala, speciem tamen mali præ se fert ratione loci & tempore, nisi persona cognita sit exemta ab idololatria. Nam si per-*

si persona obsequens ibi tunc similis aliis habetur, genuflexio ejus, quantumcunque ex propria intentione non sit mala, occasionem tamen præsentibus dat existimandi, quod ipse facit sicut alii genuflectentes idolo. Si verò persona nota esset aliena ab idolatria, cessaret species mali & consequenter ratio scandali seu existimationis quod ipse genuflecteret idolo. Et quia Nahaman & verbo & facto (ædificando summo Deo altare illique sacrificando, & profitendo ipsum solum esse Elohim) publicabat se alienum esse ab idolatria, ideo obsequium, quod præstabat Regi in templo Rimmon adoranti, nec in se erat malum, nec præbebat speciem mali. Et propterea Elisæus non dixit ei, hoc esse peccatum, nec affirmavit ignoscendum à Deo, sed dixit vade in pace; ipse autem Nahaman more bonarum mentium timebat culpam, & propterea petiit sibi ignosci, non imputando ad culpam. Hæc Cajetanus.

CAP. XX. vers. 9. 10. 11.

De hoc loco dictum est ad Josuæ cap. 10. Hic autem locus, ut hoc διεξοδικῶς hic inseram, hactenus obstitit, quo minus astipulari potuerim magno Scaligero, qui loco non uno in incomparabili illo opere de Emend. temporum, distributionem illam diei in horas sero admodum ab Ebræis receptam fuisse docet. Pag. 5. *Veteres Ebræi nullas alias diei partes, quam mane, meridiem, vesperi noverant. Psal. 55. 18. dies in tres partes dividitur. Et totum νυχθήμερον in 4. quadrantes seu vigilias, &c. Posteriorum inventum est Horologium & ἡλιοτρόπια quibus dies per lineas & intervalla umbrarum distinguebatur.* Et pag. 597. *Scito vetustissimis Judæis horas æquinoctiales in usu non fuisse, sed tantum καιρικάς.* De quibus erudite pag. 4. disserit. Dices, eum sub veteribus Ebræis Achazum, Hiskiam eorumque coætaneos non complecti, ac proinde hunc locum maximo viro non obvertere cornua. Adi ergo ad pag. 131. ubi diserte scribit, divisionem diei in horas 24. tandem sub Romano imperio à Romanis ad Judæos translatam esse.

LIBERI I.

CHRONICORUM.

CAP. IV. verſ. 22.

ET *qui ſtare fecit Solem.*] Ita vulgatus. Æſtuant hic interpretes & anxie quærunt, utrum aliquis præter Joſuam ſolis curſum ſtiterit. Vide *Magallianum* Jeſuitam, Annotatione 7. in caput 10. Joſuæ. & *Tornielli* opus Chronologicum. Vulgo exiſtimant, innui Elimelechum maritum τῆς Noömi. Eum ajunt precum ſuarum efficacia ſolis curſum inhibuiſſe, ut ad tantum miraculum ſæculi iſtius homines obſtupeſcentes, impietati repudium mitterent. Iidem exiſtimant per *vires mendacii* intelligi Machlon & Cheljon, Elimelechi filios. Eoſdem denotari nominibus ſequentibus, *Securus & incendens*, pro quo in Carthuſ. conſtanter legitur, *incedens*. Lyræ hæc ſunt & gerræ germanæ. In Ebræo ſunt nomina propria, *Jokim & viri Cozeba*, *& Joaſch & Saraph*. Atque ita quoque 70. Vide ipſum Lyram Ut nihil de Cajet. Aria Mont. Bened. Emanuele Sa & aliis dicam. Carthuſianus licet meliorem Lyræ interpretationem referat, ſe tamen à vulgata verſione ne latum unguem dimoveri patitur. Stat ut Marpeſia cautes. *Circa hæc dico*, inquit, *me credere B. Hieronymo. Credo quod propter univerſalem Eccleſiam Spiritus S. Hieronymum in vertendo gratioſè direxit, qui præordinavit, ipſam ſanctam & non errantem Eccleſiam verſione Hieronymi uti debere.* Hujus pervicaciæ ſuæ multos hæredes reliquit bonus Dionyſius. Videas enim paſſim perverſos iſtos, qui etiam poſt inventas fruges pergunt βαλανοφαγεῖν. Licebit ipſis per nos quoque σικχροφαγεῖν, modo μονοφάγοι id faciant. Servent ſibi iſtas dapes. Non in videmus. Similes ludos dedit vulgatus cap. 2. verſ. 53. ad quem vide Scaligeri Elenchum cap. 23. Nos in Cenſura noſtra, & hunc illum locum diligenter excuſſimus.

CAP. XVII. verſ. 17.

Vide ſupra ad 2. Sam. 7. 19.

LIBER II. CHRONICORUM.

CAP. XXVIII. verſ. 20. 21. 22.

INſignis hic locus eſt, cujus δεινότητα non parum imminutum ivere Græci, Vulg. Lutherus. Conſceleratus ille Achaz cum & ab Edomæis & Philiſtæis peteretur, Regem Aſſyriæ auxilio vocare. Quo eventu? Hoc ediſſerit Spiritus S. verſ. 20. & ſeq. *Veniens itaque ad eum Thilath Philneſer Rex Aſſyriæ anguſtia affecit eum, non autem* [a] *confirmavit eum.* 21. *Namque accipiens partem ex* [b] *domo* DOMINI *& domo Regis ac principum: dedit Regi Aſſyriæ, nec tamen auxilio fuit ei.* 22. *Quin illo quoque tempore quo afflictabat eum* [DOMINUS,] *pergebat prævaricari contra* DOMINUM: Quibus verbis ſubjungit Spiritus. S. hæc verba, הוּא מֶלֶךְ אָחָז / *iſte* erat *Rex Achas*, quæ verba per accentum Athnach à ſuperioribus diſtincta peculiare membrum conſtituunt. Vides, ut exerto quaſi in improbum caput digito, hoc elogio eum nobilitet, quaſi diceret, Hoc erat illud monſtrum, quod nullis flagellis edomari potuit. A flagellis Dei vires & incrementa ejus impietas ſumebat. Piſc. Ein ſolcher war der König Achaz. Deod. *tale era il rè Achaz.* Angli, this is that King Achaz. Hic eſt iſte Rex Achaz. Certe turpe eſt, ſic digito monſtrari & dicier, HIC EST. Jun. *idem erat Rex Achaz.* Genev. *c'eſtoit* [*touſiours*] *le roi Achaz.* [Semper] erat idem Rex Achaz. q. d. ſemper ſibi ſimilis erat. Idem in ſecundis, idem in adverſis, ſemper impius. Quamvis aliquid amplius & gravius Ebræa innuant, hoc videlicet, creſcentibns afflictionibus, creviſſe ejus ſcelera. Videamus

[a] Ita præter. Jun. Piſc. Angl. &c. etiam Pagn. Arias, Sa, Cajet. & alii.

[b] i. Theſauris domus DOMINI.

mus jam Græcos, Vulg. & Lutherum. Versum 20. ita reddidit Vulg. *Adduxitque contra eum Tiglat Phalnasar regem Ass. qui & afflixit eum & nullo resistente vastavit.* Vide Lector num isthæc ex verbis Ebr. exsculpi possint, וַיָּבֹא עָלָיו תִּלְגַת פִּלְנְאֶסֶר מֶלֶךְ אַשּׁוּר וַיָּצַר לוֹ וְלֹא חֲזָקוֹ / Nota, eum dicere, וַיָּבֹא non וַיָּבֵא / Atque ita quoque legêre Græci, καὶ ἦλθε πρὸς αὐτὸν, Nota על pro אל passim occurrere, Ex. gr. Gen. 38. 12. Sed accedamus ad vers., 12, Eum sic traduxit Vulg. *Insuper & tempore angustiæ suæ auxit contemptum in Dominum, ipse per se Rex Achaz.* Quæ posteriora apud Lyram, Carthus. & alios ab hoc versu revulsa, sequenti adjecta sunt, *Ipse per se rex Achaz immolavit Dis Damasci.* Neque etiam in editione correcta Clementina aliter quam ὑποστιγμῇ & ab antecedentibus & sequentibus sejunguntur. Nos scimus illa *per se* de suo adjecisse Interpretem. Lxx. καὶ προσέθηκε τοῦ ἀποστῆναι ἀπὸ κυρίου. Luth. & Belgæ, *Insuper in afflictione sua augebat Achab prævaricationes suas contra DOMINVM.* Kimchi in commentariis ad Ps. 105. 7. recenset quinque הוא / quæ in malam partem sumantur. Inter ea vero nullum הוא illustrius eo est, circa quod jam versamur. Adscribam verba principis Grammaticorum אתה מוצא חמשה הוא לרעה וחמשה לטובה id est *tu invenies quinque* Hu *in malum, & quinque* Hu *in bonum.* V. in malum ista sunt,

1. הוא ILLE *est Esau pater Edomæorum*, Gen. 36. vers. ult.
2. הוא ILLE *Dathan & Abirom*, Num. 26. 9.
3. הוא ILLE *rex Achaz*, 2. Chron. 28. 22.
4. הוא ILLE *Assuerus*, Esth. 1.
5. הוא ILLE *(Nimrod) robustus fuit venatione*, Gen. 10. 5.

V. In bonum ista recenset,

1. הוא ILLE *Abraham*, Genes.
2. הוא ILLE *Moses & Aharon*, Exod. 6. 27.
3. הוא ILLE *Ezra qui ascendit ex Babel*, Ezr. 7. 6.
4. הוא ILLE *Hiskias obthuraverat, &c.* 2. Chr. 32. 30. His quatuor locis subjicit hæc verba, אמר ר׳ ברכיה והאלהים נמנה עם הצדקים id est *Dicit R. Berachja, Deus numeratur cum justis.* Hoc ergo ponit quintum הוא /
5. הוא ILLE DOMINUS *Deus noster* Psal. 105. 7.

CAP.

CAP. XXXVI. verſ. 8.

Reliquæ autem res Jehojakimi & abominationes ejus quas fecit, וְהַנִּמְצָא עָלָיו Ecce illa ſcripta ſunt in libro, &c.] Voces iſtas Ebraïcas Vulgatus reddit, *& quod inventum eſt in eo,* על pro ב enallage non inſolente. Lutheri & Belgica, *abominationes quas faciebat,* und die an ihm funden wurden/ Belgicè, **ende die aen hem ghevonden worden** /· quæ verba multi Interpretes accepêre hoc ſenſu, *& quæ inventa ſunt in corpore ejus.* Lyra, *ſtigmata & figuras quas fecerat in corpore ſuo in honorem idolorum.* Carthuſ. *ſtigmata vel inciſiones, quæ in corpore ejus exanimi repertæ ſunt, quas vivens corpori ſuo impreſſit, in honorem deorum ſuorum. Contra quod Levit.* 19, *Dominus juſſit*, ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, neque figuras aliquas & ſtigmata facietis vobis. Hæc ille. Eadem leges in notis Emmanuelis Sa. Scholiaſtes Belgicus, *Abominationes quæ in ipſius cadavere inventæ ſunt, fuerunt certa quædam ſtigmata corpori ejus impreſſa ſcripta,] ceu memorialia fœderis cum falſis DIs initi. Conſuetudo hæc fuit ſuperſtitioſorum idololatrarum, ſicuti etiamnum Magorum & exorciſtarum. Illi enim plerunque certa quadam nota à Diabolo notati ſunt. In eundem modum Judæos quoque notatos eſſe perhibent.* Quod de Judæis memorat miror unde hauſerit. Illi certi in carne ſua notam Judaïſmi habent, præſectum vid. præputium carnis. Sed eo non opinor Scholiaſten reſpicere. De magis & exorciſtis viderint alii. τοιαῦτ' οὐ Φρόντις Ἱπποκλείδῃ. Jehojakimum quod attinet, ipſe quoque R. Sal. illa verba הַנִּמְצָא עָלָיו explicat de כְּתוֹבֶת קַעֲקַע cujus mentio fit Levit. 19. 28. Jun. reddit, *inſcriptionem ſtigmatis.* Hac de re extat locus in Thalmud, *Maſſecheth Sanhedrin*, cap. 3. Miſna 6. הכותב כתובת קעקע כתב ולא קִעֲקַע / קִעֲקַע ולא כתב אינו חייב עד שיכתוב ויקעקע בְּדְיו ובכחול ובכל דבר שהוא רושם hoc eſt, *qui ſcribit ſcripturam ſtigmatis* (repete ex primo §, flagellandus eſt) *qui ſcribit & non incidit, qui incidit & non ſcribit, non eſt reus* [*flagellationis,*] *uſque dum ſcribat & ſtigma faciat vel atramento vel ſtibio, vel alia aliqua re, quæ tingat.* Scholiaſtes τὸ קעקע explicat *incidere carni figuras literarum, atque iſtas cæſuras implere atramento vel ſtibio.* Poſtea addit ex ſententia R. Simeonis ben Juda illud quoque

requiri, antequam in aliquem flagellis animadverti possit, ut incidat carni nomen aliquod idoli. Habes explicationem loci istius, qui in Levit. 19.28. Cæterum hic tales cæsuras denotari, ex textu non euiceris. Puto simplicius reddi, *& quod inventum est in eo*, & respici vel ad occulta ejus peccata quæ Deus tandem in apricum protulit, aut ad crimen rebellionis, de quo 2. Reg. 24.3. quod video placuisse Jun. & Piscatori, qui voces Ebræas sic reddidere, *& quod deprehensum fuit in eo.* Sa, *vel opera, quæ deprehensus est fecisse.* Vide & Genev. & Anglos.

LIBER II. EZRAE SIVE NEHEMIAS.

CAP. IX. vers. 7.

ET *eduxisti eum de igne Chaldæorum.*] Ita vulgatus hoc unico loco interpretatus istas voces Ebræas מֵאוּר כַּשְׂדִּים / quæ alibi reddidit, *ex Vr Chaldæorum.* Ex. gr. Gen. 11.31. Lxx. ἐν χώρᾳ τῶν χαλδαίων id est in regione Chaldæorum. Sed *Vr* nomen urbis est, quam Οὐρην & Οὐρίαν vocant. Meminit Eupolemus. Eusebius lib. 9. Præpar. Euang. notat etiam *Camarinam* dici, forte à *chamarim*, id est sacerdotibus, qui hic loci fixas sedes habuerint. Vox Ebræa אור etiam *ignem* significat, atque hinc est πῦρ & Belg. *vuyr*, & Latinum *uro*. Quæ tamen alii ab Ebræo בער deflectunt. Literæ B. P & V. ejusdem organi cum sint, de facili inter se commutantur. Hanc sententiam firmat priscum *buro*, unde *bustum*, *amburo comburo*, quamvis & de his alii aliter statuant. Vide Becmanni orig. lin-

Vide Full. p. 231 lib. 1.

linguæ Lat. & Martinii Lexicon Etym. in *Bustum*. Sed redeamus ad אור /existimarunt nonnulli, in hac urbe conservatum fuisse sacrum illum ignem, quem Chaldæos coluisse asserunt, atque inde dictam fuisse VR, quomodo Heliopolis dicta, à cultu solis. Certe Persas coluisse ignem instar numinis Procopius in Persicis author est. Extat quoque insignis hac de re locus apud Strabonem lib. 15. ubi Magi, queis perennis istius ignis cura mandata erat, πύρεθοι, **sempiterni* autem Magorum *foculi*, πυραθεῖα vocantur. ἔστι δὲ καὶ πυραθεῖα, inquit, σηκοί τινες *Ita vocat Ammianus in Juliano
ἀξιόλογοι ἐν δὲ τούτοις μέσοις βωμὸς ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς, καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ Μάγοι. Hæc verò apud Suidam & alios πυρεῖα vocantur. Verba Suidæ, ὁ δὲ Ἡράκλειος τὰς τε πόλεις καθῄρει. καὶ τὰ πυρεῖα διέστρεφε τῶν περσῶν id est *Heraclius autem urbes subvertit, & pyrèa Persarum evertit.* Hæc sacra Persas à Chaldæis accepisse conjectat Agathias historiarum lib. 2. & multi eruditi asserunt. Cui sententiæ ut non refragor, ita & suffragari illis non possum, qui nec scripturæ nec cordati alicujus authoris testimonio nixi, Abrahamum, quod ignem adorare detrectaret, jubente Nimrodo, in ignem fuisse conjectum: at, Deo curam sui cultoris gerente, illæsum exivisse, prodiderunt. Huic narrationi, cujus nec Moses, nec prophetæ nec Philo nec Josephus, nec Apostolus Ebr. 11. nec Stephanus Actor. 7. meminere, quam ipse quoque Hieronymus alibi sugillat, ex quorundam Ebræorum lacunis primitus haustam, plerique interpretes Pontificii ex hoc loco fidem conciliarunt.

IOB.

ATque ita tandem libros Historicos prætervecti, ad difficillimorum librorum littora delati sumus. Plenioribus velis laxatisque scriptionis rudentibus hactenus navigavimus. Nunc contrahenda sunt vela. Certe si eodem modo progrederemur & ruspando ventilaremus, quicquid in his libris male conversum ineptiendi materiam scriptoribus præbuit, non libellum sed tomos aliquot daremus. Singuli qui jam secedunt libri, Job, Psal-

Pſalmi, Proverbia, Jeſaias, Jeremias, Jezechiel, & δωδεκαπρόφητος ſpiſſi voluminis argumentum poſſint ſuppeditare. Itaque brevitatis rationem habituri, tantum inſigniora quædam loca delibabimus. Si placebit hæc mea opella ſtudioſæ juventuti (illi enim non viris literatis graficamur hanc operam) & vita ſuppetet, de ſpicilegio cogitabimus. Sin minus, jam opinor, ſat olei & operæ & chartæ perditum eſt. Ut ergo ipſum Jobum aggrediamur, vel ſolius Gregorii, licet Pontificis, quæ in hunc librum exaravit, Moralia doceant, quantum detrimenti ſcripturarum Interpreti afferat minus accurata verſio & originariæ linguæ ignorantia. Sed & ipſum modum commentandi quod attinet, punctum meum ferat Pontificius ille Theologus cujus ſententiam perſtringit * Ribera. Ea autem hæc erat, *quæ B. Pater Gregorius in librum Job ſcripſit, ea in quemvis alium ex ſacris libris ſcribi potuiſſe. Quod fortaſſe & alii ſentiunt*, inquit Ribera, *tametſi minus audaces ſint ad dicendum. Indigna profecto Theologo vox*, pergit Ribera, *& ingrati animi index, qui non ſolum de opere detrahat clariſſimo & utiliſſimo, & quo nunquam nullum melius in libris patrum habuit Eccleſia; ſed etiam de omnium ſanctorum laboribus qui cum magno fructu in hoc ſcriptionis genere deſudarunt.* Mihi nec voluntas nec facultas eſt, maximi viri laboribus vel tantillum detrahere, manebit illis per me ſuum æſtimium. Hoc tantum in me recipio, me pauculorum exemplorum inductione oſtenſurum, quam procul à mente ſanctiſſimi ſcriptoris paſſim exorbitaverit, dum exorbitantis Interpretis legit veſtigia.

* Præfat. in Jonam pag. mihi 260. col. 1.

CAP. I.

Verſ. 1. Job, &c.] Dionyſius Carthuſ. allegoricæ libri hujus interpretationi, qua pleraque de Chriſto interpretatur, hoc fundamentum ſubſternit, Jobum verbis, tribulationibus, virtutibus, perſona & nominis interpretatione Chriſtum præfiguraſſe. Job quippe interpretatur *dolens*, Hus, *ſapientia*. At neutrum verum eſſe (modo voces iſtæ Ebraïcæ originis ſint) etiam tirones noverint. Melius in ſeq. conjectavit, Hus etiam *conſiliatorem* ſignificare. עוץ enim Ebræis eſt conſulere.

CAP. II. verf. 9.

Benedic Deo & morere] Belg. **Ja zegent Godt ende sterft /** Hæc verba vulgo ſic accipiuntur, quaſi maritum ad blaſphemiam & deſperationem provocaret. Vnde multis eam convitiis in commentariis & concionibus paſſim perſtringi videas. Et certe negari non poteſt, *τὸ benedicere* alibi pro *maledicere καθ' εὐφημισμὸν* poſitum eſſe, ex gr. 2. Reg. 21. & ſupra 1. 11. & hoc ipſo cap. verſ. 5. Dominus Junius receſſit quidem à vulgata interpretatione, dum vertit, *benedicendo Deo & moriendo*, nihilo tamen minus impium & blaſpemum ſarcaſmum huic fœminæ tribuit. Ego, ut quod res eſt dicam, de iſtius interpretationis veritate ſemper dubitavi, ac proinde animus mihi ſæpe fuit miniſterii candidatos monere, ut ad ſacras conciones admiſſi hæc verba expenderent diligentius, ac interim in matronam iſtam deſtomacharentur parcius. Et certe ſi ab iſta mente, quæ ipſi vulgo tribuitur, alienam fuiſſe probari poſſit, ſatis diu immerenter traducta eſt. Si ejus verbis ſine ulla violentia melior quædam mens induci, aut ſaltem prægnans ratio dubitandi afferri poteſt, regula caritatis meliorem nos ſententiam jubet eligere. Scio quam periculoſæ opus plenum aleæ ſit, receptas ejuſmodi ſententias convellere, ideo malo magni *Bezæ*, quam meis verbis locum hunc benignius interpretari. *Mihi profecto*, inquit, *ne veriſimile quidem ullo modo videtur, hanc in tam pia domo matrem-familias, huc potuiſſe impelli, ut tam impudente ſermone apud maritum uteretur, quum ipſi quoque ſceleratiſſimi, ſi quid tale meditate faciant, aliquam ſaltem utilitatis inde ad ipſos redituræ ſpeciem ipſi ſibi vel aliis proponant.* Et paulo poſt. *Quid ergo? ad me quidem quod attinet, ſalvo aliorum judicio, auſim affirmare hanc mulierem eandem prorſus cauſam egiſſe, atque poſtea Jobi amicos, & quidem non alia voluntate aut aliis rationibus impulſam: nempe non quod Jobi cruciatus augere ſtudeat, ſed quod ipſa ſeſe fallens ſibi perſuaſiſſet, hac una, quam ſuadebat ratione, poſſe Jobi ſaluti caveri, de cujus vita deſperabat. Supereſt ergo, ut quid marito ſuaſerit, quis fuerit ejus animus, quid item Satanas per illam ſit molitus, videamus. Vxor Jobi marito in priore tentatione aſſenſa, vel nihil auſa obloqui, mox illum cernens tam horrenda plaga percuſſum,*

& rectè quidem statuens ista non nisi Deo, & quidem velut extra ordinem sic statuente accidisse: sed perperam judicans Deum nunquam hæc fuisse decreturum nisi Jobo summè infensum: denique illum jam morti proximum esse arbitrata: primum mirata est illum interea tacitum sedere, nec magis in tanta calamitate, animo commotum, quàm antea fuisset. Deinde non aliunde istud tam firmum silentium accidere posse cogitavit quàm ex conscientiæ stupore: marito videlicet adhuc suæ integritatis opinione fascinato, ideoque ne tum quidem iram Dei adversus ipsius peccata animadvertente. Hinc factum ut illud consilium caperet quod reis convictis & pœnas mox luituris dari merito consuevit, nempe ut ante actæ vitæ ingenua, prout res ipsa postulabat, apud Deum detestatione (hoc enim est Deo benedicere, id est Deo gloriam, agnito peccato tribuere, ut Jos. 7. 19.) iram ejus deprecatus, sese ad mortem subeundam compararet. Error igitur omnis, in eo fuit quòd hujus vitæ miserias, præsertim tam atroces & insuetas, non aliunde quàm à Deo irato proficisci credidit: quod tamen falsissimum esse testatur perpetua Ecclesiæ in hoc mundo conditio, & ostendunt quoque prophanæ historiæ, in quibus nullos plerunque videmus calamitosiores fuisse, quàm qui virtuti præ cæteris studuerunt, qua de re plura in quartum caput dicemus. Nihil autem in Jobum dici indigniùs potuit, nec quo justiùs exacerbaretur, ut quem neque amissio tot bonorum, neque tam miserabilis orbitas, neque tam sævi cruciatus corporis concutere potuerant, hæc injuria penè ad desperationem adegerit, & Satanæ Jobum prostratum tradiderit in manus. Etsi enim Jobo nunquam venit in mentem ut sua integritate niteretur, aut alibi quàm in unius venturi redemptoris misericordia spem salutis suæ reponeret, ut loquitur infrà 19. 25. atque adeò licet in tam multiplicibus acceptis vulneribus, hæc præ cæteris cogitatio jam tum illum graviter excruciare cæperat, quinam Deus tam duriter cum ipso præ cæteris mortalibus ageret: ut ex ipsius verbis apparuit sup. 1. 21. & ex proximo versu liquebit, sic illum in his omnibus calamitatibus erigebat integræ conscientiæ testimonium, ut contrariis omnibus cogitationibus renuntians, æquanimitate penè incredibili acquiesceret in Dei Opt. Max. voluntate. Nec aliud ei perfugium sane supererat, de quo propterea ipsi eripiendo unicè laborat Satan, totus in eo ut terroribus conscientiæ, quibus nihil est terribilius, cum amissione bonorum & cruciatibus corporis conjunctis, & illius quæ sola illum sustentabat æquanimitatis loco substitutis, victoriam obtineret. In summa igitur uxor Jobi, miserè seipsam fallens, & imprudenter Satanæ

tanæ strenuè subserviens, hoc dictum paucis voluit. Adhuc perstas in integritate tua? *id est, marite sic mutus jacens & tuæ integritatis opinione fretus, ne nunc quidem Deum tibi summè infensum animadvertis?* Benedic Deo, *id est potius quandiu tibi pauculum adhuc vitæ superest, tribue gloriam Deo ut justo judici, & peccatorum tuorum multitudinem ex magnitudine earum calamitatum quibus te impetit, æstimatam professus, te ipsum ad mortem sancti obeundam comparato.*

Vers. 10. Dixit autem ipse ad eam, Sicut loquitur una stultarum, loqueris. Scilicet bonum à Deo exceperimus, & malum non excipiemus? In hoc toto non peccavit Jobus labiis suis. *Cæterum constat hoc responsum partim increpatione, partim repulsa. Ad increpationem quod attinet, nec eorum sententiam sequor, qui accentu interrogante illam emolliunt, ac si diceret Jobus, tene crediderim stultarum mulierum more loqui? nec eos probo qui stultam pro insana & impia interpretantur, quod fateor interdum Hebræa voce Nabal intelligi, & sanè huic mulieri optimè conveniret, si tam præsertim impudenter maritum ad Deum ipsum execrandum esset hortata, quam expositionem antea refutavi. Stultam igitur opponit sapienti & circumspectæ. Nec enim quod suadebat uxor, per se & simpliciter malum erat, quum ècontrario nihil sit reis convictis illa commonefactione magis necessarium: sed in ejus consilii applicatione gravissimè peccarat adversus maritum, minimè omnium talem, qualem illum esse falsò ex tot calamitatum magnitudine colligebat.* Hactenus Dn. Beza.

CAP. VI. vers. 16.

Qui timent pruinam, irruet super eos nix] Ita Vulg. & qui imitatus est, Lutherus, & ex eo Belgica. Abiit hic versus in proverbialem sententiam, qua docetur, *eos qui amico subvenire* [aut aliud quodlibet bonum opus] *omittunt, timore damni minoris quod exprimitur per pruinam, majus incommodum passuros, quod per nivem denotatur,* Hæc Carthus. At Ebræa hunc sensum neutiquam admittunt: הַקֹּודְרִים מִנִּי קָרַח עָלֵימוֹ יִתְעַלֶּם שָׁלֶג nec קדר *metuere* nec קֶרַח pruinam significat. Voces Ebræas Pagninus sic convertit, Qui [torrentes] *denigrantur propter glaciem, in iis occultatur nix.* Arias, *Nigrescentes præ gelu, super iis occultabitur nix.* Versus & hic & sequentes pendent à superiori. Ecce enim

enim amicorum suorum perfidiam exagitaturus, utitur similitudine sumpta à torrentibus, qui cum hyeme exundent, ubi nulla aquæ penuria est, videnturque æstate etiam perennaturi, tunc cum maximus eorum usus est, derepente tamen exarescunt & spes viatorum eludunt. Vide Junium, Pisc. Angl. Genev. Hisp. Tigur. Ital Benedictum, &c. Loco aliàs facillimo tenebras offuderunt nonnulli, quod pleraque quæ de torrentibus dicuntur, eaque minus benè intellecta hominibus tribuerunt.

CAP. VII. vers. 3.

Militia est vita homis super terram] Ita Vulg. Belgæ, Luth. *annon oportet hominem semper in prælio esse in terra?* Lxx. πότερον οὐχὶ πειρατήριόν ἐστιν ὁ βίος ἀνθρώπου ἐπὶ τῆς γῆς; verba in Latina Versione. sic legebantur, *nunquid * non tentatio est vita humana super terram?* Vide Gregor. August. de Civit. Dei. 19. & 8. 29. Hic multa egregia de tentationibus & insultibus, quibus homo obnoxius vivit, convectarunt interpretes. Quod ad Lxx. attinet, observa tiro, eos sensu à Vulgato discrepare, *Tentatio enim est pugna contra hostes & spiritus malignos: militia verò exercitium contra adversarios appellatur*, inquit Greg. Textus originarius ista habet הֲלֹא צָבָא לֶאֱנשׁ עֲלֵי־אָרֶץ / quæ simplicius vertuntur à Pagn. Merc. Anglis, Cypriano de Valera, *annon præfinitum tempus est homini in terra?* præfinitum tempus scilicet vitæ suæ, quæ & hic & alibi egregiè comparatur militiæ. Deod. & Genev. utramque versionem conjunxerunt, ut צָבָא per metonymiam hic significet *tempus præfinitum militiæ*. Hæc itaque versio alteram includit & aliam insuper doctrinam pio lectori repræsentat. Quam prolixe tractat Job cap. 14. צָבָא significat exercitum, militiam & præfinitum seu determinatum tempus militiæ, tam sacræ, quam profanæ. Namque & sacrum Levitarum ministerium propter excubias, labores varios, & ordines quasi militares, *militia* vocatur. Egregius locus est. Num. 4. 3. & 24. *A nato 30. annos & deinceps usque ad natum 50. annos recenseto illos: omnem aptum* לִצְבֹא צָבָא *ad militandum militiam*, quæ aliis verbis immediate sequentibus explicantur, לַעֲבוֹד עֲבוֹדָה *ad colendum cultum in tentorio conventus*. Vbi etiam terminos habes,

* vox Græca magis significat, locum, officinam vel palæstram tentationis. Ambr reddit, *tentamentum*.

habes, quos ultra citraque sacra ministeria non obibant. Nam quod cap. 8.24. terminus à quo in 25. anno figitur, sic conciliant Interpretes, ut quinquennium illud tyrocinio deponendo destinatum fuisse velint. Quod vero ad locum 1. Chron. 23.23. & 26. attinet, adi ad notas Junii. De termino ad quem, vide Num. VIII. 25.26. cum itaque utraque illa militia tempus determinatum & præfinitum habuerit, certe non insolente metonymia præfinitum tempus denotat. Atque hanc ei notionem tribuunt interpretes Job. 14.10. Jesa. 40.2. & alibi. Genevensium versio ita habet, *n'y a-il pas comme un train de guerre ordonnè aux mortels sur la terre?* Rev. & clarissimus *Deodatus* in Gallica versione, cujus specimen superiori anno Geneva ad me transmisit, *l'homme n'a-il pas un termé de guerre sur la terre?* Idem in versione Ital. *Non ha l huomo un termine della sua militia in su la terra?* id est *annon habet homo terminum suæ militiæ in terra?* Hunc sensum firmat sequens hemistichium, *& sicut dies mercenarii dies ejus?* Dies mercenarii Scriptura pro præfinitis iisque paucis usurpare amat, vide Jesai. 16.14. aliis 23. Item 21. 16. Sic ergo putarim, salvo doctiorum judicio, locum istum Belgicè reddendum, **En heeft de mensche niet een bestemde tijdt sijnes strijdts op aerden?**

Vide Jun. Drus. ad loca diff. Mosis pag. 351.

CAP. XI. vers. 19.

Et multi precabuntur faciem tuam.] id est supplices fient. Ebr. יְחַלּוּ פָנֶיךָ / Gen. *& plusieurs te feront la court.* Luth. **und viel wurden fur dir flehen** id est multi tibi blandirentur. Indocti librarii unius literæ additione ex **flehen** / fecerunt **fliehen** / Atque hanc ipsam corruptam lectionem inter alias editiones exhibet & Witebergensis in octavo, anni 1615. At Herbornensis anni 1612. legit, **flehen.** Noster Interpres phrasin Ebr. alibi benè expressit, Ex gr. Ps. 119. 58. **Ick smeke voor uwen anghesichte.** At hoc loco librariorum sphalma dum non advertit, in fœdum errorem delatus est, **ende vele sullen voor u vlieden.** id est *& multi coram te fugient.* Belgico Interpreti nihil detraho. Imo profiteor, plurimum ei debere Belgicas Ecclesias. Rem magnam præstitisse isto sæculo, ista tempestate, cum sub cruce gemerent Ecclesiæ. Demiror sanctissimi viri humili-

militatem qui laudem ullam ex hoc labore adeo non quæsivit, ut ne nunc quidem ejus nomen sciamus. Hoc tantum volo ostendere, quam periculosæ plenum opus aleæ sit, versionem ex versione adornare, fontibus ad singulos versus imo & voces non consultis. Similem errorem videbis ad Jesai. cap. XI. 12. Habes & affine CAP. XII. 23. hujus libri *Multiplicat gentes &* יְאַבְּדֵם *perdit eas.* Luth. *multiplicat gentes,* und brengtse wider umb / id est *& perdit eas rursus,* Belgicus Interpres voces istas wider umb in unam conflavit, **en brenghtse wederom /** id est *reducit eas.* Quem tamen errorem in codicibus, qui à Liesvelt & Biestkens nomen habent, correctum videbis.

CAP. XIII. vers. 14.

Et animam meam porto in manibus meis. [Hanc phrasin non intellexit Gregorius, cujus hæc verba sunt *Animam in manibus portare, est intentionem cordis in operatione ostendere* Et paulo post *Qui igitur intentionem suam per opera insinuat, animam suam in manibus portat.* Ponere animam in manibus suis, idem est, quod præsentissimum periculum adire, præsentissimo se exponere periculo. Confer * Psalm. 119. 109. Judicum 12. 3. 1. Sam. 19. 5. & 1. Sam. 28. 21. Atque hoc Carthus. non ignoravit.

* Illic plura vide.

Vers. 15. egregie convertit vulgatus, *Etiamsi occiderit me in ipso sperabo.* Verba constantissimæ & immotæ fidei. Eo magis miror B. Lutherum hic exorbitasse. Sic enim ille, & ex eo Belgicus, *Ecce occidet me, & non possum expectare.* q. d. Video decretum esse Deo, me interficere, atque adeo ipse me gravissimis cruciatibus excarnificat, ut non possim expectare mortem. Velim jam jam perire. Stat sententia, ante capere mortem Verba extremæ inpatientiæ. Diversitatis hujus causa in vocula לֹא latet. Scribitur לֹא *non,* legitur לוֹ / *ei.* Lectionem omnes Ebræi sequuntur, & ex nostris Genev. Pisc. Hisp. Deod. Angli. Si (vel etsi) occideret me, [tamen] לוֹ אֲיַחֵל *in eum sperarem.* Scripturam (לֹא non) cum Luthero elegerunt quidem Junius & Threm. sed sensu longe alio. Hi enim verba posteriora pronuntiatione juvant, seu quod idem est, subaudiunt ה interrogativum, *Etiam si occideret me, annon sperarem in eum?*

eum? Sensu inquam Lutheri versioni plane adversante, at cum superiorum, qui לו legunt, sententia suaviter conspirante.

CAP. XIV. vers. 5.

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es?] Ita Vulg. Quæ in hunc modum inpretantur, *Quis potest hominem ex immundo semine conceptum à peccatis purgare, virtutibus decorare? Nonne tu qui tuper essentiam mundus & sanctus es?* Qui solus es, id est *solus omniformiter ac quomodolibet perfectum esse habes, in quo nihil est de non esse, nihil de imperfecto esse, sed tu es ipsum supersimplicißimum esse, plenum, perfectum, immensum esse, &c.* Hæc Carthus. qui multa insuper addit de essentia Dei, citat locum Exod. 3. *Ego sum. Qui est misit me ad vos*, adducitque illud Augusт. majus miraculum esse justificationem impii, quam, creatio mundi. Hic enim nihil resistens erat. Illic resistebat mala voluntas, &c, Dicam paucis. Omnia benè. Sed nihil omnium istorum hic benè. Hæc enim sunt Ebræa, מִי יִתֵּן טָהוֹר מִטָּמֵא לֹא אֶחָד / Ad verbum, *quis dabit mundum de immundo? Non unus* Video quid dici possit pro vulgato. Sed esto, legantur ultima verba interrogative, *annon unus?* Non video tamen illa, *facere potest*, non video vocem *solus*, non video verbum ES. Sensus clarus est, ut non egeat anxie interpretionis face. Græci LXX. τίς γὰρ καθαρὸς ἔσται ἀπὸ ῥύπου, ἀλλ᾽ οὐδείς, ἐὰν καὶ μία ἡμέρα ὁ βίος αὐτοῦ ἐπὶ τῆς γῆς. *Quis enim purus erit è sordibus? Sed nullus, ne quidem, si unius tantum diei vita ejus esset in terra.* In hunc modum solent hoc testimonium citare non solum Græci Patres, sed ex & Latinis illi, qui Latinam ex Græco traductam secuti sunt. Ex. gr. Ambros. lib. 1. de Interpell. Augusт. de Civ. Dei 20. 26. Sed Augusт. aliquantulum discrepat, sic enim citat, *nemo mundus à sorde, nec infans cujus est vita unius diei super terram.* Adquem locum vide Lud. Vivem, licet aliud agentem. Bellarm. de amiss. gratiæ lib. 4. cap. 4. in ipso limine ex hac translatione locum istum producit, additque sensum illum non difficulter in textu Ebr. inveniri posse, si vid. tres priores voces sequentis versus אם חרוצים ימיו his assuantur. Sed fiat, quod tamen nec codices Ebræi, nec Chald. nec ipsa vulgata editio admittunt;

expo-

exponantur illa verba, *etiam ſi pauci dies*] *ejus* : hinc tamen nec *infantem*, nec *unum* illum *diem* exſculpſeris. Fateor tamen theſin illam. cui probandæ hoc teſtimonium citat Bellarm. in verbo Dei ſatis eſſe fundatam.

Verſ. 14. Quis mihi tribuat ut in inferno protegas me, &c.] Carthuſ. artic. 34. notat, hæc verba cum ſequentibus legi in officio mortuorum tanquam dicta in perſonæ animæ in purgatorio conſtitutæ. Movet autem multas difficultates. Varias affert reſponſiones. Tu diſce tiro, & hic & quamplurimis inſuper locis ubi in Latino eſt *infernus*, in Belg. **Helle**/ in Ebræo eſſe שְׁאוֹל quæ vox etiam ſepulcrum ſignificat. Quod interpretamentum ſi hic & alibi cum Joh. Benedicto, Pagnino, Aria Mont. (ut noſtros omittam) ſubſtituas, omnes iſtos motus cum pulveris exigui jactu compreſſos videbis. Diximus de hac voce prolixius ad Geneſ. 37. Huic interpretamento, tanquam primario fundamento, ſuperſtructus eſt Limbus patrum.

CAP. XIX. verſ. 24.

Delaſſavit multos interpretes vox *celte*, quam librarii in quibuſdam editionibus in *certe* commutaverant. Sed Romani correctiores reſtituerunt vocem *celte*. De hac voce prolixe ſe in notationibus ſuis diſſeruiſſe ait Lucas Brugenſis. Mihi illas, licet diligenter quæſitas, reperire necdum contigit. Joh. Benedictus exiſtimavit eſſe interpretamentum vocis לָעַד quæ in Ebræo. Namque in margine exhibet ejus loco hæc verba, *ut ſint in perpetuum*. Et certe hoc ipſum ſignificat vox Ebræa. Nam quod Lxx. eam reddidere, *εἰς μαρτύριον*, manifeſtè legerunt לְעֵד / cæterum Vulgatus per iſta verba, *vel celte ſculpantur* expreſſit Græcum ἐγγλυφῆναι. Celtis enim eſt γλύφιον, celum. Vide Hieronymi Epiſt. ad Pammach. de erroribus Joh. Jeroſolymitani. & Caſaub. ad Athen. pag. 556.

Verſ. 15. *Scio quod redemptor meus vivit, & in noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum. Et rurſus circumdabor pelle mea & in carne videbo* DEUM. *Quem viſurus ſum ego ipſe & oculi mei conſpecturi ſunt & non alius.*] Ita Vulg. Agnoſco hic liquidum argumentum pro reſurrectione carnis, & quidem *hujus carnis*, uti priſci loquebantur. Quid enim clarius dici poſſet, *in carne mea videbo* DEUM.

Quem

Quem videbo ego ipse & oculi mei & non alius. Sed quæres, cur omittam ista priora, *in noviſsimo die de terra reſurrecturus ſum, & circumdabor pelle mea*? Reſpondeo, nihil tale Ebræis vocibus poſſe exſculpi, ac proinde hunc locum vulgo pro concionibus & in diſputationib. non ea curâ, qua in hac linguarum luce par erat, allegari. Verum quidem eſt, nos in noviſſimo die de terra reſurrecturos, verum eſt nos pellibus noſtris rurſus circumdatum iri, at Jobum iſtis verbis hæc dicere, id verò ajo non eſſe verum. Videamus Ebræa, וַאֲנִי יָדַעְתִּי גֹּאֲלִי חָי וְאַחֲרוֹן עַל עָפָר יָקוּם׃ וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זֹאת quæ *αὐτολεξεὶ* ita ſonant, *Et ego novi redemptorem meum vivum, & postremus ſuper pulverem ſtabit. Et poſt cutem meam contriverunt* vel, perforarunt) *hanc.* Tria hic membra ſunt quæ ordine examinabimus. In primo nulla difficultas. Per redemptorem vulgo intelligunt Jeſum Chriſtum Salvatorem. Quam interpretationem ut non ſolicito ita nolim ſubſcribere Roderi iræ, qui hic plenis maledicentiæ velis in Dominum Piſcatorem, tanquam ſi capital aliquod deſignaſſet, invehitur. Primum enim quod in Piſcatore hoc loco reprehendit, illud eſt, quod in Scholiis vocem *Erloſer* referat non diſtincte ad Chriſtum, ſed ad Deum ſimpliciter. At Piſcator objiciit hæc loca, Jeſa. 41. 14. & 43. 14. & Pſal. 78. 34. Jeſa. 44. 6. & 47. 4. & 48. 17. ubi Deo abſolute, & Jeſai. 49. 7. ubi Patri tribuitur. Habet vero Piſc. à ſuis partibus, Mercerum, Junium, in notis ad hunc locum, *Is eſt Deus*, inquit *Pater in Filio per Sp. Sanctum.* Licet poſtea dubitet, annon potius ad Chriſtum vox Redemptoris referenda ſit.

II. Membrum quod attinet, illud prout vulgo citatur, extra omnem controverſiæ aleam poſitum eſſet, ſi ita ſcripſiſſet Iob, וּבְיוֹם אַחֲרוֹן מֵעָפָר אָקוּם / Hoc vidit Lutherus. Ideo ſic convertit Ebræa, *& olim ex terra reſuſcitabit me*, quaſi eſſet, וְאַחַר מֵעָפָר יְקִימֵנִי / Dices, יָקוּם tranſitivè uſurpatum eſſe pro יָקִים / ut Amos 7. 2. מִי יָקוּם יַעֲקֹב Lxx. *τίς ἀναστήσει τὸν Ἰακώβ*. Luth. *quis eriget Jacobum*? Reſp. peti principium. Namque ad vocem יעקוב tam ſubaudiri poteſt articulus ל / vel præpoſitio ב / quam אֶת / *Quis ſtaret Jacobo*, vel, *in Jacob*, id eſt reſtaret, ſupereſſet. Addo exemplum eſſe diſſimile. Vt ut enim illic loci eſſet tranſitivum, non tamen, ut illic poſt ſe habet vocem יעקוב / ita hic quoque poſt ſe pronomen vel affi-

xum, vel ſeparatum אוֹתִי habet, Eroſtratus, qui ob hujus quoque loci verſionem Paginno ferulam intentabat, deſtomachatur in illum quod literam vau in Iod non commutaverit, יָקִים *ſurgere faciet*, ſubaudi *omnes*. Si libuit Eroſtrato textum Ebræum ad Vulgatam verſionem ubique conformare, cur non potius juſſit eum ſupplere vocem גופי id eſt *corpus meum*? Sed reſpondet * Arias, nec libuiſſe nec licuiſſe Pagnino lectionem Ebraicam mutare. Quod autem in ſequentibus conatur Arias Pagninum cum vulgario conciliare, fruſtra eſt. Ait Pagninum ſic vertiſſe *& noviſſimo ſuper terram ſtaturum.* Quid vero ſtaturum eſſet, continuo expoſuiſſe, * *hanc pellem meam poſtquam contriverint. Quod ſi loco* pellis *Latine vertiſſet* corium, *nulla in Grammatica difficultas eſſet.* Hæc Arias, joco an ſerio, equidem valde ambigo. Aut enim exiſtimat hanc fuiſſe mentem Pagnini, aut ſuam depromit. Si prius, cur Pagninus non ſcripſit *potius ſtaturam?* Nam & tunc nulla fuiſſet in Gramm. difficultas. Cur ponit colon poſt vocem *ſtaturum?* Cur ergo non potius ſic reddidit, *& noviſſimo ſuper pulverem ſtaturam, etiam poſtquam contriverint* eam vermes, *pellem hanc meam.* Si poſterius hoc eſt, ſi ſuam ipſius ſententiam promit, cur ergo ipſe ad hunc modum verſionem Pagnini non demutavit? Cur reliquit vocem *ſtaturum?* & poſt eam colon? Quid ergo? τὸ יָקִים cum intranſitivum ſit & tertiæ perſonæ, & finiat periodum, non poteſt aliò quam ad redemptorem referri. Ita Chald. Ita Joh. Bened. *ſuper pulverem ſurget.* Tigurini fatentur in margine, in Ebræo eſſe, *ſuper pulvere ſtabit*, tamen in textu liberius ſunt interpretati, *noviſſimo* [*tempore*] *adhibebit vim ſuam pulveri.* Nimis coactè. Jun. *& poſteriorum ſuper pulverem reſurrecturum*, quod etſi primo ſic interpretatus ſit, ut per *poſteriorem* intelligatur homo redivivus die reſurrectionis in adventu Chriſti, tamen in poſterioribus editionibus aliam expoſitionem addidit, qua totum verſum de Chriſto explicat. Vide notas. Angli *& quod noviſſimo* [*die*] *in terra ſtabit.* Mercerus, *Noſtri fere omnes tam veteres quam recentiores hunc verſum cum duobus ſequentibus ad reſurrectionem referunt, quam hoc loco Job aſtruat, & per Redemptorem Chriſtum intelligunt, & quod dicit* על עפר יקום ſuper pulverem ſtabit, *de Chriſto juxta humanitatem in terra poſt omnes homines conſumptos & poſtea ſuſcitatos, ac voce archangeli congregatos ad judi-*

cium

* in Prolegom. ad 2. Edit. Bibl. interlinearium.

* LXX. ἐπὶ γῆς ἀναστήσεται τὸ δέρμά μου, τὸ ἀναντλοῦν ταῦτα.

cium comparituro accipiunt. Sed *ego cum Ebræis locum hunc aliter accipio.* Loquitur non de hoc versu tantum, sed & de duobus sequentibus. In quo ei non possum astipulari. Ipse ergo hoc hemistichium sic explicat, *Quicquid vos mihi objiciatis, ego redemptorem meum immortalem esse novi & æternum perstaturum.* Genevenses in toto hoc contextu non videntur abhorruisse à sententia Merceri, *& qu'il demeurera le dernier sur la terre,* & quod postremus mansurus sit super terra, Scholion, *scio illum esse æternum, immutabilem ac proinde omnia æterna sua providentia gubernare; scio ab ipso procedere ipsas illas afflictiones, quas perpetior.* Huic vero subjungunt aliud tanquam secundarium, quo tamen non de Jobo ut in nostrâ, sed ipso Christo locus explicatur, *aut scio quod postremus staturus sit erectus super pulvere* (ou qu'il sera debout le dernier sur la poussiere) *juxta interpretationem eorum qui hunc locum exponunt de resurrectione, cum referendo ad Dominum nostrum Jesum Christum qui in fine mundi gloriose apparebit, quando corpora defunctorum in pulverem jam pridem resoluta ejus potentiâ resuscitabuntur, & vivorum subito mutabuntur.* Deodatus, *e che all' ultimo si leverà sopra la polvere* id est & quod in extremo se elevabit supra pulverem. Scholion, *quod conscendet tribunal, ceu judex hominum resolutorum in pulverem & ejus jam potentiâ resuscitatorum.* Omnes has interpretationes simplicitate sua antecellere mihi videtur versio Piscatoris, *& quod posterior super pulverem stabit.* id est quod in conflictu cum hostibus meis, à quibus me redempturus est, victoriam reportabit. Metaphora à luctatoribus vel athletis victoribus desumpta. Vides Interpretes, quos adduxi, dissentire in eo, utrum hic ad resurrectionem omnino respiciat Job. In eo vero conspirare, (si primam Junii glossam excipias) hoc hemistichium non ad Jobum, sed ad redemptorem pertinere.

Membrum 3. וְאַחַר עוֹרִי נִקְּפוּ זאת Cum עוֹר sit generis Masculini, quomodo construi potest cum fœminino זאת / Rursus, cum illud זאת hic sit admodum emphaticum, quomodo excusabitur vulgatus Interpres, quod illud omiserit? cum נקפו denique sit verbum 3. personæ, pluralis numeri, conjugationis *Phiel*, quomodo reddi potest *circumdabor?* An נָקַף *circumdandi* notionem habet? Sed audio, thema esse יָקַף unde in Hifyl, הִקִּיף *circumdedit.* Hinc esse *Nifal* נִקַּף circumdari,

ri, esse ellipsin vocis עַצְמַי *ossa mea*, aut *membra mea*. Fateor libens, hanc interpretationem magis tolerabilem esse quam illa Tigurinorum, *Postquam vero circumdederint hoc pelle mea. Circumdederint*, Pater, filius & Spiritus S. *hoc* δεικτικῶς, quod ob deformitatem summam non licet corpus appellare. Sed hoc nihil aliud est, quam textum obtorto collo ad præconceptam opinionem defendendam torquere. Non decet nos textum trahere, quo nos volumus, sed potius sequi quo ille trahit. יקף in *Nifal* nuspiam occurrit. si alibi occurrerit, potius *circumdari*, quam *circumdare* significaret. Manet præter alia incommoda discrepantia generis inter nomen & pronomen. τὸ נִקֵּף contrà in Phiel usitatum est, valetque excidere, concidere, decidere, decutere, confodere, perforare. Notum est, ut literæ homogeneæ, cognatæ imo sæpe ejusdem significationis vocabula constituant. Sic נשב & נשף flandi notionem communem habent. Nunc adducam varias Interpretationes, quæ licet in omnibus non consentiant, in hoc tamen conspirant, τὸ נקפו esse præteritum *Phiel*, esse locutionem impersonalem, in genere subintelligi, *confodientes*, *perforantes*, in specie vero *vermes*, vel *dolores*. Mercerus, iisdem insistens vestigiis, non credit hic de resurrectione agi. *Et post cutem meam* sc. corrosam, post putredinem cutis meæ, quasi dixisset plene, אחר רקבון עורי excusserunt *hoc*. Excusserunt, vel vermes in ulceribus geniti, vel dolores immodici confregerunt & conciderunt veluti in fragmenta, ut veluti pulvis jam excuti possit, *hoc*, vid. os vel corpus meum. Et tamen istis non obstantibus, ex carne mea sic afflicta cerno & contemplor Deum id est Dei potentiam, providentiam & summam in me beneficentiam agnosco, qui me summo miraculo adhuc in vivis conservat, &c. Genevensium expositio, quam primo loco exhibent, eo quoque aurigatur. Postquam enim locum sic vertissent, * *Et etiamsi post pellem meam contriverint hoc, videbo tamen Deum ex carne mea*, hoc scholion addunt, *& quand mesmes il reduiroit à plus grande extremité, & que je seroy du tout consumé, si est ce que j'espererai en lui. Etiam si ad extremam miseriam reduxerit me & plane consumptus fuero, tamen sperabo in eum.* Vide supra 13. 15. Postea tamen aliam expositionem subjiciunt, Piscatoris, Deodati, Anglorum & aliorum interpretationi consentaneam. Ego horum

* Et encores qu'apres, ma peau on ait rongé ceci, &c.

rum versionem & scholia obiter lectori representabo. Sic ergo Pisc. & *Etiamsi post pellem meam hoc confoderint, tamen ex carne*, &c. Ita reddidit hæc verba in German. at in Latina, *Et* [*quum*] *post cutem meam confoderint* [*vermes*] *istud, tum ex carne, &c.* Sensus est, *Quum vermes confoderint atque corroserint non solum cutem meam & ossa, tum è morte excitabor & vita restitutus videbo Deum.* Hæc Piscator. Deodati versio & Scholia non abeunt ab hac mente, *E* [*quantumque*] *dopo la mie pelle quæsto* [*corpo*] *sia roso. Quamvis post pellem meam hoc* [*corpus*] *errosum sit*, vid. à vermibus ulcerum meorum. Convertit activum in passivum, sensum manente. In hoc videntur dissentire, quod Piscator intelligat corrosionem mortui in sepulcro, Deodatus corrosionem ejus adhuc spirantis. Anglorum versio indifferens est & ad hujus & illius mentem, *Et etiamsi* [*vermes*] *post pellem meam hoc* [*corpus*] *destruant, tamen mea, &c.* Scholia nec hic nec alibi adjecta sunt, Ita quippe caverat Serenissimus magnæ Britanniæ Rex *Jacobus* augustæ recordationis. Vides omnes hos in istis conspirare, 1. נקפו habere significationem confodiendi, corrodendi, concidendi, &c. non vero circumdandi. 2. Pronomen זאת aliquid distinctum à pelle denotare. 3. Illud ipsum δεικτικῶς hic intelligendum esse, ut digitum in emaciatum suum corpus intenderit. Similem usum pronominis demonstrativi habes in Euangelio, *solvite hoc templum*: Et pronominis *illuc*, Job. 1. *Nudus egressus sum ex utero matris meæ & nudus revertar illuc*, non in uterum matris, sed in terram, quam dum hæc sermocinabatur Job, digito monstrabat. Huc referunt nonnulli celebrem illum locum, *tu es Petrus & super* HANC *petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super HANC petram, id est super me Domino semet ipsum denotante & vocem gestu adjuvante. Hoc spectasse videtur Augustinus, quando locum sic exposuit, *Super me ædificabo te, non me super te.* Sed & Græci & Latini amant in hunc modum loqui δεικτικῶς. Terentius, *tu si* HIC *sis, aliter sentias*, Hic, ὁ δ᾽ ἀνὴρ Sophocles in Oedipo Coloneo, ὦ παῖδες, ἥκει τῷδ᾽ ἐπ᾽ ἀνδρὶ θέσφατος βίου τελευτή. *O liberi, venit huic viro prædicto oracula mors* τῷδ᾽ ἀνδρὶ id est mihi, δεικτικῶς, inquit Scholiastes, καὶ ἔστι πυκνὸς ἐν τῷ τοιούτῳ Σοφοκλῆς. Sed hoc παρέργως καὶ ὡς ἐν παρόδῳ. Nos illud jam, opinor, omnibus, qui Ebræo textui fidem suam alligarunt, pro-

Joh. 2. 19. (margin, beside "illuc, Job. 1.")

Casaub. ad Baronium pag. 395. (margin, beside "Coloneo")

probavimus, Belgicam versionem cum eo conciliari non posse, & locum sic melius à domino Pisc. redditum, *Scio quod Red. meus vivat & postremus in pulvere staturus sit, Et* [*cum*] *post pellem meam* [*vermes*] *HOC confoderint, de carne mea videbo Deum.* Adscribam obiter versionem Lxx. Interpretum, prout ea extat apud August. in notis ad hunc librum, cum commentariolo ejusdem, *Scio enim quod æternus est* ὁ ἐκλύειν μεμέλλων, *qui me resoluturus est,* [qui me potest reparare] *In terra resurget pellis mea exantlans hæc. A Domino enim mihi hæc confecta sunt, quæ ego mihi ipsi conscius sum.* [quia merui illa.] *quæ oculus meus vidit & non alius.* [hoc est, nemo scit quid agatur in homine nisi spiritus qui in homine est.]

CAP. XXIV. vers. 19.

Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum ejus.] Hoc modo transtulit vulgatus Interpres insignem illam similitudinem, quam fontes lectori suo exhibent. Sic enim sonant Ebræa, צִיָּה גַם חוֹם יִגְזְלוּ מֵימֵי שֶׁלֶג שְׁאֹל חָטָאוּ ad verbum, *Siccitas & æstus rapiunt aquas nivis, sepulcrum peccarunt.* Continent hæc verba πρότασιν καὶ ἀπόδοσιν. Vtriusque nota deest. Id quod in Jobo & Proverbiis insolens non est. Hinc Joh. Benedictus, Jun. Pisc. Gen. Ital. Tig. Mercerus & alii locum sic reddunt, [*Vt*] *siccitas* (Tig. Ut terra torrida) *& æstus rapiunt aquas nivis,* [*ita*] *sepulcrum* [*rapit eos qui*] *peccarunt.* Angli, *Siccitas & calor consumunt aquas nivis: ita sepulcrum* [*facit illis qui*] *peccarunt.* גזל est rapere. Sensum expressit Mercerus his verbis, *ut siccitas & calor quam citissimè absumunt aquas nivis, ita mors rapit eos qui peccarunt, q. d. moriuntur facillime & suavissime. Non contabescunt lenta morte, ut magna ex parte probi, sicuti & Ps. 73. 4. & supra 21. 13. Dicit ergo hoc ad felicitatem eorum ostendendam quod cum totam vitam in sceleribus transegerint impune, suaviter etiam moriantur.* Ita & Deod. & Genev. & Pisc. Hoc enim capite sententiam Eliphazi, qui asserebat Deum in hac vita semper punire impios, refutat Job testimonio experientiæ, quod pii illud non videant, vers. 1. & quod peccatores non ita morientur, ut sentiant se mori, sed cita & ἀνωδύνῳ morte expirent. Quam ille refutationem prolixa impiorum descri-

descriptione, à factis ipsorum desumpta, amplificat. Chaldæus non recedit ab hac mente, צַהְיָא וְלָחוֹר חוּמְתָּא אָנְסִין מֵימֵי תַלְגָּא וְלֵיתֵיהוֹן הֵיכְדֵין לִשְׁיוֹל אִתְנְשִׁיאוּ דְאִתְחַיָּבוּ *Siccitas & etiam calor* (תא הֵיךְ צַהוּתָא וְחוּמָּא id est Targum aliud, sicut ariditas & calor) *rapiunt aquas nivis & non sunt amplius, ita in sepulcrum auferuntur qui peccarunt.* Habes genuinum sensum hujus loci. Judica nunc, cordate Lector, quam firmo tibicine duplex illa Gehenna nitatur, quam huic loco multi Interpretes & Scholastici superstruxere. Hieron. comm. in Matth. cap. x. *Duplicem esse Gehennam & nimii caloris & nimii frigoris in Job planissime legimus.* Ideo etiam nomini *Gehenna* aliquando genitivum *ignis* addi, quod sit & Gehenna frigoris. Et Pseudo-Hieronymus ad hunc ipsum Jobi locum, *Innuere mihi videtur duplicem Gehennam ignis & frigoris, per quam Diabolus, impii & hæretici commutantantur.* Si Hieronymo vel tumultuaria hæc & ad fontium obrussam non satis examinata versio, vel aliorum quas super hoc loco legerat commentationes imposuere, quid miramur, Albertum, Carthusianum, Haïmonem hic ineptivisse? Contulerunt enim hunc locum cum Matth. VIII. *ubi erit fletus & stridor dentium. Fletus*, propter calidissimum ignem; *stridor dentium*, propter frigidissimum gelu. *In hac vita*, inquit Albertus apud Carthus. *non transitur de frigidissimo in calidissimum, nisi per medium, quod est temperatum. In inferno autem de excellentia frigoris mortificantis transitur ad æstum ignis urentis, ita quod nunquam erunt in medio, quia in hac vita per vitia transierunt ad æstum libidinis, non attingendo medium virtutis.* Dissentit tamen ab hæc interpretatione Gregorius. Ille enim putat hic describi impiorum in omnibus immoderationem, qui à frigore infidelitatis transeunt ad calorem hæresis. Alii putant hunc posse esse sensum, improbos à nimia frigiditate hujus vitæ transire ad calorem nimium infernalem. Emman. Sa, *ab una calamitate in aliam transibit.* * Jansenius postquam prolixe de hoc loco disseruisset, ad Ebræam veritatem tandem provocat, quam ita interpretatur, ut à nostris Interpretibus, quos supra produximus, ne latum unguem discedat. Thomas parte prima, quest. x. art. 3. disputans, utrum esse æternum sit proprium Dei, loco secundo objicit sibi locum Matth. 25. *ite maledicti in ignem æternum.* Non igitur solus Deus æternus. Respondet, ignem illum dici æternum propter interminabilitatem tantum. Esse tamen in pœ-

* Cap. XLVI. Concordiæ Euang.

pœnis istis transmutationem, secundum illud Jobi 24. *Ad nimium calorem*, &c. Vnde in inferno, inquit, non est vera æternitas sed magis tempus, secundum illud Ps. 80. *Erit tempus eorum in sacula.* Hæc Thomas, qui ne hunc quidem locum Psal. 80. ex mente Spiritus sancti citat, vide Jun. Pisc. & alios.

nobis 81. 16.

Cap. XXXVII. vers. 7.

Qui in manu omnium hominum signat, ut noverint singuli opera sua.] Ita vulg. Lxx. paulo aliter, ἐν χειρὶ παντὸς ἀνθρώπου κατασφραγίζει, ἵνα γνῷ πᾶς ἄνθρωπος τὴν ἑαυτοῦ ἀσθένειαν. Non defuere qui ex hoc loco, prout à vulgato versus est, Chiromantiæ patrocinium quæsivere. Ipse quoque Carthusianus alienam jobi scopo interpretationem hic affert. Non lubet omnia huc transcribere. Junius & Tremell. voces Ebræas בְּיַד כָּל־אָדָם יַחְתּוֹם לָדַעַת כָּל־אַנְשֵׁי מַעֲשֵׂהוּ sic transtulere, *Manum cujusque hominis obsignat, ut recognoscat omnes operarios suos.* Hoc vult Elihu, Quando nives & imbres demittit ex alto Deus, manum cujusque patrisfamilias, sub dio in agris laborantis, obsignat id est claudit, ut non possit opus facere. Vnde fit ut recognoscat, per otium sc. inquirendo, quantum singuli in agro colendo laboraverint. Tunc etiam ingreditur bestia in latibulum suum & in antro suo manet vers. sequenti. חָתַם sæpe est cohibere, inhibere, Job. 9. 7. Dan. 9. 24. Cant. 4. 12. Vide Cl. Tarnovii Exercit. Bibl. p. 103. Edit. primæ. Qui illud quoque observavit, B. Lutherum minus accurate hunc locum vertisse. Alle menschen hat er (Gott) in der hand verschlossen / auff dass die leute lernen / was er thun kan / Hæc enim sic expressisset Job, כָּל־אָדָם בְּיָדוֹ יַחְתֹּם לָדַעַת אֲנָשִׁים כָּל־מַעֲשָׂיו /

Cap. XXXIX. vers. 1.

Lxx. εἰ ἔγνως καιρὸν τοκετοῦ τραγελάφων πέτρας; Ad verbum, *An nosti tempus partus hirco-cervorum petræ?* Tragelaphus animal in Germaniæ saltibus, Bohemiæ vicinis, notum, inquit Hadr. Junius. Licet complures ex veteribus animal illud in rerum natura non esse crediderint. Vnde in proverbium abiit. Extat apud Nazianz. & Aristophanem, τραγελάφους πλάττειν;

Vide & Cornel. à Lapide in Deut. 14. 5.

Tra-

Tragelaphos comminisci. Vocem Ebræam * יעלה Vulgatus reddit *ibicem*. Et quia sequitur בסלע *in petra*, Jun. & Tremell. reddunt *rupi-capram*. Utrumque respondet Belgico **steenbock** / Germanico, gems, qua voce & Luth. & Belgæ hic usi sunt. Angli, the wild goates / capreæ, Martialis.

* Thema esse עלה scandere.

Pendentem summa capream de rupe videbis,
Casuram speres, decipit illa canes.

Consentiunt *a* Genev. *b* Deod. *c* Hisp. *d* Tigur. Pagn. Arias. Miraris forsan, quorsum tam anxie probaverim יעלה esse ibicem seu capream. Jam audies. Augustinus in notis ad hunc locum pravæ aut saltem incertæ versioni ineptiorem superstruxit allegoriam. *Tragos, hircus: elaphos cervus*, inquit, *Tragelaphus ergo compositum ex hirco & cervo animal. Significat igitur mentem servientem legi Dei secundum interiorem hominem. Videtur* (lego, videt) *autem quantum adhuc ex parte hircus est, aliam legem in membris suis, repugnantem legi mentis suæ & captivantem se in lege peccati.* Hæc Augustinus. Cui patrocinium præstet qui potest. Ego qui doctissimum patrem excusem, non video.

a Chamors. *b* le caurivole. *c* las cabras monteses. *d* ibices.

CAP. XL. vers. 10.

Ecce Behemoth, quem feci tecum.] Lubet hic inserere epistolam, quam super hoc loco ad magnæ spei juvenem, *D. Theodorum Saeckma*, amplissimi & magnifici D. JOHANNIS SAEKMA ICti, in suprema Frisiæ curia consiliari & Academiæ nostræ curatoris vigilantissimi, filium, superioribus diebus exaravi. Ea sic habet.

Pio & magnæ ſpei juveni,

D. THEODORO SAECKMA,
SS. Legum & Humanitatis ſtudioſo,

S. P.

QUomodo vulgo inſtituantur Juriſ-prudentiæ ſtudia, non ignoras, ornatiſſime SAEKMA. Apud nos, inquit * Lipſius, magna vel potius unica doctrina eſt, triduanum Juriſ-conſultum profiteri, cum Euripidèo Cyclope ſentire, τὰ δ᾽ ἄλλα κόμποι καὶ λόγων εὐμορφίαι. Et quidem peſtilens iſta hæreſis adeo latam ſibi graſſandi viam fecit, ut vix viceſimus quiſque ultra formulas & rubricas aſſurgat. Scilicet ea ſectantur omnes, quæ περὶ τοῦ ἀλφίτου, τῶν λοιπῶν οὐ φρόντις Ἱπποκλείδῃ. Incrementa ſumit hoc malum à perverſa opinione vulgi, quod Juriſ-conſultum literatum & ἀθυρόστομον rabulam juxta æſtumat, imò hunc illi ſæpe præfert. At tibi meliori metallo ductum eſſe pectus, hoc ipſo luculenter demonſtraſti, quod, poſtquam ex triviali ſchola vindicta manumiſſus, linguam Latinam & Græcam ſupra ætatem & multos doctores doctus, in Academiam intuliſſes pedem, aliam plane inſtiteris viam. Namque ad edita illa & ſerena Themidos templa priuſquam aſcenderes, iſtis ſtudiis primo litandum eſſe duxiſti, ſine quibus & leges intelligi omnino non poſſunt, & verum eruditi elogium nulli unquam obtigit, nulli obtinget. Stylum exercuiſti diligenter & etiamnum exerces, ut epiſtolam terſam & LATINAM (rarum hoc in iſta ætate) expedite ſcribere poſſis. Hiſtoriæ Romanæ & priſcis ritibus pernoſcendis operam nequaquam indiligentem navas. In Græcæ quoque literaturæ ſtudia, quæ plerique ſic fugiunt, ac ſi illis ἄσπονδον πόλεμον indixiſſet Iuriſ-prudentia, ita porro incubuiſti, ut doctiſſimis Academiæ noſtræ civibus ambiguam facile poſſis facere palmam. Neque hoc termino ſtetit tuus ille diſcendi ardor. Ebræum quoque idioma exigui temporis ſpacio adeo feliciter didiciſti, ut cum multis veteranis Theologiæ ſtudioſis, in Ebraïci textus explicatione, quoties in collegio ad te perveniebat interpretandi ordo, paria feceris, multos longe ſupergreſſus ſis & in ruborem dederis. Quod vero inſignem hanc

* Epiſtolicarum Quæſt. lib. 2. Ep. 5.

hanc tuam φιλομάθειαν pallida febris, quæ tot jam menses te afflictavit, non excusserit, tersæ istæ epistolæ loquuntur, quibus me subinde, dum valetudinis curandæ causa ab Academia abes, super re literaria consulis. Macte hoc animo, inculpate adolescens! Delectent alios canes, equi, aves, alea, choreæ. Litent curvæ istæ & cælestium inanes animæ Baccho & Veneri. Tuæ porro delitiæ sint stylus, libri, Musæ, & quod caput est, Deo servire. Perge, quo cœpisti pede, πολυΐστορος patris eruditionem & virtutem æmulari. Si te Deus O. M. volet perennare,

—— & si qua morbi fata aspera rumpas,

Philologum insignem, Juris-consultum eleganter literatum, pium denique & intemeratum Justitiæ sacerdotem patriæ dabis. Ita voveo, ita spero. Nunc audi quid ad te afferam. Nuper ex seculari philologia per epistolas sermocinati sumus. Nunc ex sacra aliquid depromere est animus. Aperiam tibi fontes celeberrimæ istius allegoriæ, qua universum istum Dei O. M. de *Behemoth* & *Leviathan* discursum Scholastici ad Diabolum traduxerunt. Tu, licet admodum adolescens, eos in Ebraïsmo jam fecisti progressus, ut de universo negotio possis judicare. Deus O. M. de sua potentia dissertaturus, ex universa creaturarum multitudine duas creaturas commemorat, Behemoth id est elephantem & Leviathan id est balænam, hanc inter pisces, illum inter belluas robore & vasta corporis mole excellentes. Elephantes Græci θηρία, Latini belluas appellabant. Tralatitium enim apud eos est, τὰ πρωτεύοντα ἐν τῷ γένει τῷ τοῦ γένους ὀνόματι προσαγορεύειν. Suidas θηρία, οἱ ἐλέφαντες. Et πύργοι θηρίων apud Plutarchum in Eumene nihil aliud sunt quam turres elephantorum, seu turriti elephanti. Terent in Eunucho, *Eone es ferox, quia imperium habes in belluas?* Et Plin. 8. *Circa dentes belluis summa cura.* At Ebræis non satis fuit elephantem nomine generis κατ' ἐξοχὴν appellare בְּהֵמָה/ sed insuper quia corporis mole multas belluas æquat, majoris auxeseos causa, vocem illam numero plurali expressere. Inter cæteros amplificationum modos Ebræis familiares, iste non postremus est, Ita increatam illam Sapientiam vocant חָכְמוֹת Prov.1.20. & 9.1. summam benignitatem חסדים Thren.3.22. summum robur, מָעֻזִּים Dan.11.38 Et hanc eandem vocem בהמות Ps.

73. 22. non quidem pro elephante, sed tamen pro magna & crassa bestia accipiunt Genev. & Mercerus. *Eram apud te* בהמות inquit Psaltes, [sicut] *bestiæ*, Merc. *come une grand' beste*, Genev. *une grosse beste*, Sed redeamus ad Elephantem. Vtrum ea vox ab אֶלֶף bos, an vero potius ab אלף quod Syris & Ebræis discere est, derivata sit, merito dubites. Adeo verisimilis utraque sententia est. Nam quod primam attinet, in confesso est, apud Græcos & Latinos, nobilitatam semper fuisse bovis præ cæteris terrestribus animantibus magnitudinem. Hinc Græci rebus quas augere volebant, syllabam βϰ præfigebant, βϰλιμίαν magnam famem, βϰπαιδα, grandem puerum, vocantes. Romani, cum in Lucania primum, in exercitu Pyrrhi elephantes vidissent, * *boves Lucas* seu *Lucanos* appellabant. Majus enim bove animal tellus ista non edebat. Adhæc boves Lucani cæteris Italicis grandiores erant. Ita credibile quoque est, Ebræos, Syros & Phœnices, cum hoc animal & mole & figuratione corporis ad bovem quam proxime accedens, primo vidissent, bovis nomine appellasse. Quod ad alteram attinet, quis ignorat ea, quæ de hujus belluæ docilitate narrant Plinius libro 8. cap. 1. 3. 7. Cicero Epist. Famil. 1. 7. Arrianus de rebus Jndicis, & plena manu Lipsius, Centuria I. Epistola 50. ad Janum Hautenum. Hoc ergo animal admodum graphice hoc loco describit is, qui creavit illud. Lxx. insistentes vestigiis Ebraïci textus, θηρία, reddidere tamen postea tanquam de uno loquuntur. Etiam Chald. בְּעִירָא / Siquidem בְּעִירָא respondet Ebræo בְּהֵמָה / Atque hic quoque vides, nomen generis in hac specie cum excellentiæ significatione resedisse. Hinc est Sabinorum *Barrus* & Indorum *Barre*. Etiam ex recentioribus Ebræis plerique elephantem describi existimant. Astipulantur Thomas, Lyra, * Pererius, Emmanuel Sa & alii. Et certe in hac descriptione, si textus originalis accurate vertatur, nihil est quod non optime in Elephantem quadret. Non lubet jam excutere, quæ nugatores quidam Ebræi de hoc animali, quod שור הבר id est *bovem sylvestrem*, vocant, itemque de magno isto pisce, chartis illevere. Si libet ea cognoscere, adito Lyram ad hunc locum, & ad Ps. 49. Ebræis 50. R. Salom. ad Ps. eundem, Buxtorfii Synagogam Judaïcam, Pseudo-Ezram lib. 4. cap. 6. ubi pro *Behemoth* corrupte legitur

* Hinc proverbium, Prius pariet locusta Lucã bovem, vide Varronem lib. 6. de l. l. & ad eum Scalig. Plin. 8. 6.

Vide & camerar. horas 1. 25.

* In Danielem lib. 4.

Enoch

Enoch. Majus operæ pretium fuerit videre quid nonnullos ex patribus, quid Scholaſticos, quid denique Pontificios Interpretes moverit totum hunc contextum, quo de Behemoth & Leviathan agitur, de diabolo exponere. Carthuſ. *ad literam non eſt proprie ſermo de illis, ſed de re metaphorice figurata per eas, puta, de dæmone, qui hic per maxima quadam bruta inſinuatur, quia ab angelica corruens dignitate in bellunam verſus eſt immanitatem, monſtruoſitatem ac rabiem. Propter quod in formis brutorum frequenter apparet.* Lyra, *Expoſitores Catholici exponunt hæc de dæmone ſub ſimilitudine elephantis & ceti.* Et paulo poſt, *Igitur exponatur litera de dæmone ſub nomine elephantis deſignato: quia in parabola ſenſus literalis eſt non ille qui immediate per vocem ſignantur, ſed per res ſignatas.* Vides eos hoc velle, primarium ſcopum Dei fuiſſe, hoc capite Diabolum deſcribere. Huic ſententiæ etiam * Evangelici quidam hæſere. Ego vero cum illis facio, qui univerſam iſtam expoſitionem nullo omnino fundamento ſubnixam autumant. Quicquid hic dicitur, de Elephante & balæna exponi commodiſſime poteſt. Vide Jun. Deod. Mercerum, Genev. Emmanuelem Sa & alios. Nihil coactum, nihil contortum eſt. At eorum interpretatio, qui omnia de Diabolo intelligunt, non tam plana decurrit orbita. Sudant & æſtuant boni iſti Interpretes, ut doceant quodnam ſit illud fœnum, quod Diabolus comedit. Quiſnam ſit umbilicus ejus, quæ cauda, qui teſticuli, &c. Et cum omnes ingenii nervos intenderunt, tantum luſere, nihil unquam ab erudito & cordato lectore niſi precario obtenturi. Et quod ad priſcos illos attinet, fateor Ebraïſmorum ignorantiam & aberrantem non uno loco verſionem ipſis quaſi injeciſſe manum, ut, dum pauca quædam loca de elephante vel balæna explicari non poſſe, Diabolo contra optime convenire putarent, omnia tanquam de Diabolo primario dicta acciperent. Sed quid illi obtendent, qui in hac literarum luce ipſa illa loca, ad quæ priſci offenderunt, de elephante & balæna commode exponi poſſe agnoſcunt, atque adeo ipſi in commentariis ſuis exponunt, & tamen huic allegoriæ mordicus hærent. Quod enim fundamentum huic expoſitioni ſubſternent? Nihil certe ex ipſo hoc textu, nihil ex univerſa veteris noviqve fœderis pagina proferent. Nihil præter authoritatem plerorumque patrum adducent. Eâ vero his & id genus ſimilibus caſibus non magis

* Tigurini, Weſthemerus in tropis, Illyricus in Clavi, voce Behemoth, & alii, Ita tamen ut primario & ſenſu literali Elephantem, ſecundario vero & allegorico Diabolum deſcribi exiſtimaverint.

gis moveor quam Salmeron, qui ad objectam sibi magnum Patrum numerum (ad Roman. v. Disp. 6. 51. circa initium) sic respondet, *Pauperis est numerare pecus. In judicio plurimorum non acquiesces sententiæ, ut à vero devies. Et cum Donatistæ in authorum multitudine gloriarentur, respondit Augustinus, signum esse causæ à veritatis nervo destitutæ, quæ soli multorum authoritati, qui errare possint, innititur.* Sed penetremus in ipsos fontes celeberrimæ hujus allegoriæ. Atque hic occurrit primo.

Vers. 14. *Ipse est principium viarum Domini.* Et certe hic locus videtur manum injecisse plerisque recentiorum, ut hic quoque cum Scholasticis ineptiverint. Existimabant enim hæc non nisi de Angelorum principe vel saltem de Angelica natura exponi posse. Lyra, *Hoc interponitur ad intelligendum, quod ea, quæ dicuntur hic, de dæmone intelliguntur sub metaphora elephantis. Est enim dæmon principium viarum Dei, quia inter cretauras angelica est prima, & inter angelos ille qui fuit primus simpliciter, peccavit per superbiam, & fuit aliis cadentibus occasio peccandi.* Et Carthus. *Ex hoc verbo & quibusdam sequentibus constat quod ista de diabolo tanquam re figurata principaliter proferantur, &c.* Quin & Bellarm. libr. 1. cap. 9. de Pontifice, ubi argumentum 9. pro Monarchico statu Ecclesiæ depromit ab exemplo Angelorum, probaturus eum qui nunc Diabolus vocatur, ante lapsum fuisse caput Angelorum, hunc locum in acie ponit. Sed ut locus iste de diabolo principaliter intelligatur, illud adhuc probandum erat Cardinali, per *vias Domini* Angelos; per *principium* principatum intelligi. *Vias Domini actiones Domini accipimus*, inquit Gregorius & ex eo Glossa ordin. An ergo omnium Dei actionum princeps & Monarcha fuit Diabolus? Sed hoc principatu ad Jes. cap, XIV. plura dicentur. Tu hic observa, per vias Domini opera ejus & creaturas intelligi. Non diffitentur hoc Pontificii. Ideo compendifaciam laborem probandi. Vox autem Ebræaa ראשית cui respondet in Vulgato *principium*, vel temporis vel dignitatis principatum significat. Si dignitatis principatum intelligas, jam locus de elephanto optime potest exponi, atque ita corruet primarius, imo unicus hujus Allegoriæ tibicen. Iste videlicet, locum hunc de elephanto omnino intelligi non posse. Principatum temporis hic non quadrare fateor libens. Elephas enim creatus est eodem die quo homo, vid. sexto, un-

de nonnulli interpretantur ista verba, *Ecce behemoth, quem feci tecum*, sc. eodem die, alii, *æque ac te*, alii, *ut degeret tecum.* At princ. dignitatis quadrat optime, ut hoc dicat, eum, si corporis molem, vires & illud θυμόσοφον id est τὸ ἐκ φύσεως εὐμαθὲς, καὶ εὐφυὲς καὶ ὀξυμαθὲς spectes, inter creaturas irrationales esse præstantissimum suum δημιούργημα & primarium opus. Hanc interpretationem probat Emmanuel Sa in notis, *quasi dicat*, inquit, *præcipuum animalium à Deo factorum, quod attinet ad fortitudinem & prudentiam.* Genev. *C'est le chef d'œure du Dieu.* Iste est caput operum Dei. Ita & Angli, & Hispani, nisi quod pro *operum* retinuerint vocem *viarum. He is the chiefe of the wayes of God.* Hisp. *El es la cabeça de los caminos de Dios.* Ital. *Egli e la principale dell' opere di Dio.* Ille est præstantissimum opus ex operibus Dei. Castellio, *Ipse est divini opificii caput.* Ita Amos 6. *Qui ungunt se* ראשית id est *principio unguentorum*, hoc est, præstantissimo unguento Num. 24. *Principium gentium Amalek*, 1. Sam. 15. *principium* (ראשית) *anathematis* id est præcipuum Sirach. 11. 3. ἀρχὴ γλυκυσμάχων καρπὸς αὐτῆς. *Minima volatilium est apis, at principium dulcium condimentorum est fructus ejus*, id est principatum quendam tenet inter dulcia condimenta. Cave autem huc referas locum Apoc. 3. 14. ubi Filius Dei vocatur ἀρχὴ τῆς κτίσεως τοῦ θεοῦ, Namque illic ἀρχὴ non principium passivum, sed activum significat, à quo omnes creaturæ principium suum ducunt, quam interpretationem utriusque testamenti pagina evincit. Vides jam opinor, ex non intellecto Ebraïsmo versus x. delatos fuisse interpretes in hanc sententiam, de Diabolo principaliter hic agi. Sed progrediamur ad alia quæ huic loco superstruxit antiquitas. Beda in libello separatarum quæstionum quæst. 9. *Angeli*, inquit *ante creationem mundi creati sunt, & ante omnem creationem Angelorum Diabolus est conditus, sicut scriptum est, Ipse principium viarum Dei* [Confer cum his ea quæ supra p. 196.] Vides hoc quoque somnium non intellecto Ebraïsmo deberi. Gregorius Moral. lib. 32. cap. 25. ex hoc loco adversus Arrium disputat, *notandum quoque*, inquit, *quod dum viarum Dei principium Behemoth dicitur, vesanum Arrii dogma aperta ratione dissipatur. Facturam quippe Dei filium fatetur. Et ecce Behemoth in factura rerum primus creatus ostenditur. Superest ergo ut Arrius aut non factum filium prædicet, aut eum post Behemoth conditum stultus putet.*

putet. Non male, si de diabolo hic agi firma aliqua ratione evincere potuisset. Lxx. Interpretes, sicuti ipsi ab Ebrææ veritatis linea aberrarunt, ita & beatos Patres, qui istam versionem secuti sunt, in avia traxerunt. τοῦτ' ἐστιν ἀρχὴ πλάσματος κυρίου, πεποιημένον ἐγκαταπαίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ, ἐπελθὼν δ' ἐπ' ὄρος ἀκρότομον ἐποίησε χαρμονὴν τετράποσιν ἐν ταρτάρῳ, quæ sic convertit Latinus Interpres, *Hoc est principium * fictionis Domini factum ut illuderetur ab angelis ejus. Accedens autem ad montem præcisum fecit gaudium quadrupedibus in tartaro.* Ab ipsa quoque vulgata hæc nimium quantum abeunt, Sic enim illa, *Ipse est pr. v. Domini, qui fecit eum applicabit gladium ejus. Huic montes herbas ferunt, omnes bestiæ agri ludunt ibi.* Magister sententiarum lib. 2. dist. 3. quærens, utrum angeli boni vel mali creati sint, & an aliqua mora inter creationem & lapsum intercesserit, quosdam existimasse, *angelos qui ceciderunt, creatos fuisse malos, & non libero arbitrio in malitiam declinasse, sed in malitia à Deo factos esse, nec aliquam fuisse moram inter creationem & lapsum, sed ab initio apostatasse.* Phy τῆς θεολογίας ταύτης, quæ Deum authorem peccati & malitiæ statuit. Sed audi quid addat. Ait illos suæ sententiæ fulcra quæsivisse ex August de Genes. ad literam lib. xi. cap. 19. 20. ubi duo scripturæ loca producit, vid. Joh. 8. *Ille homicida fuit ab initio & in veritate non stetit*, & hunc ipsum, de quo jam agitur, ex versione Græca postquam Magister contrariam sententiam asseruisset, * Augustinum, sanius quidem sentienten, at non melius locum Jobi interpretantem introducit, *Omnia*, inquit Aug. *fecit Deus valde bona. Naturam ergo angelorum bonam fecit. — Nec ejus natura significata est cum dicit, hoc est initium figmenti Dei, sed corpus aereum, quod tali voluntati aptavit Deus, vel ipsam ordinationem Dei, in qua eum invitum etiam fecit utilem bonis, vel ipsius angeli facturam, quia etsi præsciret Deus, voluntate malum futurum, fecit tamen eum, providens, quanta de illo sua bonitate esset facturus. Figmentum ergo Dei dicitur, quia cum sciret eum Deus voluntate malum futurum, ut bonis noceret, creavit tamen illum, ut de illo bonis prodesset, hoc autem fecit* (N B.) *ut illudatur ei. Illuditur enim ei, cum sanctis proficit tentatio ejus. Sed ipse est initium, quia præcedit antiquitate & principatu malitiæ. Hæc autem illusio fit angelis malis & hominibus malis, per angelos sanctos, quia subdit illis angelos malos & homines malos,* ut

* August. *figmenti Domini. quod fecit ad illudendum âb angelis ejus.* De civit. Dei xi. 15. Et paulo aliter de Genesi ad literam lib. xi. cap. 19. & 20. *quod fecit Deus ut illudatur ei ab angelis ejus.*

* Ex eodem libro cap. 22. Vide & de civ. Dei xi. 15.

ut non quantum nituntur, sed quantum sinuntur, possint nocere. Habes argutam explicationem sententiæ, quæ in originali hoc loco non comparet. Atque hæc de *Behemoth.* Restat

LEVIATHAN] De quo iidem authores ita sentiunt, sub ejus quoque similitudine agi principaliter de Diabolo, seu quod idem illis est, dæmoniorum principe. Marsennus tamen videtur existimasse, hic describi vel Optionem vel collegam Diaboli. Asserit enim pag. 851. comm. sui in priora capita Geneseos, Behemoth & Leviathan esse duos principes dæmonum. Mirum in modum & hic æstuant interpretes, ut omnia & singula de Diabolo explicent. Vide Lyram Carthus. Gregorium & alios. at nostris Interpretibus, de balæna, vel si quod est aliud portentosæ magnitudinis in mari animal, omnia interpretantibus ad literam, optime fluunt omnia. Vide Iun. Pisc. Merc. Genev. Ital. & alios. quæ ergo necessitas hæc de Satana primariò interpretandi; Imo quæ certitudo interpretationis allegoricæ & secundariæ; Nulla omnino. Oleum & operam perdidere qui in has interpretationes incubuere, Oleum & operam perdunt, qui eidem lineæ insistentes, hujusmodi commenta populo proponunt. Porro, 3. loca videor mihi observasse, quæ persuaserunt veteribus, hic primario Diabolum describi. Locus prior est iste, cap. 41. vers. 3. secundum vulg. Interpretem. *Non parcam ei verbis potentibus & ad deprecandum compositis.* Quæ sic interpretatur Carthus. *propter nulla ipsius verba parcam Diabolo, sive sint verba potestatem suam præferentia, sive humiliationem quandam sonantia, quando ejus potestatem refrenem & impiam ipsius puniam voluntatem. Interdum quippe ad deprecandum se convertit astute, ne à nocendo arceatur, vel ne gravius affligatur. Et ex hoc verbo ostenditur, quod non sit jam de ceto principaliter mentio.* Sed monendus hic mihi es, in Ebræo nihil ejusmodi legi, לֹא אַחֲרִישׁ בַּדָּיו וּדְבַר גְּבוּרוֹת וְחִין עֶרְכּוֹ quæ Pagninus ita reddidit, *Non silebo membra* (Arias, *vectes*) *ejus, & * verbum fortitudinum & gratiam dispositionis ejus.* Joh. Bened. Theol. Parisiensis, *non tacebo robur ejus & quicquid habet virium, gratiam quoque dispositionis ejus.* Alter locus est 16. *Cum sublatus fuerit, timebunt angeli & territi purgabuntur.* An ob ceti sublationem vel interfectionem sanctos angelos terreri credibile est; Non pluris illi faciunt talis belluæ occisionem, quam nos unius pulicis inquit Carthus. Necessario

* Jun. & sermonem de viribus, Pisc, & quæ pertinent ad vires.

rio ergo locum exponendum putant *de sublatione seu expulsione principis dæmoniorum à throno cœlesti*, ut loquitur Carthusianus. Gregorius, *Sub futuri temporis modo præterita describuntur. Nec rectæ intelligentiæ sensum relinquimus, si credamus, Leviathan isto ab arce beatitudinis cadente, in ruina ejus etiam electos angelos expavisse, ut cum istum ex illorum numero superbiæ lapsus ejiceret, illos ad robustius standum timor ipse solidaret. Purgati vero sunt, quia isto cum reprobis legionibus exeunte, soli in cœlestibus sedibus remanserunt. Hujus itaque lapsus eos terruit & purgavit.* Lyra, *Iste timor est admiratio angelorum sanctorum de divina virtute & justitia in dejectione dæmonis, quæ partim facta est à principio sui casus, & consummabitur in futuro judicio.* Et territi purgabuntur, &c. *non ab immunditia sed à nescientia purgati sunt, videntes divinam virtutem & justitiam in effectu quam prius non viderant. Ideo eodem modo erit in detrusione dæmonis in infernum in extremo judicio*, &c. Vide & Gloss. ordinariam. Sed hæc quoque aliter leguntur in Ebræo, מִשֵּׂתוֹ יָגוּרוּ אֵלִים מִשְּׁבָרִים יִתְחַטָּאוּ / Pagn. *A magnitudine* (Arias, *altitudine*, malim cum Pisc. *propter elevationem*) *ejus timebunt fortes: à contritionibus purgabunt se.* Piscator, *expiabunt se.* Sensus est quando balæna sese in mari jactat & elevat, etiam fortissimi quique exalbescunt metu, & cum vident illam magno cum impetu mare confringere, Deo supplices fiunt & peccatorum suorum veniam petunt, nil nisi mortem expectantes. Τὸ אֵלִים proprie & primò *fortes* denotare, nullus infitebitur. Sed dices, aliquando per synecdochen generis pro angelis poni. Resp. ut hoc detur (quod tamen liquido exemplo nullus contradicenti extorserit, loca enim quæ vulgo afferuntur, aliam interpretationem admittunt omnia) tamen illud obtinebo, ut à sensu literali, ita & à propria & communissima vocum interpretatione non esse recedendum, nisi exigente necessitate, quam hic nullus evincet. Porro, מִשְּׁבָרִים significare *territos*, nullus, opinor, ostendet. Verbum denique הִתְחַטֵּא purgationem à nescientia vel societate malorum significare, tunc credam, ubi evidentem aliquem locum hujus expositionis patroni produxerint. Rectius ergo *Emmauel Sa* hæc de balæna seu ceto interpretatus est, *Sublatus*] scil. in altum se erigens. Angeli] Chald. fortes, q. d. fortissimi quique. Sed dum interpretatur vocem ultimam *purgabuntur*, graviter impingit. *Purgabuntur*, inquit, *sc. so-*

sc. soluta alvo præ timore. An ergo התחטא purgationem alvi significat? Quanto rectius fecisset, si de purgatione conscientiæ verbum illud fuisset interpretatus. Deodatus, *si purgano de loro peccati.* Jun. Angli, *purgant se.* scilicet à peccatis. Crassam illam interptaretionem hausit Sa ex R, Levi, ממשברי לב שישיגום בסברת הפחד יתנקו דרך נקביהם לעשורת צואתם ומימי רגליהם hoc est, *præ confractionibus cordis, quæ apprehendent eos & magno metu, purgabuntur per ordinarios naturæ meatus, faciendo excrementum suum* (Ita sonant Ebræa αὐτολεξεὶ) *& aquas pedum suorum* id est urinam. Indigna Ebræo interpretatio. Locus tertius & ultimus est vers. ultimo, *omne sublime videt, ipse est rex super universos filios superbiæ.* Lyra, *Quia per superbiam semper nititur aggredi majora, omne sublime videt, ad consequendum, si posset. Et excedit omnes alios in superbia. Et per hoc patet, quod ea quæ dicta sunt de ceto, intelliguntur principaliter de dæmone.* Videamus Ebræa, אֶת־כָּל גָּבֹהַּ יִרְאֶה הוּא מֶלֶךְ עַל כָּל־בְּנֵי שָׁחַץ Pagn. *omne sublime despiciet, ipse est rex super omnes cetos magnos & fortes.* *Arias, super omnes filios superbiæ.* Emmauel Sa, *videt, id est dispicit. unversos filios superbiæ, id est belluas marinas quamvis ingentes.* Chald. כָּל־בְּנֵי נוּנֵי omnes filios piscium. Lxx. *βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασι. omnium quæ in aqvis.* Aben Ezra ait vocem שחץ significare seu comprehendere כל נולד במים quidquid generatur in aquis. Junius putavit vocem Ebr. significare *feram*, *Est regina super omnes feras*, Ebr. inquit, *filios feræ*. Reginam vocat, quem Ebræus sermo Regem vocat, quia vocem *Leviathan* per fœmin. *balænam*, interpretatus est. At Pisc. qui cetum ubi substituit, *est rex super omnia elata animalia*, imitatus doctissimum Mercetum. Supra 28.8 eadem phrasis de leonibus usurpata fuit. Nulla ergo necessitas per *filios elationis* homines intelligere. Et quis tam in his literis hospes, qui varium usum Ebraïci בֵּן ignoret? Ut ergo vocem quam latissime extendamus, Leviathanem inter omnia superba animantia facile esse principem, docere voluit Deus. Coronidis loco nota, Thomam in Summa, parte 1. Quæst. 63. ubi de Angelis fuse agit, horum locorum non meminisse, * unde colligas, circa ejus interpretationem eum à vulgata sententia diversum sensisse. Atque hic finis esto. Vale ornatissime adolescens & salve.

* Tamen parte 3. quæst. 8. art. 7 ex hoc postremo loco probat istam thesin, Diabolum esse caput omnium malorum.

PSALMI.

HIc unius Augustini commentarius tam amplum suppeditet scribendi argumentum, ut merito usurpari possit illud Homericum,

Τί πρῶτον, τί δ' ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω;

nobis cur stringenda jam vela sint, causam supra diximus. Et quia Augustinus hic sæpe nominabitur, operæ pretium erit præmittere censuram Sixti Senensis, quæ extat in Bibliotheca Sancta lib. 4. titulo *Augustinus*, Verba Sixti hæc sunt, *Augustinus in Psalmos genus tenet Allegoricum, literalis expositionis parum. quod Hieronymus in eo taxat. Nam cum Augustinus Ebraici sermonis imperitus esset, & in Græcis literis parum instructus, necesse illi fuit à propriæ literæ sensu ad extortas allegorias discedere.* Hanc eruditissimi Monachi censuram nequaquam esse temerariam, aliquot locorum inductione ostensum ibo.

Psalm. I. vers. 3. Et erit tanquam lignum.] Vide quæ supra notavimus ad Deut. 28.

Vers. 5. Ideo non resurgent impii in judicio.] Frustra hic subtiles sunt interpretes. Alii, non resurgent ad beatam resurrectionem; Alii, non resurgent in cœtu justorum, inter justos. Alii, non resurgent in judicio id est ut judicentur. * *Jam enim pœnis certißimis destinati sunt*, inquit August. Item, non resurgent in judicio, id est ut judicent sed ut judicentur. Carthus. *non resurgent in judicio discretionis, quo homines justi se ipsos examinant & conscientias suas discernunt — de quo salubri judicio dicit Apostolus, Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* 1. Co. 11. & ad Job. cap. 14. artic. 34. *Vnde legitur* Ps. 1. Ideo non res. imp. in jud. *quod de judicio discretionis accipitur, quo homo inter bonum malumque judicans detestatur culpam, in quam incidit & per pœnitentiam resurgit.* Ita & Lombardus in comm. qui hanc *resurrectionem animæ* vocat. Omnem hunc interpretum æstum sedat melior interpretatio, *Non stabunt* (subsistent) *in judicio.* קום enim tam significat *stare*, quam *surgere.* Stare autem & cadere in foro opponuntur. Hoc sensu occurrit σαθῆναι, Luc.

* Ita & Hier. & Euthymius.

Luc. xxi. 36. *Vigilate — ut digni habeamini, qui effugiatis omnia ista,* καὶ σταθῆναι *stetis ante filium hominis*, quod Belgæ dicunt *bestaen.* Genev. *subsister.* Chaldæus Ebræum יָקוּמוּ reddit יִזְכּוּן puri, innocentes erunt. Pisc. *consistent.* in Germ. *bestehen*, *bestaen*, ubi in Luth. & Belg. est *bleiben*, *blyven*, Deod. *non staranno.* Genev. *ne subsisteront point.* Ita & Angli. Jun. *exurgent*, id est ut in Scholiis explicat, *ne sublato quidem vultu se audebunt sistere.* קום stare extra controversiam Jos. 7.12. *Et filii Israel non poterant* לָקוּם *stare coram hostibus suis.* Vnde & Levit. 26.37. *Et non erit vobis* תְּקוּמָה id est *consistentia*, consistendi facultas, *coram inimicis vestris.* Jos. 2.10. Jesa. 40. *Verbum Dei nostri* יָקוּם *stabit in æternum*, 1. Reg. 14.4. Genebr. inter alias interpretationes hanc quoque recenset & probat. Additque illa verba, *Verbum* קום *stare & surgere* significat. Et paulo ante, *Aliqui putant metaphoram sumptam à foro, in quo qui causam amittunt, cadere causa dicuntur.* Quam sententiam non admordet homo alias mordacissimus. Emmanuel Sa, *resurgent id est consistent q. d. non poterunt se defendere. Hebr. stabunt.* Atque ita quoque hunc locum accepisse Kimchium, alibi ostendemus.

Ps. II. Apprehendite disciplinam.] Ita Vulg. ex Græc. δράξασθε παιδείας, Lombardus in comm. *Apprehendite] etiam si fugiat. disciplinam] Dei, sc. adversa.* In Ebræo esse *osculamini filium*, Genebr. Bellarm. Andradrius, & alii ingenue agnoscunt. Vide & Iansenium & Emm. Sa & alios. Vide quæso quæ supra pag. 19. de hoc loco attigimus. Invictum in hoc loco, prout in Ebræo extat, Judæos pro Deitate Christi argumentum situm esse agnoscunt. Idem Bell. lib. 1. de Christo cap. 5. ex textu Ebræo hujus loci pro eodem fidei articulo argumentum depromit. Annon ergo hic locus ad fidem pertinet? Et cum iidem Judæos ex vulgata versione urgeri non posse concedant, annon sequetur, eam in loco ad primarium fidei articulum stabiliendum pertinente, ab Ebraïca veritate deficere? Sudant Interpretes, * ostendant sensum loci recte expressisse interpretem. Sed respondit Rev. D. Rivetus, aliud esse ex textu argumentari, aliud textum interpretari. Non esse laudabile genus interpretandi, cum res singularis & individua per genus & quidem remotissimum aut per adjunctum & consequens aliquod exponitur. Cæterum de hoc loco vide quem jam laudavimus

* Vide Bel. d. V. D. 2. 13. & in commentario.

mus *Rivetum*, commentario in Psalmorum propheticorum decadem, Chamierum, Junium, Witakerum, Ternovium, & alios, qui cum Bellarm, & Pontificiis super hoc loco disputarunt..

Ibid. Servite Domino cum timore & exultate in tremore.] Ex hoc quoque loco colligit Bellarminus lib. 3. de Justif. cap. 12. neminem de sua electione posse esse certum. Quid nostri Theol. respondeant, vide apud Paræum, Chamierum, Rivetum comm. in hunc Psalmum, Amesium & alios. Discat tiro, phrasin illam ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ quinquies in Bibliis occurrere, semel in veteri, quater in N. fœdere, & quidem tantum apud Paulum. Notet, omnibus istis locis ita usurpari, ut superbiam, carnalem securitatem & præsumptionem excludat: animi dimissionem, reverentiam, humilitatem & modestiam, non vero servilem metum, diffidentiam & trepidationem significet. Locus primus hic ipsus est, ubi Ebræa illa ביראה וברעדה Lxx. reddidere, ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ. II. extat 1. Cor. 2. 3. ἐγὼ ἐν ἀσθενείᾳ καὶ ἐν φόβῳ καὶ τρόμῳ πολλῷ ἐγενόμην πρὸς ὑμᾶς. ubi suam humilitatem & modestiam opponit fastui Pseudo-prophetarum & impostorum. Certe, eum cum servili metu, trepidatione & diffidentia cum Corinthiis versatum fuisse, nulli fiet verisimile, qui Paulum ex Paulo novit. III. 2. Corinth. 7. 15. ὡς μετὰ φόβου καὶ τρόμου ἐδέξασθε αὐτὸν, scilicet Titum. id est summa reverentia. Alias nec recreassent Titum, nec Paulo hoc nomine placuissent. IV. Ephes. VI. 5. *Servi obedite dominis vestris* μετὰ φόβου καὶ τρόμου, *& in simplicitate cordis.* Atqui servitus, quæ cum perpetua trepidatione & diffidentia conjuncta est, illiberalis est, & Apostoli commendatione indigna. V. Philipp. 2. 12. *operamini salutem vestram* μετὰ φόβου καὶ τρόμου. id est cum majestatis divinæ reverentia & solicita peccati cautela. Atque hinc explicandum illud quoque videdetur, quod extat Rom. XI. 20. μὴ ὑψηλοφρόνει, ἀλλὰ φοβοῦ. ne superbias (vulgatus, noli altum sapere, nimis restricte) sed time id est ταπεινοφρόνει, esto humilis, modestus. Interim lubens dederim Bellarmino, plurimos eorum, qui hanc certitudinem jactant, falli & decipi. Melior, opinor, eorum sors est, qui Christum Jesum sincera fide complexi, eique in bona conscientia & caritate non ficta servientes, subinde dubitant, &, quod in tentationibus fieri solet, trepidant, quam istorum,

qui, licet omni flagitiorum genere cooperti ſint, ne formam quidem pietatis habentes, hanc tamen certitudinem ſemper credant. Sic eſt profectò. Plures præſumendo quam tripidando periere. Neutiquam ergo otioſa eſt illa B. Pauli admonitio, *qui ſtat, videat ne cadat.*

Pſ. VIII. 5. Quid eſt homo — aut filius hominis.] Quicquid hic diſſerit Auguſt. ex vocula *aut*, nullum in originario textu fundamentum habet, Illuc enim eſt וּבֶן & filius. Non nego illam literam ſæpe reddendam per *aut*, ſed non ſemper diſtinguere illud cui præfigitur, ab eo quod anteceſſit, tanquam diverſum, id vero eſt quod nego. Sic dico, vau ſæpe præfigitur iſtis hemiſtichiis, quibus idem repetitur aliis verbis, quod Rabbini vocant כפל הענין במלות שונות / Ibi vero ſive per Et, ſive per AUT reddas, ſæpe hilum non intereſt. Alia longe ratio eſt, quando vel hemiſtichio, vel membro, rem ab antecedenti diverſam continenti, præfigitur. Ibi enim niſi per AUT reddideris, caliginem non ſolum offundis ſententiæ, ſed & errandi occaſionem lectori ſæpe præbebis. Exempla vidimus ad Exod. XII. & Judic. XI. ex quorundam ſententia. Atque hic inſeram obiter, quod ſupra ad Exod. XXI. 16. notandum fuerat. גֹּנֵב אִישׁ וּמְכָרוֹ וְנִמְצָא בְיָדוֹ מוֹת יוּמָת id eſt *qui furatur virum* (id eſt hominem confer cum illis quæ ſupra pag. 237.) *& vendidit eum & inventus eſt in manu ejus, moriendo morietur.* Ita ad verbum ſonant Ebræa. Latino interpreti hic hæſit aqua. Nec enim capere potuit, quomodo *vendiſſe*, &, *reperiri adhuc in manu furis*, ſimul poſſint ſubſiſtere. Ideo locum ſic convertit, *Qui furatus fuerit hominem & vendiderit, convictus noxæ, morte moriatur.* Qua lege capitis damnari non poteſt plagiarius, niſi caput ſubreptum vendiderit. Quid ergo ſi non vendiderit? Reſpondent Lyra, Carthſ. & alii, *doctores Catholicos ſtatuiſſe, eum ex lege generali* Exod. 22.4. *teneri pro uno homine ſubrepto reddere duos ad ſerviendum.* Quæ ſententia multis urgeri poteſt difficulatibus. An ergo furtum hominis & beſtiæ juxta æſtimabitur? An cap. XXII. 4. ulla hominis mentio? Annon potius manifeſte excluditur homo? An duos iſtos ſervituros dabit ex familia ſua, an emet aliunde? At ſi non habeat unde emet? Quid ergo? Non venit interpreti in mentem enallage copulæ vau, quam alibi tamen non neglexit. Eam ſi hic quoque obſer-

servasset, mentem Legis-latoris melius expressisset, vid. in hunc modum, *Qui furatus est hominem, sive vendiderit eum, sive inventus furit in manu ejus, omnino morte plectitor.* Aut, *qui f. est h. & vendidit eum,* [*si*] *inveniatur* [*adhuc*] *in manu, ejus m. morietur.* Non ignoro, quid pro vulgato Interprete afferri soleat, sed nostra interpretatione mentem Legislatoris melius expressam esse, cum Lyra pronuntio.

Vers. 7. Quam vere dixerit olim Polydorus Virgilius, *doctores quosdam pontificios sacras literas, quo volunt, detorquere, instar sutorum, qui sordidas pelles suis dentibus extendunt*, hæc allegoria Antonii, Episcopi Florentini, docebit. Sic ergo ille hunc versum ἀλληγορεῖ, parte 3. tit. 22. cap. 5. *Deus omnia subjecit pedibus ejus id est, Pontificis Romani.* Oves id est *Christianos.* Boves, *id est Judæos & hæreticos.* Pecora campi *id est paganos.* Pisces maris *id est animas in purgatorio* Confer hæc cum istis quæ supra pag. 178. pro omnipotentia Pontificia adducta sunt.

Ps. X. Ab hoc Psalmo usque ad CXLVII. discrepant Ebræi à Græcis in Psalmorum citatione. Nos Ebræos, Pontificii Græcos & vulgatam Latinam, quæ ex Græco traducta est, sequuntur. Nos ipsos unitate semper superamus. Ex. gr. Qui nobis est XXII. ipsis est XXI. Notet autem lector, me Ebræos ubique sequi· Causa differentiæ hæc est. Græci Psalmos IX. & X. in unum conflarunt. Hinc Psalmus nobis XI. ipsis est X. Ea dissensio excurrit usque ad Psal. 147. Illum enim rursus distribuerunt in duos. Credo ut CL. Psalmos haberent. Alias tantum 149. numerassent. Hic tamen ex transverso alia insuper intercurrit differentia, sed quæ mox in concordiam redigitur. Namque Græci & Latini Psalmum nobis CXV. jungunt cum CXIV. atque ita isti Psalmi constituunt ipsis psal. CXIII. Hinc Psal. nobis CXVI. *Dilexi quoniam, &c.* ipsis est CXIV. ubi binario numero à nobis discrepant. Sed mox rediunt ad priorem differitatem, Psalmum istum in duos partiendo, & ab isto versu, *credidi, quia locutus sum,* Psalmum novum, ipsis CXV. incipiendo. Atque ita Psalmus sequens nobis 117. ipsis est 116 &c. Hoc tironem monere volui. Vtinam non essent graviores inter nos & Romanam Ecclesiam controversiæ! Nam quod ad Ebræorum numerationem attinet, quam nostri sequuntur, ipsi Ebræi non conspirant Ipse Kimchi Psal. 115. cum 114. jungit & ad emendatis-

ſima exemplaria provocat. In eundem modum Ebræorum nonnulli ex Pſalm. 1. & 2. unum fecerunt. Vide Kimchium.

Pſ. XIV. Sepulcrum patens, &c.] De hoc, & ſequentibus duobus verſibus, vide Bellarm. de V. D. lib. 2. cap. 2. Canum in locis 2. 13. Azorium tom. 1. lib. 8. cap. 1. Glaſſium p. 105. & 106. Polanum lib. 1. Syntagm. cap. 37. Hieronymus in præf. ſuper 16. librum comment. in Jeſaiam prolixe docet, hos verſus non pertinere ad Pſ. præſentem. Et in comm. ad hunc Pſ. *In Ebræis codicibus*, inquit, *hi verſus non habentur. Quæritur ergo, quomodo Apoſtolus hoc uſus ſit teſtimonio in Ep. quam ad Romanos ſcripſit? Reſpondemus, Apoſtolum de Deuteronomio ac Pſalterio & cæteris Scripturarum locis hoc teſtimonium texuiſſe.* Si quæras ex quibus ſcripturæ locis hoc teſtimonium Apoſtoli Rom. 3. contextum ſit, en tibi illa, Pſ. 5. 10. Pſ. 140. 4. Pſ. 10. 7. Jeſa. 59. verſ. 7. 8. Pſ. 36. 2. Etiam in Bibliis Complut. hæc non extare Mariana teſtis eſt in tractatu de Vulg. verſ. pag. 96. Fruſtra ergo ex hoc loco inferunt nonnulli, textum Ebr. mutilatum eſſe. Verius, ex utriuſque textus collatione, Vulgatæ verſionis redundantiam colligimus. Gnomonum peccata fatui in ſolem rejicere ſolent. Ita Pontificiorum nonnulli quod vulgatæ verſionis author peccavit, fontibus, tanquam ſi illi corrupti eſſent, ſolent tranſcribere.

Pſ. XVI. 10. *Non relinques animam meam* (id eſt me r vel corpus meum, vel vitam meam) לשאל *in ſepulcro*] De voce שאול diximus abunde ad Geneſ. XXXVII. Eam vulgatus, Lutherus & Belgæ hic reddiderunt *infernum*, *Non rel. animam m. in inferno.* Unde primarium Pontificiorum argumentum pro locali deſcenſu Chriſti ad inferos. Sed vide de hoc loco ſolide diſputantem Rivetum in comm Chamierum, Junium, Ameſium ad controverſ. 2. Bellar. Bezam & Druſ. ad Act. Notabit hic tiro, vocem Ebr. נפש præter propriam notionem, tropicas habere tres, quarum ſingulæ hic applicari poſſunt. I. Enim per ſynecd. ipſam perſonam ſignificat, pſ. V. 2. pſ XI. 1. *Anima hominis* paſſim pro *homine*. Sic anima Dei, pro ipſo Deo Amos VI. 8. pſ. XI. 5. Prov. VI. 16. II per Metonym effic. ſignificat vitam. pſ. VII. 2. 3. 6. pſ. 88. 3. III. per Metonym. adjuncti, vel ut alii loquuntur, (ſeu per ſynecd. membri pro integro, quod rurſus per eundem tropum pro altero membro poni-

ponitur) pro corpore, Genes. XVII. 21. eoque mortuo, Levit. XIX 28. & XXI. 2. 11. Num. XIX. 11. Hagg. 2. 14. His locis vulgatus Ebr. נפש solet reddere *mortuum*. Chald. מית / *mortuum*, Lxx. ψυχὴν. Beza Act. 2. Edit. prima, usus fuit voce *cadaveris*. Illyricus in clavi, negat נפש istis locis significare *cadaver*. Quid ergo? *hominem mortuum. Nam & mortuos solemus adhuc homines vocare*, inquit. Sed quid tunc fiet loco Numer. VI. 6. ubi additur אֶל־נֶפֶשׁ מֵת לֹא יָבֹא / מֵת / *ad animam* id est cadaver, *mortui non accedet*. An reddes, ad mortuum mortui, vel ad mortuum mortuum? Ita usurpavit vocem ψυχὴ Sirach. XVI. 31. *Animam omnis animantis tegit facies terræ*. Et Virg. Æn. 3. *animamque sepulcro condimus*. Et alibi, *Egregias animas, quæ sanguine nobis Hanc patriam peperere suo*. Arias Mont. à nostris partibus hic stat. Namque in Idiotismis linguæ Ebr. voce *anima*, hunc ipsum locum sic adducit, ut doceat *animam* pro corpore positam. Nec non Steuchus in hunc Psal. Quod vero ad vocem *cadaver* attinet, ob quam tantos fluctus excitant Pontificii, ipse Greg. de Valentia in 3. partem summæ Thomæ, qu. 4. puncto 1. corpus Christi *cadaver* vocat. Et Salmero tract. 7. tomi X. Et Cajet. in Matth. 28. Et ex Patribus Chrysost. in primam ad Corinth. homil. 24. πτῶμα καλῶν τὸ σῶμα, διὰ θάνατον; quod Hervetus sic interpretatur, *cadaver corpus* scil. suum Cristus *vocans ob mortem*. Et Theophyl. in Matth. XXIV. Desinant ergo Pontificii hos fluctus in simpulo excitare. Desinant insultare hoc nomine beato seni, cujus candorem potius prædicare par erat. Namque ex posterioribus Editionibus vocem eam sustulit, retenta tamen eadem expositione. Junius locum sic interpretatur, quasi David *loqueretur*; & Christum vocaret *animam suam*. Vide ejus scholia. Sed hanc expositionem licet subtilem & ingeniosam refellit Rev. Piscator, & improbat cl. Rivetus.

Ps. XVIII. 26. Cum sancto sanctus eris & cum perverso perverteris] Hæc vulgati interpretis verba passim sic accipiuntur, quasi bonorum familiaritas commendetur, malorum dissuadeatur: Cum tamen Scriptura hæc de Deo pronuntiet, sensusque sit, Deum cum sancto sancte & liberaliter agere, benigne promissam mercedem rependendo, cum perversis vero severe se habere, puniendo. Rivetus Isagoges pag. 262. Optimus hu-

hujus loci comment. est caput XXVI. Levit. & nominatim verſ. 23. 24.

Ibid. verſ. 36. Quando me humilias, tunc me magnificas.] Ita Luth. & ex eo Belgica. Vulgo affertur ad oſtendendum & probandum ſalutarem uſum afflictionum. At Ebræa illam interpretationem non admittunt, וְעַנְוָתְךָ תַרְבֵּנִי *& manſuetudo tua auget me.*

Pſ. XIX. verſ. 5. In omnem terram exivit linea eorum] קַוָּם de hoc loco poſt alios fuſiſſime & ſolidiſſime egerunt Rivetus in comm. & Glaſſius in Philologia S. Lege & non pœnitebit..

Ibidem. לַשֶּׁמֶשׁ שָׂם אֹהֶל בָּהֶם] Aquila, Theod. Symmachus τῷ ἡλίῳ ἔθετο σκήνωμα ἐν αὐτοῖς.. Ita & Chald. לְשִׁמְשָׁא שַׁוִּי מַשְׁרְוֵי זִיהֲרָה בְּרוֹן *ſoli poſuit ſplendidum habitaculum in illis.* Juſtinus Martyr quæſt. 63. ex Syra interpretatione hæc citat ἐν αὐτοῖς ἔθετο τοῦ ἡλίου τὸ σκήνωμα. Conſentiunt Theodor. Hieron. Pagn. Arias, Bened. Vatabl. Munſterus, Sixtus Senenſis, Biblioth. Sanctæ lib. 3. pag. mihi 137. Sa & alii. Ianſenius locum ſic explicat, Deum Soli in cœlis circumſcripſiſſe domicilium, ut illic veluti in ſublimi theatro melius conſpiceretur. Bellarm. in comm. agnoſcit in Ebræo nullam apparere verborum ambiguitatem, vel obſcuritatem, & ſententiam illam, quam nos expreſſimus, eſſe veram. Lxx. ἐν τῷ ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτοῦ. Vulg. *in Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Multi interpretes valde æſtuant, ut hanc verſionem cum fontibus concilient. Alii conantur oſtendere, verba Ebræa admittere poſſe iſtam interpretationem. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* At tum dicendum fuiſſet בַּשֶּׁמֶשׁ שָׂם אָהֳלוֹ / Nam ut ut demus, ל poſitum pro ב ut Pſ. XVI. לִשְׁאוֹל pro בִּשְׁאוֹל unde accipient reciprocum illud *ſuum.* Certe non ex בָּהֶם / quod pluralis numeri eſſe, non videtur advertiſſe Richardus Cenomanus, author collationis quæ adjecta eſt ad comm. Lombardi in Pſalm. Si ſubintelligendum eſt, quid tunc fiet voci בהם? Verba Richardi, *Prima vox indiſcriminatim accipi poteſt in dativo & ablativo. Et ultima reciproce, & relative ſimpliciter. Inde poteſt reddi in hunc modum,* Soli poſuit t. ſ. *vel,* in ſole p. t. ſuum. Nugæ & gerræ Sed & quis ſenſus? Manichæi, teſte Auguſt. libro XX. contra Fauſtum ex hoc loco perperam intellecto, in adoratio-

rationem Solis inciderunt. Credebant enim hanc esse verborum istorum mentem, Christum, cum in cœlum ascenderet, corpus suum in globo Solis reliquisse ac solam animam suam supra omnes cœlos ad dextram patris evexisse. Volebant ergo carnem ejus in Sole, ceu Dominici corporis tabernaculo, adorandam esse. Hanc sententiam graviter perstringit Senensis lib. 3. atque illam imperitiæ Ebraïci idiomatis transcribit. *Genuinus*, inquit, *proprius & literalis sensus iste est, Deum posuisse Soli tabernaculum in cœlo, ex quo Sol ipse summo mane tanquam sponsus è cubili progreditur, ostensurus splendorem vultus sui omnibus.* Quid dixisset, si picturam illam vidisset, quam in frontispiciis multorum librorum repræsentavit Bartholomæus Gravius Typographus Lovaniensis, vid. Solem, in quo sedet puerulus crucem gestans, cum hac inscriptione, *In Sole posuit tabernaculum suum.* Inspice titulum Magistri Sententiarum ab ipso 1556. editi. Serapion Episcopus contra Manichæos scribens, teste Senensi lib. v. annotatione 160. ejusdem erroris Origenem postulat. Sed patriocinium ejus suscepit Pamphilius Martyr, qui, producto evidentissimo loco ex Origenis comm. in hunc eundem Psalmum, liquido docet, hanc ineptam Manichæorum sentntiam ab ipso Origene ex professo confutari. Locum descripsit Senensis. Ibi vero Origenis sententia his verbis proponitur, *Habitatio tabernaculi Christi Sol esse dicitur. Tabernaculum vero Christi, Ecclesiam intelligo. Solem autem quem alium intelligere debeo, nisi illud lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipsum video Solem de quo dictum est,* Quia timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ. *In Sole ergo posuit tabernaculum suum id est sole justitiæ.* Hæc Origenes. August. col. 91. tomi 7. *Dominus, ut adversus regna temporalium errorum belligeraret, non pacem sed bellum missurus in terram, in tempore vel in manifestatione posuit tanquam militare habitaculum suum, hoc est dispensationem incarnationis suæ.* Pergit, *Et ipse tanquam sponsus de thalamo suo, &c. id est de utero virginali, ubi Deus naturæ humanæ tanquam sponsus sponsæ copulatus est, &c.* Quis ferat hujusmodi interpretationes in hac literarum luce pro concione proponi? Idem col. 96. *In sole posuit t. s. id est, in manifestatione Ecclesiam suam, non in occulto, non quæ lateat, non velut operta, ne forte fiat sicut operta super greges hæreticorum. Dictum est & cuidam*

in

in scriptura, tu in occulto fecisti, patieris in sole. In *Sole ergo posuit tabernaculum, quid tu hæretice fugis in tenebras?* Eadem invenies in Gloss. ordin. & rhapsodia Lombardi. Hæc arripuit Bellarm. quem non puduit lib. 3. de Ecclesia cap. 12. hunc locum advocare in patrocinium sententiæ suæ de visibilitate Ecclesiæ. Ait enim hic aperte describi Ecclesiam, quæ non potest abscondi, sicut Sol non potest latere. In comm. tamen nihil tale invenitur. Si forte satur necdum es ineptiarum, Lector, apponam tibi plures ejusdem gustus dapes. Carthus. In Sole *id est in mundo inferiori sub sole, vid. oculis hominum,* posuit *filius Dei* tabernaculum suum, *id est corpus assumptum, quod dicitur templum invisibilis Deitatis, &c. Vel sic,* In sole *id est in beata virgine Maria* posuit *Christus* tabernaculum suum, *id est corpus suum, habitans in utere ejus IX. mensibus. Felicissima namque Maria Sol dicitur propter excellentissimum divinarum gratiarum in eâ splendonem de qua in canticis, pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Lombardus ex Alcuino, *Sol tria facit, lucet, urit & varietatem temporum facit. Posuit ergo tabernaculum in Sole id est tempore, quia carnem assumsit temporalibus vicissitudinibus subjectam. Vel in Sole id est in labore, quia æstum laborum gratis sustinuit.* Agmen claudant Bellarm. & Genebrardus. Et quidem illius (Bellarmini) in comm. hæc est interpretatio, *quoniam in Sole commoratur Deus tempore peregrinationis nostræ, quo eum videmus per speculum creaturarum, & Sol inter eas obtinet principatum, &c.* Hujus vero (Genebrardi) ista est paraphrasis, *Respexerunt ad mysterium, quo in Christo vero Sole Deus erat, ac veluti domicilium suum habebat, mundum reconcilians sibi,* 1. Cor. 4. *In Sole,* inquit, *Deus habitat, suum domicilium habet, unde gloriose illustris, majestate plenus apparet. q. d. Sol in quo Deus insidet, sive per quem excurrit per totum mundum, ipsum loquitur, ostendit, &c.* Quot capita, tot fere sententiæ. Quas omnes à mente Psalmographi alienas, aliquot etiam absurdissimas & ineptissimas esse, intrepide ajo & pronuntio. Nunquam enim ex textu Ebræo, quem de mendo nemo illorum vel suspectare ausus fuit, verba illa, *in Sole posuit tab. suum,* quibus omnes istæ superstructæ sunt, exsculpent.

Nunc illud restat, ut videamus, qua ratione alii conentur versioni vulgatæ istum inducere sensum, quem unum Ebræus textus admittit, vid. Deum Soli tabernaculum in cœlo assignasse.

gnasse, Αμφιδέξιος Geneb. Hypallagen constituit in vulgata versione, ut, *in Sole p. t. suum*, dictum sit, pro, *Solem posuit in tabernaculo suo*, id est in cœlo. Emmanuel Sa, In sole *pro* Soli. suum, *scilicet Solis*, *q. d. collocavit Solem in cœlo*, *veluti tabernaculo. vide Ps. 104. extendens cœlum sicut pellem id est tabernaculum, quod fit ex pellibus. Vide Justinum quæst. 63. Hier. & Chald.* in eis *sc. cœlis*: Hæc SA, plane ad palatum nostrum & ex mente Psalmographi. Sic dico, Docta & erudita ea est interpretatio, sed quam versioni Latinæ non magis aptaveris, quam fronti ocream, aut tibiis galeam. Genuinum loci sensum vidit Sa, nec tamen ea fuit doctissimo viro audentia, ut versionem vulgatam hic atro lapillo notaret. Antonius Agellius (cujus sæpe meminit Rev. D. Rivetus) ex Diodoro aut hor Græco hanc adfert, *In Sole posuit tab. suum id est ejus, quasi in ipso sole positum esset tabernaculum Solis, quia Deus constituit, ut Sol se ipsum gestaret sine alio vihiculo.* Ipse tamen Agellius, periculum ingenii sui facturus, aliam suppeditat, *In Sole posuit. tabernaculum SUUM id est ejus. q. d. in ipso Sole Deus posuit tabernaculum Solis, quia aliquando se abdit & in tenebris tanquam in tabernaculo condit.* Quæ interpretatio, præterquam quod textui Ebræo plane aptari non possit (non enim scriptum est אָהֳלוֹ sed אֹהֶל) è diametro repugnat observationi Bellarmini, qvam ex hoc loco depromsit, ut supra vidimus. Restat *Euthymius*, qui omnibus hic palmam præripuisse videtur. *Hujus versiculi sensus talis*, inquit, *quod Deus habitationem Soli posuit in cœlo. Ait enim Moses de duobus magnis luminaribus, quod posuit ea Deus in firmamento cœli, ut lucerent super terram. Aliquibus etiam visum est, versiculum hunc recte construi non posse, nos autem post dictionem*, tabernaculum, *virgulam ponentes, & dictionem, quæ Græce αὐτοῦ habetur, non pro relativo, sed adverbio loci intelligentes, commodissime ordinem reddidimus: posuit Deus ac determinavit Soli habitationem illic id est in cœlo. Ita tamen ut superflua sit præpositio*, in, *quemadmodum multis in locis observavimus.* Vult ergo, *in Sole*, positum esse pro, *Soli.* Atque hinc primam suam notam hausit SA. Nos præpositionem ἐν ex Ebraïsmo sæpe πλεονάζειν scimus, quando vid. respondet Ebræo ב / præcipue vero quando instrumentum notat. At eam observationem hic velle applicare, alienum est. Claudam verbis Theodoreti, *In sole p. t. s. Hæc magis clare* * *tres interpretes explanarunt, Soli posuit tabernaculum in illis. Vid. in cœlis. Magnus enim Moses docuit, Et fecit*

Suum pro ejus.

* Aquila, Theodotio, Symmachus.

cit

cit Deus duo magna luminaria & posuit illa in firmamento cœli, &c. Et accedat Lyra, *In Ebr. & translatione Hieron. juxta Ebræum, habetur,* Soli posuit t. s. in eis, *& sic exponitur, quod Sol in medio planetarum ponitur. Et hic fit specialis mentio de Sole magis quam de aliis stellis, quod per ipsum & ejus effectus magis innotescat ordo divinæ sapientiæ hominibus.*

Vers. 14. Et ab alienis parce servo tuo.] Ita Vulg. ex Græco, ἀπὸ ἀλλοτρίων φεῖσαι τοῦ δούλου σου. Ebraïcè, מִזֵּדִים / Chald. מִן זֵידוֹנַיָּא â superbis vel superbiis, Hiero. *à superbis.* Symm. ἀπὸ ὑπερηφάνων Pagn. *à superbiis.* Arias Mont. *ab insolentibus.* Qui *superbias* reddunt, peccata quæ scienter & insolenter committuntur, intelligunt. Integrum hemistichium ita habet מִזֵּדִים חֲשֹׂךְ עַבְדֶּךָ. *à superbiis prohibe servum tuum.* Non petit sibi condonari peccata scienter & insolenter admissa, sed implorat Dei auxilium, ne unquam in ejusmodi peccata prolabatur. Junius, *à contumaciis subtrahe servum tuum.* Pisc. *vom ubermut.* Ital. *Guarda etiandio il tuo servidore da peccati commessi per superbia.* Genev. — *des offenses commises per fiertè* id est per superbiam, contumaciam. Hispan. *de las sobervias,* Scholion, *de los peccados hechos* (id est commissis) *de proposito deliberado.* Qui Latine intelligit, hæc intelliget. Angl. *from presumptuous sinnes.* Vides consensum Pontificiorum & Euangelicorum Interpretum. Et certe Ebræum זוד tam in Kal quam in Hifyl passim & in Biblico & Thalmudico contextu significat, data opera & de industria peccare, Ex. gr. Exod. XVIII. 11. Ierem. L. 29. Exod. XXI. 14. Deut. I. 43. Quid ergo vidit Græcus cum sic vertit, ἀπὸ ἀλλοτρίων; Resp. eum legisse Resch pro Daleth, מִזָּרִים / Quod si & Chald. & Symmachus eodem modo legissent, majori specie fontes Ebræos suspectare possent isti Pontificii, qui ut vulgatam defendant, fontibus ubique infesti sunt. Joh. Bened. in margine Pagninianam quoque interpretationem exhibuit, & Sa notat in Hieron. & Chald. esse, *à superbiis.* Atque hic semel nota, Emmauelem Sa, ubi Chaldæum textum allegat, Ebræum fere denotare, aut hunc sub illo quoque comprehendere. At Ebræum non ausus fuit nominare, ne simplex lector ista ab Ebræo textu discrepantia, eaque singulis fere versibus indicatâ commotus, Vulgatum textum suspiceret. Nunc videamus, quos ludos interpretes in hujus loci com-

commentatione dederint. Vulgo hæc verba ſic intellexerunt, fatente Bellar. in commentario, quaſi iſte eſſet ſenſus, condona mihi aliena peccata id eſt quæ vel per aliorum ſuggeſtionem patrantur, aut quæ alii à nobis non præmoniti admittunt. Author ſupplementi ad ſummam Thomæ quæſt.2.art.5 *petit ſibi parci à pecc. al. in quantum ex conſortio peccatorum aliquis per conſenſum aliquam immunditiam patitur, ſicuti ſcriptum eſt, cum perverſo pervertêris.* Pſ. 18. (Sed & hic ipſe locus quam bene allegetur, ſupra vidimus.) Et certe non ſolum ſuperiores, ὅις λαοὶ ἐπιτετράφαται καὶ ψυχαὶ, ſed & quilibet Chriſtianus, dum monendo officium ſuum non facit, aliorum peccatis communicat & merito deprecari poteſt Dei iram. Sed recte notavit Bellar. illud hoc loco non denotari. In Ebræo, inquit, duo peccatorum genera memorantur, alia per infirmitatem & ignorantiam, alia per ſuperbiam & contumaciam commiſſa. Audite hoc catholici, & diſcite à Bellarmino verum hujus loci ſenſum. Alii alienos homines, à quorum contagioſa conſortione conſervari velit, alii alienos dominos vel Deos intelligunt. Theodoretus de dæmonibus interpretatur. Omnes aliené. Non enim ut jam vidimus, in Ebræo eſt quod *alienum* ſignificet. Sed & Ebr. חֲשׂךְ minus bene redditum eſt *parce.* Significat enim retinere, cohibere. Quid ex eo colligi poſſit. verbis Rev. D. Riveti docebo. *Non poſſunt*, inquit David, *omnia peccata vitari. Sed, mi Deus, cuſtodi me, ne dedita opera ſciens volens grave & enorme quid committam. Verbum* חשך *quod* retinere & cohibere *ſignificat, magnam eſſe carnis ad peccandum proclivitatem, quæ frænis & retinaculis gratiæ divinæ opus habeat, & præcipites ferri ad vitium homines, niſi Deus ſua cuſtodia eos flagitiis ſubtrahat, oſtendit.*

Verſ. 14. *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero & emundabor à delicto maximo.*] Adſcribam verba Domini Riveti, Notat Genebrardus, inquit, illud mei, (μου) genitivi caſus, non nominativi. per Græciſmum pro dativo uſurpari. Quod cum non intellexiſſet Papa Pius IV. hæc verba uſurpavit, tanquam aptum ſibi ſymbolum, quia ex filiorum ſuorum dominatione, quos ad ſummos gradus evexerat, ſentiebat ſe maximam labem apud Deum & homines contraxiſſe. Ideo ſuorum ingratitudinem moriens ſæpe incuſavit, inquit Thuanus Hiſt. lib. VI. ad annum 1549. ſe felicem dictitans, ſi nunquam ge-

Notate Politici, qui ut veſtros promoveatis, graviſſimis ſæpe peccatis animas veſtrâs obſtringitis.

genuisset, ac subinde illud ex Psalmo XIX. quod in III. nocturno decantari solet, ingeminans, *Si mei non fuissent dominati, tunc immaculatus essem & emundarer à peccato maximo. Quia*, ut ibidem addit, *plus Justo privatis caritatibus indulgens existimationis suæ ac Reip. Christianæ periculum parvi fecerat, ut suorum ambitioni & libidini satis-faceret.* Hoc quidem peccatum erat maximum. Sed quam apte ad id significandum usurpata fuerint verba Davidis, judicent lectores & ex eo, quam boni sint Scripturæ interpretes Pontifices Romani, sine quorum face nihilominus, si Jesuitis credamus, in Scripturæ interpretatione cœcutiret orbis Christianus.

Ps. XXII. 2. Longinquus à salute mea, verbis rugitus mei.] Ebr. דברי שאגתי *verbis rugitus mei.* Homo qui magno clamore inter graves dolores preces suas effundit, alibi quoque in Psalmis *rugire* dicitur. *Intelligitur clamor doloris*, inquit Bellar. ad vers. 3. *qui recte rugitus dici potest.* Pagn. Arias, Munsterus, Campensis & alii quoque *rugitum* vertêre. Consentiunt in sensu prisci omnes, Chald. מִלֵּי אַכְלִיוּתִי / Hier. *rugitus mei.* Aquila, βρυχήματός μου. Symm. τῶν ὀδυρμῶν μου. Quinta, τῶν δεήσεών μου. Sexta & Theod. τῆς κραυγῆς μου. Soli LXX. οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου. Vulg. *verba delictorum meorum.* Legerunt שְׁגִיאוֹתַי aut cum eo confuderunt. Hic quæsitum ab Interpretibus, quomodo Christus sibi ipsi delicta tribuat. Varie responsum est. Thomas parte 3. qu. XV. art. 1. quærens an in Christo fuerit peccatum, hunc locum pro affirmativa in acie ponit, ad quem postea sic respondet, *dupliciter aliquid dici de Christo, uno modo secundum proprietatem naturalem & hypostaticam, ut cum dicitur quod Deus factus est homo. Altero modo secundum proprietatem personalem & habitudinalem, prout sc. aliqua de ipso dicuntur, in persona nostra, quæ sibi secundum se nullo modo conveniunt, &c. Unde & inter VII. regulas Ticonii, quas August. ponit lib. 3. de Doctr. Christ. prima ponitur de Domino & ejus corpore, cum scil. Christi & Ecclesiæ una persona æstimatur. Et secundum hoc Christus ex persona membrorum suorum loquens dicit*, verba delictorum meorum, *non quod in ipso capite delicta fuerint.* Hoc ergo vult, *Christum peccata nostra vocare sua propter unitatem Christi & Ecclesiæ, capitis & membrorum*, ut loquitur Carthus. Communior tamen sententia est, Christum peccata nostra vocare sua, quod pro

iis tanquam suis passus sit. Emmanuel, Sa *delictorum meorum*] *id est pro quibus, veluti si essent mea, paßionem subii.* Ita Theod. August. Euthym. Bell. Genebrardus. Bell. insuper ex Theod. docet, *Christum sibi tribuere posse peccata nostra, ac si sua essent.* Hoc nullus orthodoxus infitebitur. Et tamen ista omnia hic aliena sunt. Nulla enim hic delictorum in originali mentio. Nullum hic proponendæ salutaris de istius Christi satis-factione doctrinæ fundamentum est. Illud tamen hic observet lector, Si, ipsis Pontificiis fantentibus, peccata nostra propter imputationem possunt dici peccata Christi, cur absurdum putant, Christi justitiam posse vocari nostram? & per justitiam Christi nobis imputatam nos vere dici posse justos? *Qui sibi tribuit peccata nostra tanquam si essent sua ille certe se* pecatorem *dicit eodem sensu. Nam cujus sunt peccata, ille peccator est. Bellar. autem contendit, Christum sibi tribuere peccata nostra, idque vere ut credo, neque enim mentiri potest. Ergo potuit vere etiam se dicere peccatorem, dum personam nostram sustineret, qui tamen in se innocens erat.* Ita Dominus Rivetus comm. in hunc Psalmum. Claudam verbis August. in hunc ipsum locum, *Quomodo dicit* delictorum meorum? *nisi quia pro delictis nostris ipse precatur & delicta nostra sua delicta fecit*, UT JUSTITIAM SUAM NOTRAM JUSTITIAM FACERET.

Bellarm. de justificat. 2. 7.

Vers. 17. Foderunt manus, &c.] Ita & LXX. ὤρυξαν, Aquila, ᾔσχυναν, fœdarunt, id est indignis modis tractarunt, quomodo αἰσχύνειν usurpatur Homero, Iliad. 6 anitio.

—χαρίεν δ' ᾔσχυνε πρόσωπον

Fullerus 3. 10.

Et Virgil. Æn. 4.

Vnguibus ora soror fœdans & pectora pugnis.

Et lib. 2. *— quæ causa indigna serenos*

Fœdavit vultus?

Fœdarunt id est cruentarunt, inquit Servius. In codicibus Ebræis vulgo legitur כָּאֲרִי hoc est, *sicut Leo.* Omnes tamen Interpretes prisci vertunt per præteritum, quasi esset כָּאֲרוּ *foderunt*, quod per Epenthesin literæ א dicitur pro כָּרוּ à כרה, quomodo pro רָמָה Zach. 14. occurrit רָאֲמָה, Solus Chald. utrumque expressit, נָכְתִין הֵיךְ כְּאַרְיָא *fodiunt ut leo.* quod Arias Montanus in comm. suo calculo approbavit. Quod vero asserit, Ma-

Masorethas asseverare, duas illas lectiones כארו & כארי simul componendas esse, videtur respicere ad notam Masorethicam, quæ est ad hanc ipsam vocem, ב׳ קמצין בתרי לישני. שויתי עד בקר hoc est, *duo sunt cametzata, in duabus significationibus.* Sequentia verba innuunt locum, ubi alterum כארי occurit, vid. Jesai 38. 13. qui sic incipit שויתי עד בקר / Eo si respexit Arias, fallitur. Nam בתרי לישני non indicat duplicem vnius vocis in uno loco significationem, sed diversam duarum vocum, scriptura convenientium & diversis locis extantium, acceptionem. In Masora finali litera א fol. 1. col. 8.! proponitur alphabethum ex binis vocibus בתרי לישני / E. g. אָמִיר (quod quarto loco illic collocatur) significat *summum in arbore ramum* Jesa. 17. 6. & *permutabo*, Hos. 4. 7. Inter illas vero (sunt autem numero XCVIII.) recensetur & hoc כארי / Hoc ergo dicit Masora, כָּאֲרִי cum Kamets sub כ / bis extare in diversa significatione. Jesa. 38. 13. extra omnem controversiam significat *sicut leo.* Neque obstat quod sub כ sit Kamets, nam illud est propter inclusum articulum ה / quod notandum est propter Joh. Isaacum, qui ex ista punctatione conatur evincere, vocem כארי in mendo cubare. Hoc ergo loco vid. Ps. 22. 17. alia interpretatio quærenda est. Habemus ergo confitentes Judæos, כארי hic non significare, *sicut leo.* Apparet itaque locum hunc non esse de industria à Judæis corruptum. Apparet & illud, scripturam illam כארי esse perantiquam, & jam Moretharum ævo invaluisse. Doceri & illud insuper amplius potest, eorundem ævo scriptum fuisse כארו & lectum כארי / Masora marginalis ad Numer XXIV. 9. ubi extat vox כארי ita habet, ד׳ ב׳ קמצין וב פתחין hoc est, *quater occurrit, duo cum Kamets, duo cum fathach.* Quibus in Masora textuali hæc subjiciuntur, כאריב׳ וסי׳ כרע כארי/כארי ידי ורגלי כארו כתיב Ecce inter quatuor כארי recensent hoc, & simul notant, כתיב jam tum fuisse כארו / Accedit testimonium R. Jacob ben Chajim, qui in Masora magna, litera א ante ר notat, בקצת ספרים מדויקים מצאתי כתיב כארו וקרי כארי hoc est, *in quibusdam exemplaribus correctis. inveni scriptum* [in textu] chaâru, *at lectum* [in margine] chaari, Andradius, Defens. Conc. Trident. lib. 4. Galatinus de arcanis Cathol. verit. 8. 17. Joh. Isaac lib. 2 contra Lindanum pag. 102, & seq. testantur se vidisse exemplaria, quæ in textu habuerint כארו / in mar-

Glassius in Philologia sacra 122.

Fol. 10. edit. Basil. col. ult pag. aversa.

margine כארי / Chaldæum quoque Paraphraſten tali uſum fuiſſe codice, ex ipſius verſione, quam ſupra produximus, apparet. Dices, primo, ex teſtimoniis Maſoræ liquere, ejus authores lectionem כארי tanquam germanam probaſſe. Nam lectionem marginalem id eſt τὸ *Keri*, textuali, quam Chetib vocant, præferendam eſſe docent. Reſp. illorum judicium veritati nihil præjudicare, neque ullum in his talibus obligare. In marginalibus iſtis notis, quas קרי״ן vocant, aut authoritatem bonæ notæ codicum, aut ſuum judicium ſecuti ſunt. Sic dico aut notarunt in margine quod in bonis codicibus reperiebant & magis germanum putabant: aut quod ſine authoritate codicum legendum eſſe putabant, quando vocem, quæ in textu, de mendo ſuſpectant. Quicquid hic dixeris, illi ſecuti ſunt judicium ſuum, cuî nullus unquam interpres Chriſtianus ſe in omnibus ſubjecit, ipſique adeo Ebræi commentatores non ſemper patientiam præbuere. Nam & illi ſæpe τὸ Chetib tanquam magis germanum interpretati ſunt. Dices II. cum hodie in omnibus codicibus legatur in textu כארי & in margine ſub titulo Keri nihil repræſentetur, non de nihilo eſſe objectionem Pontificiorum, qui hunc locum tanquam minus ſincerum accuſant, Reſpondeo cum Witakero hoc unum poſſe ab illis probabile in fontibus Ebr. corruptelæ indicium inveniri. Si enim vera ſunt, quæ ex Maſora produximus, dupliciter hodie ab antiquis codicibus receditur. I. enim in textu ponitur non כארו ut olim, ſed כארי / II. in margine nihil ſub titulo *Keri* exhibetur. Quod ſi enim hic repoſtum fuiſſet illud כארו / jam nuda fuiſſet tranſpoſitio & quidem ejuſmodi, quæ hoc exemplum miſiſſet ſub jugum iſtius Ebræorum legis, qua τὸ *Keri* præferendum eſſe ſanciunt. A qua alias eximendum fuiſſet. Nam ut antea diximus, iſti ſanctioni ne Ebræi quidem omnes obediunt. Sed quid in textu, quid in margine poſitum olim fuerit, vel debeat, nolim cum quoquam contendere. Illud conſtare ex ipſorum Maſoretharum confeſſione opinor, כארי hic non ſignificare *ſicut leo*. Quid ergo aliud denotabit, quam *foderunt*? vid. כארו quod in codicibus correctis extitiſſe ipſi prodidêre. Cur ergo in recentioribus editionibus Bibliorum, alteram lectionem ſupprimunt, dices? Imo, cur Chriſtiani eam ſupprimunt, inquam ego. Cur ipſi Pontificii, Plantinus, Bomber-

bergus & alii eam insuper habuere? Dicam. Non semel librariorum errore vel incuria Keriin & Chethibin transposita & confusa sunt. Certe Elias Levita in quadam Editione Veneta id passim factum esse conqueritur; Non item nuperum est, quod Keriin id est marginales istæ notæ, à multis librariis omitti cœpere. Hinc non est quod admodum miremur, hoc quoque loco lectiones istas transpositas, eamque, quam margo exhibere debuisset, omissam esse. Christianis, cum editiones Bibliorum Ebraïcorum adornare inciperent, quominus marginalem lectionem restituerent, Judæi restitêre. Ex quo enim superiori seculo literas Ebraïcas, ringentibus Judæis, didicere Cristiani, incrementa sumsit æmulatio inter Judæos & Christianos. Incrementa sumsit pertinacia, adeo quidem ut nihil Christianis gratificari voluerint. Æmulatio magna orta est inter typographos nec non correctores Judæos & Christianos. Atque in hoc certamine præpotuere Judæi. Namque Christianorum animos metus damni fregit. Ausus enim fuit Judæus quidam, corrector editionis cujusdam Venetæ, denuntiare Bombergo, cum is locum hunc ad fidem correctissimorum codicum, quos R. Jacob ben Cajim notat, restituere vellet, se procuraturum apud suos, ne ullum exemplar istius editionis emeretur. Id quod ex cl. Drusio sæpe me audire memini. Quam pauca vero Bibliorum Ebraïcorum exemplaria etiamnum inter Christianos divendantur, Bibliopolæ optime testabuntur. Atque ita hujus qualiscunque defectus, quem in hodiernis codicibus agnoscimus, originem, librariorum descriptorum incuriæ; conservationem vero & durationem ejusdem, partim Judæorum pertinaciæ & ambitioni, partim nostrorum Typographorum pusillanimitati & Christianorum socordiæ adscripserim.

In dissertatione nostra de nomine יהוה p. 323. promisimus nos hoc loco exhibituros commentationem de Keri & Chetib jam antea in coronide nostra editam. Hic ergo eam habes Lector.

SIXTINI AMAMA

COMMENTATIO
De Keri & Chetib,

AD

Reverendum & Clarissimum virum,

D. LVDOVICVM de DIEV

Verbi divini in Ecclesia Leidensi Ministrum vigilantissimum & orentalium linguarum propagatorem indefessum, fratrem in Christo dilectum.

OMnes verbi divini Ministros, ceu mysteriorum Dei dispensatores, uti par est, amo, colo, veneror. Non infitebor tamen, me singulari quodam affectu eos prosequi, qui Biblica studia colunt. Inter eos te eminere, res ipsa loquitur. Edidisti non ita pridem Syriacam paraphrasin Apocalypseos, quam tot annis literatior orbis frustra expectaverat. Accessit à te accurata ejusdem versio & doctissimarum animadversionum sylloge. Nunc vero quo magis φιλογλώσσυς *demerearis, totus es in edenda collatione Grammaticæ Ebrææ & Aramææ. Studia & meditationes tuæ circa ipsos fontes & locorum difficiliorum illustrationem versantur. Macte hoc animo, eruditissime Vir Perreptent alii Gentilium cloacas & sterquilinia. Alii id operam dent, ut aures populi declamatorum flosculis demulceant: tu perge obscuris sacræ paginæ locis facem excellentis tui ingenii allucere. Despreta in præsens jacent hæc studia? Quid tum? Masculandus adversus hunc contemptum animus est. Gratior posteritas tuis meritis dignum rependet decus, famamque nominis tui, & ingenii monumenta cum laude & bonis recordationibus prosequetur. Sed in hoc argumento tuarum laudum prolixior essem, nisi tecum sermocinarer. Accipe nunc hanc commentationem, super cujus argumento jam per literas egimus. Illi tuum præscripsi nomen, ut testarer, quantum tibi deferam, & debeam. Gratæ fuerunt mihi literæ, quas hactenus à te accepi. Et dignus essem, cujus fronti ingrati hominis character inureretur, si dissimularem, me ex iis*

mul-

multum profecisse. At gratissima ista erunt, quarum argumentum circa hujus commentatiunculæ examen occupabitur. Vale Reverende & inculpate vir. xx. Martii 1628.

ANomaliæ omnes circa quas potissimùm * noster versatus fuit labor, vel essentiales sunt, vel accidentales. Essentiales voco eas, quæ in ipsis vocibus consistentes causam non habent aliam, quàm usum, penes quem, ut aliis linguis, ita & in hac, dum stetit Resp. Judaïca, — arbitrium fuit & vis & norma loquendi. Licet enim tam verba quam res amanuensibus suis Spiritus S. dictârit, attemperavit tamen se & cujusque Amanuensis stylo, & cujusque sæculi dialecto. Vnde alius est Jesaiæ, alius Amosi stylus. Alia Mosis, alia Jobi, alia Davidis, alia Ezræ, Haggæi, Danielis, &c. dialectus. *In Coroin. de nostra. ad Grammaticam.

II. Anomaliæ istæ, ut jam * ante à nobis dictum est, sunt vel communes, vel propriæ. Communes vocavi eas, quæ regulis aliquatenus comprehendi possunt & in Grammaticâ nostrâ, suis quæque locis, exhibitæ sunt. Proprias dixi, quæ uni certæ radici vocive propriæ sunt, &c. * Gramm. pag. 230.

III. Accidentales voco, quæ in vocis peculiari scripturæ consistunt. Suntque duûm generum. Aliæ enim ob Mysterium aliquod, uti quidem Ebræis placet, aliæ ob diversam lectionem irregulariter scribuntur.

IV. Mysterii alicujus causâ, ex Ebr. sententia, litera aliqua vocis vel quantitate majori pingitur in Editionibus accuratioribus, quam reliquæ, ut e. gr. Deut. 6. 4. vel minori, ut Gen. 23. 2. atque istarum literarum totum Alphabethum à Masorethis recensetur & ex iis cl. Buxt. in Tiberiade cap. 14. & 15. Commentarii. Nos verò eas præcipuè * annotavimus, quæ in hodiernis codicibus sic scriptæ etiamnum reperiuntur Vel litera aliqua invertitur, ut Num. 10. 35. vel suspenditur supra alias. ut Jud. 18. 30. vel figurâ finali in medio pingitur ut Jesa. 9. 7. vel initiali in fine, ut Nehem. 2. 13. vel denique supernè punctis extra ordinem insignitur, ut Genes. 19. 33. & 33. 4. quæ omnia à nobis suis quæque locis in Coronide nostra ad Gammaticam indicata sunt. * In Coronide nostra.

V. Quæ vero ob lectionis diversitatem irregulariter scribuntur, vulgò 848. numerantur. Ex illis nos eas potissimum annota-

tavimus, quæ Grammaticam ullo modo turbant. In illis autem hoc obſervandum eſt, punctationem illam, quæ voci intra textum poſitæ addita eſt, nullo modo ei convenire ex naturâ & ingenio linguæ Ebrææ, ſed contrà in pleriſque ab ea plane abhorrere; illi verò voci examuſſim convenire, quæ in margine cum litera ק notata eſt. Atque ita in textu duplex lectio inſinuatur, una per conſonantes, quarum proprias vocales ex analogia Grammatica ſupplebis, atque hæc vocatur כְּתִיב *ſcriptum*, *ſcriptura*, denotaturque per circulum voci tali ſuperinpoſitum; Altera per vocales, non quidem iſtius vocis, cui ſubjiciuntur, ſed ejus quæ in margine ſine vocalibus poſita eſt cum litera ק / quæ ſignificat τὸ קְרִי *Keri*, *legitur*, Ex.gr. 2. Sam. 14. 22. עַבְדֶּךָ ſi legas *gnaudeva*, erit monſtrum vocis. Inſinuatur hîc duplex lectio, una per conſonas, quæ ex anal. Gramm. ſic punctandæ, עַבְדּוֹ *ſervum ſuum*, altera per vocales, quæ propriæ ſunt voci in margine poſitæ עַבְדֶּךָ *ſervi tui*. Quamvis aliquando per accidens fiat, ut in diverſa lectione nulla ſit punctorum varietas, ut videre eſt Prov. 4. 3. & 22. 3 Jer. 49. 30. Jezech. 42. 16. &c.

VI. Hanc autem lectionis varietatem in quibuſdam peperit Judæorum quædam εὐλάβεια & religio, in quibuſdam verò codicum diſcrepantia & mendoſa deſcriptio.

VII. Religione Judæorum & metu profanationis factum eſt, inquit cl. Erpenius, ut nomen tetragrammaton יהוה protulerint per nomen אֲדֹנָי / vel (quoties vel ante vel poſt ſe habuit ipſum nomen אֲדֹנָי) nomen אֱלֹהִים / unde etiam iſtarum vocum puncta nomini (יֱהֹוִה) addita ſunt, moneretur lector, nomen illud per conſonas proprias iſtarum vocalium legendas eſſe.

VIII. Religione quoque factum eſt, & vitandæ turpitudinis ergò, ut literis vocum quarundam obſcæniorum vocales honeſtiorum adjectæ ſint, ut 2. Reg. 18. 27. Jeſ. 37. 12. quamvis & eæ aliquando eædem ſint, ut Deut. 28. 30.

IX. Reliquæ variæ lectiones (ſi excipias נַעֲרָ & יְרוּשָׁלַםִ) ex mendoſa codicum deſcriptione & varietate natæ ſunt. Cui ut remedium adhiberent viri eruditi, voces in contextum diu receptas, prout eas invenerunt, reliquerunt integras, ſed emendationem earum in margine poſuerunt nudis conſonis, quarum vocales conſonis in contextu poſitis addidere.

X. Re-

X. Restitutio illa lectionis versatur vel circa voces integras, vel circa vocum partes, vid. consonas.

Circa voces integras versatur quadrupliciter 1. Aliquando enim dictio integra in contextu redundat, quam proinde punctis non vestivere, ut Jerem. 51. 3. Tales autem voces redundantes à Masorethis numerantur .8 2. Aliquando vox integra deficit, ac tunc in contextu solas vocales ponunt in codicibus punctatis, consonis in margine exhibitis. In codicibus autem non punctatis spacium relinquunt vacuum, Ruth. 3. 17. & aliis locis. 3. Aliquando una in duas finditur. 4 Aliquando contrà duæ in unam coalescunt. Exempla vide Gen. 30.

XI. Circa vocum partes, id est, consonas versatur 5. modis.

1. vel enim consona una pro alia posita est,

2. vel redundat.

3. vel deficit,

4. vel transponitur,

5. vel à voce sua avulsa alteri adjungitur.

Quod ad 1. modum attinet, is vel ex vicinitate pronuntiationis, vel similitudine figuræ natus est. Præ cæteris autem literæ אהוי frequenter confusæ reperiuntur, vid. א pro י/ ut
לי לרה pro י/ & pro כו pro שִׁפְכָה ut ו pro ה, *ei* לו pro, *non* לא
נ pro א ut לו pro לא non, & pro ה ut הָיִו pro הָיְרה / Jod pro ה/
ut כי / pro כרה sic. At omnium sæpissime Jod & Vau confunduntur, quia maximam figuræ habent affinitatem, אֵוִנִו pro נִי / הוּא pro הִיא & contra היא pro הוא /

Erpenius Gramm. lib. 4. p. 459.

XII. Reliquarum permutationes ratiores sunt, occurrit enim

ב pro	ד semel. מ 6. כ 11. פ 1. ת 1.	כ pro	ה 1. ד 1. מ 1.
ג pro	ז 2.	מ pro	ב 1. ה 2.
ד pro	ר 2. י 1.	נ pro	ת 1. מ 1.
ה pro	כ 2. ג 1. ת 2.	ס pro	ה 1.
י pro	ד 1.	ע pro	א 5. צ 1.
ח pro	ע 1. ה 1.	פ pro	ב 1. מ 1.
, pro	ג 1.	ר pro	ד 4.
		ש pro	ט 1.
		ת pro	ד 1. ה 2.

XIII. Quod ad 2. & 3. modum attinet, eædem literæ אהוי longè sæpius redundant & deficiunt quam aliæ.

א enim medio vocis redundat 45. locis, ut יְנַאֵץ /
Reliquæ initio medio & fine,
ה 33. locis, יַעֲשׂה / בַּהֲשָׂדָה / הַחֲנִירת /
י 95. locis, וַיֹּאמְרוּ / כְּתוּב / ויוֹצִיאוּ /
, 147. עָשִׂיתָי / דְבָרֶיךָ / יִצְאוּ /
Ex reliquis redundant tantùm לש semel, כמרת bis, ג ter, ב quater, ער quinquies.

XIV. Deficiunt quoque literæ הוי in principio, medio & fine, satis frequenter, Et quidem.

ה 44.

ה 44. locis, מֶלֶךְ / לְגִיד / אֲכַבֵּד /
ו 30. locis, לְדוֹר דָּוֹר / אֲחַשְׁוֵרשׁ / אָמַר /
י locis quamplurimus, עֲבוּר / מִתְּנִים / בָּנִית & infinitis locis in fine pluralium nominum ante affixa י & ךָ / מִשְׁפָּטֶךָ / דְּרָכָו / quamvis de his dubitari possit.

Ex reliquis literis deficiunt tantùm, כרת semel, חכל bis, נ ter, א quinquies.

4. Transpositio literarum in 62. dictionibus occurrit יְמוּרת pro יומרת / הוֹלֵךְ pro הליך /

XV. Avulsio literæ rarior, ut הָיִיתָה מוֹצִיא /

XV. Et quidem harum variarum lectionum aliæ hujusmodi sunt, ut sensum non mutent, dubitesque meritò, utra præferenda sit. Aliæ verò tales sunt, uti non nisi altera, quæ secundum vocales est, & in margine exprimitur, loco convenire possit. Illæ authoritate bonæ notæ codicum, hæc necessitate etiam, cum judicio, à viris magnis videntur constitutæ.

Atque hæc ferè ex cl. Viro D. Erpenio.

XVI. Quæstio inter Teologos & Philologos celebris est, utrum hæ accidentales anomaliæ vid. literæ istæ majusculæ, minusculæ, suspensæ, inversæ, supernè punctatæ, ac variæ istæ lectiones, quas *Keri* & *Chetib* vocant, ab ipsis sacris scriptoribus sint exaratæ, idque mysterii alicujus causâ. Multos viros doctos & pios zelus quidam non quidem is malus, sed non satis secundum scientiam, eò compulit, uti affirmativam tanto calore defenderint, ut secus sentientes tantùm non blasphemiæ postulaverint. At ubi Mysteria illa explicanda sunt, vel ignorantiam profitentur. Quid mysterii ponant in plerisque vocibus supernè punctatis, & literis majusculis & minusculis, suis locis ex D. Buxt. Ebræorum judicia * protulimus. Vide inter alia Gen. 23.2. ubi כ minusculum. Ita R. Sal. explicans locum Prov.23.31. ubi scrib. בַּכִּיס *in crumenâ*, & legitur בַּכּוֹס *in poculo*, hoc mysterium pandit, Salomonem innuere voluisse, oculum cauponis defixum esse in crumenam Bibuli, dum is oculos defigit in poculum & colorem vini contemplatur. Possem id genus infinita alia variarum lectionum declaramenta producere, si opus esset, quæ à sacrorum vatum mente planè

* In Coronâ de nostra ad Grammat.

aliena esse omnes cordati concedent. Vnum id solummodo addam, quod speciem aliquam habet & utroque pollice à multis approbatum, Hagg. 1.8. extat אֶכָּבֵד / nota marg. אֶכָּבְדָה / Qui hoc ipsum ab ipso Prophetâ factum putant, ajunt eo innui, quinque res (ה enim quinque denotat) defuisse in templo secundo, quæ fuerunt in templo primo. Thalmudici, R. Salmo, Kimchi & alii ea enumerant, vid. 1. Arca cum Cherubim, 2. Vrim & Thummim. 3. Ignis cælitus demissus. 4. Spiritus sanctus seu prophetiæ. 5. * Præsentia Majestatis divinæ. Magnum hoc est testimonium & validum argumentum, quod contra se ipsos afferunt Iudæi. *Major erit gloria domus secundæ quam fuit primæ*, inquit hic idem Propheta 2.9. Et tamen ex illorum confessione quinque primaria & domus prioris & populi Iudaici ornamenta defuêre. Vnde ergo excellentia & prærogativa domus secundæ, si non ex eo, quod humani generis redemptor Messias suâ præsentiâ & doctrinâ eam illustraverit? Hic in magnas angustias Iudæum rediges. Sed si penitius rem intuearis, commentum est quod de defectu literæ ה commentantur. Primò enim scopus Prophetæ tali mysterio adversatur, ideoque nec Aben Ezra, Junius, nec Piscat. nec alii prudentiores Interpretes id attigêrunt. 2. Plures extant dictiones quæ scribuntur sine ה parag. at leguntur cum eo, Ex. gr Iez. 23.16. ubi talia Mysteria locum non habent. 3. Non omnia illa in templo secundo defuisse, inter alios etiam ostendit Franzius in Schola sacrificiorum, Disp. XI. Et quod ad Mysteria illa in genere attinet, ego sic arbitror, sat Mysteriorum in sacræ scripturæ nucleo contineri, ut non opus sit ea in cortice quærere, quæ tædioso labore reperta non nisi præcariò obtineamus.

* Pro hoc Thalm-Jarosol. ponit *oleum unctionis*.

XVII. Assentior itaque iis, qui hæc nec ipsis sacris scriproribus nec posterioribus Masorethis, quos post-Thalmudicos vocant, adscribunt. Non sacris scriptoribus. Videtur enim quam longissimè à Majestate Sp. sancti alienum, qui literarum quantitatibus & figurâ ἀπόῤῥητα mysteria occultare & eâdem sententiâ diversos, quin & aliquando contradictorios sensus proponere, uti videmus illis locis, ubi scribitur לא *non* & legitur לו *ei*, Exod. 21.8. Lev. 11. 21. & 25.30. 1. Sam. 2.3. 2. Reg. 8.10. Jes. 9.3. & 49.5. & 63.9. Ezr. 4.3. 1. Chron. 11.20. vide Masoram ad Lev. 11. 21. At-

21. Atque hæc causa est cur accuratissimi Interpretes, Luth. Calv. Bucerus, Jun. & alii μυστηριώδεις illas argutiolas & in versionibus & commentariis neglexerint, atque ex diversis lectionibus eam solummodò eligendam sibi duxerint, quam ipsi scriptorum scopo, item antecedentibus & consequentibus maxmè convenire fuerunt arbitrati. Non posterioribus Masorethis, qui post inventas vocalium figuras vixere. 1. Quia apud Thalmudicos, ipsis longè antiquiores, crebra mentio accidentalium istarum anomaliarum. 2. Quia hæ accidentales anomaliæ omnes versantur circa consonas, nulla circa vocales, quæ tamen ejusmodi mysteriorum tam capaces sunt, quàm consonæ, imo capaciores. Probabilius ergò Masorethis ante-Thalmudicis quorum (uti & Thalmudicorum) tempore Vocales nondum àscriptæ fuerunt, ea tribuuntur. Masora enim hodierna seu notarum Masorethicarum corpus non est ab uno duntaxat aut altero homine aut collegio, certo quodam & definito tempore compositum, sed est farrago & sylva variarum observationum, quæ à pluribus hominibus multis sæculis ab Ezræ seculo usque ad Tiberiensium tempora, convectatæ sunt.

XVIII. Itaque paulò post Ezræ tempora literas illas majusculas, minusculas, inversas, suspensas versuumque repetitiones in sacrum codicem invectas fuisse verisimile est. Cl. Buxtorf. existimat, priscis illis sapientibus justas & dignas fuisse causas istius diversitatis, licet nobis hodie ignotas. Et in genere, vel majorem præsentis rei considerationem commendatam, vel arcanum aliquem sensum indicatum fuisse. D. Brougtonus putabat singulas minusculas & majusculas terminos esse certi literarum numeri, vel à præcedente majuscula, vel minuscula, vel à principio libri, vel alio loco, olim ex peculiari Indice noto. E. gr. à vau majusculo Lev. 11. usque ad ג cap. 13. sunt literæ 2600.

XIX. Atque hæc de istis anomaliis, in quibus mysteria Ebræi vulgò collocant, dicta in præsens sunto. Videamus obiter de variis lectionibus, Et quidem primo de iis quas Judæorum religio peperit. Atque hic primâ occurrit nomen tetragrammaton יהוה de quo in dissertatione nostra prolixe egimus.

XX. Secundo hic ocurrunt istæ voces quas vitandæ turpitudinis causâ, alienis vocalibus vestivere Scribæ. Quod si eum sacri scriptores vocales adjecissent, non dubium est, quin proprias

prias vocum iſtarum poſuiſſent. Aut ſi voces iſtas legi noluiſſent, non ſcripſiſſent. Si proprias vocales appoſuiſſent, nullus Judæus eas mutare fuiſſet auſus. At quia textum Biblicum à punctis vocalibus antea nudum, punctandum ſuſcipiebant, non peccaturos ſe putabant, ſi alienas vocales ſubjicerent, earumque conſonas in margine (ne quid de ſacra ſcriptura detrahere, eamque violare viderentur) exhiberent. Traditio hac de re extat in Cod. Thalm. Megilla cap. 3. *omnes voces quæ in Lege ſcriptæ ſunt* לְגַנַּאי *obſcœnè, eas legunt* לְשֶׁבַח *honeſtè.* An ergo aliquid obſcœni eſt in lingua ſancta? à Siritu Sancto? Videtur hoc reſponderi poſſe, voces illas tempore ſcriptorum fuiſſe ſic ſatis honeſtas, aureſque ſimplicioris iſtius ævi non fuiſſe ad earum recitationem offenſas. At poſteriori ævo, creſcente in populo iſto omni nequitia & ſpurcitie, communi uſu ita fuiſſe profanatas, ut pii vix ſine rubore eas audire vel pronunciare potuerint E.gr. ſicut vox שֵׁגַל quæ *conjugem* & quidem *Auguſtam* ſignificat honeſta etiamnum eſt, ita etiam credibile eſt, verbum שָׁגַל quod ipſum actum Venereum denotat, olim honeſtum fuiſſe; at poſtmodum ſermonis ſpurcitie fuiſſe inquinatum; unde puncta vocis שָׁכַב *beſlapen*, ei appoſuerint. Sicut apud Germanos vox *Bruydt* ſponſa, honeſta eſt, at verbum inde deductum, inhoneſtum nec à pio & civili viro uſurpari audies. In hac tamen voce illud eſt peculiare, quod ex analogia conjugationis punctari ſuis vocalibus poſſit, ſi cui fortè religio ſit lectionem ſcribarum hac in parte ſequi. At in nomine יהוה aliiſque, Ex. gr. 2. Reg. 18. 27. Jeſa. 36. 12. cogeris, velis nolis, quam Scribæ reliquerunt, contentus eſſe, quia analogia vocum, quæ in textu, eſt incerta. Eandem honeſtatem videmus ab Interpretibus Belgicis adhibitam. Cum enim vox Eb. * חרא ſignificet *ſtercus*, & שין *urinam* & שגל ipſum actum Venereum, quem fœdo Comicorum vocabulo exprimere etiam potiuſſent Latini Interpretes, leges tamen voces honeſtiores, *dreck*, *water*, *beſlapen*, id eſt, *cubare*, &c. quæ ſunt interpretamenta vocum marginalium.

* חרי Arabice eſt *cacare.*

XXI. Reſtant variæ lectiones ex codicum mendoſâ deſcriptione ortæ. Ita ſentiunt eruditiſſimi viri, nominatim *a* Arias Montanus, *b* Kimchius, *c* Ephodæus, *d* Aben Ezra, *e* Druſius, *f* Mercerus, *g* Bertramus, *h* Pagetius, *i* Erpenius *k* Capellus,

a In apparatu ad Regia præfat. in varias lect. Ebr. textus.

lus, Weigammejerus, *m* Piſcator, & doctiſſimus iſte *n* vir, qui ſcripſit tractatum de antiquitate vocalium à cl. D. Erpenio editum. Etiam Buxt. in eam ſententiam deſcendit lib. 1. cap. 28. Gramm. Nec aliter ſentiet, quiſquis omni præjudicio ſepoſito hæc & ſimilia loca benè conſideraverit, Jud. 16. 18. & 19. 3. Ruth. 4. 5. 2. Sam. 20. 14. 2. Sam. 24. 18. Pſalm. 139. 6. Prov. 19. 19. & 20. 20. & 23. 26. & 31. item 8. 35. & Pſ. 18. cum 2. Sam. 22. & libros Chronicorum cum libris Samuelis & Regum contulerit. Qui contra eunt & utramque lectionem divinæ authoritatis eſſe contendunt, *multis in locis* (verba reverendi D Pagetii) *ex Deo Janum aliquem bifrontem faciunt*, ſpectantem πρόσω ϗ ὀπίσω Ex. gr. 2. Reg. 8. 10. Ezr. 4. 2. Jeſa. 63. 9. ubi aut alterutrum tantum à Sp. S. dictatum eſt, aut ſub unâ ſententia ſi non contrarium, at ſaltem diverſum & duplicem literalem ſenſum latere oportet. Quorum poſterius ſi admittimus, certè valde peccarunt omnes interpretes, quà veteres, quà recentes, quod in verſionibus ſuis utramque lectionem non expreſſerint. Quicquid enim ante ſcriptum eſt, ad doctrinam noſtram ſcriptum eſt. Sed illi non valentes certam aliquam interpretationis iſtius duplicis regulam ex ſacris literis extruere, ratique, myſteria à quibuſdam in his talibus eruta, nullo ſolido niti fundamento, fidelium Interpretum officio ſe defunctos putarunt, ſi unam exhiberent. Sicuti autem Ebræi in legendo marginalem lectionem exprimunt, ita & Chriſtianorum doctiſſimi tradiderunt, marginalem lectionem veriorem eſſe. Ideoque & Interpretes eam plerumque expreſſerunt. Et ipſe Am. Polanus, licet utrique lectioni divinam adſcribat authoritatem, marginalem tamen vocem legendam eſſe docet. Et certè ſi rem accuratè expendimus, marginales iſtæ voces correctionem, vociſque quæ degeneraverat, in pleriſqne extra omne dubium, reſtitutionem exhibent. ne quid enim in ipſo textu mutarent, abſterruit eos codicum, circa quos hæc ſacra critica verſata eſt, vel vetuſtas, vel conſenſus, vel quod talis lectio plurium codicum authoritate niteretur, qua in re utrum benè vel malè fecerint, jam non diſputo. Dixi marginalem lectionem ab interpretibus plerunque prælatam. Dixi plerunque. Aliquando enim ſecùs factum. Aliquando eos fluctuaſſe, paucorum exemplorum inductione oſtendam.

XXII.

b Præf. in Joſuam.
c apud R. Jacob præf. in Biblia Veneta anni 1523.
d in Exod. 21. 8.
e ad Levit. 11. 21. in annot. magnis adhuc ineditis
f g paſſim ad Theſaurum Pagnini vide ſpecialiter in th: דון
h in libro Anglic. an arrou againſt the Brouwniſtis.
i in Gramm. pag. 256.
k in Chronolog.
l in tabulis lib. 2. cap. 10.
m paſſim in Scholiis. vide 1 Reg. 22. 48.
n lib. 1. cap. 7. & 11.

XXII. Jun. & Tremellius 2. Reg. 8. 10. in prima edit. *Abi dic ei*, (לו) quod eſt in textu, At in poſtremis, *Abi dic, non vives*, לא/ quod eſt in marg. Ezræ 4. 2. in Edit. pr. *Eidem* לו *ſacrificamus*, quod in margine: in poſtr. *non ſacrificamus*, [*alteri*] לא/ quod in textu. Sic & 1. Reg. 22. 49. in pr. Ed. *Joſaphat paravit claſſem*, עָשָׂה quod in margine. In poſtr. *Joſaphato decem naues* עָשַׂר/ quod in textu. Quin & Prov. 31. 4. Eccl. 9. 4. Jer, 2. 20. & 5. 8. τὸ Chetib. in poſtremis editionibus prætulit Junius. Piſcator licet & ipſe plerunque marg. lectionem exprimat, his tamen & aliis locis textualem prætulit, Lev. 11. 21. Pſ. 100. 3. 2. Reg. 20. 4. Jeſa. 9. 3. Job. 6. 21. idem in Pagn. & Ariæ Mont. Bibliis, in vulg. Latinâ, Græca & Chaldæa videre licet, qui licet marginalem paſſim præferant, aliquando tamen & textualem expreſſerunt, ut ex. gr. omnes illi Prov. 19. 7. Quatuor vid. lat. Gr. Pagn. Arias, Pſ. 100. 3. & Jer 2. 20. Tres, vid. Lat. Ar. Pag. Jeſa. 49. 5. Lat. Chald. & & Gr. Jeſai. 63. 9. & 2. Sam. 22. 51. nec opus eſt plura enumerare. Quod ad veteres attinet, probabile eſt, eos eam lectionem expreſſiſſe, quam in codicibus ſuis invenêre. Recentiores dum ab hâc Judæorum regulâ de præferendo Keri receſſere, aut Keri & Chetib tranſpoſita eſſe judicârunt. id quod in quadam * Editione ſæpe contigiſſe queritur Elias Levita, aut Criticen iſtam multis in locis non magni æſtimârunt, aut ſaltem, utrum ſufficientes receptam lectionem ſolicitandi cauſas habuerint, dubitârunt. Hinc eſt, quod multi Interpretes iſtis caſibus alteram in textu, alteram in margine vel notis collocarint, non quod utramque à Sp. Sancto eſſe putarint, ſed quod dubitarint ipſi, utra præferenda, ac proinde Lectori liberum judicium relinquere voluerint. Ex. gr. in Germanica Piſc. Ier. 2. 20. Dan. 3. 12. Neh. 3. 30. 2. Sam. 14. 21. & 18. 13. Jun. Pſ. 11. 1. 2. Reg. 5. 12. Tigur. Dan. 9. 24. Job. 13. 15. Ieſ. 69. 9. Prov. 17. 27. In Anglicanâ Ioſ. 8. 12. 1. Reg. 22. 48. 2. Reg. 20. 4. & 23. 33. Pſ. 100. 3. Ier. 2. 20. Dan. 9. 24. Ieſa. 9. 3. & 30. 32. In Genev. Ex. 21. 8. Prov. 26. 2. Pſ. 100. 3. Ieſa. 63. 9. Eccl. 9. 4. Atque hanc utruiſque lectionis indifferentiam inter errorum deſcribentium fontes retulerim.

* Veneta anni 1515.

Jun. in notis ad 2. Reg. 20. 4. audacter rejecit τὸ Keri.

XXIII. Non diſſimulabo tamen, loca quædam, licet admo-

modum pauca, occurrere, in quibus utriusque lectionis in unam versionem conflatio non admodum incommoda videri possit, E. gr. Ps. 22. 17. Chald. vocem כָּאֲרִי reddidit, *momorderunt sicut leo* q. scriptum esset כָּאֲרוּ כָּאֲרִי Prov. 19. 7. לֹא הֵמָּה / *they are wanting to him*, vertunt Angli, *Deficiunt ab illos* ad verbum, *non sunt ei* q. scriptum esset לא לו Et Genev. licet diverso sensu, *Il n'y à que paroles pour lui*, ad verbum, *non habet nisi verba pro illo*. Jun. & Trem. Ex. 21. 8. *non sibi*, quasi esset לא לו & Jos. 8. 12. *urbs Ai*, q. scriptum esset, עִיר עַי / Prov. 23. 26. ubi Chetib est à רצה *voluit*, Keri verò à נצר *custodivit*, reddunt, *studiosè custodiant*. Iez. 42. 16. ubi Chetib habet חמש אמות / 5. *cubitos*, & Keri חמש מאות / id est 500. illi, *quingentorum cubitorum*. Munsterus & Tig. 1. Reg. 22. 48. *fecit decem naves*, Sic & Tig. 2. Sam. 23. 13. *tres principes*, quam interpretandi rationem imitati sunt * nonnulli Gen. 4. 26. אָז הוּחַל / *tunc captum est profanari*, quia thema vocis utramque significationem admittit. Sed hanc apparentem commoditatem accidentalem esse puto, minimeque ex intentione Spiritus sancti. Quis enim in his non videt fontes variantis lectionis, vid. vel [a] literarum transpositionem, vel similitudinem [b] soni, [c] figuræve, vel [d] omissionem literæ, vel partis ejus, ut 1. Reg. 22. 48. Si enim sinistram lineolam ex literâ ה sustuleris, remanebit ר / Deinde hanc interpretationis subtilitatem cætera loca neutiquam admiserint.

Sy vallen hem los.

* Vide Junium in prima Edit.

[a] ut Jez. 42. 16. Prov. 23. 26.
[b] Prov. 19. 7.
[c] Ps. 22. 17.
[d] Jos. 8. 12.

XXIV. Hæc itaque & paucula quædam alia loca si exceperis, manet regula, marginalem lectionem ab Interpretibus & Commentatoribus Ebræis & Christianis, veteribus & recentibus tanquam meliorem præferri, quo ipso alteri lectioni divinam authoritatem manifeste videntur derogasse. Quod etiam firmatur ex eo, quod, ut supra attigi, Spiritus sanctus in posterioribus scriptis, eam lectionem, quam in prioribus hodie margines exhibent, id est, τὸ Keri, passim ferè approbet, ut in collatione Chronicorum cum cæteris historicis evidenter apparet.

XXV. Sed objiciunt. 1. Si variæ istæ lectiones ex mendosa codicum descriptione ortæ sunt, ac una earum tantum à Sp. S. dictata, necessè erit multas illarum non errori, sed destinatæ malitiæ & περιεργείᾳ adscribere. Primò enim aliquoties

ties occurrit לא pro לו ubi nulla ſimilitudo characterum. 2. Non potuerunt non de induſtria variæ lectiones induci circa voces illas, quas obſcœnas vocant. 3. Nec toties in נַעֲר / 4 Nec in יְרוּשָׁלַם / Reſp. ad primum, non ſolum errare potuiſſe deſcriptores ex ſimilitudine characterum, ſed etiam ex vicinitate ſoni, ut in לא *non*, & לו *ei* & quamplurimis aliis, item ex indifferentiâ ſenſus, cum enim in deſcribendo originali, quod nobis familiare eſt, committitur error ſenſum non lædens, eum difficilius obſervamus. expende hæc loca, Pſ. 41. 3. Pſ. 89 18. Prov. 20. 4. Jeſa 5. 29. & plurima alia, in quibus nulla Grammatica vel Analyſis Logica certum te reddet, utra præferenda, utraque enim quadrat. Addo, in multis locis ne imperitiſſimum quidem ſcribam impingere potuiſſe, ſi vocales olim fuiſſent aſcriptæ. Quomodo, quæſo te, in pronominibus הוא & היא toties erraſſent, ſi puncta fuiſſent aſcripta? Sed & expende 1. Reg. 7. 45. Prov. 8. 16. אֲהַבַיְרה / ubi ה redundat, ac jam monſtroſa vox eſt. Sin abſque punctis ſcribas אהבירה non ita, poteſt enim legi אוֹהֲבַיְהָ / Jeſ. 5. 29. וישאג pro יִשְׁאַג / quod ſi adſcriptæ fuiſſent vocales, quis dubitaſſet ſcribendum fuiſſe vel יִשְׁאַג vel וְשָׁאַג ſenſu eodem manente? Atque eadem eſt ratio infinitorum aliorum, ubi Jod Ethan in ו degeneravit. Quis enim neſcit י non eſſe formativam futurorum. At ſcriba, codicem ſine punctis deſcribens, non vidit abſurditatem, ſive per Jod Futuri ſcriberetur, ſive per vau, Præteritum in futurum convertens.

XXVI. Quod ad voces eas attinet, quas obſcœnas vocant, de iis ſupra dictum. Quod ad 3. נַעֲר / cum id 21. vicibus ſine ה occurrat in Moſe, & legatur cum ה / fateor non videri veriſimile, ut ex errore litera ה ablata ſit. Quid ergò? Poſui ea de re conjecturam meam ad Gen. 24. 14. veteres nimirum puellam olim vocaſſe & נערה & voce communis generis נער / ſcribas verò poſtea diſtinxiſſe, non quidem addendo ה / hoc enim non fuerunt auſi, ſed ponendo punctum ſub ר / Quod ad 4. vid. vocem יְרוּשָׁלַם attinet, cum quinquies tantum occurrat plenè, vid. cum Jod, (יְרוּשָׁלַיִם) non eſt veriſimile, fateor, tam multis locis deſcriptorum incuria literam Jod excidiſſe. Quid ergò? Dicam quod ſentio. Vetuſtius nomen eſſe puto *Jeruſalem* ſine Jod, quam *Jeruſalajim* cum Jod. Firmat

mat hanc meam conjecturam antiquum urbis nomen, unde hoc compositum est, *Salem*, & constans scriptura sine Jod, quam lectionem etiam Chald. & 70. & scriptores novi Testam. & Hieron. constanter retinuerunt: Posterioribus autem temporibus dici cœpisse etiam *Jerusalajim*, forte quod urbs quasi gemina esset, superior & inferior. unde hanc plenam scripturam cum Jod non invenies, nisi in liberis circa vel sub captivitate Babylonica scriptis, Ex. gr. Jer. 18. 26. 1. Chron. 3. 5. 2. Chron. 25. 1. 1. Chron. 26. 5. Esth. 2. 6. Punctatores verò, ut ubique eadem esset urbis appellatio, ipsorum sæculo usitata, ubique easdem vocales subjecere. neque hoc unicum esse puto, in cujus punctatione usui & pronunciationi sui sæculi aliquid dederunt. Addo amplius, hoc nomen cum ה paragog. quinquies occurrere, & quidem quater sine Jod, יְרוּשָׁלַמָה / quod legunt jam לַיְמָה- olim לָמָה-. At semel cum Jod, לַיְמָה- sed in quo libro? eodem Chronicorum. vid. 2. Chron. 32. 9. Cætera quatuor invenies 1. Reg. 10. 2. 2. Reg. 9. 28. Jesa. 36. 2. Jez. 8. 3. Quin & ex illis locis, ubi Jod adest, firmiter concludi hæc pronuntiatio non potest, quasi ea scriptorum istorum sæculo usitata fuerit. potuit enim illud vel vocalem E indicasse, vel in (¨) quievisse.

XXVII. Object. 2. Periculosam esse hanc confessionem, eâque plus nimio Adversariis concedi, qui fontes corruptos esse semper clamarunt. Resp. [a] *A veritate nullum metuendum veritati periculum. Verum vero semper consonat & manum præbet, nunquam repugnat aut officit. Non ideo obruenda veritas, quod perversi homines eâ abuti conantur. Fieri aliquando potest, ut alicujus veritatis, quæ sine periculo ignorari potest, cognitio, hominum malitia turbas det. Tum prudentiæ deputari debet, si ea nondum cognita silentio prematur. At nunquam fas est, veritatem jam in lucem protractam impugnare, aut bonâ intentione ei tenebras offundere. In id potius incumbendum est, ut hostem veritate abutentem solidè refellamus.* Et quid quæso hic periculi? An inter omnes illas varietates vel unica est, unde Christianæ fidei analogiæ vel pietati ullum detrimentum metui possit? Et, unde quæso, periculum metuimus fontibus, ut non semper in Ecclesiâ maneant authenticæ tabulæ? An aliunde quam à vulgata Latinâ, ejusque proxeneta Rom. Ecclesiâ? Atqui hæc rivalis nihil obtinebit. habeant fontes ma-

[a] Author tractatus de genuinâ antiquitate punctorum, Leidæ apud Joh. Maire, 1624.

manipulum unum aut alterum variarum lectionum: vulgata, antiquitate cum fontibus neutiquam comparanda, habet plaustra. Si solas Editiones Sixti V. & Clem. VIII. (fuit autem inter eas unius tantum biennii intervallum) conferas, invenies in iis ultra aliquot millia variarum lectionum. Multis in locis Interpres vulg. minus probabilem textus Ebræi lectionem interpretatus est. Hæret ergo in eodem luto, ut nihil jam dicam de manifestis & impiis locorum aliquot in vulg. versione corruptionibus, quarum aliquot alibi deteximus. An propter unum alterumve nævum auferetur palma pulcerrimæ virgini & dabitur alteri, quæ toto corpore deformis est? certe cavebunt prudentiores pontificii Ebraïcam veritatem hac parte oppugnare eadem enim operâ contra vulg. disputarent.

XXVIII. Object. 3. Non est credibile Deum passurum fuisse, Vetus Test. tot locis corrumpi. Res. Si ex paucis illis lectionum varietatibus (dico paucis, pro tanta librorum istorum antiquitate, & gentis Judaicæ variis & asperrimis calamitatibus & dispersionibus) disputabimus, textum Ebræum esse corruptum, quid fiet Novo, in cujus libros, & mole, & numero & antiquitate cum V. Test. neutiquam comparandos, tam paucis annis, Varietates numero longè plures, eæque non solum circa singulares literas, sed & voces integras, hemistichia, versus, irrrepsere. Credemusne Vetus Testamentum Deo magis curæ fuisse quam novum; *cætera quæ hic sequebantur, invenies p. 13. nos, ut chartæ parceremus noluimus hic eadem iterare.*]

XXIX. Object. 4. Sic deflorari laudem religiosæ Bibliorum conservationis, quam non solum Patres & nostri, sed & Pontificii doctiores Judæis tribuunt. Resp. Manet illis debita laus, quod sacrum illud depositum non corruperint. Quod verò eorum librarii in quibusdam locis subinde lapsi sint, temporis longitudo, exiliorum multitudo & duratio, calamitates variæ & asperæ, librorum multitudo facile excusaverint, præsertim si conferamus cum istis, librorum N. Test. eorumque vocalibus non destitutorum, paucitatem, temporis, quo variæ Lectiones in id irrepsere, brevitatem, & variarum lectionum multitudinem. Magnam verò & in excessu peccantem eorum religionem in eo cernere est, quod in textu nihil mutare, imò ne literam

qui-

quidem ad eum addere vel de eo detrahere ausi fuerint. Si quid mutandum, addendum, vel detrahendum judicârunt, id in margine fecerunt, vocalium appositione vel detractione variam lectionem in margine collocatam solummodò innuentes, in quo se non peccasse arbitrati sunt, cum textum vocalibus nudum haberent.

XXX. Object. 5. Tot jam annis à Masoretharum temporibus Judæi in exilio vixêrunt, variis calamitatibus obnoxii, & tamen Biblia conservarunt incorrupta. Quod si variæ Lectiones ex mendosâ descriptione & temporum calamitate ortæ sint, oportuit numerum earum ab eo tempore fuisse auctum. At hoc non est factum. Resp. Quod tot jam sæculis numerus variarum lectionum non increverit, variæ causæ sunt. 1. Est utilissimus ille Masoræ thesaurus, quam Sepem Legis non immeritò vocant Ebræi. 2. Quod postremis his temporibus majorem curam gesserint conservandi textus, quam olim sub Regibus aut captivitate, cum tam proclives ad idololatriam essent. Vis ne ejus rei habere specimen? adi 2. Reg. 22. & videbis sub Josiâ præter unicum illud authenticum legis exemplar, multis annis non visum, imò quod an in rerum natura esset, nesciebant, nullum aliud in tota civitate Jerusalem fuisse. Videbis illic Legis divinæ lectionem Regibus, sacerdotibus & scribis omnino peregrinam & ad admirationem usque obsoletam visam fuisse. Melioribus autem temporibus sola ferè Lex Mosis versabatur, ac in pretio erat, ut & in hunc usque diem apud Judæos observare licet, ubi cætera Vet. Testamenti propemodum jacent. quæ causa est, quod ea à mendis melius præservata fuerit. Notat Elias Levita, ex omnibus 848. variis lect. in lege tantum occurrere 95. in Prophetis 454. in hagiographis 329. Miratur Elias, & dicit sibi causas esse incognitas, cur tam paucæ in Lege reperiantur, inter quas 21. sunt circa vocum נַעֲרָ / quas si demas, remanent tantùm 44. cùm in solo Josua, qui vix decimam partem legis, habet, sint 33. & in liberis Samuelis 133. Quin illic nulla vox redundans aut deficiens (sicuti in aliis libris) occurrit 3. Nec omnino verum est, post Masoretharum labores nullas varietates repertas. Quid enim sibi volunt illæ notæ in Venetis magnis, Buxtorf. & Interlin. Jer. 14. 14. item 22. 2. & alibi, variam lectionem non per

per ק/ id est, *Keri*, sed per נא/ id est, *codex alius*, vel ס״א id est *liber alius*, notarunt. Annon *D. Junius* in suis annotat. discrepantes lectiones alias à Masorethicis ex antiquissimo Cod. Heidelbergensi notavit 2. Chr. 26. 5 & 35. 3? Annon inter varias Editiones varia insuper discrepantia in vocalibus & accentibus, quam nos suis quoque locis in Coronide nostra annotavimus? Quò referes dissensum orientalium & occidentalium, quam Biblia Veneta in fine Masoræ, & ex ea cl. *Drusius* in libro de recta Lect. exhibent?

XXXI. Atque hæc præcipua sunt quæ pro sententiâ illa vulgò afferri solent, quæ an satis valida sint docti judicent. Ego hæc Reformatarum Ecclesiarum judicio & censuræ subjicio, neutiquam tergiversaturus ea retractare, si quis certius & verius aliquid ostenderit. Mihi illud fuit propositum juventutem à talium admiratione, aliosque à curiosâ & supervacanea indagatione ad meditationem & piam considerationem eorum quæ revelata sunt, revocare.

Ps. XXIV. Super maria fundavit eam] Vetus fuit opinio, terram perinde atque lignum aut navem innatare aquæ, quam sententiam Thaleti Milesio tribuit Aristoteles, de cælo lib. 3. 13. quam post Aristotelem etiam Seneca confutavit, Natur. quæst. 3. 13. eadem fuit sententia Procopii comm. in Genes. 1. cui firmandæ adduxit hunc ipsum locum. Verba ejus pag. mihi 19. hæc sunt, *Quod autem universa terra in aquis subsistat, nec ulla sit pars ejus, quæ infra nos sita est, aquis vacua & denudata, omnibus notum reor. Nam sic docet Scriptura, Qui expandit terram super* Psalm. 136.
Psalm. 24. *aquas, & iterum, Quia ipse super maria fundavit eam*, Hinc necessario coactus fuit negare Antipodas hoc est, in altero hemisphærio vivere homines quia adversa nobis urgeant vestigia, quam sententiam aliis etiam insuper incommodis pressit, Ita enim pergit, *Nec decet ut credamus, aliquam terram infra nos coli, nostro orbi oppositam. Nam si Antipodes forent, certe Christus, eo quoque profectus esset, & cætera quæ pertinent ad salutem humani generis, ibi perfecisset. Adam prima nostri generis origo, serpens, qui humanum genus dolo circumvenit, nimirum & diluvium penes oppositam regionem extitissent.* In eodem errore versati sunt Victor Antiochenus in Marcum, August. de civ. Dei XVI. 9. Lactant. Institut. 3, 24. verba Augustini, *Quod vero & Antipodes esse fabulantur*

tur, nulla ratione credendum est. Neque hoc ulla historica cognitione se didicisse affirmant, sed quasi ratiocinando conjectant, &c.—*Nec attendunt etiamsi figura rotunda & conglobata mundus esse credatur, sive aliqua ratione monstretur, non tamen esse consequens, ut etiam ab illa parte ex aquarum congerie nuda sit terra.* Et paulo post, *nimis absurdum est, ut dicatur aliquos homines ex hac in illam partem, Oceani immensitate trajecta, navigare, ac peruenire potuisse, ut etiam illic ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Ubi Vives, Videbat homo acutissimus (Augustinus) si concederetur, aditum nulli eorum, qui hanc incolimus Borealem fasciam temperatam, ad australes illos patere, ut Cicero jam magnique authores præjudicaverant, sequi necessario, illos de genere Adæ non esse, maluit ergo illud negare, quam argumento premi tam molesto & tot authoritatibus munito. Hæc Vives. Verba Lactantii, *Quid illi qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quam capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere? pluvias & nives & grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis, hortos pensiles inter septem mira narrari cum philosophi & agros & maria & urbes pensiles faciant, &c.* Ad quod caput vide notas Xysti Betuleii, & in iis censuram Joach. Vadiani. Sed quid Lactantium. August. Procopium & cæteros istos minorum gentium Deos memoro; Zacharias Papa, Stephani II. decessor, in eodem hæsit luto. Narrat Joannes Aventinus, Annalium Bojorum lib. 3. Vergilium Juvanensium Episcopum, virum in Mathematicis disciplinis præclare versatum, esse Antipodas, eumque hoc nomine à Bonifacio Germaniæ Apostolo postulatum, tanquam qui impia dogmata assereret, Causam devolutam ad Zachariam Papam. Quid ille? *Zacharias*, verba Aventini, *legatos cum mandatis & literis ad Vtilonem* (Bojorum regulum) *ire jubet, partes suas Bonifacio commendat, Vergilium philosophum (si sacerdos sit, inquit, nescio) à templo Dei & Ecclesia depellito, sacerdotio in concilio abdicato, si illam perversam doctrinam fuerit confessus. Sidonio quoque & Vergilio literas comminatorias scripsit Romanus Episcopus, postulavitque ut Bonifacio obsequantur. Insuper regulo Bojorum denuntiatum est, ut Vergilium Romam mittat, ubi rationem reddat, ac à Pontifice Rom. examine comprobetur.* An ergo pontifex, in cujus pectoris scrinio om-

omnes ſapientiæ theſauri abſconditi ſunt, ignoravit, quod pueri noſtri hodie norunt? Sed redeamus ad locum Pſalmi. Eum contulerunt veteres cum aliis, Pſal. 104. 5. *Qui fundauit terram ſuper baſes ſuas.* Et Pſal. LXXV. 4. *Ego confirmavi columnas ejus.* Quæ tamen verba melius ita accipiuntur, ut ſint verba Davidis, quibus promittat ſe, ubi plenum regnum fuerit adeptus, juſtiſſime illud adminiſtraturum, & conſtituturum juſtos gubernatores, quos merito columnas regni appellaveris, vel potius ſe religionem & juſtitiam, primarias Reip. columnas, reſtauraturum. *Liquefacta eſt terra*, inquit, *& omnes habitatores ejus*, (Miſerrimus eſt Reip ſtatus) *Ego vero aptabo* (enallage temporum) *columnas ejus* Vide Jun. Piſc. Genev. Deod. Contulerunt eundem locum cum Pſ. CXXXVI. 6. *qui expandit terram ſuper aquas.* Ergo ne aquæ baſes terræ ſunt? Illud ex locorum collatione non eviceris. Alibi dicitur, *qui ſuſpendit terram ſuper nihilo,* עַל בְּלִימָה Job. 26. 7. Benè dixit, *ſuſpendit*, namque ut canit Ovidius VI. faſtorum,

Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa,
Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.

Quod autem vulgo reddunt, *ſuper nihilo*, cl. Fullerus putabat, vocem Ebræam non eſſe conflatam ex בלי & מה / *nihil quicquam*, ſed nomen formæ נְגִינָה / à בלם conſtringere, φιμȣ̃ν, ἄγξαι, inſtar ſuffocantis arcte conſtringere, quaſi dicas, ἀγκτῆρα, ſeu fibulam & vinculum illud validiſſimum, quo undique conſtricta tenetur terra, ne qua loco ſuo moveri poſſit. At quid hoc aliud eſt quam vis illa ἑδραιότητος καὶ ἀκινησίας divinitus inſita & per totum Telluris globum diſſeminata? Hæc Fullerus. Cum autem hæc attractrix & ut ſic dicam conſtrictrix virtus ex centro terreſtris globi videatur emanare, eo enim omnes partes ſua gravitate nituntur, videndum, annon commode per *centrum* vox בלימה exponi poſſit. Atque ita idem dixerit Job, quod David Pſal. 104. *Fundavit terram ſuper* מְכוֹנֶיהָ *baſes ejus*, quomodo vocem מכונות Lxx. Jer. 52. 17. reddidere. Aquila & Symm. referente Chryſoſt. expoſit. in hunc Pſalmum, ἐπὶ τῆς ἕδρας αὐτῆς. Ita enim primitus ſcriptum putat Fullerus, *ſuper ſedes ejus*, baſes ejus. Βάσις enim teſte Heſychio eſt ϛήριγμα, ἕδρα, ϛάσις, ſtabilimentum, firma ſedes, ſtatus, quies. Ita כון eſt ἑδράζειν.

Lxx.

Lxx. sententiam magis quam verba exprimentes, ἐπὶ τὴν ἀσφάλειαν αὐτῆς, super firmitatem ejus, validissimam scilicet & quam maxime admirandam, si pluralem pro singulari cum aliqua auxesi placet accipere, cum tamen sæpe per simplicem enallagen numeri illi commutentur. Aut utitur plurali numero, quia populariter loquitur. Solent enim magnæ machinæ multis fulcris & basibus sustentari. Istam vero Domini Fulleri interpretationem sic amplector ut priscam & receptam vocis בלימה interpretationem non rejiciam. Neque etiam vel istæ inter se pugnant, vel nova illa Davidi adversatur. Si enim extra globum terrestrem imus, nihil est corporeum, super quo iste suspensus vel fundatus sit. Nihil omnino est, quod sustineat terram extra terram præter creatorem. Hùc ergo spectaverit Job. David vero, ad illud stabilimentum, quod ipsi terræ indidit Deus, respexerit. Pisc. ad locum Jobi, *super nihilum, id est super centrum mundi, quod revera nihil est. Terra enim circa centrum in æquilibrio pendet, ponderibus librata suis,* Deod. *Ordinavit Deus, ut terra ceu gravissimum elementum collocaretur in medio universi, non habens aliud stabilimentum præter propriam gravitatem, quam Deus ei indidit, vide Psal.* 104. 5. Genev. *Ille sustentat terram* comme par des contrepoids en l'air. voies. Ps. 104. 5. id est *tanquam per modum æquilibrii in aëre, vide* Ps. 105. 5. David Kimchius ad Ps. CIX. 5. נתן בטבע הארץ להיותה יורדת והמקום השפל היא אמצעות הגלגל והנה הוא על מכוניה שלא תמוט לעולם ועד כי אם תמוט לאחר מששה הצדדין תעלה hoc est, *Deus hanc naturam indidit terræ, ut descendat. Locus autem infimus est medium sphæræ* (centrum.) *Atque ita basibus suis niti dicitur, ut non dimoveatur in æternum. Nam si dimoveretur versus ullum latus ex sex istis lateribus* (hoc est, vel antrorsum vel retrorsum, vel sursum vel deorsum, vel dextrorsum vel sinistrorsum) *jam ascenderet.* Sed rursus nimium à loco Ps. XXIV. digressi sumus. Redeamus ergo ad eum ex hoc quoque diverticulo. Terra dici potest fundata super aquas variis modis, ut tamen inde non sequatur, globum istum terrestrem inferiori sui parte aquis innatare & proinde habitari non posse, aut ut utar verbis Euthymii, aquas toti terræ subjacere instar fundamenti, quam sententiam Chrysostomo adscribit. I. enim potest sic intelligi, ut dicat eam fun-

datam super aquas, ratione quarundam partium. Euthymius ad hunc locum, *Tu vero hoc non in universum intellige, Nam alioquin inferior esset aqua. Verum Moses inferiorem esse terram docuit. Vnde manifestum est, hoc dictum esse respectu certæ partis aquarum. In multis namque terræ concavitatibus & cavernosis locis, subtercurrunt partes quædam maris, quas maria appellavit. De fluminibus apertissimum est, quod sub terra longo intervallo ferantur & tandem emergant. Admirandum vero est quomodo non considerant tanta terræ pondera. Omnes enim montes in hujusmodi aquis stabiliti sunt, & tamen in his fundata permanet terra solo creatoris sui mandato contenta.* Hæc Euthymius. Eadem mens fuit Piscatori, cujus hoc scholion est, *His verbis innuit potenitam Dei, ut qui terram fundaverit super terram, fundamentum sc. minime solidum, firmum atque immobile. Porro aquas infra terram esse* (non dicit *globo terrestri substratas*) *aperte traditur in præc. 2. decalogi, aut quæ in aquis infra terram, &c.* Hæc Dominus Piscator. At per aquas illas commode satis intelligi etiam possunt aquæ, quæ in maris fluminumque profundo sunt. Fateor tamen, videri illic respicere Deum ad abyssum istam aquarum, cujus mentio Genes. VII. 11. *& rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ.* Ejusdem Piscat. scholion ad German. Biblia clarius est, *super maria] id est eampartem aquarum quæ sub terra fluunt.*

II. Verba Davidis sic intelligi possunt, ut doceat Propheta, quisnam ab initio creationis aquæ situs fuerit, quod sc. terræ aqua injaceat, & quasi custodiat & contineat. Hanc expositionem Euthymius tribuit B. Basilio, additque doctissimus Monachus, *juxta quem sensum congruentius fortasse legendum esset, quod Græca litera non denegat, Ipse* in maribus *fundavit eam, & in fluminibus præparavit eam.* Hæc Euthyminus. Quibus illud addo, nec Ebræam literam istam expositionem respuere. Græca ita habent, ἐπὶ θαλασσῶν ἐθεμελίωσεν αὐτὴν, καὶ ἐπὶ ποταμῶν ἡτοίμασεν αὐτήν. Ubi obiter nota, ἑτοιμάζειν in lingua Hellenistica passim usurpari pro κραταιοῦν. Ita Psal. 93. 3. ἕτοιμος ὁ θρόνος σου, *firmus est th. tuus.* & 1. Mach. 1 ἡτοιμάσθη ἡ βασιλεία αὐτοῦ id est *firmatum est*, ἐκραταιώθη, *regnum ejus.* Cujus rei causa petenda est ex ambiguo Ebræi נכון/ quod & parationis & firmationis notionem habet. At dum vulgatus priorem illam parandi vel præparandi passim expressit, multis locis tenebras

bras offudit. Sed ut ad observationem Euthymii redeamus, respexit ad voculam ἐπὶ, cui in Ebræo respondet עַל / Illa pro ἐν, hæc pro ב aliquando usurpatur, Math. 27. 19. ἐπὶ βήματος, in tribunali, quod Latini *pro tribunali* dicunt. ἐπὶ ξένης εἶναι, *in peregrino solo esse*, ἐπὶ τῆς γνώμης γένεσθαι, *in eadem esse sententia.* De עַל fidem faciet iste locus Jesa. 38. 20. עַל בֵּית יְהוָה *in domo* DOMINI. Ion. 3. עַל אַדְמָתִי *in terra mea.* Fundavit ergo terram in maribus & fluminibus quasi natantem, Oceano tanquam fascia quadam & zona præcinctam, vel ut loquitur Petrus, ἐξ ὕδατος καὶ * δι' ὕδατος συνεστῶσαν. id est ex aqua & in aqua consistentem, 2. Petri III. 5. Eadem est interpretatio B. Theodoreti ad hunc l. quam amplexus & R. Salomo est, nisi quod de terra Israel locum exponat, VII. maria, inquit. circumdant terram Israel, & quatuor flumina, ירדן וירמוך וקרמיון ופוגה

* pro ἐν ὕδατι, ut 1. Petri, 3. 20.

III. Et Ebræum עַל & Græcum ἐπὶ exponi potest per *juxta.* Pharao somniabat se stare עַל נָהָר ἐπὶ ποταμοῦ, Genes. 41. 1. *Servus Abrahæ stabat* ἐπὶ τῆς πηγῆς. Gen. 24. 13. *sicut arbor plantata* עַל פַּלְגֵי מָיִם Psal. 1. Hanc interpretationem secuti sunt Zanchius de operibus creat. 2. 5. Lutherus, Sa ad hunc locum, & meminit quoque Deod. & Drusius passim inculcat.

IV. Et Ebræum עַל / & Græcum ἐπὶ exponi potest per *super*, ut supereminentiam tantum denotet. Latini inter *super* & *supra* sic distinguunt, ut *super* de contiguis. *supra* de supereminentibus sine contiguitate dicatur. Ex. gr. habeo manum super tabula, ut tangat. Belg. *op.* Supra tabulam, ut non tangat. *Belg. boven.* Ita distinguit Mercerus inter עַל & מֵעַל / quorum illud (עַל) respondeat Latino *super*, hoc τὸ supra. Vide cl. Mercerum ad primum caput Geneseos. Sed scias illa passim confundi. Huc pertinet & observatio doctissimi August. Quæst. 132. in Genesin, ubi hæc leguntur, *Hæc locutio si intelligatur, in Ps. 24. ubi scriptum est,* Qui fundavit terram super aquam, *non coguntur homines putare, sicut navem natare terram super aquam. Secundum enim hanc locutionem recte intelligitur, quod altior sit terra quam aqua. Altius enim ab aquis sustollitur, ubi habitent terrena animalia.* Hæc Aug. quem sequuntur Junius, Deod. Genebrardus, Bellarm. Rivetus, & ex vetustioribus Lyra, Carth. & ex Ebræis præter alios etiam Aben Ezra & Kimchi. Vide eum ad

Vide & Iul. Toletan in Ἀντικειμένοις. pag. 219.

ad Pſ. hunc & Pſalm. CXXXVI. Dicit Deum mutaſſe naturam aquarum, qua terram alias operturæ eſſent. In principio creationis ita fuiſſe. At poſtea Deum congregaſſe aquas in propria receptacula, ut appareret arida quæ & animalibus præberet hoſpitium, & plantis daret locum. Hanc miſericordiam durare in ſæculum. In diluvio quidem aquas rurſus effuſas fuiſſe & operuiſſe terram, at illud tantum ad tempus fuiſſe, in pœnam improborum. Rediiſſe poſtea aquas ad priſcas ſedes, Deumque juraſſe, ſe nunquam poſtea ad eundem modum diluvio in mundi incolas animadverſurum. Quod ergo dicit, qui extendit terram ſupra aquas, hoc velle, שנתן שטחו על המים quod poſuerit ſuperficiem terræ ſupra aquas. Etiamſi vero aquæ altiores ſint terra, tamen omnia ita ordinavit, ut terra videatur eſſe altior aquis, cavitq; ne eam operiant, S. S. E. & aquæ non tranſgrediuntur os ejus. Poſuit enim arenam terminum mari, &c. Hæc diſcripſi liberiori calamo ex ſcholiis ejus ad Pſ. 136. Lubet autem ipſa verba Kimchii adſcribere, quæ ad Pſal. 24. וטעם כי היא מתהלה לא נבראת כך אלא להיותה כלה תחת והמים׃ כי המים היו סובבים אותה מכל צד כמו שהאויר סובב המים מכל צד והאש סובב האוויר מכל צד, והנה הארץ תחת המים והאל צוה שתהיה מחיצתה אחת מגולה לשבת היצורים בה / *Senſus eſt, à principio non ita creata eſt terra, ſed ut tota eſſet inferior aquis. Aquæ enim circumdabant terram undequaque, ſicuti etiamnum aër undequaque cingit aquam, & ignis rurſus aërem. Ecce, terra erat ſub aquis. At Deus juſſit ut alterum dimidium nudaretur aquis, ut creaturæ inibi poſſent vivere.*

Habes præcipuas interpretationes hujus loci, omnes ſatis commodas & ſententiæ Procopianæ adverſantes. Quarum illa, quam poſtremo loco exhibui, ſe præ aliis mihi probat. Sixtus Senenſis quintam inſuper ſuppeditat, exponendo על comparativè, *magis quam, præ*, q. d. fundavit terram magis quam maria, id eſt majorem firmitatem & ſtabilitatem terræ indidit quam mari & aquis. Probat autem hunc uſum particulæ *ſuper* tribus ſcripturæ locis, Pſ. 119. verſ. 72. & 127. Cant. 4. 10. Ubi quidem in vulgato eſt eadem vocula *ſuper*, at in Ebræo longe diverſa, vid non על / ſed מן / Vide quid ſit ex Latinis concor-

Lib. v. annot. 13.

dantiis vel versionibus loca parallela adducere. Sæpe enim una vox vel phrasis respondet pluribus, in originali diversis. Si lubet aliam insuper audire, producam Aben-Ezram, cujus ad hunc locum iste est commentarius, בדרך התולדת נבראה הארץ להיותה תחרת המים / ובחפץ השם יבש קצתה והיא המחצה אשר מגולה על כן כי הוא על ׃ ויאמר ר׳ משה כי פירוש על כמו עם כמו ויבאו האנשים על הנשים hoc est, *secundum viam naturæ creata est terra, ut esset sub aquis. At secundum voluntatem Dei explicata est pars ejus, vid. dimidia ejus pars, quæ discooperta est. Ideo dicit,* כי הוא על (sunt verba textus) Hæc est interpretatio quam nos quarto loco exhibuimus. Nunc audies novam.) *Dixit autem R. Moses,* τὸ על *exponi posse per* עם cum, *sicuti* Exo. 35. 22. *& venerunt viri* CUM *mulieribus.* Postea citat R. Bileamum, qui על exposuerit per *juxta*, quam sententiam loco 3. proposuimus. Augustinus in comm. hic ἀλληγορεῖ & per *terram*, Ecclesiam: per *maria* fluctus hujus seculi intelligit.

Hic vero quæri solet ab Interpretibus, an mare sit altius terra. De hac quæstione vide Physicos, nominatim Keckermanum Phys. lib. 2. cap. ult. Conimbricenses, nec non Merulam in Cosmorgr. parte i. libro 3. Ego non pigrabor sententiam Kimchii adscribere. Sic ergo ille ad Ps. CVII. 23. Descendentes in mare navibus] אף על פי שהים גבוה על היבשה יקרא עובר הים יורד לפי שהיבשה גבוה על שפת הים ובנגד השפה יקרא יורד hoc est, *Quamvis mare sit altius aridâ, tamen qui navigaturus est dicitur descendere, quia arida altior est littore maris. Et ratione littoris dicitur descendere.* Postea subjicit patris sui sententiam, qui existimabat vocem *descendere* hic adhibitam à Psalmographo, כנגד האניה שהיא עמוקה וירד בה כמו שכתוב וימצא אניה וירד בה *respectu navis, quæ profunda est, in quam descenditur,* S. S. E. *& invenit navem — & descendit in eam, Jonæ* 1. Hoc notandum duxi propter eos, qui hunc locum adversæ sententiæ stabiliendæ solent producere. Eadem invenies apud eundem ad Ps. 33. vers. 7. *Qui congerit aquas maris tanquam cumulum.* Claudam ubi illud addidero, figuram terræ esse σφαιροειδῆ, male probari ab eruditissimis quibusdam viris ex illis Latinarum versionum locis, ubi terra ORBIS appellatur. Namque in om-

omnibus locis, quæ citat N. N. Coſmogr. parte 1. lib. 3. cap. 13. in Ebræo eſt חבל / quæ vox nihil habet, quod orbicularem figuram ſignificet.

Lovan. doet op u poorten ghy Princen.

Verſ. 7. & 9. Attollite portas principes veſtras.] Ita vulgatus ex Græco *ἄρατε πύλας οἱ ἄρχοντες ὑμῶν.* Quis hoc intelliget? Ebræa clara ſunt, שְׂאוּ שְׁעָרִים רָאשֵׁיכֶם / Aquila *ἄρατε πύλαι τὰς κεφαλὰς ὑμῶν. attollite o portæ capita veſtra.* Simpliciſſima interpretatio, ut per fictionem perſonæ portas templi jam deſignati jubeat attollere vertices, ut latior ingreſſus arcæ introducendæ fieret. Ita Lyra, Piſcator & alii. Etiam Calvinus ſtatuit, Davidem hic de futura templi ſtructura concionari. Verſio Græca eſt plane contorta. רָאשֵׁיכֶם *principes veſtras*, Ut ut enim vox Ebræa רָאשִׁים accipiatur pro *principibus*, tamen affixum illud non poterat ad portas referri. Hoc non fugit Bellarminum, qui in comm. iſta habet, *vel in textu ipſorum* (Lxx) *pronomen affixum fuit nomini* שעריכם *non autem nomini* ראשים *quod ſignificat principes: vel poſſe pronomen uni nomini affixum referri ad aliud nomen, quamvis rariſſime & præter regulam.* Hæc Bellarm. qui pro *rariſſime* melius & verius ſubſtituiſſet *nunquam.* Nam quod ad alias locutiones attinet, quæ hic forte objici poſſent, *mons ſanctitatis meæ, uxor adoleſcentiæ ejus, maritus adoleſcentiæ ejus,* & ſimiles, quæ dicuntur, pro, *mons meus ſanctus, uxor ejus adoleſcentula, maritus ejus adoleſcentulus,* quomodo Coloſ. 1. dicitur *filius dilectionis ſuæ*, id eſt filius ſuus dilectus, alia ratio eſt, alia enim eſt ſyntaxis, vid. rectionis, & abſtracta illa manifeſte pro concretis poſita ſunt, unde reſolutione iſta facta, affixa, licet voci rectæ affigantur, quoad ſenſum tamen ad vocem regentem referri debent. Ex verſione contorta interpretationes magis contortæ emanarunt. Alii per *portas*, cœli: & per *principes*, angelos utrobique intellexere. Alii portas inferni, & diabolos interpretati ſunt, locumque ad deſcenſum Chriſti localem retulerunt. Alii verſ. 7. de portis inferni & diabolis, verſ. vero 9. de portis cœli & angelis accepêre. Vide Carthuſianum, qui mira inſuper ex Dionyſio Areopagita de trib. angelorum quæſtionibus memorat. Auguſt. verſ. 7. ſic παραφράζει, *Quicunque principatum in hominibus quæritis, auferte, ne impediant aditus quos vos ſtatuiſtis, cupiditatis & timoris.* & verſ. 9. *Tollite portas etiam cœleſtes principes veſtri, quas habe-*

habetis in animis hominum, qui adorant militiam cœli. Lombardus ex Caſſiod. *Tollite*] *id eſt auferte ab animis veſtris. Principes*] *Mundi & ſuperſtitioſi ut ſunt hypocriſiarchæ. portas veſtras*] *id eſt mortis, quæ à principe Diabolo poſitæ ſunt.* Apud Thomam parte 3. qu. 39. art. 5. aliam interpretationem invenies, quæ Chryſoſtomo tribuitur, Babtizato Chriſto, cœli tantum ſunt ei aperti. At poſtquam tyrannum vicit per crucem, quia non erant neceſſariæ portæ, cœlo nunquam claudendo, non dicunt angeli, aperite portas (jam enim erant apertæ) ſed tollite portas. Per quod dat intelligere Chryſ. quod obſtacula quibus prius obſiſtentibus, animæ defunctorum ingredi non poterant cœlos, ſunt totaliter per paſſionem Chriſti ablata. Hæc Thomas. In expoſitione morali quæ in Bibliis Lyræ, de aſcenſione B. Virginis locus exponitur atque illa verba *& introibit rex* gloriæ, intelliguntur de Filio Dei, matri ſuæ obſequium præſtante. *Nec immerito creditur*, inquit, *quod Filius per ſe totus feſtinus occurrit, eamque ſecum in throno gloriæ collceavit.* Aliam inſuper explicationem invenies apud Ambroſium & ex eo apud Eraſmum in Eccleſiaſte lib. 3.

Pſ. XXV. 19. De neceſſitatibus meis eripe me] Ita rurſus vulg. ex Græco, *ἐκ τῶν ἀναγκῶν μου ἐξάγαγέ με.* Ebraice, מִמְּצוּקוֹתַי הוֹצִיאֵנִי / Pagn. & Sa, *ex anguſtiis meis*, Arias, *ex coarctationibus meis educ me.* Ἀνάγκη in lingua Helleniſtica idem eſt quod θλίψις, afflictio. Paſſim occurrit hac ſignificatione non ſolum apud Lxx. ſed & in novo fœdere, Lucæ 21. 23. *erit autem ἀνάγκη μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς.* Sic & 2. Cor. VI. 4. & XII. 10. 1. Theſſ. 3. 17. Auguſtinus in comm. non ignoravit afflictiones hic denotari. Carthuſ. per *neceßitates* intelligit indigentias corporales cibi, potus, ſomni, veſtitus, &c. quibus anima frequenter à contemplatione divina abſtrahitur. Bellarminus lib. V. de gratia & lib. arbitrio, cap. 8. §. 1. reſponſurus ad primum argumentum Pelagianorum, hunc locum adducit ex Auguſtini libro de natura & gratia, cap. 66. neque improbat ejus interpretationem de neceſſitate peccandi. Verba Auguſtini non pigrabor adſcribere, *Quod autem ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ ſit quædam peccandi neceßitas, audiat homo, atque ut eadem neceßitas non ſit, diſcat Deo dicere, De neceßitiatbus meis educ me.* Hæc ſi vulgatæ verſioni aptentur, ſpeciem veri habent: at ſi

Ebræo

Ebræo textui, nihil magis alienum dici potuit. Idem Bell. in comment. per necessitates istas intelligit molestissimas concupiscentias, quæ velimus nolimus nos vexant & aliquando in peccatum trahunt. Obiter 2. nota. I. vocem אננקי etiam in Tharg. Jonathanis, & Hierosol. passim eadem notione occurrere. Nec non in Syr. paraphrasi 2. Cor. VI. 5. II. in hac vocis ἀνάγκη significatione concurrere metonymiam & synecd. Necessitas est vis quædam cogens. At cum pro afflictione usurpatur, significat rem adversam à sup. potestate impositam, quam præter voluntatis naturalem inclinationem necesse habemus tolerare. Nec male August. ad hunc locum notat afflictiones vocari necessitates quod necesse sit eas usque ad finem tolerare, ut salvemur. Belgæ quoque & Germani eodem modo voce *noot* utuntur, & Seneca videtur sic accepisse epistola XII. *Malum est in necessitate vivere, sed in necessitate vivere necessitas nulla est.* Ubi ludit in ambiguo vocis.

Psal. XXIX. 1. Afferte Domino filii Dei: * afferte Domino filios arietum.] Ita vulg. ex LXX. ἐνέγκατε κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ, ἐνέγκατε κυρίῳ υἱοὺς κριῶν. Pro duobus istis membris in Ebræo tantum unum legitur, הָבוּ לַיהוָה בְּנֵי אֵילִים ad verbum, *Date Domino filios fortium*, Pagn. Arias, *arietum.* Synecd. generis. Prius quoque illud membrum, ἐνέγκατε κυρίῳ υἱοὶ θεοῦ, in Hexaplis Origenis non comparuit. Fuit proculdubio vel glossema vel alterius interpretis versio, quæ postea, ut factum est sæpius, in textum irrepserit. Frustra ergo hic quæritur, quomodo dicatur in Ebræo *filii Deorum?* אֵלִים / Neque video quæ necessitas interpretibus incubuerit ex filiis arietum fideles exsculpendi. August. *Afferte Domino filios arietum id est vosmet ipsos quos per Euangelium duces gregum Apostoli genuerunt.* Ergo filii arietum sunt filii spirituales Apostolorum. Cur Apostoli vocantur arietes? Hoc jam innuit August. Quia ut arietes lanigeri gregis, ita & Apostoli Christiani gregis duces fuere. Sed audi aliud mysterium. Lombardus in sua rhapsodia ad hunc Psalmum ex Cassiodoro & Alcuino sic inquit, *Apostoli vocantur arietes, quia duobus cornibus id est utriusque testamenti authoritatibus prævaluerunt contra hæreticos, & superstitiones & idola quasi dura fronte diruerunt. Inde est quod mitra pontificalis duo habeat cornua, quia omnis scriba doctus in regno cœlorum de thesauro cordis sui profert nova* (hoc est

* Lovan. brengt aen der rammen kinderen.

ex

ex novo teſtamento, quod eſt unum cornu) *& vetera.* (hoc eſt ex veteri teſt. & denotatur per alterum cornu.) Hæc Lomb. Jam didiciſti Lector, cur Epiſcoporum mitræ bicornes ſint.

Pſ. XXXIII. 15. * Qui finxit ſigillatim corda eorum] Ita vulgatus ex Græco. ὁ πλάσας κατὰ μόνας τὰς καρδίας αὐτῶν. Hic locus vulgo à Scholaſticis adducitur diſtruendis duabus opinionibus, quarum prior eſt, animas eſſe ex traduce. Vide Hieron. in hunc pſalmum, & Lombardum lib. 2. diſt. 18. litera H. Hi per *corda* animas intelligunt. Altera, omnes animas ſimul in principio mundi creatas eſſe. Audiamus Carthuſianum, *ſigilliatim*] id eſt *ſingulariter & ſeorſim. corda eorum*] id eſt *animas hominum. Anima enim creando infunditur & infundendo creatur. Per hoc quod propheta aſſerit animas ſigillatim produci, deſtruitur error ponentium, omnes animas rationales ſimul creatas à principio mundi cum angelis.* Errori, quem hic oppugnat Carthuſianus, nullum præſtabo patrocinium. Illud tamen dicam, nec Græco nec Ebræo textu iſtum errorem jugulari. Illud enim κατὰ μόνας poteſt reddi *ſolus.* Genebr. *Sigillatim*] καταμόνας, *ſolus ſine alterius opera eorum animas finxit & procreavit.* Ita certe voce iſta uſus eſt Marcus IV. 10. ὅτε δ' ἐγένετο καταμόνας, *cum eſſet ſolitariè* id eſt ſolus. Vulg. *ſingularis.* Et LXX. Pſ. IV. 9. eadem voce expreſſerunt Ebræum לְבָדָד / Vox Ebræa יַחַד ſignificat *pariter, una, ſimul,* tam hic quam ille, ut ſenſus ſit, verba Genebrardi, *Deus omnium corda format pariter id eſt ad unum omnia, nullo excepto, ne quis opinetur aliquas animas ab aliquo alio creari.* Hinc Aquila & V. Editio, ἅμα, Symm. ὁμοῦ. Quo ſenſu uſus eſt Sirach. XVIII. I. voce κοινῇ, de qua ſuo loco. Quid vero ſpectarunt Græci, cum τὸ יחד reddidere καταμόνας? aut legerunt יָחִיד aut exiſtimarunt τὸ יחד aliquando idem eſſe quod לְבַד / quomodo accepiſſe videtur R. Salomo, Ezræ IV. 3. *Nos* יַחַד *ædificabimus Domino Deo noſtro, &c.* ubi tamen nulla neceſſitas. Unde & Abenezra notat innui iſta voce כל קהל ישראל totum Iſrael, & LXX. ἐπὶ τὸ αὐτὸ, reddidêre.

Verſ. 6. verbo Domini cœli ſunt, &c.] Hic locus ſæpe allegatur in doctrina de Trinitate. Sed Calvinus, Piſc. & alii cum minus ſolidum eſſe cenſuerunt. Vide eorum comment. & Parei Calvinum orthodoxum lib. 2. cap. 12. pag. mihi 128.

* Lovan. die elken beſonder haerlieden harte gemaeckt heeft,

Pſ. XXXIV. 1. cum immutavit vultum ſuum] Vide quæ ſupra notavimus ad 1. Sam xxi. 13.

Pſ. XXXV. 18. In populo gravi laudabo te.] Ita vulgatus. Lxx. ἐν λαῷ βαρεῖ αἰνέσω σε. Ebr. בְּעָם עָצוּם / ad verbum *in populo robuſto.* Aquila, ὀστεΐνῳ id eſt oſſeo? hoc eſt ἰσχυρῷ. Symm. ἐν λαῷ παμπληθεῖ, in populo numeroſo. Certe עצם aliquando uſurpari pro numeroſum eſſe, docebit vel unus ille locus Jer. xv. עָצְמוּ *numeroſiores ſunt* (Lxx. ἐπληθύνθησαν) *viduæ veſtræ quam arena maris.* Sic & Pſ. xl 6 & 13. Hinc & S A vocem *gravi*, interpretatur *multo.* Et Genebr. *Gravi*] *Hebraiſmus pro frequenti, numeroſo, plurimo. Nam non tantum ſignificat ponderoſum vel forte. ut 1. Mach. 1. 18. Multitudo gravis id eſt magna & copioſa.* Bellarm. quoque agnoſcit, vocari populum עצום ratione multitudinis. Quid ergo judicandum de hac Auguſtini gloſſa, quæ in propria vocis Latinæ *gravis* ſignificatione fundata eſt, *In Eccleſia, quæ toto orbe terrarum circumfuſa eſt, palea eſt & frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideo in populo gravi laudabo te, In gravi populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. In palea blaſphematur ſemper.*

Pſ. XXXIX. 10. Obſurdui & non aperui os meum, quia tu feciſti.] Ita vulgatus Lxx. ὅτι σὺ ἐποίησας, atque ita eſt in Ebræo, *quia tu* עָשִׂיתָ *feciſti.* Senſus clarus eſt. Audiamus nunc Auguſtinum. Is cum incidiſſet in codicem ubi addita erat vocula ME, eamque concoquere non poſſet, ſic alloquitur Pſalmographum, *Ideo non aperuiſti os tuum, quia Deus eſt qui fecit te? Mirum eſt. An os tibi non fecit Deus ad loquendum? Qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non vidit? Os tibi Deus ad loquendum dedit, & dicis, obſurdui & non aperui os meum, quia tu es qui feciſti me? An, quoniam tu es qui feciſti me, pertinent ad poſteriorem verſum? Quoniam tu es qui feciſti me, amove à me flagella tua. Quoniam tu es qui feciſti me, noli exterminare me, tantum cæde ut proficiam, non ut deficiam, &c* Vides, lector, quid ſit mendoſos codices ſequi & fontes non poſſe conſulere.

Pſ. XL. 8. In capite libri ſcriptum eſt de me] Ita vulgatus. Lxx. ἐν κεφαλίδι βιβλίου γέγραπται περὶ ἐμοῦ. In eundem modum invenies locum hunc citatum in Epiſtola ad Ebræos x. 7. Textus Ebræus habet בִּמְגִלַּת סֵפֶר *in volumine libri* hoc eſt, in libro. Locutio ἐν παραλλήλω, ut *petra ſilicis & ſilex petræ.* Vide

de Gramm. noſtram lib. 2. cap. 1. Ita & Genebr. in comment. מְגִלָּה eſt liber, ſed convolutus. Solebant enim priſci libros ſuos in cylindri formam convolvere, ut etiamnum Judæi exemplar illud legis, quod in pergameno exaratum in Synagogis aſſervant, convolvunt. Hinc natæ illæ locutiones, ἀναπτύξας & πτύξας τὸ βιβλίον Luc. IV. 17. & 20. Hinc Latinorum *volumen*, & *evolvere libros*. מְגִלָּה ergo αὐτολεξεὶ, *volumen*, à גָּלַל volvere. Hæc eſt ſimpliciſſima interpretatio. *In volumine libri* id eſt *in libro*, Quomodo & Luth. & Piſc. *im buch*. In libro Legis, qui κατ' ἐξοχὴν liber dici meretur. In Ebræo ergo nulla difficultas. Si quæras ubi in Moſe ſcriptum ſit de Chriſto, non opus eſt ad particularia loca deſcendere, totius ſcripturæ ſcopus eſt Chriſtus. Scripturæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de illo. Vnde non pauci per hunc librum univerſam Scripturam intelligunt. Videamus nunc Græcum interpretamentum κεφαλίδι. Pro eo Symm. & Aquila εἰλήματι dixerunt. Εἴλημα involucrum & volumen. Huc reſpexit Suidas quando inquit, κεφαλὶς βιβλίου ὅπερ τινὲς εἴλημα φασίν. Idem ergo quod Ebræum מְגִלָּה / Vox κεφαλὶς plus negotii interpretibus faceſſit. Cum enim ea vox, communiter per *caput* vel *capitulum*, explicetur, anxie quæſitum fuit, quid hic per capitulum vel caput libri intelligatur. Per *caput* nonnulli *ſummam* intelligunt. Inter quos Bellar. & Genebr. Licet autem ea interpretatio Ebrææ voci מגלה neutiquam conveniat, tamen ſententiam eandem parit cum illa, qua per *volumen libri univerſa ſcriptura* intelligitur. Bell. *quoniam igitur non ait hoc loco Dominus, in capite primi libri, vel capite primo libri, ſed generatim, in c. libri, recte dixerunt Chryſ. Theod. Euthymius, hoc loco, in c. l. ſignificare totum volumen divinarum ſcripturarum. Id enim coincidit cum eo, quod nos dicimus, ſummam totius ſcripturæ ad Chriſtum pertinere. Ipſe enim eſt finis legis, Rom. 10.* Hæc Bell. At communior ſententia, ut per *caput*, principium intelligatur, unde & in Belgica verſione Hebr. x. 7. legimus, *in principio libri*. ubi tamen Lutherus, *in libro præcipue ſcriptum eſt de me*. *In capite* ergo illis eſt *in principio*. At cujus libri? Invenio varias opiniones. Prima eſt de libro divinæ prædeſtinationis. Sa, *in primo loco divinæ prædeſtinationis*. Hanc interpretationem ſequitur Lyra, & meminêre Carthuſ. & Bellarm. exiſtimantes eum firmari ex voce מגלה / quæ, ut di-

ctum est, librum convolutum significat, atque ita clausum, ut quæ in eo scripta sunt, legi non possint. Alii hunc ipsum Psalmorum librum intelligunt, inter quos August. & putant respici ad illa verba Ps. 1. *In lege Domini voluntas ejus. Quid enim longe petamus*, inquit, *aut alios libros inquiramus? Ecce in capite hujus libri Psalmorum scriptum est, Beatus vir, &c.* Alii per principium libri, initium Euangelii Johannis intellexere, quam sententiam Hieronymo & Chrysostomo quoque adscribit Bellarminus. Major vero pars veterum Theologorum, de initio libri Geneseos locum hunc exposuerunt. Et tamen ad quem locum potissimum respexerit Christus, non convenit. Ambrosius, teste Bellar. putavit istum locum intelligi, *Hoc nunc os ex ossibus meis & relinquet homo, &c. Quod exponit Apostolus, Ephes. v. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & in Ecclesia.* Hæc iterum Bell. Alii ad vaticinium de semine mulieris, alii ad liminarem illam vocem בְּרֵאשִׁית repectasse Salvatorem volunt. Equidem cur de hac postrema interpretatione tam altum sileat Bellarminus, demiror. Carthus. *Secundo exponitur sic, in capite libri id est in exordio Geneseos, Ibi enim habetur, in principio id est in verbo, creavit Deus cœlum & terram. Omnia namque per ipsum creata sunt, &c.* Ipse quoque Hieron. mentem suam clare satis edisserit in Quæst. ubi hæc leguntur, *Magis itaque secundum sensum, quam secundum verbi translationem de Christo accipi potest* [illud vid. בראשת] *qui tam in ipsa fronte Genesis, quæ caput librorum omnium est, quam etiam in principio Johannis Euangelistæ cœli & terræ conditor approbatur. Unde & in Psalterio de se ipso ait, In capite libri scriptum est de me, id est in principio Geneseos, &c.* Aves plures sententias audire Lector? En tibi adhuc unam, quam Alcuino tribuit Lomb. *In capite id est apud Deum patrem, qui est caput mei, dicit Christus, qui sum liber humani generis, in quo quisque legere debet, scriptum est id est præfinitum est de me.* Eadem invenies in Glossa ordin. Hanc interpretum varietatem & incertitudinem uni voculæ κεφαλὶς ignoratæ adscripserim. Κεφαλὶς in lingua Hellenistica idem quod מגלה *volumen.* Fidem facient hæc exempla, Ezræ 6.2. καὶ εὑρέθη — κεφαλὶς μία Chald. מְגִלָּה: *& inventum fuit volumen unum.* Jezech. 3.1. υἱὲ ἀνθρώπε κατάφαγε τὴν κεφαλίδα ταύτην, ubi Ebraicè rursus מגלה / Sic & vers. 2. Hic certe nec *caput*, nec *initium* significare potest.

Lib. V. annot. 13.

Jesai

Jesai. 8. 1. vocem synonymam גליון Lxx. τόμον, alius τεῦχος, alius διφθέρωμα, alius κεφαλίδα interpretatus est. Κεφαλὶς ergo volumen, undecunque ita appellatum sit. Sunt enim qui à κεφαλὴ deflectunt, quasi dicas, opus capitatum. Vide Junii parallela, lib. 3. cap. 10. Fullerus Miscell. 2. 10. sententiam Junii improbat, atque in eam inclinat sententiam, idiotismum esse, & dictionem ἐπιχώριον & peculiarem, quæ non à voce Græca κεφαλὴ flectatur, sed ab Ebræo כפל vel Syro כפל aut קפל / quæ denotant id quod minime est ἁπλούμενον id est expansum, explicatum vel extensum, sed διπλούμενον hoc est, compositum, complicatum & convolutum. Subjungit idem aliam conjecturam non minus probabilem, ut nimirum flectatur à קלף / quod Syris Chaldæisque proprie quidem corticem, sed Rabbinis passim membranam significat, העור שכותבין עליו id est pellem, in qua scribunt. Græci διφθέραν vocant. Ita κεφαλὶς per metathesin erit pro κελαφὶς. Et certe apud Græcos interpretes plura ejusmodi occurrunt vocabula, quæ ex oriente assumpta Græca veste induerunt. Ita ex גר fecerunt γειώρας, Exod. XII. 19. Ex חֵבָה θίβη vel θίβη Exo. 2. 3. שהרנים σειρῶνες Jud. 8. 24. In editione Complut. Quia vero jam meminimus vocis בראשית / quæ liminaris est libri Geneseos. lubet paululum hic gradum sistere. Ita est. Multi ex veteribus crediderunt eam vel αὐτολεξεὶ, secundum sensum sonare, *in filio.* In filio creavit Deus cœlum & terram. Hilarium taxat Hieronymus in principio libri de Ebr. traditionibus, quod in expositione versus 1. Ps. 2. asseruerit, pro eo quod nos in exordio Geneseos habemus, *In principio*, in Ebræo haberi, *in filio.* Hilarium in hunc errorem traxit authoritas Tertulliani, qui in libro adversus Praxeam idem asseruerat. Alii, qui non ignorarunt in Ebræo αὐτολεξεὶ legi, *in principio*, tamen per illud principium *filium* intellexere. Ita August. lib. 1. de Genes. ad lit. cap. 1. Ambros. & Basilius. Magister sentent. lib. 1. dist. 2. lit. F. pluralitatem personarum & unitatem essentiæ probaturus, hunc ipsum producit locum, per Deum, inquit, significari patrem. Per principium filium. Eadem habet lib 2. dist. 13. lit. H. Vide & August. de Civit. Dei XI. 32. Thomas part. prima, Quæst. 46. artic. 3. *In principio creavit Deus, &c. tripliciter exponitur ad excludendum tres errores. Quidam enim*

Elias in Thisbi, voce קלף /

posuerunt mundum semper fuisse. Ad hoc excludendum exponitur, In principio, *sc. temporis. Quidam posuerunt duo esse creationis principia, unum bonorum, aliud malorum. Et ad hoc excludendum exponitur,* in principio, *hoc est, in filio. Sicut enim principium effectivum appropriatur Patri, propter potentiam: ita principium exemplare tribuitur filio propter sapientiam, ut sicut dicitur, omnia in sapientia fecisti,* (Psal. 104.) *ita intelligatur Deum omnia fecisse in principio id est in filio, secundum illud Apostoli, Coloss. 1. In ipso condita sunt universa, &c.* Hæc Thomas. Quæres quid spectaverint Interpretes, dum per *principium* Filium intellexere? certe si scriptum fuisset בְּחָכְמָה *in sapientia*, quomodo legimus Ps. 104. *omnia fecisti Domine in sapientia* (cujus tamen simplicissimus sensus iste est, *sapienter*) minus contorta videri posset interpretatio. Christus enim Proverb. 1. 8. & 9. vocatur Sapientia. Quod si Patribus constitisset, paraphrasten Jerosol. vocem בראשית reddidisse בְּחוּכְמָא / *in sapientia*, proculdubio istam interpretationem in patrocinium suæ sententiæ advocassent, præcipue Origenes, de quo Theodoretus, ὁ δὲ Ὠριγένης τὸ ἐν ἀρχῇ βούλεται ἀντὶ τοῦ ἐν σοφίᾳ, τοῦτ᾽ ἔστι, ἐν υἱῷ id est *Origenes illud*, ἐν ἀρχῇ, *vult positum, pro* ἐν σοφίᾳ *in sapientia, hoc est, in filio.* Quid vero spectaverit Paraphrastes Jerosolymitanus, alii excutiant. Non ignoramus, quid vulgo afferri soleat, sed cum omnia tentarunt, non persuadent tamen, aliam ei fuisse mentem, quam quæ Davidi Psalmo 104. vers. 24. Nos videamus obiter quid illi spectaverint, qui per principium filium intellexerunt. Hoc nos docebit Origenes super Genes. *Quod est omnium principium, nisi Dominus & salvator omnium Jesus Christus, primogenitus omnis creaturæ?* August. de Genesi ad literam, *Secundum historiam quæritur quid sit* in principio. *Utrum in principio temporis? an in principio, in ipsa sapientia Dei? quia & ipse Dei filius, principium se dixti, quando ei dictum est, Tu quis es? Et dixit, Principium, quod & loquor vobis.* Locus ille extat Joh. VIII. 25. τὴν ἀρχὴν, ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ubi accusativum illum adverbialiter positum esse pro κατὰ τὴν ἀρχὴν Beza, Drusius & alii jam pridem docuere. Vide Bezæ Annot. Hoc ergo dicit Salvator, Se eum esse, quem initio vel â principio se esse dixerat. Nonnus,

Τίς σὺ πέλεις; καὶ Χριστὸς ἀνίαχεν, ὅτι περ ὑμῖν
Ἐξ ἀρχῆς ὀάριζον.

Quis tu es? & respondit Christus, quod vobis
Ab initio dicebam.

Alii allegarunt locum Johannis I. 1. ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος. Atqui illic λόγος & ἀρχὴ manifeste distinguuntur. Sic dico, ὁ λόγος illic non dicitur ἀρχὴ, sed jam extitisse ἐν ἀρχῇ. Locus Psalm. CX. *Tecum principium in die virtutis tuæ*, magis disconvenit. Namque illic in Ebræo nihil est, quod *principium* significet, ut suo loco videbimus. Hæc fere loca sunt, quæ Patres tanquam πρόδηλα solent adducere. Equidem vehementer miror, nec illos, nec Scholasticos, & nominatim Thomam, loco quem supra adduximus, locum illum citasse qui extat * Apocal. 3. 14. ubi Christus vocatur ἀρχὴ τῆς κτίσεως Θεοῦ, præsertim cum illic eadem vox *principium* in vulgata translatione extet. Et certe Christus non solum est principium exemplare creationis, propter sapientiam, ut supra loquebatur Thomas, sed & effectivum propter potentiam, docente Apostolo, Ebræorum I. 10. *Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli.* Non ergo negatur, Patrem creasse omnia in filio, sed hoc voluisse Mosem exprimere per vocem בראשית solide necdum probatum esse asseritur.

*Vide supra pag. 43. Vide Bezam, Piscat, &c.

Ps. XLII. 1. Deum fontem vivum] Græci ἰσχυρὸν id est fortem. Atque ita correxit hunc locum Clemens. Vide sis quæ pag. 79. & 80. notavimus. In Bibliis Lovan. anno 1599. Antverpiæ à Moreto editis invenio locum hunc sic correctum **mijn ziele heeft dorst gehadt tot Godt den machtigen levende.** Melius ita reddas, *Anima mea sitit Deum, Deum viventem.* **Mijn ziele dorstet na Gode/ na den levendigen God.** In Ebr. enim concurrunt אלהים & אל/

Ps. XLV. 1. pro iis qui commutabuntur.] Ita vulgatus. LXX. ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων. Pias super hoc titulo invenies meditationes apud veteres, nominatim apud Augustinum, pias inquam sed hoc loco neutiquam convenientes. Namque ex עַל שׁוֹשַׁנִּים nunquam istam interpretationem extruderis. Fuit vox ista שושנים (quæ alibi *lilia* significat idest σοῦζα, à numero VI. foliorum) vel initium vulgatæ alicujus cantilenæ, ad cujus

cujus melodiam decantandus fuerit hic Pſalmus, vel nomen inſtrumenti Muſici hexachordi. Vide Interpretes.

Ibid. verſ. 5. Accingere gladio tuo ſuper femur tuum potententiſſime.] Hujus loci meminimus ſupra pag. 141. Eraſmus in Apologia adverſus lepidum illud cucurbitæ caput, *Petrum Sutorem*, demonſtraturus, multa in verſionibus ambigua non niſi ex fontibus explicari poſſe, hoc exemplum producit· Incertum eſt, inquit, utrum adverbium ſit *potentiſſime*, an nomen. Quid faciam? conſule gloſſas. Pareo & adeo commentarios Hieronymi. Illic lego potentiſſime, non ſegniter neque leviter ſed viriliter. Ex his verbis apparet adverbium eſſe. Digredior ad commentariolum ejus ad Principiam. Non attingit hanc vocem. Conſulo Auguſtinum. Ille me circumagit multis ambagibus, tandem hoc addens, potentiſſime etiam circa femur, ſubindicare videtur eſſe nomen. Tale quiddam ſignificat & Caſſiodorus. Hinc igitur dimittor incertus. Conſulo Hugonem Cardinalem. Is nominatim admonet, potentiſſime ſumendum adverbialiter. Confugio ad Lyranum. Is nihil attigit. Hinc ad Arnobium. tantundem. Reſtat Gloſſa ord. diſſimulat. Denique conſulo Fabrum Stapulenſem. Is videtur indicare, potentiſſime nomen eſſe. Si ſimili ſtudio circumagar per omnes gloſſas, dimittar incertior quam veneram. Et hæc eſt via compendiaria quam nobis moſtrat Sutor. Quanto brevius erat, non hac ſolum de cauſa inſpicere Pſalterium Græce verſum, ubi ſcriptum eſt δυνατέ, id eſt o potens, aut ſi quis adhuc dubitet, Hebraicum, ubi legitur *gibbor*. quod Hiero. vertit fortiſſime. Hæc Eraſmus.

Pſ. XLVIII. In hunc Pſalmum extat oratio Stephani Archi-Epiſcopi Patracenenſis. eam invenies tomo IV. Conciliorum Edit. Colon. pag. 621. Confer eam cum originali textu vel accuratiore Pagnini tranſlatione & judica.

Pſ. XLIX. 16. ex inferno] Vide ad Pſalm. LXXXV.

Pſ. L. 11. pulcritudo agri mecum eſt.] Hiero. *univerſitas agri.* Pagn. *fera agri.* Genebr. & Sa, *mecum eſt, hoc eſt, in mea poteſtate eſt.* Bellar. *ad jus meum pertinet.* Ebr. עִמָּדִי / In ſcholis Theologicis ſæpe auditur, *Deo omnia eſſe præſentia.* Hanc ſententiam uti non ſolicito, ita tironem quoque monitum volo, nihil tale his verbis ſpectaſſe Pſalmographum. Senſum eorum

tum simplicissimum verbis Pontificiorum proposui, quibus nostri assentiuntur. Frustra ergo hic subtilis est Augustinus, cujus verba * refert Lombardus l. 1. dist. 35. lit. F. *Inde est etiam,* inquit Magister, *quod omnia dicuntur ei præsentia esse, non solum ea quæ sunt, sed etiam ea quæ præterierunt, & ea quæ futura sunt. — unde August. super illum locum Ps.* Et pulcritudo agri mecum est, *Ideo*, inquit, *mecum est, quia apud Deum nihil præteriit, nihil futurum est. Cum illo sunt omnia futura, & ei non detrahuntur jam præterita, cum illo sunt omnia cognitione quadam ineffabili sapientiæ Dei, &c..*

* cæterum non optima fide. Dicam alibi.

Ps. LI. 7. in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis, &c.] Ita vulg. ex LXX. ἐν ἀνομίαις, ἐν ἁμαρτίαις. Magister Sentent. lib. 2. dist. 33. hanc proponit quæstionem, an peccata præcedentium patrum ad parvulos transeant, sicuti primi hominis delictum in omnes carnaliter genitos redundavit. Et si peccata parentum transeant in parvulos, utrum omnium qui fuerunt ab Adam usque ad ipsos, an aliquorum & non omnium. Ait Augustinum de hoc disserere ambigue in Enchiridio atque ita videri statuisse, peccata parentum præcedentium imputari parvulis, non omnium tamen qui fuerunt ab Adam, ne importabili & nimia sarcina in pœna æterna gravarentur, sed tantum eorum parentum, qui eos à quarta generatione præcisserunt, illudque ab illo confirmari istis verbis, in Exodo ait Dominus, *visitans iniquitates patrum usque in tertiam & quartam generationem,* idque per moderationem divinæ miserationis. Sectione C. ait, hanc sententiam ab illis, qui ita sentiunt, cofirmari porro ex eo, quod David de legitimo matrimonio procreatus dicit, *In iniquitatibus conceptus sum & in peccatis concepit me mater mea.* Non dicit *in iniquitate* vel *peccato*. Vnde putant, non tantum illud unum peccatum originale, sed etiam plura, quæ in peccato Adæ reperiri possunt, & alia parentum peccata parvulis imputari. Sect. D. docet ex August. (cap. 45. Enchiridii) in actuali peccato Adæ, plura concurrisse peccata, vid. superbiam, sacrilegium, homicidium & fornicationem spiritualem, & furtum & avaritiam. Sect. E. Augustinum Augustino opponit, in hunc modum cap. 93. Enchiridii differentem, *mitissima sane eorum pœna erit. qui præter peccatum, quod originale contraxerunt, nullum insuper addiderunt: & in cæteris qui addiderunt,* tan-

Cap. 47. tomo 3.

August. in Enchiridio cap. 44. & 46.

tanto quisque tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuerit iniquitatem. Concludit ergo Lombardus, hanc fuisse mentem Augustini, *uno & non pluribus peccatis parvulos obligatos teneri.* Cætera non tam asserta quam disserta fuisse. Quid ergo fiet loco Ps. LI. *in iniquitatibus, in peccatis?* Responsionem in promptu habet August. cap. 44. Enchiridi, *Quemadmodum scriptura aliquando singulari numero pro plurali utitur, ita è converso pluralem aliquando pro singulari ponit, ex. gr. Mortui sunt qui quærebant animam pueri, de uno Herode, Matth. 2. &c. ita & illud originale unum plurali numero significari, &c.* Hæc Lombardus ex Augustino. Eadem responsione de enallage numerorum utitur Thomas prima secundæ, quæst. 82. art. 2. ubi quærit, an in uno homine sint multa originalia peccata, & hunc Davidis locum pro affirmativa sibi primo objicit. Addit tamen alias, *vel* inquit, *pluraliter dicitur in iniquitatibus, &c. quod in peccato originali virtualiter præexistunt omnia peccata actualia, sicut in quodam principio, unde est multiplex virtute. Vel quia in peccato primi parentis fuerunt plures deformitates, vel quia multæ partes animæ inficiuntur per peccatum originale. Genebr.* Vnum peccatum originale dici potest multa,
„ quia est omnium aliorum fomes, origo & seminarium. Vnum
„ ergo est per se: multa per effectus. *Carthus.* Vnum est forma-
„ liter, multa vero materialiter, propter quatuor animæ vulne-
„ ra, ex origin. peccato secuta, quæ sunt ignorantia, malitia,
infirmitas & concupiscentia. Tantæ molis erat hunc locum interpretari. Sed vide Lector, quam frustra hic sudaverint præstantissima illa ingenia. David, de cujus verbis hactenus disputatum est, non usus est nisi vocibus singularis numeri, בְּעָוֹן / בְּחֵטְא / in iniquitate, in peccato, proculdubio peccatum originale intelligens. Vide Interpretes. Lutherus, **upt zondelijcken zade** / hoc esset ad verbum מִזֶּרַע הַחֵטְא /.

Psal. LX. 10. Moab olla spei meæ] Lxx. *μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου.* Augustinus in hujus loci expositione non est Augustinus. Piget pudetque ea hunc transcribere. Ebr. Moab, סִיר רַחְצִי olla lotionis meæ. Aquila *μωὰβ λέβης λυτροῦ μου.* Hiero. & Pagn: & Arias, *lotionis meæ,* Lxx. acceperunt in significatione Chald. & Syr. Illis enim רחץ est, sperare, confidere. Quidam codices latini olim legebant, *aula spei meæ.* Aula, olla. Vnde Plauti Aulularia; Festus, *Aulas antiqui dicebant, quas nos*

dici-

dicimus ollas, quia nullam literam geminabant. At quia *aula* Latinis aliud insuper quiddam significat, Ambrosius institut. virginum c. 12. ita scripsit, * *Moab aula spei vel olla spei meæ. Vtrumque enim in diversis codicibus invenitur, Aula regalis est virgo &c.*

* Locum integrum invenies ad Ecclesiastæ cap. 4.

Ps. LXII. 13. reddis unicuique כְּמַעֲשֵׂהוּ / id est, secundum opus ejus.] Vulg. *juxta opera sua.* Eandem sententiam invenies apud Paulum, Rom. 2. 6. ὃς ἀποδώσει ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ. hoc est, prout quisque operibus declaraverit, se esse numero filiorum Dei, vel non esse. Lutherus, & ex eo Belgica, **ende betalet een yegelijck als hy het verdient** id est, rependis unicuique sicuti meretur. Quoad sensum non male, qua improbos spectat. At cum sententia generalis sit & ad pios quoque se porrigat, quorum operibus, si proprie & cum scriptura loqui volumus, non potest meritum tribui, periculose & temere vox merendi hic adhibita non immerito videri possit. Et tamen Rhytmi quoque nostri hic canunt, **die de mensche wat recht is / doet / na sijn verdienst /** &c. Disce hic tiro, in versionibus sæpe occurrere voces, quibus in originali nihil tale respondet. Vox OMEN semel in Bibliis occurrit, inquiunt nonnulli, vid. 1. Reg. 20. 33. Item ARBITRIUM, vid. Num. 30. 14. veræ sunt istæ assertiones, si de Bibliis vulgatæ versionis loquaris. At si originarias tabulas adeas, non invenies illic nomina latinis istis respondentia.

Ternov. Exercit. Bibl. pag. 572. Edit. 3.

Ps. LXIV. 7. David conquestus de improbis machinationibus hostium suorum, concludit querelam istam his verbis, וְקֶרֶב אִישׁ וְלֵב עָמֹק Quæ Jun. & Pisc. per modum epiphonematis reddunt, *adeo intimum viri* (vel cujusque) *& cor profundum est.* Istis autem subjungit vir Dei professionem spei suæ de interitu adversariorum, quam exorditur vers. 8. וַיֹּרֵם אֱלֹהִים / חֵץ פִּתְאוֹם Pagn. *& sagittiavit* (enallage temporum) *eos Deus sagitta repente* id est repentina. *erunt* (hoc est, durabunt, manebunt, ut 1. Reg. xi. 32.) *plagæ eorum.* Quid vulgatus? Ex ultimis verbis versus 7. & primis octavi conflavit unam sententiam, * *Accedet homo ad cor altum & exaltabitur Deus.* Exaltabitur, LXX. ὑψωθήσεται hoc esset וַיָּרֻם At Aquila vertit ῥοιζήσει αὐτούς. Symm. ἀκοντιεῖ αὐτοὺς. & Chald. וִיגָרֵי & jaculabitur. Quod vero ad priora attinet, in Græco ita legitur, προσ-

* Lovan. de mensche sal gaen tot een hooghe herte.

* quasi esset וְקָרֵב

σελεύσεται ἄνθρωπος καὶ καρδία βαθεῖα. * *Accedet homo & cor profundum*, Cenomanus in collatione agnoscit, voculam AD in mendo cubare & pro ET irrepsisse. Non lubet huc convectare ineptas multorum expositiones. Sufficiet annotasse, Lombardum lib. 1. distinct. 17. litera H hunc locum præter mentem Psalmographi allegasse. Vide & judica.

Ps. LXVIII. 21. Increpa feras arundinis.] Ebr. גְּעַר חַיַּת קָנֶה Vox Ebræa indifferens est ad vitam, vivum, animal, bestiam, feram & catervam. Hinc alii, *catervam arundinis* id est arundiferam, alii *feram arundinis* vertunt. Qui *catervam arundinis* interpretantur, per arundinem tela vel lanceas intelligunt. certe Plinius lib. 16. cap. 36. prodidit, multos arundinibus pro lanceis usos fuisse, & toto oriente arundinib. bella gesta fuisse. Hic Virgil. *hæret lateri lethalis arundo*, id est sagitta, quæ eidem volucris & volans arundo.

Riverus ad hunc locum

Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo.

Ex Ovidius Metam x. *distrinxit arundine pectus.* Qui *feram* reddunt, collective accipiunt, & crudeles efferatosque Ecclesiæ hostes intelligunt. Sed cur dicit *arundinis*? Bellarm. *Per feras arundinis intelliguntur bestiæ sylvestres, quæ latent inter arundineta & per has bestias describuntur dæmones, qui libenter versantur inter homines vanos, leves & in locis humentibus, ubi regnat luxuria.* Alii melius de Ægyptiis intelligunt, infestis ab omni ævo Israëlitarum hostibus. Ægyptus autem arundine & carice abundabat, & laudatissimos semper Ægyptiacos calamos fuisse, nullus, opinor, tam in naturali historia hospes est qui ignoret. Carices & calami pro Nilo aut Ægypto hieroglyphicè adhibentur. Et Augustus in nummo cuso, ob victoriam de Antonio & Cleopatra, pro Ægypto Crocodilum cum arundine posuit. Juxta horum ergo interpretationem Ægyptii comparantur feris in arundineto stabulantibus. Rev. D. Sculterus putabat Regem Pharaonem intelligi, *Qui Ægyptum nobis descripserunt*, inquit; *testatum & hoc reliquerunt, flumen alluisse regiam Pharaonis, in flumine autem isto fuisse arundinetum. Per feram ergo arundinis Regem Ægypti intelligit, cujus milites & duces convenienter tauros & vitulos nominavit.* LXX. ἐπιτίμησον τοῖς θηρίοις ȣ καλάμου vocem καλάμου. Latinus optime reddidit, *arundinis.* Augustinus vocem illam in versio-

Oratione de conjungenda Philologia cum Theologia.

ne retinuit, atque ad eam hæc commentatus est, *Increpa feras calami. Nam & feræ sunt, quoniam non intelligendo nocent. Et feræ calami sunt, quia scripturarum sensum suo errore pervertunt. Per calamum quippe tam convenienter scripturæ significantur, quam sermo per linguam; secundum quod dicitur, lingua Hebræa vel alia qualibet, per efficientem sc. id quod efficitur. Usitatum autem est in Latino eloquio, ut scriptura stylus vocetur, quod stylo fiat. Ita ergo & calamus, quod calamo fiat. Dicit Apostolus Petrus, indoctos & instabiles pervertere scripturas ad proprium suum interitum. Hæ ergo sunt feræ calami.* Hæc Augustinus, deceptus, opinor, ambiguitate vocis *calamus*. Vox Ebræa קָנֶה unde Latinorum *canna*, aliquando calamum mensorium, aliquando calamum aromaticum, aliquando etiam communem, seu arundinem significat. Est & calamus artificialis per similitudinem, qualis in candelabro describitur Exod. XXV. Accipitur & pro ligno illo transversario in statera, Jes. XLVI. 6. Non ignoro Memphiticos seu Ægyptiacos calamos huic usui olim inserviisse, id quod ex Martiale liquet, at vocem Ebr. קָנֶה pro calamo scriptorio, quem Ebræi עֵט vocant & LXX. quoque κάλαμον reddidêre, non putem in originario textu uspiam usurpari.

Vers. penult Mirabilis est Deus in sanctis suis]. Vide quæ notamus ad Ps. CL,

Ps. LXXI. 16. Quoniam non cognovi literaturam, introibo in potentias Domini] Rursus posui interpretationem vulgatam. Ebr. כִּי לֹא יָדַעְתִּי סְפֹרוֹת / & pertinent ad uers. 15. *Os meum narrabit justitiam tuam, & quotidie salutem tuam, quamvis non noverim numeros.* quamvis beneficia tua tanta & tam varia sint, ut recensere ea non evaleam. ספר *numerare*, unde *siphra* & Belg. **Cyferen.** Symm. οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι. Sa notat in Chald. esse *numerum*, vid. beneficiorum Dei, & Belgica Lovaniensium, **om dat ick 't ghetal niet ghewetеn en hebbe.** An ergo *literatura* & *numerus* idem sunt? LXX. hic plusculum à fontibus recessere, ὅτι οὐκ οἶδα πραγματείας. Quod in Psalt. Romano vertitur, *negotiationem*. Quomodo & Chrysost. & August. & Arnobius & Lombardus & alii legerunt. Sed & Gelasius Papa, cujus hæc citantur verba, in Decreto, Distinctione 88. cap. consequens est. *Consequens est, ut illa quoque quæ de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiavit, non prætereunda*

eunda putaremus. Id *eſt, plurimos clericorum negotiationib. inhoneſtis & turpib. lucris inhiare, nullo pudore cenſentes Evangelicam lectionem, qua ipſe Dominus negotiatores ex templo verberatos aſſeritur ejeciſſe. Nec Apoſtolica verba recolentes, quibus ait, nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus. Pſalmiſtam quoque David ſurda diſſimulantes aure cantantem, Quoniam non cognovi negotiationes, introibo in potentias* DOMINI. *Proinde hujuſmodi aut ab indignis poſthac quæſtibus noverint abſtinendum, aut ab omni cujuſlibet negotiationis ingenio & cupiditate ceſſandum, &c.* En tibi infallibilem & *ἀναμάρτητον* Scripturæ interpretem. Sed cum alii codices * *γραμματείας* legerent, id eſt literaturas, quam lectionem in vulgata verſione retinuerunt Pontifices, variis interpretationibus iiſque ab originarii textus ſimplicitate alienis aperta feneſtra eſt. Vide Auguſt. Carthuſ. Bell. & alios. Cl. Tarnovius obſervavit, ex hac verſione magnam in omnes literatos redundare ignominiam, quaſi illiteratis & *ἀμύστοις* tantum ad divinorum myſteriorum notitiam pateret aditus. *Et fortean,* inquit, *propterea hodie adeo multi bonas literas & artes humaniores contemnunt, ut tanto facilius (ſcilicet) ad Deum admittantur, cum Anabaptiſtis indoctis, aut Enthuſiaſtis fanaticis.* Vtinam ſolus D. Tarnovius tales noſſet! In noſtris quoque Eccleſiis illiterati quidam homines reperiuntur, qui poſtquam impudentiæ ſacramento dixere, jam ad pulpita admiſſi loca aliquot ſcripturæ (appoſite vel incompoſite nihil intereſt) proferre didicerunt, eruditos contemnunt, & ſe in ſcola Spiritus Sancti eruditos & *θεοδιδάκτους* jactitant. In Academiis quoque reperias profanos adoleſcentes, qui cum omnes ſine diſcrimine idiotas miniſtros contemnant, ipſi tamen majori inſectatione digni ſunt. Illi occaſionem bonas literas arteſque diſcendi non habuere. Hi habent, & contemnunt. Si vel à limine ſalutent, non erubeſcunt profiteri, ſe id coactos facere, eoſque diris devovent, à quibus ſe cogi exiſtimant. Inertes animæ! an ergo ſcholas Latinas vidiſſe, ex illis ſemi-coctos & elementa latinæ linguæ necdum doctos, prodiiſſe, vel potius ante legitimam miſſionem aufugiſſe, in Academiis annis aliquot otio, Baccho & Veneri litaſſe, quæſtiunculam unam atque alteram ad diſputandum propoſuiſſe, in cathedra vero linguam, illam in tabernis & circulis promtiſſimam, ita cohibere, ac ſi Angeronam matrem, Har-

* Similiter 1 Ezra 8. variant libri Namque ubi Rom, Editio habet *πραγματικοῖς*, in aliis eſt *γραμματικοῖς*.

Harpocratem patrem habuissetis, an, inquam, hæc & id genus alia militiæ vestræ flagitia vobis ejusmodi videntur, ob quæ in literatorum classem transcribi mereamini? Erit, erit aliquando, cum vos profanæ vestræ desidiæ pœnitebit.

Ps. LXXI. 6. * quoniam tu es patientia mea] Ita vulg. Lxx. — ἡ ὑπομονή μου. *Augustinus*, verba Bellarmini, *per patientiam intelligit tolerantiam dolorum & persecutionum, ut sensus sit, eripe me de manu peccatorum, dando mihi patientiam, ne per impatientiam consentiam peccato. Et quidem verbum Græcum & Latinum hanc expositionem patiunter; sed vox Ebr. significat expectationem & spem, ac per hoc patientia hoc loco significat patientiam in expectando potius quam in tolerando, juxta illud, per patientiam expectamus, Rom. 8. & Jacobi V. ecce agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat pluviam, &c.* Hæc Bellar. Ebraice est תִקְוָתִי *expectatio mea.* In quo nulla patientiæ seu tolerantiæ adversorum significatio. Sensus est, tu es ille quem unum expecto, in quo uno spem colloco. In loco isto Iacobi est μακροθυμῶν, quod proprie significat longanimem esse, qualem Ebræi ארך אפים vocant. Rom. 8. est ὑπομονῆ. Quam vocem itidem invenies in eadem significatione Luc. VIII. καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ, *fructum ferunt in patientia.* De quo loco B. Scultetus in suo ad Exercit. Euang. præloquio ita infit, *Quoties ego non sine stomacho Homiliastas nostros audivi parabolam Servatoris nostri de seminante & semine explicantes, ad verba illa Luc. 8. Et ferunt fructum in patientia, in locum communem de patientia fidelium in ærumnis excurrere, & conquisitis hincinde argumentis auditores ad rerum adversarum tolerantiam animare, cum alia longe verborum illorum mens sit, &c.* Tu disce tiro, ὑπομονὴν id est *patientiam*, in S. Literis duplicem esse, unam activam, alteram passivam. Activam vocant διακαρτερήσεως ἕνεκα, licet non satis apposite, quam Ebræi אֶרֶךְ אַפַּיִם dicerent, id est μακροθυμίαν, **gedult met yemant hebben**/ Atque hæc ὑπομονὴ Deo sæpe in sacris literis tribuitur, E. gr. Exod. 34. Rom. 2. & 9. 1. Petri 3. Passivam eam vocant, quæ circa res adversas & calamitates versatur. Ea in Vet. Testamento propria voce non exprimitur, sed *silentium* vocatur Psal. 39. Jesa 53. * Hunc vero locum Ps. 71. *Tu es patientia mea*, si commode volumus interpretari, hic erit sensus, Tu es ille quem patienter expecto, tu es ob-

* *Lovan.* ghy zijt mijn lijtsaemheyt.

* Vide hic ineptientem Lombardum lib. 1. dist. 17. E.

es objectum patientis illius expectationis, qua tuum auxilium præstolor. Metonym. atque eo sensu occurrit Ebr. תִּקְוָה ejusque apud LXX. interpretamentum ὑπομονὴ Palm. 38. 11. LXI. 5. Ier. 14. 8. XVII. 13. * Postremò, ὑπομονὴ apud LXX. non occurrit nisi ubi in Ebr. est תקוה / quæ vox patientiam seu tolerantiam adversorum nuspiam significat.

* Adde 1. Ch. 29. 15. Esræ 10. 2. Job. 14. 19. Psal. 9. 19. & habes omnia.

Ps. LXXII. 14. Ex usuris & iniquitate redime me.] LXX. ἐκ τόκȣ καὶ ἀδικίας, &c. Vsuras Allegorice hic interpretatur Augustinus, *Quæ sunt usuræ istæ, nisi peccata, quæ etiam debita nominantur? Vsuras autem appellatas puto, quia plus mali invenitur in suppliciis, quam commissum est in peccatis. Nam verbi gratia, cum homicida corpus tantum hominis perimat, animæ autem nihil nocere possit, ipsius & anima & corpus perditur in Gehenna. Propter hujusmodi contemptores præsentis præcepti & irrisores futuri supplicii dictum est*, Ego veniens cum usuris exigerem. *Ab his usuris redimentur animæ pauperum sanguine illo qui fusus est in remissionem peccatorum. Redimet ergo ab usuris, redimendo peccata, quibus debeantur ampliora supplicia. Redimet ab iniquitate, adjuvando per gratiam, etiam ad faciendam justitiam.* Bellarminus, *Homo per originale peccatum debitor factus est mortis æternæ. Atque hoc est debitum capitale. Sed dum hujus debiti solutio differtur, iniquus exactor Diabolus exigit usuras, impellens quotidie ad nova peccata, quæ sunt pœnæ primi peccati, & dum horum peccatorum pœna differtur, usuræ transeunt in sortem principalem. Ita quo diutius peccator vivit, eo magis debitum crescit.* Pulcræ certe & piæ meditationes, at nullo aut saltem vacillanti fundamento nixæ. Ebraice מִתּוֹךְ וּמֵחָמָס / Eadem vox תּוֹךְ Psal 55. 12. concurrit cum מִרְמָה /, ubi vulg. quoque *usura & dolus*. LXX. utrobique τόκος reddidere. Illam vocem vulgatus interpretatus est. Alterutrum spectasse videntur LXX. Senes. Aut affinitatem illam, quæ inter תוך & τόκος quæ certe tanta est, ut nisi inter omnes constaret, vocem τόκος à Græco τίκτω seu potius τέκω deflexam esse Ebræa vox censeri posset. Aut affinitatem, quæ inter fraudem, si hanc propriam ejus significatione agnovere & usuras. Apud usurarios enim fraudes & doli utramque paginam. תוֹךְ vox ambigua est. Est enim vel in forma regiminis, vox absoluto תָּוֶךְ / ut מוֹרָה / מֹרֶה & extra dubium significat *medium*, vel est in forma absoluta, & fraudem, dolumve significat. Ita certe ipsi Pagn.

Matth. 25.

Arias

Arias vertêre, & agnoſcunt Genebr. Sa & alii. Quia vero cum affixis in hac ſignificatione non reperitur, alii à תָּוֶךְ eam deflectunt, fraus enim corde tegitur & in *medio* hominis quaſi ſtabulatur, alii à חכך / unde אִישׁ תְּכָכִים vir fraudum, Prov. 29. 12. Ebræum תוך à Lxx. ter redditum invenio per τόκος, Pſal. videlicet 55. 12. hoc, & Jerem. 1x. 6. ubi tamen non legitur בְּתוֹךְ מִרְמָה / ſed בְּתוֹךְ וּמִרְמָה Ideoque ab ipſo quoque Pagn. vertitur, *inter doloſos*, Arias, ipſeque adeo vulgatus, ad verbum, *in medio doli.* Verum ſtatui illic poſſet aſyndeton, vel locutio ἐκ παραλλήλων, ſi neceſſitas cogeret. Vides itaque ipſum vulgatum non ubique hoc Græcorum interpretamentum probaſſe. Sed & ipſi LXX. Pſal. 9. 29. ſeu ut Ebræi numerant Pſal. x. 7. eandem vocem δόλον reddidere. Vt ergo ad locum præſentem regrediamur, promittit his verbis Pſaltes, Deum ſervaturum ſuos adverſus fraudulentas hoſtium machinationes & violentas eorundem oppreſſiones. Vſuras ut intelligamus nulla eſt neceſſitas, neq; etiam quadrat huic loco. Allegoriæ ergo iſtæ in litera fundamentum non habent. Ex ſola vocum affinitate firmum originationis argumentum peti non poteſt, ne tum quidem, quando ſignificationes coïncidunt. E. gr. à סָתַר *latuit*, nomen habet *Saturnus*, qui *Latio* quoque nomen dedit. Ab ejuſdem participio *Hoſal* מָסְתָּר *abſconditum*, quidam deflectunt μυςήριον. Et tamen non eſt dubium, quin à μύω edrivatum ſit. Vt enim alias rationes omittam, ſicuti à תוך dicendum fuiſſet τύχος, ſiquidem inde flexum fuiſſet, ita & à מסתר μυθήριον potius. Literis enim כ & ח in Græcorum alphabetho non κ & τ (quamvis appellationes earum id innuere videantur) ſed χ & θ reſpondent. Illa vero κ & τ Ebræis ק & ט ſunt ἀντίςροφοι. Sequentem ſententiam, quæ in Ebræo fatentibus Pontificiis, ita habet, *pretioſus erit ſanguis eorum in oculis ejus*, ſic expreſſit vulgatus, *& honorabile nomen eorum coram illo.* Genebr. conjectat Græcos primitus ſcripſiſſe αἷμα, at degeneraſſe tandem in ὄνομα. Iſta autem verba Auguſtinus, Euthymius & alii quidam ita legunt & interpretantur, *& honorabile nomen ejus* (Dei) *coram illis*, quamvis poſtea alteram quoque lectionem indicet Auguſtinus. Quia vero hic mentio facta eſt uſurarii, lubet coronidis loco hic exhibere elegantiſſimum locum Gregorii Nyſſeni, qui extat in oratione ejus con-

tra usurarios. *Qui pecuniam cum fœnore reddendam accipit, specie beneficii exitium domum reportat. Quemadmodum is qui precibus victus febricitanti poculum porrigit, exhilarat quidem ægrum brevi tempore, dum id exhaurit; at paulo post acerbissimum & decuplo graviorem febrim misero parit. Sic & qui egeno pecuniam sub fœnore commendat, necessitatem ejus non sublevat, sed calamitatem ejus potius auget. Segnis & exitiabilis est vita usurarii. Nescit labore agrorum colendorum, mercaturam non exercet, sed uno in loco considens immanes domi suæ feras nutrit. Vult omnia sibi sine satu & inarata progigni, cui aratrum est calamus, ager charta, semen atramentum, pluvia tempus, quod illi pecuniæ fructum occultis incrementis auget & educat. Falx illi repetitio, area domus, in qua miserorum fortunas ventilat.*

Ibid. vers. 5. Et permanebit cum Sole & ante lunam in generatione & generationem] Ita vulg. Lxx. καὶ συμπαραμενεῖ τῷ ἡλίῳ καὶ πρὸ τῆς σελήνης * γενεᾶς γενεῶν. Hæc in Ebræo aliter leguntur, *Timebunt te* ייראוך *cum sole, & coram luna* [*in*] *generationem generationum.* Timebunt te, o Deus subditi tui, quamdiu durabunt Sol & Luna. Vaticinatur de felici statu subditorum Christi, qui consistit in vero cultu, eumque amplificat ab adjuncta duratione, atque ita eadem opera perpetuitatem regni Christi docet. Notet tiro locutiones illas synonymas, *cum Sole, coram Luna*, & vers. 7. *donec non erit Luna*, & vers. 17. *coram sole in æternum.* Ps. CII. vers. ult. *semen eorum stabilietur coram te,* לפניך / Lxx. εἰς αἰῶνας. In eundem modum exponit R. Sal. præceptum primum, *non habebis Deum alienum* את פני *coram me* id est quamdiu ego ero, in æternum. Hæc non observata, atque insuper vox ייראוך male reddita, doctissimis interpretibus multa ἀπροσδιόνυσα hic commentandi occasionem præbuere. Euthymius, *ostendere volens propheta Christi divinitatem sine principio esse & fine, duobus magnis luminaribus eam comparavit. Permanebit, inquit cum sole, hoc est, erit Sol. Est autem peculiaris loquendi modus apud Scripturam sacram, ut tempus usque ad aliquid determinet, & quod sequitur non neget, Et hoc pacto Christi perpetuitatem explicat ex parte finis. Deinde etiam declarat quomodo sit absque principio & dicit, quod erat ante lunam.* Ita & Theodoretus, Lyra, & alii. Decepit doctissimos viros vocula πρὸ, quam observant Bellarm. Genebr. Sa, hic positam, pro ἐνώπιον, & ἔμπροσθεν *ante, coram* certe non solum

* alii εἰς γενεὰς γενεῶν.

lum Ebræum לִפְנֵי & Latinorum *ante*, sed & Græcorum πρὸ
& locum & tempus adsignificat. De tempore res notissima est.
De loco, Aristoph. πρὸ τῶν θυρῶν, ante januas, præ foribus.
Aristot. in Rhet. πρὸ πόλεως, ante urbem. Atque ita Salust, *pro
curia*, id est ante curiam. Deinde quis sensus, inquit Bellar.
permanebit ante Lunam, atque expresse pronuntiat, *non nisi absur-
dissime dici*. August. valde hic sudat. Inter alia hæc ejus verba
sunt, *cum dixisset ante lunam, volens exponere, pro quanam re lu-
nam posuerit, generationes inquit generationum. Tanquam diceret
ante Lunam, hoc est, ante generationes generationum.* Carthus.
cum hac Euthymii, Theod. &c. expositione alteram conjun-
git, quam ex eodem Euthymio mutuatus est, vid. per *Solem*,
Deum patrem; per *Lunam* Ecclesiam posse intelligi. Piget lo-
cum integum describere.

Ps. LXXIV. Operatus est salutem in medio terræ.] id est
palam, omnibus spectantibus, non in angulo aliquo. Inter
cætera argumenta petitionis, qua liberationem à captivitate
petunt, illud quoque recensent, quod jam olim majores eorum
Deus liberasset. Sunt qui Judæam per *medium terræ* intelligi
existimant, aut ejus metropolin Jerusalem, illam ψυχὴν, ὀφθα-
λμὸν καὶ ἥλιον πάσης τῆς οἰκουμένης. Judæam certe in terræ habi-
tabilis, priscis cognitæ, quasi corde sitam fuisse, non absurde
dictam, censebit, qui tabulas Georg. inspexerit. Nam oce-
anus Indicus ad orientem à Palæstina non minus distat, quam
ad occidentem Hispanicus, Gallicus, Britannicus. Ad Aqui-
lônem est mare glaciale sub ipso polo arctico. Ad meridiem
vastus oceanus sub antarctico, quo Æthiopiæ & Africæ magna
pars cingitur. In medio quasi in theatro est ipsa Judæa, illius-
que metropolis Jerosolyma. Hinc existimant Jerusalem Jezech.
38. 12. vocari טבור הארץ *umbilicum terræ*. Casaub. Exercit. xvi.
Sect. 83. *Inspice sphæram*, inquit, *& rationem ini vii. istorum cli-
matum, quæ sola norant veteres, videbis non inepte, etsi pingui mi-
nerva, Jerusalem olim creditam fuisse multis quasi umbilicum terræ
habitabilis.* Addit postea, Germanum Patriarcham in sua theo-
ria pro certo & confesso ponere, in urbe Jerusalem περιγε-
γράφθαι τῆς γῆς τὸ μεσαίτατον, *ipsissimum terræ medium circumscribi*. Ad-
dit ex secretis * Sanuti, alios in ipsa urbe certum locum designasse, * lib. c. 3. part. 14. cap. 8.
in quo ipsum umbilicum constituerent. Hieronymus ad Je-

 zech.

zech. cap. v. 5. *Iſta eſt Jeruſalem, in medio gentium poſui eam & in circuitu ejus terras*, ſic commentatur, *Jeruſalem in medio mundi ſitam hic idem propheta teſtatur, umbilicum terræ eam eſſe demonſtrans — A partibus enim orientis cingitur plaga quæ appellatur Aſia. A partibus occidentis ejus quæ vocatur Europa. A meridie & Auſtro, Lybia & Africa. A ſeptentrione, Scythia, Armenia & Perſide & cunctis Ponti nationibus*, Joſephus paulo aliter lib. 3. Belli Jud. cap. 4. *Media ejus* (Judææ) *eſt Jeroſolyma. Quocirca quidam non ſine ratione umbilicum ejus terræ urbem illam vocavere.* Vides ergo, quod de umbilico terræ Jezech. XXXVIII. 12. dicitur, alios de terra habitabili, alios de ſola Judæa accepiſſe, in cujus medio fuerit Jeruſalem. Res eodem redit. Si enim Judæa fuit in medio τῆς οἰκουμένης, atque in hujus rurſus medio Jeruſalem, hanc quoque in medio τῆς οἰκουμένης ſitam eſſe non abſurde dixeris. Villalpandus tom. 3 pag. 14. *Quod ſi id experimento fortaſſe quiſpiam cognoſcere cupiat, terreſtrem globum adeat, circinique pedem, alterum Hieroſolymis figat, alterum in ultimos uſque Africæ fines protendat & circumagat. Sic enim fiet, ut circulum deſcribat, qui omnes olim cogniti orbis terminos comprehendat. Atque hæc fortaſſe cauſa eſt, cur Deus Sionem elegerit, ex qua legem ſuam toto terrarum orbe diffunderet, nimirum, ut è media mundi regione, ceteræ æqua ratione diſtantes Dei verbum facilius & commodius cognoſcerent. De Sion, inquit vates, exibit Lex & verbum Domini de Jeruſalem.* Hæc etiam fortean cauſa erit, cur regiones cœli reſpectu urbis Jeruſalem aut Judææ in S. L. obſerventur, dum ex. gr. ea loca, quæ urbi Jeruſalem ad occidentem cadunt, nominatim *mare*, mediterraneum vid. quod & reſpectu multorum lacuum, quos maria quoque Ebræi vocant, magnum dicitur, pro occidente accipiunt. Qua de re in cenſura noſtra ad vulgatam verſionem Pentateuchi pag. 88. plura diximus. Kimchi ad Jezech. v. 5. *Habitatores ejus collocavi illic in bonum ipſorum, quia electa eſt præ omnibus terris, pulcra climate, gaudium totius terræ, Pſal. 82.2. Eſt enim in medio τῆς οἰκουμένης. Ideo & aër ejus eſt ſaluberrimus & temperatior quam alibi.* Et R. Sal. בתוך הגוים explicat בְּאֶמְצַע הָעוֹלָם / *in medio mundi.* Kimchi rurſus ad Jezech. XXXVIII. 12. *vocatur terra Iſrael umbilicus terræ*, לפי שהוא באמצע העולם כמו שהטבור באמצע הגוף *quia eſt in medio mundi, ſicuti umbilicus eſt in medio corporis.* 12. Ita Cicero orat. VI. in Ve-

Verrem, Ennam in medio Siciliæ ſitam, ejus *umbilicum* vocat. Et Plinius *umbilicum* Italiæ circa lacum Reatinum eſſe dixit, lib. 3. cap. 12. Atque huc pertinet obſervatio Vitruvii (lib. 3. cap. 1.) qui de admirabili corporis humani commenſuratione agens, affirmat hominem, ſi extenſis in altum manibus pedibuſque ambitum circuli contingat, centrum iſtius circuli in umbilico conſtitui, quam ſententiam Galeno quoq; adſcribunt, lib. 2. de placitis Hippocratis & lib. 15. de uſu partium. Sunt tamen, qui Judæam ſeu Metropolin ejus Jeruſalem, non ideo umbilicum terræ dictam cenſent, quod in medio terræ, ſed quod in editiori ac proinde munito magis loco ſita fuerit. Certe Tremell. & Jun. *in editiore loco iſtius terræ.* id eſt, inquiunt, in Judæa montoſa, cujus edita loca Judæi fere incolebant ſecuritatis cauſa. Adducunt autem locum parallelum ex Judicum IX. 37. *Ecce populus deſcendens ex umbilico terræ*, id eſt editiore loco terræ. Juvat Chald. qui utrobique vertit, תִּקְפָּא דְאַרְעָא fortitudinem terræ Et R. Salomo גובה וחוזק הארץ *altitudinem & robur terræ* Interpretatur. Et Kimchi ad locum Judicum, כמו שהטבור באדם הוא מיצוע הגוף כן יקרא מיצוע הארץ והמקום הגבוה שבה טבור / hoc, *ſicuti umbilicus in homine eſt medium in corpore, ita & quod medium eſt in terra, vel eminentior ejus locus, umbilicus vocatur.* Ejuſmodi loca Græci μαστὸς & μαστοειδεῖς à mammæ ſimilitudine vocitant. Sed nimis prolixi jam fuimus circa locum Jezechielis. Verbo. Dicta fuerit Jeruſalem umbilicus terræ, ſive propter τὸ μέσον, ſive propter τὸ ἔξοχον, quod vid. fuerit urbs ſublimis, excelſa, inter circum jacentes veluti caput in corpore eminens, ut loquitur Joſephus, non tamen ulla neceſſitas erat hunc locum Pſalmi, *operatus eſt ſalutem in medio terræ* cum illo conferendi, ut per medium terræ, iſte τῆς οἰκουμένης vel Ἰουδαίας ὀμφαλὸς Jeruſalem intelligatur. Et ut id daretur, quæ neceſſitas vel de nativitate vel de paſſione Chriſti locum hunc interpretari? Et tamen doctiſſimi quique Patres iſtum ſenſum huic loco attribuere. Auguſtinus lib. 17. de Civ. Dei, c. 4. ita interpretatus hunc locum eſt, *Deus* Chriſtus, *operatus eſt ſalutem* noſtram *in medio terræ* quum verbum caro factum eſt & terreno habitavit in corpore. Vide quæ ſupra ad 1. Sam. 2. ex doctiſſimo Patre produximus. Eucherius in Quæſt. Vete-

Diſſentit Veſalius pag. mihi 742. circa medium.

Veteris Test. *in medio terræ*] id est *in Judæa, in qua Christus per crucem liberavit mundum, quam alibi umbilicum terræ dicendam putant. Vel in medio terræ id est in utero virginali.* Cæterum prior illa expositio quam affert Eucherius communior est. Thomas parte 3. quæst. 46. art. 10. quærit, utrum Christus convenienti loco passus sit. Concludit, ut par erat, pro ajente sententia, adducto loco isto Luc. 13. *non contingit prophetam perire extra Jerusalem.* In resp. ad primam objectionem ait primo, Jerusalem fuisse locum à Deo electum ad oblationem sacrificiorum, quæ Christi passionem figurabant. 2. *quia virtus passionis ejus ad totum mundum diffundenda erat, in medio terræ habitabilis pati voluit* id est *in Jerusalem, Vnde dicitur in Psalmo 73.* Deus autem Rex noster ante sæcula, operatus est salutem in medio terræ. id est *in Jerusalem, &c.* Hæc Thomas, ad medium terræ propius accedens quam illi qui de Judæa locum intellexere. Alii τὸ τῆς οἰκουμένης μεσαίτατον monstraturi calvariæ locum nominarunt, eumque ita dictum voluere à calvaria primi hominis illic sepulti. August. Sermone 71. de tempore, *Etiam hoc antiquorum relatione refertur, quod Adam primus homo in ipso illo loco, ubi crux Christi fixa, fuerit olim sepultus & ideo calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur sepultum esse.* Huic opinioni hæsere Origenes, tract. 35. in Matth. Epiphanius in fine Panarii, Athanas. libro de passione Domini, Theophyl. in Matth. 27. Euthym. ibidem. Cypr. serm. de resurrectione. Ambros. lib. v. Epist. 19. & in Luc. cap. 25. Quæ posui fide Genebrardi, Chronol. pag. 17. Illis nunc addo Nonnum,

Donec in locum venit nominati cranii,
Adami primigeni nomen ferentem ab ambitu capitis.

Γόλγαθα τὸν καλέεσκε Σύρων στόμα, Et

Tertulianum lib. 2. carm. contra Marcion. c. 4.

Golgatha locus est capitis calvaria quondam,
Hic medium terræ est, hic est victoria signum.
Os magnum hic veteres nostri docuere repertum,
Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, de sanguine terra madescit.
Pulvis Adæ ut possit veteris, cum sanguine Christi

Com-

Commixtus stillantis aquæ virtute lavari.

Ecce in Golgatha medium terræ ponit. Cyrillus Catechef. 13. *Medium terræ est Golgatha. non meus est hic sermo. Propheta dicit, operatus est salutem in medio terræ.* Victorinus Pictavorum Episcopus apud * Bedam Presbyterum, * cap. 3. de locis sanctis

Est locus ex omni medium quem credimus orbi,
Golgatha Iudæi patrio cognomine dicunt.

Quod vero de contractu sanguinis canit Tertullianus, ὁμόψηφον sibi habet Augustinum, sermone 71. de tempore, quem supra laudavimus, ubi hæc subjicit, *Et vero non incongrue dicitur, quod ibi erectus sit medicus, ubi jacebat ægrotus. Et dignum erat, ut, ibi occiderat humana superbia, ibi se inclinaret divina misericordia, & sanguis ille pretiosus etiam corporaliter pulverem antiqui peccatoris dum dignatur stillando contingere, redemisse credatur.* Hieron. enarrans caput v. Epistolæ ad Ephesios, testatur, se audivisse quandam pro concione ista Apostoli verba, *Surge qui dormis & exurge à mortuis & illucescet tibi, seu, * contingεt te Christus,* accommodasse ad Christum in cruce pendentem, qui hoc sermone compellaverit Adamum ibi sub ipsa cruce sepultum, ut sanguine Christi potuerit aspergi. At unde constat bonis istis viris, Adamum in Golgatha sepultum fuisse? An ex appellatione loci? Golgatha est cranium. Sed an Adami? Hoc ἐν ἀρχῇ κεῖται. Traditionis hujus meminit quidem & Hieronymus Epist. ad Marcellam, sed audi liberam ejusdem patris censuram ad cap. 27. Matth. *Favorabilis est* interpretatio (de cranio Adami illuc sepulti) *& mulcens aures populi, nec tamen vera.* Postea aliam subjungit appellationis rationem. *Extra urbem & foras portam loca sunt, in quibus truncantur capita damnatorum,* &c. Quam & Beda & Thomas & alii probant. *Traditionem vetustissimam,* inquit celeberrimus quidam & incomparabilis scriptor, *de Adami πρωτοπλάστου habitatione in Cananæa & sepultura ejusdem in Golgatha, constat originem habuisse ex interpretatione non recta versus ultimi capite xiv. historia Josuæ. Quod quia nemini eruditorum hodie est ignotum, in eo non immorabimur.* Aliud egit maximus scriptor, cum hæc scriberet. Tantum enim abest, ut hæc opinio isti loco natales suos debeat, ut ex eo ab Hieronymo, autho-

* Ita enim legit Augustinus ἐπιψαύσει pro ἐπιφαύσει.

re Glossæ ordin. Thoma & aliis refutetur. Iste enim Adam cujus meminit illic vulgatus, si primus humani generis parens est, non in Jerusalem, non in Golgotha, sed in Hebron, quæ alias Kirjath Arbe, sepultus dicitur. Sed Ebræum הָאָדָם illic τοῦ πρωτοπλάστου nomen non esse, atque, adeo nullam illic sepulturam memorari pag. 384. ostendimus. Sed facessamus tandem ab hoc loco, cujus literalem, & qui ex ipso contextu fluit, expositionem, in limine hujus annotationis exhibuimus. Eam ubi authoritate una atque altera firmavero, progrediar ad ea quæ restant. Euthym. *In medio terræ dixit propalam atque in omnium hominum conspectu. Et in specie libertatem Judæis præstitam intelligit ab Ægypt. servitute. ita & Bellarminus*, SA, *op. est salutem q. d. solebat nos adjuvare in medio terræ, id est palam, vel in Judæa, quæ medium tenet locum terræ habitabilis &c.* Genebr. *palam & manifeste, vel juxta alios in Jerusalem quæ est terra S. veluti medium. Quin & Judæa est terræ habitabilis medium* &c. Theodoretus, *curam quam de nobis gessisti, omnibus claram fecisti. Hoc namque est in medio terræ, videlicet, omnes viderunt.*

Ps. LXXV. 4. Ego confirmavi columnas ejus.] Vide quæ ad Ps. XXIV. notamus. August. per columnas Apostolos intelligit.

Ps. LXXVII. 11. Vide Cl. Ternovium Exercit. Bibl. pag. 780. & seq. Edit. 3.

Psal. LXXVIII. 49. *aliis* 54. immissiones per Angelos malos.] Ita vulgatus. LXX. ἀποστολὴν δι' ἀγγέλων πονηρῶν. Quæsitum est, utrum angelorum malorum opera usus fuerit Deus in infligendis his pœnis. Augustinus de malis angelis locum intellexit. Non tamen se expedit. Adeo multa sibi objicit. *Quæ cum ita sint*, inquit, *si per angelos malos Deus illas plagas inflixit Ægyptiis, nunquid audebimus dicere, & aquam in sangvinem per eosdem angelos versam, & ranas per eosdem angelos factas, quorum similia etiam Magi Pharaonis veneficiis suis facere potuerunt, ut angeli mali ex utraque parte consisterent, hinc illos affligentes, inde fallentes, secundum judicium & dispensationem justissimi Dei juste utentis etiam iniquorum malitia? Non audeo dicere.* Postea ostendit Deum non solum pœnas infligere per angelos malos sed & bonos, ut in eversione Sodomorum. Et tandem, *Si ea quæ mirabiliter de creaturis facta sunt, malis angelis tribuere non audemus, habemus quod eis tribuere*

sine

fine dubitatione possumus, *mortes pecorum*, *mortes primitivorum & obdurationem*, &c. Bellarminus in commentario ait sanctos angelos posse dici *malos* ab effectu, quia ad Dei omnipotentis nutum hominibus mala id est pœnas infligunt. Cacodæmones vero *malos* dici propter malam voluntatem. Ego vero cum Cl. Tarnovio assero, nuspiam in scriptura beatos istos spiritus *malos angelos* dici. Concedo, hoc loco de bonis spiritibus agi. Concedo benè versum ab Interprete Græco, *Angelorum malorum*. Sed observa tiro in verbis istis, *ἀγγέλων πονηρῶν*, *Angelorum malorum* syntaxin rectionis, non convenientiæ Qui Ebræa à limine salutavit, videbit in Ebræo non esse מַלְאָכִים רָעִים sed מַלְאֲכֵי רָעִים / Illa autem differunt, ut *μάντις κακὸς* & *μάντις κακῶν*. Sanctissimi prophetæ, cum calamitates denuntiant, sunt מַלְאֲכֵי רָעִים / Pseudo-prophetæ contra, quando ex proprio ingenio pacem & omnia prospera promittunt, מלאכים רעים merito appellantur. Hic ergo locus hilum non juvat illos, qui Deum in infligendis his plagis malorum angelorum opera usum esse pertendunt.

Ps. LXXXII. Deus stetit in * synagoga Deorum.] Ita vulgatus ex Lxx. *ὁ θεὸς ἔστη ἐν συναγωγῇ θεῶν*. Valde hic sudat Bellarminus, ut hanc versionem cum Ebræo textu conciliet. נִצָּב אֱלֹהִים בַּעֲדַת אֵל quæ agnoscit sic reddenda esse *Stetit Deus in synagoga Dei*. At voces illæ sunt transpositæ, inquit, ut olim fuerit נצב אל בעדת אלהים aut Ebræa sic reddi possunt, *Deorum stetit in synagoga Deus*, quod miror tanto viro potuisse excidere. Provoco ad omnium Ebraismi Professorum judicia. Hieron. Pagn. *Deus stat in cœtu Dei* id est suo. Genebr. *Ebraice quidem est*, Dei, *sed* Deorum *fuit vertendum*, *ad explicandam synecdochen numeri*, *Judicis pro Judicum*. Sensus fateor eodem recidit, nisi quod textus Ebræus evidentius asserat, magistratum esse divinam ordinationem. Deus stat in cœtu Dei, id est, suo. Nomen pro pronomine, ut Num. x.29. Exod. x. 12. Luc. 3. 19. Quæ locutio cum Interpretibus non veniret in mentem, in hanc interpretationem delati videntur. Porro Synagogam hic dixit Interpres pro cœtu. *Συναγωγὴ* ad verbum est congregatio. Ea autem vox cum vulgo usurpari soleat de cætu fidelium veteris Fœderis, Augustinus per synagogam Deorum non cœtum judicum sed fidelium intelligit. Illud colligit ex versu 6. *Ego dixi*

* Tertullianus, *in Ecclesia Deorum*.

dixi, dii estis & filii altißimi omnes, de quo postea. *In horum ergo synagoga filiorum altißimi, de quibus idem altissimus per Jesaiam dicit, Filios genui & exaltavi, stetit Deus.* Pergit Augustinus, *In Synagoga populum Israel intelligimus, quia & ipsorum proprie Synagoga dici solet, quamvis & Ecclesia dicta. Nostram vero Apostoli nunquam synagogam dixerunt, semper Ecclesiam, sive discernendi causa, sive quod inter congregationem, unde synagoga & convocationem, unde Ecclesia nomen accepit, distet aliquid: quod sc. congregari & pecora solent, atque ipsa proprie, quorum & greges proprie dicimus. Convocari autem magis est utentium ratione, sicut sunt homines. Vnde ex persona ipsius Asaph in alio Psalmo canitur, quasi pecus factus sum apud te, & ego semper tecum. Cum utique quamvis uni vero Deo mancipatus videretur, pro magnis tamen ac summis bonis ab illo carnalia, terrena, temporalia requirebat.* Hæc Augustini verba sunt, comm. in hunc Ps. dura certe & Augustino indigna. Augustino multa condonanda sunt. Incidit enim in ejusmodi seculum quo linguarum studium plane insuper habebatur. At Bellarminum & Catechismi Tridentini concinnatores quis excuset? Augustinum si cum Augustino conferas, invenies aliquod velamentum. Namque in comment. ad Ps. 77. & 72. & 83. cautius locutus est. At quis patrocinium præstabit isti effato Tridentinorum catechistarum, quo in explicatione aticuli *credo Ecclesiam* diserte pronuntiant, *populum sub lege synagogæ nomine fuisse appellatum, quod pecudum more, quibus magis congregari convenit, terrena & caduca bona tantum spectaret.* Vides hæc ex Augustino transsumpta esse, licet non sine auctario. Nuspiam enim dicit August. eos TANTUM terrena bona spectasse. Quin diserte ad Ps. 72. asserit, eos cogitare cœpisse cœlestem felicitatem & arguere se, quod instar pecoris fuisset & terrena desiderasset. Ad hæc audivimus Augustinum dicentem, dictam illam synagogam, *sive discernendi causa, SIVE quod hoc intersit.* Catechista veram causam omisit: falsam, quo veteri Ecclesiæ detraheret, arripuit. Bell. quoque non admititt, קהל & עדה id est Ecclesiam & Synagogam populo Iudaïco tribui, *cum Christiani*, inquit, *dicantur Ecclesia id est evocatio. quia evocari proprium est hominum. Populus autem Judaïcus Synagoga id est congregatio, quia congregari commune est hominibus cum bestiis.* Sed quam hæc sint frigida, ne quid dicam gravius, omnes quibus

Controv. 4. lib. 3. cap. 1.

sanum

sanum sinciput est, judicent. Originatio vocis *congregatio* fenestram aperuisse videtur huic argutiæ. Est enim vox illa composita ex *con* & *grex*. At in Græco συναγωγὴ, Ebræo קהל & synonymis evanescit ista subtilitas. Synagoga dicitur de cœtu Christianorum Jacob. 2. 2. ubi Latinus vertit *conventum*, Et Hebr. x. 25. ἐπισυναγωγή. Neque tantum græca συνάγεσθαι, συνηγμένος, σύναξις usurpantur de fidelibus Nov. Test. e. gr. Matth. 18. 12. Johan. 15. 52. Act. xi. 26. & xx. 7. sed & latina, *congregare* & *congregatio* in vulgata Latina. Quin eadem Concilii Tridentini patribus in actis & decretis concilii passim tribuuntur. Quis auderet istum cœtum, in quo certe eximii viri fuere, in haram porcorum relegare? Et tamen Catechistæ sanctissimos patriarchas bestiis comparant, & quos Apostolus cælestem patriam expetivisse ait Hebr. xi. 14. & 16. terrena tantum bona expectasse asserunt, Falsum ergo est illud Augustini effatum, *nostram Ecclesiam nunquam ab Apostolis synagogam dictam.* Nunc & illud ostendendum est, vanum esse, convocari proprium esse hominum. Καλεῖν, unde ἐκκλησία & ἀνακαλεῖσθαι, de vocatione & revocatione canum in Kynegetico Xenophontis legi notat Casaub. Apud. Joh. x. 3. Pastor καλεῖ τὰ πρόβατα κατ' ὄνομα. קהל denique promiscue apud Lxx. redditur jam ἐκκλησία, jam συναγωγή. Apud Mosem Lev. iv. 13. & Num. xx. 2. & 4. utrumque nomen קָהָל & עֵדָה & populo Israëlitico tribuitur. item Prov. v. 14. ubi & Lxx. & vulgatus ἐκκλησίαν & συναγωγὴν conjunxere. Ps. 26. vers. ult. In Ecclesiis benedicam Domino & Ps. Lxviii. 26. Vide Rainoldi praelect. vii. & xi. Casaub. Excercit. xvi. Sect. xlii. ipsumque adeo Bulengerum numero eodem.

Vers. 6. Ego dixi, Dii estis.] Hic Magistratus & judices אלהים id est Dii dicuntur, Exo. 21. 6. Admovebit eum ad Deos. & Exod. 22. 9. & 28. Locus iste citatur Joh. x. 35. ubi notet tiro primo, vocem *legis* late usurpatam pro universo canone veteris testamenti. II. *ad quos sermo Dei factus est*, idem esse ac si dixisset, ad quos mandatum Dei pervenit, quibus demandata sunt Dei judicia, 2. Chron. 19. 6. quæ propterea & res seu negotia Dei vocantur 1. Chron. 26. 32. & 2. Chr. 12. 11. Nulla ergo necessitas locum istum ad omnes fideles extendendi, quod tamen post Augustinum plurimi interpretes admi-

דָבָר λόγος pro mandato passim, hinc & *Decalogus* Vide & comment. Bellam.

admisere. Itaque plane extra oleas vagatur Gregorius, quando ad Mauritium scribens, sacerdotes Novi Testamenti à regibus honorandos non judicandos contendit. Invenies Epistolam in Decreto Gratiani, parte 2. causa XI. Quæst. 1. cap. Sacerdotibus. *Sacerdotes*, inquit, *divinis eloquiis aliquando dii, aliquando angeli vocantur, Applica illum ad Deos Exod. 21. Diis non detrahes* Exod. 22. &c. Angelos vocari in confesso est, Malach. 2. At sacerdotes qua sacerdotes Deos vocari, nundum ostensum est. Pergit Gregorius, *Ecclesiastica historia testatur, quia cum piæ memoriæ Constantino scripto oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem accusationes accepit, & eosdem, qui accusati fuerant, Episcopos convocans, in eorum conspectu libellos, quos acceperat, incendit, dicens, Ite & inter vos causas vestras disponite, quia dignum non est, ut nos judicemus Deos.* Et caus. 12. quæst. 1. capite *Futuram Ecclesiam* * Melchiades Papa inter alia inquit, *Idem vero* (Constantinus) *præsidens sanctæ synodo — cum querelam quorundam clericorum ad se videret deferendam, ait, vos à nemine judicari potestis, quia solius Dei judicio reservamini, Dii enim vocati estis, & idcirco non potestis ab hominibus judicari.* Adi & partem primam dist. 17. cap. Synodum Episcoporum. Et confer, quæ à cl. Drusio ad Actor. 23. 4. observata sunt.

* Glossa dicit, falsum esse titulum, quia Melchiades fuit ante Sylvestrum cujus tempore Constantinus conversus est.

Ps. LXXXIII. 1. אֱלֹהִים אַל דֳּמִי לָךְ] Arias Mont: *O Deus, ne quæso [sit] silentium tibi.* Pagn. *ne sileas tibi.* Bellar. fatetur Hieronymum vertere, *ne taceas*, & voces Ebræas sensum istum posse efficere, ut & hunc, *Deus, ne silentium tibi sit.* Sed etiam recipiunt istum sensum, inquit, *Deus non similis tibi*, id est nemo tibi similis est. Vox enim *domi* est à *Damah* quod & silere & similem esse significat. Hæc Bellar. Qui tamen non ignoravit, אַל esse dehortandi aut deprecandi particulam, & *similem* דּוֹמֶה dici. Non ignoro, alibi occurrere רוֹעִי pro רוֹעֶה / sed nuspiam ostendetur participium cum Kamets rapto sub prima radicali. Ruit ergo allegorica Augustini expositio, quæ vulgatæ versioni, *Deus quis similis erit tibi*, superstructa est. Expositionem ejus diffusiorem in hanc summam contraxit Bellarminus. *S. Augustinus*, inquit, *satis apte ad Christum accommodat, qui hoc mundo similis aliis hominibus videbatur: sed in die judicii nullus ei similis erit, quando apparebit in gloria patris sui, &c.*

Psalm.

Psalm. LXXXIV. vers. 7.8.9.

Ebr.	Vulg.
אַשְׁרֵי אָדָם עוֹז לוֹ בָךְ מְסִלּוֹת בִּלְבָבָם׃ עֹבְרֵי בְּעֵמֶק הַבָּכָא מַעְיָן יְשִׁיתוּהוּ גַּם בְּרָכוֹת יַעְטֶה מוֹרֶה׃ יֵלְכוּ מֵחַיִל אֶל־חָיִל יֵרָאֶה אֶל־אֱלֹהִים בְּצִיּוֹן׃	Beatus vir, cujus est auxilium à te. Ascensiones in corde suo dispo-suit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.

In præsens censuram in vulgatam versionem non scribimus. Ideo non lubet singulas hujus exorbitantis versionis particulas examinare. Pagninus ita verterat, *Beatus homo, cui est fortitudo in te: via* (Arias addit, *strata*) *in corde ipsorum. Transeuntes per vallem Habbacha, fontem ponunt eam: etiam piscinas operiet pluvia. Ibunt de exercitu in exercitum, videbitur Deus Deorum in Sion.* Versio fateor obscura, attamen clarior vulgatâ & Ebræum textum fidelius exprimens. David Absolomi furorem fugiens & in urbe sancta cultum Dei obire prohibitus, Deum supplex veneratur, ut quamprimum Jerosolymam reverti & sacra adire loca possit, vers. 3. & 4. profitetur desiderium suum obeundi cultum divinum. Illud declarat è causa procreante, vid. jucunditate, vers. 2. Eam illustrat exemplis duobus eorum, qui illam percipiunt, vid. primò ministrorum in tabernaculo quotidie versantium, vers. 5. & Israëlitarum ter quotannis Ierosolymam ascendentium & coram Deo apparentium, vers. 6.7. 8. Hanc profectionem amplificat ex effectis duobus, siti & remedio ejus, vers. 7. Nunc omnia erunt plana. *Beatus homo, cujus f. est in te.* [אֲשֶׁר] מְסִלּוֹת בִּלְבָבָם *in quorum corde sunt semita*, semitæ ad urbem S. ducentes, vers. 7. *Qui transeunt per vallem mori* [vel * mororum, alli accipiunt pro nomine pro- * Confer 2.Sam.v, 22.23.
prio vallis ἀνύδρε & desertæ; alii in universum pro locis desertis & siccis, queis apprime ista arborum species delectatur] *fontem ponunt illum* [hoc est, quamvis multis per deserta loca eundum sit, & sitis toleranda, tamen illi incommodum istud hac spe levant, fore ut brevi perveniant in sanctam urbem, Deo litaturi. Atque ita Deum sibi fontem constituunt. *Quin*

etiam [in] benedictionibus operit [eos] pluvia. [Vi illius ſpei quaſi largiſſima pluvia perfunduntur. בְּרָכוֹת pro בִּבְרָכוֹת / periphraſis adverbii, & quidem pluralis numeri. Ita *imbres benedictionis*, imbres largi; Jezech. 34. 26 unde lux Apoſtolo, 2. Cor. 9. 6. *qui ſerit* φειδομένως, *parce, metet* φειδομένως; *qui ſerit* ἐπ' εὐλογίαις. *metet* ἐπ' εὐλογίαις] *Ambulant ab exercitu ad exercitum, comparet [quiſque] apud Deum in Sion.* Per exercitus vel intelliguntur turmæ viatorum, confer Luc, 2. 44. vel Iſraëlitarum, in ipſa jam urbe צוֹבְאִים id eſt turmatim ad tabernaculum convenientium, Exod. 38. 8. 1. Sam. 2. 22. Hic eſt literalis difficillimi loci ſenſus. Ad quem ſi vel vulgatum textum vel allegoricas hujus loci expoſitiones voles conformare, laterem lavabis. In Belg. quoque translatione duo notanda ſunt, 1. **die door het jammerdal gaen** / Lovan. **het dal der tranen.** Vita hæc noſtra aliud elogium non meretur. Lege cap. 22. lib. 22. Auguſtini de Civ. Dei. Illud tamen ex hoc loco non eruas. Fletus enim בְּכוּת vel בְּכִי vel בכות non בָּכָא / dicitur. Alterum, מֵחַיִל אֶל־חָיִל Belg. **Sy behouden de eene overwinninghe na dan anderen** / Lovan. **van deughde ter deughde.** Atqui Græcum δυνάμεις, quod vulg. per virtutis vocabulum amat exprimere, virtutem Ethicam nuſpiam ſignificat. Et ipſe Bellar. fatetur, illas *de virtute in virtutem* de vi & robore explicandas eſſe. Jam vero ut *Robur pro victoria* per Meton. accipiatur, non eſt quidem contortum, at pro turma melius accipi, jam opinor oſtenſum eſt. Confer nunc Auguſtinum. Lege Bellarminum, & vide, quomodo ſudet, ut hanc verſionem & Allegoricas Patrum expoſitiones cum fontibus conciliet. Illud exciderat, verba illa, *Deus Deorum* ab Auguſt. exponi. *Chriſtus Chriſtianorum.* Putat enim per Deos Chriſtianos intelligi, de quibus Pſal 82. 6. Ego dixi, Dii eſtis. Illic vide. Et nota hic non eſſe אֵל ſed אֶל־

Verſ, 12. Quia miſericordiam & veritatem diligit dominus.] Ita vulgatus ex Lxx. ὅτι ἔλεος καὶ ἀλήθειαν ἀγαπᾷ κύριος. Multa eleganter & ſuaviter hic concionatur B. Auguſt. de miſericordia & veritate. Et Euthymius, *Ad activam & contemplativam vitam nos hortatur, dicens, quod Deus diligit m. & veritatem. Miſericordia ad activam, veritas ad contemplativam pertinet.* Hæc an apposite hoc loco dicantur jam apparebit. Ebræa ſunt שֶׁמֶשׁ וּמָגֵן אֱלֹהִים.

יְהוָה אֱלֹהִים *Sol & clypeus est* DOMINUS *Deus.* Duas istas voces Aq. ἥλιος καὶ θυρεὸς, Symm. ἥλιος καὶ ὑπερασπισμὸς reddidêre. Lxx. videri poterant ἥλιος scripsisse, quod scribarum audacia in ἔλεος demutari facile potuisset, nisi τὸ מָגֵן ἀλήθειαν reddidissent. Bellar. conjectat eos pro שֶׁמֶשׁ legisse שֶׁמֶן *oleum* & pro יהוה futurum יֶאֱוֶה / Per *oleum* vero misericordiam, per *scutum* veritatem intellexisse, de qua Psal. 90. *Scuto circumdabit te veritas ejus.* Non tamen audet codices Ebræos in suspicionem vocare de mendo. Dicit sensum esse eundem. At inquam ego, si Ebræo textui stamus, de misericordia & veritate ad hunc versum concionari, est extra oleas vagari.

Ps. LXXXV. 13. Eruisti animam meam ex inferno inferiori.] Ita vulg. ex LXX. ἐξ ᾅδου κατωτάτου. Lut: aus der tieffen helle. Vulgus Pontificiorum hunc rursus locum advocant in patrocinium purgatorii. Alii tamen de limbo interpretantur, illi vid. qui hunc Ps. de Christo literaliter exponunt. Alii de inferno damnatorum, qui vid. hunc Ps. de Davide interpretantur, q. d. tu o Deus cum juste posses me in infernum præcipitem dare, tamen dum condonasti mihi peccata mea & me per verbum tuum regenerasti, liberasti animam meam ex inferno. SA, *de æterna morte.* Subjungit tamen, posse limbum intelligi, si Psalmus de Christo accipiatur. Bellarm. quoque locum exponit de justificatione à peccatis, ob quæ ad infernum inferiorem descensurus erat, nisi per gratiam liberaretur. Super hac interpretatione nolim cum quopiam funem contentionis ducere. Si quis tamen Psalmum penitius introspexerit, videbit Davidem petere liberationem à persecutoribus suis atque inter alia petitionis argumenta illud eminere, quod à Dei potentia desumit vers. 8. & ex effectis demonstrat, inter quæ illud non postremum est, quod Deus jam ante ex gravissimis periculis sæpius eum liberaverit. Jam ante *eruisti me* ex sepulcro imo, id est ne detruderer in sepulcrum imum. Vide Jun. Pisc. Neque huic expositioni obstare vocem *anima*, ut ad Psal. XVI. ostendimus. Neque obstat epithetum תַּחְתִּיָּה / Licet enim illud à LXX. per superlativum, vulgato per comparativum expressum sit, Ebræa positivi gradus est. Hoc observa tiro, ne putes necessario hinc inferri, esse alium *scheol* superiorem, cujus respectu hic inferior vel infimus dicatur. שאול תחתיה.

תחתיה ad verbum, *ſepulcrum inferum*, vel, *infernum.* Vtrumque enim Latine dicitur. Eſt autem epitheton ſepulcri perpetuum, quale eſt illud 1. Petri 4 ἀθεμίτοις εἰδωλολατρείαις *illicitis idolorum cultibus*, &, *illicita adulteria.* Sicuti enim hinc non niſi ineptiſſime intuleris, eſſe quædam licita adulteria, aut quandam idololatriam licitam (quod tamen fecit Greg. de Valentia, qui ex iſto loco colligit quandam idololatriam eſſe licitam, eam vid. quæ in Eccleſia Romana quibuſdam imaginibus ſeu idolis defertur) ita & hic nulla ratio inferendi, eſſe aliquem ſcheol ſupernum. Si vero per *Scheol* calamitates intelligas & pericula, jam poterit eſſe διακελτικὸν. Calamitates enim aquis & luto comparantur. Ideoque quo majores illæ ſunt, eo profundiores ſtylo ſcripturæ dicuntur. Quo autem profundius aliquid eſt, eo inferius eſt. Atque hoc modo interpretatus quoque eſt Euthymius, *poteſt etiam infernus accipi pro quolibet periculo*, inquit. Præmiſerat autem duas iſtas expoſitiones, *Si Pſalmum pertinere intelligas ad B. Davidem, per infernum profundam peccati foveam intellige, adulterii nimirum & homicidii. Si vero ad Ezechiam, infernum accipe pro morte, cui proximus fuit.* Sed liberum unicuique iſto, hoc loco vel ſepulcrum, vel magnum aliquod periculum, vel calamitatem; vel infernum intelligere. Hic vero non deſunt qui licet per שאל nec limbum, nec purgatorium, ſed infernum intelligant, tamen ex adjuncto epitheto diverſas inferni regiones evidenter colligi autumant. Eas autem has recenſent, locum damnatorum, purgatorium, limbum puerorum & quæ ſuprema regio eſt, limbum patrum (vide Bellar. controv. 6. Genebr. & Carthuſ. ad hunc locum.) Specioſa certe objectio apud Latinos duplici nomine. 1. quod infernus Latinis dicatur ab *infra* 2. quod infernus apud Latinos, ut & Germanos, *Helle*, locum animarum, non corporum receptaculum, vid. ſepulcrum ſignificet. At in Ebræo textu diverſa ſunt omnia. Namque Ebr: שְׁאֹל non à ſitu, ſed appetendo nomen habet, & indifferens eſt ad ſepulchrum & infernum. Extende *Inferni* ſignificationem, ut etiam ad ſepulcrum ſe porrigat, aut ſubſtitue ei *inferos* quæ vox ſi *ab inferendo* dicta eſt, ut putat Cl. Junius, tam ſepulcrum quam Gehennam denotare poteſt. Ut enim in hanc animæ, ita in illud corpora inferuntur. Tunc videbis illud תחתיה vel eſſe epitheton perpetuum,

vel διακριτικὸν, quo à corporum inferno id eſt ſepulcro diſtinguatur. Neque enim neceſſe eſt cum Auguſt. aſſerere, inferiorem infernum dici reſpectu terræ quæ reſpectu cœli ſit infernus quidam, ſuperior tamen Gehennâ, aut cum Hieron. infernum inferiorem dici reſpectu peccati, qui itidem eſt quidam infernus licet ſuperior. Et nota, neutrum iſtorum patrum ſuperioris alicujus regionis ſive Limbi ſive purgatorii meminiſſe.

Pſalm. LXXXVII. 4. Memor ero Raab.] Auguſt. Theod. Euthymius & alii per *Raab* intellexerunt meretricem illam, quæ Joſuæ 2. exploratores hoſpitio excepit. Euthym. *Per Raab Cananæos intelligit. Raab enim erat Cananæa.* Error natus ex ſcriptura Græca, quæ τὸ רַהַב & רָחָב confundit. Meretrix illa vocatur רָחָב cum duplici aſpiratione, quam Lxx. ſæpe per χ expreſſere. At רהב cum He, proprie *ſuperbiam* ſignificans, & hic & Pſal. 89. 11. & Jeſai. 51. 9. pro Ægypto ponitur. De gentis hujus inſigni & pluſquam Campana ſuperbia profani & ſacri authores teſtes ſunt.

Verſ. 5.

Ebr.	Vulg.
וּלְצִיּוֹן יֵאָמַר אִישׁ וְאִישׁ יֻלַּד בָּהּ וְהוּא יְכוֹנְנֶהָ עֶלְיוֹן	Nunquid Sion dicet homo, & homo natus eſt in ea, & ipſe fundavit eam altiſſimus.

Vaticinatur hoc Pſalmo Propheta de vocatione gentium. Eam comparat generationi & numerationi & conſcriptioni verſ. 5. 6. 7. Verba Ebræa plana ſunt, *Et de Sion.* (vel *ad Sion*, Piſc. Nam de Sion, Pag. Et propter Sion) *dicetur*, *vir & vir* (hoc eſt, hic & ille, variæ nationes) *natus eſt* (per verbum Euangelii & Sp. Sanctum) *in ea*; (in Sion, in Eccleſia) *& ipſe Altiſsimus ſtabiliet eam.* Non præpoterunt aut prævalebunt ei inferorum portæ. Inſpiciamus jam vulgatum Interpretem. Hic meræ tenebræ. *Sion* dativi caſus eſſe notant Interpretes. *Nunquid* proprie eſt *an aliquid*? At ſæpe adverbii naturam induit idemque valet quod *an*. Bellarminus fatetur in Ebræo eſſe literam ו / Et. *Sed fortaſſe textus Ebræus eſt corruptus*, inquit, *vitio ſcriptorum & pro vau legendum eſt* ה / Sed fortaſſe textus Ebr.

Ebr. non est corruptus, & potius cœcutivit interpres. Sed bene habet. *Etiamsi maneat particula &*, inquit Bell. *idem est sensus, si accipiantur verba per modum interrogandi* Quid ergo opus erat fontes de mendo suspectare? Nam certe illa ellipsis interrogativi ה non est insolens. Sed ne sic quidem res confecta est. Namque illa verba, *Et Sioni dicet homo?* aut *An Sioni dicet homo?* non possunt illum sensum simpliciter ajentem habere, *Sioni dicet homo.* Tunc enim potius dixisset הלא *annon. Annon Sioni dicet homo?* Quando enim Ebræi interrogant cum negatione, tunc vehementer affirmant. Ideo Sa coactus est hoc *nunquid* exponere per *nonne.* Et Carth. *In translat. Hieron. juxta Ebr. habetur, Ad Sion dicetur, Sensus ergo, Nunquid, id est imo ipsi Sion dicetur, &c.* Illud cum videret Bellarm. hæc tanquam per modum admirantis dicta explicat, (ut Gen. XVIII. 12. & 31.) q. d. an fieri poterit ut homo aliquis dicat Sioni rem tam novam, tam admirandam & à sæculo inauditam? Sed mittamus ista. *Nunquid Sioni dicet homo?* quis homo? *Joh. Baptista, de quo scriptum est, fuit homo missus à Deo, &c. qui primus Euangelizavit Sioni*, inquit Carthus. Quid autem dicet iste homo? * *Homo natus est in ea* id est Christus Deus & homo genitus est in populo Sion. *Et ipse* ille Christus secundum humanitatem natus ex virgine, *Altissimus* vero secundum deitatem *fundavit eam* id est virginem matrem in omni gratia stabilivit, *in tantum quod nunquam à vero fundamento peccando prolapsa est*, vel fundavit eam id est *Ecclesiam. In hoc itaque versu*, inquit, *evidenter ostenditur in Christo duplex natura & una persona.* Homo natus est in ea. *Ecce tibi naturam humanam. Dum vero idem demonstratur pronomine ipse, patet identitas in persona. Postrem, ocum subditur*, Altissimus fundavit, &c. *dupliciter ostenditur ejus divinitas.* Alii hoc modo interpretati sunt, *Nunquid Sioni* Ecclesiæ *dicet homo* Christus? Nam Christus sæpe dixit Judæis, primum suum adventum impletum fuisse. Alii τὸ *nunquid* acceperunt simpliciter pro *An* ut hæc interrogatio æquipolleat neganti sententiæ, An Sioni dicet homo id est an purus aliquis homo humana sapientia & virtute persuadebit ecclesiæ ea, quæ de Christo tenenda sunt, quod homo natus sit & fundaverit Ecclesiam, &c. q. d. non. Humana enim ratione persuaderi non potest, Christum esse Θεάνθρωπον. Observant postea iidem, dictum non esse, *homo conceptus est in ea* sed *natus*

*Ita & Bell. Christus voluit esse civis Sionis secundum naturam humanam, qui fundator ejus est secundum naturam divinam.

natus est, ad insinuandem, quod Christus ab exordio suæ conceptionis in virgine, erat homo cunctis virtutib. & scientiis perfectus. Hi omnes prius illud *homo* jungunt cum verbo *dicet* quæ tamen voces accentu Rebiangh distinguuntur, ut nihil jam dicam, in Ebr. non esse יֹאמַר sed יֵאָמֵר in Nifal. Posterius autem *homo* referunt ad *natus* est. *Hæc est vera interpunctio & lectio* inquit Belarm. Lxx. teste Hieronymo, locum hunc ita reddiderant, μήτι Σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος καὶ ἄνθρωπος ἐγεννήθη (Thod. v. & vi. Editio, ἐγενήθη) ἐν αὐτῇ. Voculam μήτι per nunquid interpretati sunt Hieron. & vulgatus. At codices Græci, quotquot hodie extant, qua impressi, quà manuscripti, legunt, μήτηρ σιὼν. Vetustissimum oportet hoc sphalma fuisse, cum non solum Theodoretus, Ambros. Eucherius, Euthymius, Augustinus, * Ambros. & Cassiod. sed & Apollinaris in paraphrasi sua hanc lectionem secuti sint. Versus Apollinaris iste est,

* libro 1. de fide ad Gratianum Augustum & orat. funebri de excessu fratris.

Μητέρα τιμήεσσαν ἀνὴρ Σιῶνα καλέσσει.

Hujus autem lectionis interpretationem proponam verbis Eucherii, *Mater Sion dicet homo & homo factus est in ea, & ipse fundavit eam altissimus. Mater Sion*, inquit Eucherius, *ut quidam volunt, Mariam significat, in qua natus est homo Christus ipsius quoque matris creator.* Euthymius, *Manifeste & palam prædicit, quod ex quacunque gente quis ingressus fuerit in Sion, dicet quod Sion, mater est. Subintelligi enim debet dictio* est. *Mater autem ideo appellatur Sion, quia regenerat ut diximus, vel quia spiritualium dogmatum cibo fideles omnes, veluti pia mater alit. Vel* mater *appellatur tanquam amabilis.* Et homo natus est in ea. *Hoc ad Christi generationem pertinet, &c.* Theodor. *unusquisque Sionem matrem nuncupabit. & omnis homo dicet, quoniam mater est Sion.* August. *Vnde Babylon aspiraret ad Jerusalem, unde* Raab (meretrix illa) *perveniret ad fundamenta, unde alienigenæ, &c.? Audi unde.* Mater Sion dicet homo. *Est quidam homo, qui dicit mater Sion, & per hunc veniunt omnes isti. Sed iste homo, quid est? — Mater Sion dicit homo, sequitur ibi, quasi quæreres per quem venerit Raab, Bab. alienigenæ — Ecce mater Sion dicit homo. Quis homo? Qui homo factus est in ea. In ea ipse factus est homo, & ipse eam fundavit. Vt in ea fieret homo, jam fundata erat. Sic intellige, si potes. Etenim mater Sion dicet, sed homo. Mater Sion dicet, homo autem factus est in ea. Ipse au-*

autem fundavit eam , non homo, sed altißimus. Sic fundavit civitatem in qua nasceretur, quomodo creavit matrem, de qua nasceretur, &c. Alloquar te Lector, verbis Augustini. Sic intellige, si potes. Ego profecto profiteor me non intelligere. Tantam caliginem huic loco unicum illud librariorum sphalma offudit. Quanto simplicior illa expositio est , quam nos ex nostris interpretibus proposuimus ! Quia vero Bellar. evidentem hanc prophetiam de nativitate Christi , ab illis & Judæis obscurari, & propter Rabbinorum glossas textum perverti asserit, operæ erit, nostrorum expositionem unius atque alterius Pontificii testimonio firmatum ire. Sic ergo Sa Nunquid] *pro nonne.* Sion] *id est Sion seu Sioni.* Homo & homo] *id est quisque seu plures, sc. dicent. Vel plurimi in ea nascentur, sc. per baptismum , ut, conjungatur cum* natus est. *q. d. Deus in ea natus est scil. in Judæa, seu in cordibus credentium, vel homo & homo natus id est multi nati scil. spiritualiter.* Genebrardus , *nunquid. Sioni dicet quilibet , multos in ipsius gremio regenerari quotidie , ac fideles fieri, ipsamque à Deo fundatam esse?* Et paulo post *vir & vir nati sunt in ipsa id est magni & multi viri in ea sunt generati, per regenerationem sc. ex aqua & Spiritu S.* Homo & homo *pertinent ad verba sequentia, nequis prius* homo (ἄκυρον Bellarm.) *construat cum*, dicet. איש ואיש / vir & Vir *id est multi Nam illa repetitio multitudinem significat, Kimchi. Aliqui, homo & homo, Judæus & gentilis, uterque vid. natus est in ea per bapt. fidemque. Nam in ea non est distinctio Judæi & Græci.* Hæc Genebr.

Ps. LXXXVIII. * An medici suscitabunt?] Ita vulgatus ex Lxx. ἢ ἰατροὶ ἀναστήσουσι ; Ebr. אִם רְפָאִים יָקוּמוּ *an mortui*, defuncti , expertes vitæ *exurgent?* Sed illi legerunt רוֹפְאִים / יְקִימוּ. Ita Medici in hunc Psal. prout vulgo canitur, introducti sunt Confer jam interpretes. Obiter noto, Medicos à Thalmudicis inter opifices numerari, de quibus adjecte sentiunt. In Thalmud circa finem libri Kidduschim inter alia occurrit hoc effatum , טוב שברופאים לגיהנם *optimus inter medicos ad Gehennam* Glossa , *Non enim metuit à morbis , vescitur laute , nec confringit cor suum Deo , aliquando etiam interficit homines, quando pauperes , quos posset , non sanat.* Mirabor si Judæorum Medici huic sententiæ calculum suum apposituri sint. Ego Sirachidem potius audiendum sentio, *Honora medicum*, Et Homerum,

Εἷς ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Pſ. LXXXIX. Ad hunc Pſ. prolixum invenies commentarium non ſolum in Enarrat. B. Auguſtini ad hunc librum, ſed & in opere de Civit. Dei, lib. 17. cap. 9. & 10. & 11. Multas illic invenies expoſitiones, de quibus Pſalmographus nunquam cogitavit. Neque fieri potuit aliter. Fontes enim adire non potuit. Aberrantem tertio quoque verſu interpretationem ſecutus eſt, & in loca librariorum erroribus fœdata ſæpe prolixe commentatus eſt. verſ. 44. vel aliis 46. Ebræa habent, *abbreviaſti dies* עֲלוּמָיו id eſt *adoleſcentiæ ejus* id eſt dies regni, quibus adoleſcens regnavit. Quæ interpretes intelligunt Jojachin, qui cum XVII. annos *natus*, admodum certe adoleſcens, regnare cœpiſſet, trimeſtris tantum rex fuit. Cujus fata deſcripta invenies 2. Reg. 24. verſ. 8. & 10. LXX, ἐσμίκρυνας τὰς ἡμέρας τοῦ χρόνου αὐτοῦ, vulg. *minoraſti dies temporis ejus*, ut legiſſe videantur עוֹלָמָיו *ſæculorum ejus.* At imperita manus in quibuſdam Ebitionibus vocem χρόνου demutavit θρόνου, quam lectionem ſecutus B. Auguſt. & in comm, & de Civit. Dei XVII. 10. legit *minuiſti dies ſedis ejus.* Hic ergo χ in θ migraverat. Contra Pſal. 132. 15. θ in χ corrupit imperitia. De quo ſuo loco. verſ. 39. *Tu iratus es cum uncto tuo.* vid. Sedechia, quem Nebucadnetzar exoculatum & compedibus vinctum captivum abduxit. Ebr. הִתְעַבַּרְתָּ / עָבַר transiit. עֶבְרָה vehemens ira, quæ ſic dicta, vel quod cito, vel quod modum *tranſeat.* Hinc in Hitphaël, הִתְעַבֵּר *iraſci.* At LXX ἀνεβάλου τὸν χριστόν σου Vulg. *diſtuliſti Chriſtum tuum.* quod Interpretes de dilato Chriſti adventu exponunt. verſ. 48. זְכָר־אֲנִי מֶה־חָלֶד Genebr. Arias Mont. *memento quanti ævi ego ſim.* Piſc. *cujus durationis ego ſim.* Jun. *quam temporarius ſim.* חֶלֶד * vel præſentis ſæculi cito deſinentis ſtatum, vel breve illud vitæ noſtræ curriculum ſignificat, vel mundum cujus figura, ut loquitur Apoſtolus 1. Cor. 7. παράγει ſeu quod idem eſt παροδεύει. LXX. *memento quæ ſit* ὑπόστασίς μου. Vulg. *quæ mea ſubſtantia.* hoc eſt, interpretibus Genebr. & Bell. quæ ſit ſubſiſtentia, firmitas, id eſt vita, duratio, quam modica ſit duratio vitæ meæ. At Auguſt. quam longe ab hoc tramite divertit. Ille tam in libris de Civit. Dei quam in comment. per *ſubſtantiam* Chriſtum intelligit. q. dixiſſet Pſaltes, memento quod Chriſti humana natura mea ſubſtantia eſt, &c. Lege & judica.

* Affinem ſignificationem habet cum חדל *deſiit.*

Psal. XC. Multum & multoties ab Ebraïci textus semita in hoc Psal. divertêre Interpretes Græci. Vnde & alienæ expositiones natæ sunt. Nos paucula delibabimus. vers. 9. כִּלִּינוּ יָמֵינוּ כְמוֹ הֶגֶה ad verbum *consumsimus annos nostros sicuti * halitum*, Chaldæus הֵיךְ הֲבַל כּוּמָא דְסִתְוָא *tanquam halitum oris hyemalem*, alii, *sicuti sermonem*, wie ein geschwatz, Græci, τὰ ἔτη ἡμῶν ὡσεὶ ἀράχνη ἐμελέτων * *anni nostri sicut arenea meditabuntur*. Nam τὸ כִּלִּינוּ ad versum præced. retulere. Bellarm. non inspexit Græcum textum quando scripsit, Lxx. pro *meditatio* scripsisse *meditabuntur*. Hoc enim esset μελετήσουσι. Genebrardi quoque & Emmanuelis Sa expositio, qua τὸ *meditabuntur* exponunt passive, ex Græco textu refutatur. Nam quod addit Genebr. legendum videri μελετῶν{τ}, frustra est. Nullius enim codicis authoritate nititur. nisi ita forte exponas, *annos nostros sicut aream meditabuntur* impersonaliter, reputabunt, æstimabunt, quod idem cum eo, *anni nostri reputabuntur*. Valde sudat Genebr. ut versionem hanc cum Ebr. conciliet, & tandem fatetur, eam Ebræo non respondere, nisi fortassis, inquit, הגה priscis fuerit *aranea*. Sed unde tunc vox *meditabuntur* exsculpenda? Tu disce tiro, omnia illa, quæ huc vulgo convectantur de aranea, inter quæ multa satis arguta, non verbis Mosis, sed aberranti versioni superstructa esse. Vers. x. Ebræa ita habent, *Dies annorum nostrorum*, (id est, quod attinet ad dies annorum nostrorum) *in illis sunt septuaginta anni*. Hactenus Lxx. & vulg. benè וְאִם בִּגְבוּרֹת שְׁמוֹנִים שָׁנָה Ad verbum, *& si in fortitudinibus, octoginta anni*. hoc est interprete Genebr. in potenti & firma corporis constitutione, Ita & Sa. Jun. *ut simus valentissimi*, Pisc. ad numerum annorum refert, *si admodum invalescant*, sc. numero. Tigur. *ad summum*. Bellar. Lxx. ἐν δυναστείαις, *quod significare posset*, in principatibus, *sive* imperiis. *Sed hoc loco ista significatio non facit ad propositum. Ergo hoc loco vox illa significat vim & potentiam complexionis, & sic exponunt omnes interpretes*. Hæc Bell. cui oppono Euthymium, qui locum sic interpretatur, *Anni nostri in ipsis id est in nobis ipsis, sunt 70 anni. Eousque enim nostri sumus id est nostri dominamur, roboreque ac viribus nostris movemur. Si autem in potentatibus quis victurus est, hoc est, in violentia, eo quod tunc vix aliquid fieri potest, 80. annis quis vivet*. Et Augustinum, *Aliud est* in ipsis, *aliud*, in potentatibus. *In ipsis*,

* Vide supra p. 381.

* Lovan. onse jaren sullen bedacht worden als een spinne.

ſis, hoc eſt, in annis vel diebus ipſis, quod datur intelligi in temporalibus rebus. Ideo ſeptuaginta, quia temporalia promitti videntur in V. Teſtamento. Si autem non in ipſis annis, ſed in potentatibus, id eſt, non in rebus temporalibus ſed æternis, octoginta anni, quod N. T. eſt in ſpe renovationis & reſurrectionis in æternum. Sequitur, וְרָהְבָּם עָמָל וָאָוֶן Arias Mont. *& faſtus eorum labor & iniquitas.* Jun. *excellentiſſimum eorum laborioſum & moleſtum.* Piſc. — *labor & dolor,* רַהַב proprie robur. Deinde & elationem, faſtum ſignificat, atque adeo per Metonym. omne illud, quo homo ſuperbire ſolet, ut, corporis ſanitas, pulcritudo, divitiæ, amici, honor, dignitas. Hinc elegantes interpretationes. Abenezra, ימי רהבם ימי כוח וחזק והם הבחרות בולם הם עמל ואון *dies* רהבם *ſunt dies roboris & virium, puta dies juventutis. Omnes iſti ſunt dolor & labor,* ſeu potius labor & vanitas, ſeu, labor & iniquitas. Quotuſquiſque enim vitam ſuam in adoleſcentia inſtituit ex præſcripto Salomonis Eccleſ. 12. *Memento creatores tui in diebus juventutis tuæ.* flos ætatis Diabolo plerunque, fex ſenectutis Deo offertur. Sed & omnes iſtæ juventutis delitiæ, quid aliud ſunt, quam vanitas vanitatum? R. Sal. כל הגדולה והשררה שיש לו לאדם בימים האלה אינם אלא עמל ואון

omnis magnificentia & dominatus, quem obtinet homo in diebus illis, nihil aliud ſunt quàm עמל ואון Et certe quid magis laborioſum, quid pluribus periculis tam animæ quam corporis obnoxium eſt, quam eorum vita, qui cum imperio ſunt? Kimchi, וחוזק הימים *& fortitudo dierum* הם עמל ואון כלומר אפילו מי שיהיו ימיו בשלוה q. d. *etiam cum dies alicujus proſpere & tranquille erunt, nil niſi labor & moleſtia eſt.* Hunc ſenſum expreſſit Lutherus, **als het koſtelijck gheweeſt is / ſoo iſt moeyte ende arbeyt gheweeſt.** Et quod ad iſtam vitæ particulam attinet, qua valemus, quid dici poteſt verius? Quando valemus, tum maxime laboramus & delaſſamur quiſque in vocatione ſua. Cum ſuperveniunt morbi, inviti à laboribus feriamur, nihilque magis habemus in votis, quam ut priſtinis viribus reſtitutis, ad intermiſſos etiam graviſſimos labores redire liceat. Ita præſtantior illa vitæ particula aſſiduis laboribus deteritur. Deodatus, *& anche il fior di quegli [anni] è travaglio & vanita. id eſt quin etiam flos*

(Scholion. Ebr. excellentia, q. d. honos, pretium, præſtan-

tiſſi-

tiſſimum & digniſſimum.) *iſtorum annorum eſt labor & vanitas.* Doctiſſimi Interpretes ex Pontificiis has interpretationes amplectuntur. Et profecto plus illas in receſſu ſuo habere, quam fronte promittunt, illi optime judicabunt qui his meditationibus inverſantur. Illam vero, quam vulgatus ex Lxx. expreſſit, quam difficulter ex Ebræo extruderis! *Et amplius eorum labor & dolor*, Lxx. τὸ πλεῖον αὐτῶν. Adhæc, quam frigida ſententia! *quod ipſos excedit.* Bella. *Illud* & amplius eorum, *communiter exponitur de vita, quæ producitur ultra LXX. annos. atque hæc expoſitio eſt Hieron. Aug. Theodoreti, & aliorum gravium authorum.* Pſalterium Rom. legit *plurimum eorum*, quod interpretantur de majori vel potiori parte vitæ humanæ. Sed hanc expoſitionem minus probabilem eſſe aſſerit Bellar. Mihi tamen dubium non eſt, quin hæc fuerit mens Græcorum interpretum, quos etiam opinor ſoni affinitate deceptos, pro רָהְבָּם *rohbam* legiſſe vel potius interpretatos eſſe רָבָּם *robbam.* Nam quod Cenomanus putat eos legiſſe הִרְבָּם / monſtrum vocis eſt. Ex ſequentibus כִּי גָשׁ חִישׁ וַנָּעֻפָה Arias, *quia reſecatur cito & avolavimus.* Jun. *quo feſtine exciſo, avolamus.* Piſc. *quumque avulſum [illud] fuerit, avolamus.* Ex iſtis, inquam, Lxx. hanc nobis interpretationem dedere, ὅτι ἐπῆλθε πρᾳότης * ἐφ' ἡμᾶς, καὶ παιδευθησόμεθα. *quoniam ſupervenit nobis manſuetudo & corripiemur.* Non de nihilo miratur Hiero. epiſtola ad Cypr. quod boni iſti Interpretes legerint. Certe verborum iſtorum nec volam nec veſtigium in fontibus invenies. Quid Bellarminus? *Aliquid eos legiſſe, quod recte in eam ſententiam verti poſſet, dubitare non debemus, cum viri doctiſſimi & fideliſſimi fuerint & cum illis conſentiant Theodotio & VI. Editio.* illis oppono Symmachum, τμηθέντες γὰρ ἄφνω ἐκπεταννύμεθα, *ſucciſi enim repente avolamus.* & v. Editionem *quoniam tranſivimus celeriter & diſſolvimus.* Cl. Druſius exiſtimat illa, גש חיש exponi poſſe, *ſucciditur tacite*, & confert cum illo Poëtæ,

——— *tacitiſque ſeneſcimus annis.*

Genebr. exorbitantem verſionem ſatagit aliquantulum reducere in viam hac obſervatione, corripi à Lxx. poſitum eſſe pro rapi celeriter ex hac vita & avolare. Sed quomodo iſte ſenſus Græco παιδευθησόμεθα tribui poſſit, nullus video. Alia quoque mens Lovanienſibus fuit, qui locum ſic reddidere, **De ſacht-**

* has duas voces Hiero. obelo confodit, & abſunt ab Edit. Clementis.

moe-

moedichept is overgecomen / ende wy sullen herispt worden. versus XII. לִמְנוֹת יָמֵינוּ כֵּן הוֹדַע וְנָבִיא לְבַב חָכְמָה ad verbum, *numerare dies nostros recte scire fac, ut venire faciamus cor sapientiæ.* כֵּן duo significat, *sic* & *rectum, recte.* Vnde duplex interpretatio, 1. Doce [nos] sic numerare dies nostros, ut acquiramus cor sapiens. 2. Doce nos recte numerare dies nostros, &c. Quid LXX? illi vocem למנות ab hoc versu avulsam adjecerunt ad finem versus præcedentis. Reliqua vero sic reddidere, τὴν δεξίαν μου οὕτως γνώρισόν μοι, καὶ τοὺς πεπαιδευμένους τῇ καρδίᾳ ἐν σοφίᾳ. Vul. *Dextram tuam sic notam fac & eruditos corde in sapientia.* Vides eos legisse יְמִינְךָ pro יָמֵינוּ / Et tamen Chaldæus quoque legit ימינו / ne quis putet codices Ebræos olim aliter legisse, τὸ *eruditos* Genebr. & Bellarm. putant regi ab הודע / notos fac nobis eruditos, fac ut cognoscamus veros doctores. Sa, à verbo *fac, fac nos eruditos.* Quidam codices legunt πεπεδημένους. Hinc August. locum ita refert, *& compeditos corde in sapientia.* quamvis statim aliam lectionem memorat. Idem per dextram Christum intelligit, à qua interpretatione non alienum se profitetur Bellar. Hieronymus, qui superiora quoque verba ex Ebræo sic interpretatus erat, *transivimus cito & avolavimus,* Hæc ita interpretatus est, *ut numerentur dies nostri sic ostende, & veniemus* (נבוא) *corde sapiente.* Epistola ad Cypr.

Psal. XCI. 6. Ab incursu & dæmonio meridiano.] Ita vulg. ex Græco ἀπὸ συμπτώματος καὶ δαιμονίου μεσημβρινοῦ. Lovan. **van den aenloop ende den middaaghschen duyvel.** Circa hoc meridianum dæmonium multa quæsiverunt veteres. Euthymius, *per dæm. merid. aliqui acediæ dæmonem dixere, eo quod illo tempore magis nos aggredi soleat. Aliqui vero dæmonem illum qui turpibus cogitationibus præest atque incontinentiæ, &c.* At vox *dæmonii* in Ebr. non comparet. מִקֶּטֶב יָשׁוּד צָהֳרָיִם *ab excidio* [*quod*] *vastat in meridie.* Simplicissima totius hujus versus ea est interpretatio, quam tradit Bellarm. Non timebis ulla pericula, neque nocturna neque diurna. Scaliger Epist. lib. 1. pag. 95. Istis 4. generibus complectitur omnia, quæ hominibus imminent, aut metuenda sunt, uti mortalium vita multis malis obnoxia est. Et quia Ebræi τὸ νυχθήμερον quadrifariam partiuntur in vesperam, mediam noctem, in mane & meridiem, per noctem intel-

ligit mediam noctem, per crepusculum vesperum: & ait nunquam per totum diem quicquam eorum, quæ hominibus impendent, metuendum esse illi, quem Deus tutum ab his omnibus præstat. Vastitatem καὶ ἐρήμωσιν Hebræi vocant קטב / quod proprie est vis quædam major καὶ θεομηνία, quod quare dæmonem verterint septuaginta, nescio. Hinc Sophistæ hariolati sunt dæmones in meridie vagantes. Et sane vetustas tales dæmonas meridie infestos esse credebat, ut ille pastor Theocritianus, οὐ θέμις, ὦ ποιμάν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμε Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες. Hæc Scaliger, cujus illud ἁμάρτημα μνημονικὸν est, quod putaverit *dæmonium* esse interpretamentum Ebræi קטב / At ei respondet in Græco textu vox συμπτώματος. τὸ δε δαιμόνιον ex Ebræo יָשׁוּד interpretati sunt, pro quo videntur legisse וְשֵׁד /

Ps. XCII. 15. benepatientes erunt.] Iterum lubet audire Erasmum. Is ergo adversus Sutorem agens, loco & scopo, quem ad Ps. XLV. indicavimus, sic inquit. Miror quid sit benepatientes. Nam patientes novi. Adeo commentarios inscriptos Hieronymo. Nihil reperio. Vertor ad August. Offendo scripturam aliam, tranquilli erunt. Hinc ad Lyranum. Is somniat nescio quid, à philosophis beneficiatos dici qui benè passi sint à benefactore. Hinc ad Hugonem. Is interpretatur de patientia, quæ opus perfectum habet. Hinc ad Arnobium. Is dissimulat hunc locum. Cassiodorus aliquid lucis ostendit, mentionem faciens de præmiis recipiendis. Adhuc incertus hæreo & consulo Græcos codices, & invenio εὐπαθοῦντες ἔσονται. Agnosco, Græcis εὐπαθεῖν * qui beneficio afficiuntur, aut qui benè affecti sunt animo. Nam illi affectus aut affectiones πάθη vocant, & statim intelligo, quid sibi voluerit quod Aug. legit, *tranquilli erunt*. & quod ex Ebræo Hieron. *pingues & frondentes erunt*. Eat nunc & clamet linguarum peritiam nihil prorsus utilitatis afferre ad sacras literas. Clamet insanum esse & hæreticum, in hunc usum velle scire Græcè aut Ebraicè. Hæc Erasmus.

* Euthymius, benè istis eveniet in futuro seculo, &c.

Ibid. vers. 13. Justus ut palma florebit.] Ebr. צַדִּיק כַּתָּמָר / יִפְרָח. Lxx. δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει. Quidam vocis Græcæ ambiguo decepti de Phœnice ave hæc verba cepere, q. d. *justus florebit ut Phœnix*. Tertull. in libro de resurrectione carnis c. 13. carnis resurrectionem exemplo Phænicis probaturus; sic inquit

inquit, *Illum dico alitem orientis peculiarem, de singularitate famosum, de posteritate monstruosum. qui semet ipsum lubenter funerans renovat, natali fine decedens, atque succedens iterum Phœnix. Vbi jam nemo, iterum ipse. Qui non jam, alius idem. Quid expressius atque significatius in hanc causam, aut cui alii rei tale documentum? Deus etiam scripturis suis,* Et florebit, *inquit,* velut Phœnix *id est de morte, de funere: uti credas, de ignibus quoque substantiam corporis exigi posse.* Vides Tertull. hanc de Phænice historiam ex sacris literis probasse. Eodem modo Ambrosius oratione de fide resurrectionis, tomo 3. pag. mihi 39. *Avis in regione Arabiæ, cui nomen Phœnix, redivivo suæ carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit, revivi∫cit. Solos non credimus homines resuscitari? Atqui hoc relatione crebra & scripturarum authoritate cognovimus, memoratam avem 500. annorum spatia vitali usui habere præscripta; eamque cum sibi finem vitæ præsaga quadam naturæ suæ æstimatione cognoverit, thecam sibi de thure, myrrha & cæteris odoribus adornare, completoque opere pariter ac tempore intrare illam & emori, ex cujus humore oriri vermem, paulatimque eum in avis ejusdem figuram concrescere, usumque formari, subnixam quoque remigio pennarum, renovatæ vitæ officia munere pietatis ordiri.* Vides & hunc pervulgatæ isti de Pœnice fabulæ ex Scripturis patrocinium præstare. Proculdubio enim & iste ad hunc locum respexit. Vide etiam Cyrillum Archiep. Jerosolymitanum Catechesi XVIII. qui tamen Scripturæ non meminit, & elegantissimum de Phœnice carmen, quod Lactantio vulgo adscribitur.

Ps. XCVI. 10. Dicite in gentibus, Dominus regnavit.] Exemplar Psalmorum quo usus fuit Justinus Martyr, auctius fuit duabus istis vocibus, ἀπὸ ξύλου, *Dominus regnavit à ligno.* τὸ δε, ἀπὸ ξύλου, ἀφῄρηκαν οἱ Ἰουδαῖοι, inquit beatus ille Pater in dialogo cum Tryphone. Quia vero hæc lectio videbatur continere evidens vaticinium de crucifixione Messiæ, avide arrepta fuit à sanctissimis Patribus, verbi gratia, Augustino, Tertull. in libro adversus Jud. cap. 10. & lib. 3. adversus Marcionem cap. 19. & 21. Lactantio, Arnobio, Cassiodoro, & aliis. Fortunatus in hymno, qui tempore passionis canitur, ex hac quoque lectione istos versus fecit.

Impleta sunt quæ cecinit.
David, fideli carmine,

Dicens in nationibus,
Regnavit à ligno Deus.

Leguntur & in Psalterio Romano. Lindanus hunc locum Euangelicis objecit, ut ostenderet, Judæorum perfidiam textum Ebræum mutilasse. At non vidit subtilissimus Magister se per textus Ebraici latus ipsam quoque vulgatam sauciare. Nam ne illa quidem voces illas agnoscit. Tempore etiam Hieron. Theodoreti, Euthymii non fuisse eas in codicibus Græcis, testis est Bell. Sed nec Chald. eas legit, Et à Psalterio Gallico abesse, in Editione Romana notatum est. Genebr. ait ea in Ebræo non haberi quoad verba, sed secundum sensum, & destomachatur in eos, *qui duas istas voculas, quæ de industria & per Sp. Sanctum à sanctißimis his prophetis fuerant interjecta, è nostris exemplaribus sustulerunt, sive Judæi fuerint sive quidam olim scioli, ut linguam Ebræam ostentarent, aliquid in LXX. notando quod minime in archetypo reperirent, cujus vanitatis atque adeo nequitiæ nimium multos hodie fert tellus.* Bona verba, Genebrarde. Hunc tuum latratum insuper habuerunt correctores Romani, ipsique adeo Pontifices, Sixtus V. & Clemens VIII. qui crucem Christi hujusmodi fulcro non existimarunt egere. Recte ergo Faber Stap. *non esse illa verba de Ebraica veritate, sed Christiana devotione addita* pronuntiavit.

Psal. XCIX. 15. adorate scabellum pedum ejus quia sanctum est.] Posui versionem vulgatam, quæ ex istis Lxx. Interpretum verbis expressa est, προσκυνεῖτε τῷ ὑποποδίῳ τῶν ποδῶν αὐτοῦ, ὅτι ἅγιός ἐστι. Nota in ipso limine discrepantiam generis in ἅγιος & *sanctum*, ut videas verba Græca non satis fideliter expressa esse. Istam autem lectionem ἅγιος constantissime omnes codices repræsentant. Ipse quoque Genebr. fatetur Hieronymum & Augustinum legere *sanctus*. Bellarminus, *potest etiam referri ad Deum & verti*, quia sanctus est. *Utroque autem modo significatur, scabellum esse adorandum propter relationem ad Deum.* Veteres fere hoc scabellum pro objecto adorationis accepêre. Per *scabellum pedum*, terram, (juxta illud Jesaiæ. 66. *cœlum mihi sedes est & terra scabellum pedum meorum*) per *terram* Christum intellexêre. Augustinus mihi instar omnium erit. *Videte, fratres, quid nos jubeat adorare. Alio loco Scriptura dicit, cœlum mihi sedes, terra autem scab. pedum meorum. Ergo terram nos jubet*

bet adorare. Et *quomodo adorabimus terram, cum dicat aperte scriptura Dominum Deum tuum adorabis, & hic dicit, adorate sc. pedum ejus?* Et paulo post, *timeo adorare terram, ne me codemnet qui fecit cœlum & terram. Rursus timeo non adorare scabellum pedum Domini mei, quia Psalmus mihi dicit*, adorate sc. p. ejus. *Fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quæro hic & invenio, quomodo sine impietate adoretur terra & scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem carnem manducat nisi prius adoraverit, inventum est, quomodo adoretur tale scabellum pedum Domini &, non solum non peccemus adorando, sed & peccemus non adorando.* Julius Toletanus ἀντικειμένων lib. 1. interrog. 36. postquam sumpsisset sibi, tanquam extra omnem controversiæ aleam positum, per scabellum *terram* intelligi, hoc mandatum, cum illo Deut. 6. *Dominum Deum tuum adorabis*, ita conciliat, *Illam terram dicit adorandam, quam Dominus Jesus incarnationis assumptione suscepit. Itaque per scabellum pedum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysteriis adoramus. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Maria carnem accepit.* Carthus. *scabellum pedum id est humanam Christi naturam, in qua divinitas verbi stetit quasi scabellum.* Et postea prolixe disputat de adoratione humanæ Christi naturæ. Vide & Thomam parte 3. quæst. 25. & Magistrum lib. 3. Dist. 9. Ex hoc ergo illud porro ut vara vibiam sequitur, collegerunt Pontificii, carnem Christi in ipsa quoque eucharistia adorandam esse; Eandem mentem Augustino fuisse, verbis quæ jam produximus, Bellarm. in comm. persuadere Lectori suo conatur. At nihil tale ex ejus verbis colligi posse illustris Mornæus lib. 4. de Eucharistia cap. 7. docuit. *Quis ambigat*, inquit, *carnem humanam manducare neminem, nisi prius adoraverit vera fide, affectu & effectu. At vero adoramus nos hanc carnem sicuti & comedimus, sicuti & accipimus. Accipimus, sicuti & tangimus, vere quidem sed spiritualiter. Spiritualiter, neque eo minus vere.* Quid vero sequioris ævi interpretes de hac re senserint, nec ignoramus nec curamus. Alfonsus de Castro per scabellum crucem intellexit. *Quid enim verius scabellum Christi, quam crux*, inquit, *cui pedes illius affixi sunt?* Atque inde porro crucis ado-

adorationem deducit. Communior tamen ſententia eſt per ſcab. pedum arcam intelligi. Epiſcopi ſecundi Concilii Nicæni hoc loco abuſi ſunt, probandæ iſti theſi, Deum in ſtatuis & picturis adorandum eſſe. Bellarminus lib. 1. de Beatit. Sanctorum capite 18. probaturus, res ſacras religioſo cultu adorandas eſſe, hunc ipſum locum in acie collocat. Etiam Suares ad 3. partem Thomæ, quæſt. 25. art. 2. Bellarminus ibidem. *Reſpondeo*, inquit, *nomine ſcabelli neceſſario arcam intelligi, & proinde ruit expoſitio hæreticorum.* Calvinum & Bucerum intelligit, qui cum Chaldæo, Baſilio, Vatablo aliiſque per ſcab. pedum templum intellexêre. q. d. adorate in templo, quod ſcabellum pedum ejus eſt ל pro ב haudquaquam eſt inſolens. Vide ſaltem Pſ. XVI. Hanc interpretationem ipſe quoque Genebr. probat, aitque Pſalmographum ſe ipſum explicare verſu ultimo, *Adorate in monte ſancto ejus.* Ad quem locum hæc porro obſerva, I. ל ab interprete Vulg. redditum per *in* II. Phraſin utrobique eſſe eandem. Verſ. 5. הִשְׁתַּחֲווּ לַהֲדֹם verſu ultimo הִשְׁתַּחֲווּ לְהַר / III. Falli ergo Lorinum Jeſuitam, dum fidenter aſſerit, phraſin illam nuſpiam occurrere ad deſignandum locum adorationis, ſed ea ſemper denotari rem adoratam. Hic certe locus ipſi in os contradicit. Sed & evidens eſt locus Pſ. CXXXII. 7. ubi hanc eandem phraſin נִשְׁתַּחֲוֶה לַהֲדֹם רַגְלָיו ita reddidit Interpres vulg. *adorate in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Sed demus Bellarmino, per ſcab. pedum arcam fœderis ſeu propitiatorium intelligi. Certe 1. Chron. 28. 2. arca fœderis diſerte *ſcabellum pedum Dei* appellatur, ſive ratione cœli, quod thronus ejus dicitur ob majorum gloriam, qua illuſtris eſt, ſive quod alæ Cheruborum ſedem quampiam Dei repræſentarint, cujus ὑποπόδιον fuerit propitiatorium ſeu operculum arcæ, cui ipſi quoque Cherubi inſiſtebant. Quid vero hinc exſculpet Bellarminus? Ipſe agnoſcit in comment. in Ebræo ad verbum legi, *adorate an ſcabellum pedum ejus.* Sa, *adorate ſcabellum; ſc. ad arcam, unde reſponſa dat velut ſedes ſuper Cherubim.* Et Lyra, *anti ſcabellum id eſt arcam.* Et Genebr. *Alluditur ad geſtum adorantium regem & ad thronum ejus accumbentium, q. d. coram ſcabello pedum ejus prodite, quaſi ante pedes ejus proſtrati.* Nos hæc lubentes acceptamus. Neque etiam Junius, Piſc. Deod. Genev. Angli, Tigurini, Lutherus & alii aliter hunc locum interpre-

tati

tati ſunt. Explicandus ergo hic locus ex illo, Pſ. CXXXVIII. 2. *adorabo* אֶל הֵיכַל קָדְשְׁךָ quem vulg. ita vertit. *adorabo ad templum ſanctum tuum.* Objectum corporis adorantis ab objecto adorationis diſtingui oportet. Objectum adorationis religioſæ ſolus Deus eſt. At objecta corporum adorantium poſſunt eſſe varia. Iſraelitæ Deum adoraruri faciem verſus arcam aut templum convertebant. Daniel tanto locorum intervallo à templo remotus, facie tamen urbi Sanctæ & Templo obverſa, precatur, idque juxta Salomonis verba 1. Regum. VIII. 44. & 48. — *& orabunt te * viâ civitatis hujus quam elegiſti, & domus quam ædificaſti.* Qui Deum invocant, ſæpe ad ſedile vel lectum ſe proſternunt, an ideo vel Danielem urbem ſanctam, vel hos ſedile vel lectum adorare dicemus? Apage tales ineptias. Ergo dico, השתחוה cum ל conſtructum, vel denotare locum in quo (ut hoc eodem Pſalmo, verſu ultimo, & Pſ. 132. 7. ipſo vulgato Interprete judice) vel locum aut rem verſus quam, aut illud ipſum quod adoratur. Ex ambigua ergo phraſi non procedit argumentum. Oſtendendum primo erat exemplum arcæ adoratæ, aut monſtrandus alius locus, aut eruendæ ex hoc ipſo loco tales circumſtantiæ, quibus convincantur conſcientiæ, hic ipſius arcæ adorationem juberi. Nos contra parallelorum locorum collatione id, opinor, evicimus, ſi arcam intelligas, indicari locum, ad vel verſus quem, vel coram quo: ſin templum, intelligi locum in quo vel verſus quem, ſtante cultu Moſaïco, preces fidelium fundebantur. Diximus ſupra, ex veteribus nonnullos hunc locum de adoratione carnis Chriſti intellexiſſe, atque ex eo Pontificios porro pro adoratione Euchariſtiæ argumentum depromſiſſe. Ea interpretatio autem mihi vellit, de alio quodam loco Pſal. LXXII. 16. יְהִי פִסַּת בַּר בָּאָרֶץ בְּרֹאשׁ הָרִים יִרְעַשׁ כַּלְּבָנוֹן פִּרְיוֹ Pagn. *erit pugillus* (Arias, particula) *frumenti in terra* [*ſatus*] *in capite montium: concutietur* (Arias, perſtrepet) *ſicut Libanon fructus ejus.* Junius, *ubi fuerit pugillus tritici in terra, in vertice montium commovebit ſe ut Libanon fructus ejus.* Duo enuntiata per ἀσυνδετον ita cohærent, ut conſtituant enuntiatum relativum temporis. Hoc enim vult Propheta, ſub Meſſia omnia feliciter proceſſura: atque adeo nihil fore tam exiguum, quod non in immenſum augeatur per Dei benedictionem. Ex. gr. cum vel pugillus tritici in locis

Dan. 6.

* i. verſus urbem hanc & verſus hoc templū.

Hanc conſuetudinem Judæi etiamnum obſervant.

Locus Pſal. LXXII. 16. examinatur;

etiam minus fertilibus, ut ſunt montium vertices, ſatus fuerit, inde tanta frugum copia naſcetur, ut illæ ventis agitatæ ſtrepitum excitaturæ ſint, qualis ab arboribus Libani, quando ventis concutiuntur, excitari ſolet. Hanc interpretationem de ſumma frugum abundantia ſecuti ſunt ex Ebræis Aben-Ezra, Kimchi. ex Chriſtianis Genebr. Lorinus, Calvinus, Mollerus, Jun. Piſc. & alii. Nulla difficultas niſi in vocula פִּסַּת ἅπαξ λεγόμενη. Pſ. xii. 2. פַּסּוּ אֱמוּנִים *defecerunt, imminuti ſunt fideles.* Dan. v. 5. פַּס יְדָא *particula manus.* Hinc Kimchi in rad. vocem præſentem reddit, חֶלְקַת בַּר portionem frumenti. In comment. מְלֹא כַף pugillum. Hanc interpretationem firmat Chaldæa paraphraſis 1. Reg. xviii. 44. Namque ubi in Ebræo eſt, ecce nubes parva, *ſicut vola manus* aſcendens, Thargum habet כְּפִסַּת יְדָא / Juvat & locus Geneſ. xxxvii. 3. *& fecit ei* כְּתֹנֶת פַּסִּים tunicam particularum id eſt ex variis & diverſi coloris fruſtulis conſarcinatam. Antiquiores, teſte Lorino, de pane verbi divini agi putarunt. Et Bellarm *Hic jam deſcribitur fructus apoſtolicæ prædicationis poſt Chriſti reſurrectionem.* Ita & Janſenius. Vulgatus Interpres, *Et erit firmamentum in terra in ſummis montium.* Lxx. ἔσαι στήριγμα ἐν τῇ γῇ ἐπ' ἄκρων τῶν ὀρέων. Per στήριγμα intelligunt Bellarminus, Janſenius atque adeo omnes illi, qui panem verbi divini hic innui docent, fulcimentum ſeu firmamentum panis, & cum hoc loco conferunt illum Pſal. 105. *omne firmamentum (fulcimentum) panis contrivit. Eſt enim abundantia frumenti,* inquit Bellarm. *firmamentum familiæ.* Ergo per firmamentum hic intelligunt abundantiam frumenti, ſeu ut Hiero. vertit, *memorabile triticum. Per abundantiam autem frumenti hoc loco non intelligitur abundantia frumenti corporalis, ſed abundantia verbi Dei, &c.* inquit Bellarm. Illud vero *in ſummis montium,* exponunt de locis in ſe ſterilibus. Auguſtinus, per firmamentum, Chriſtum; per ſummma montium Prophetas & Apoſtolos intelligit. Carthuſianus putat pro *firmamentum* adſcribendum eſſe de ſacramento Euchariſtiæ in quo Chriſtus ſub ſpecie panis triticei veraciter continetur. Sed valde vereor, ut hic Carthuſiano Equites plaudant. Cum in Græco ſit στήριγμα, quis perſuaderi ſibi patietur, vulgatum interpretem, qui Pſalmos ex Græco tranſtulit, *frumentum* primitus ſcripſiſſe? Non defuere inter Pontificios qui nomen Miſſæ ex Deut. xvi. 10. arceſſere conati ſunt. *Genebrardus,*

celeberrimus ille Ebraïcarum literarum apud Parisienses Doctor, in Liturg. Apostol. cap. 7. primam Missam ab Apostolo Jacobo ipso die Pentecostes cantatam asserit. Assertioni isti probandæ affert locum Actorum 2. 42. Affert locum Levit. XXIII. 16. ubi jubentur Israëlitæ, ipso Pentecostes die, afferre מִנְחָה חֲדָשָׁה לַיהוָה *oblationem novam* DOMINO. Deut. XVI. 10. jubentur in ipso illo festo offerre Deo מִסַּת נִדְבַת יָד [*secundum*] *sufficientiam spontaneitatis manus, prout benedixit ipsis* DOMINUS. Ecce tibi vocem מִסַּת ex absoluto מִסָּה / Ecce tibi Missam prophetice illic institutam, hic vero (Act. 2.) à B. Jacobo, quasi vaticinium illud implente, celebratam. Hæc omnia ægri & præjudicio siderati hominis somnia sunt. Quid enim? si ista voce מִסַּת prædicta vel significata est Missa, tum certe nefandum crimen admisit vulgatus, quod vocem illam in versione sua plane omiserit. Ita enim convertit voces istas Ebræas, *oblationem spontaneam manus tuæ*. Duabus enim prioribus vocibus Ebræum נִדְבַת & hic & alibi eruditissime expressit, vide 2. Chro. 31. 14. Ezræ 1. 4. & VIII. 28. Adhæc, si tantum hic latuit mysterium; tum profecto stupidos fuisse oportet omnes Interpretes veteres, qui nihil tale hic odorati sunt. Quid ergo? frivolum hoc commentum est & merito ab ipso Bellarmino lib. 1. cap. 1. de missa, aliisque eruditis viris explosum est. Neque dignum est Bellarmini argumentum, quod huc transcribatur. *Si vox ista Ebraïca*, inquit, *in usu Apostolis fuisset, certe retinuissent eam & Græci & Syri & aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes voces, ut Amen, Hallelujah, Sabaoth, Hosanna, Satan, Sabbathum, Pascha. Vocabula enim Ebraica per Græcos ad nos devenerunt, &c.* Hæc Bellarminus. Plura hac de re invenies apud Casaub. Exercit. 16. sect. 58. & Martinium in Etymol. voce *Missa*. Nos scimus τὸ *Missath* vocem magis Chaldæam quam Ebræam esse, & hoc loco tantum obviam, *sufficientiam* significare, atque in Chaldæa paraphrasi Ebræum דֵּי & רַב interpretari. Vide Deut. XV. 18. Levit. V. 7. & XII. 8. 2. Sam. ult. vers. 8. Neque dubitamus quin ineptum & illud quorundam commentum sit, hoc מִסַּח esse idem quod פִּסַּח / atque istius literæ transmutatione illam panis in corpus Dominicum transsubstantiationem fuisse significatam. Namque ut ad hoc פִּסַּח ex isthoc diverticulo redeamus, multos ex recentioribus hunc locum *de Eucharistia tex*

maximæ ſacramento expoſuiſſe Lucas Brugenſis author eſt. Hinc inſuper accerſunt conſuetudinem conſecratum panem & calicem elevandi in altum, ut caput Sacerdotum excedat. Hæc interpretatio, licet cum vulgatæ verſionis textu ſtare omnino non poſſit, tamen avide à Pontificiis arrepta fuit. Ut vel hinc videas, quo loco apud Pontificios ſit interpretatio vulgata, quando ex fontibus pluſculum ſuis erroribus ſubſidii ſperant. Primus omnium hoc commento eos ineſcavit *Paulus Burgenſis*, cujus hæc verba ſunt additione 2. in hunc Pſal. *In Ebræo hoc loco ubi dicitur* frumentum, *ſupponitur quædam dictio, quæ ſonat* piſſat, *quæ non ſignificat abundantiam, ſed potius placentam ſeu placentulam frumenti. Et ſic vera tranſlatio ſecundum Ebraicam veritatem in hoc loco talis eſt*, Erit placenta ſeu placentula frumenti: *quod proprie applicatur ſacramento Euchariſtiæ, in quo ſub ſpecie placentulæ frumenti verum corpus Chriſti continetur. Et cum hoc concordat tranſlatio Chaldaica, in qua ubi dicitur*, in ſummis montium, *expreſſe dicitur, in capitibus ſacerdotum.* Hæc Burgenſis. Quæ multis Ebræorum teſtimoniis, partim alienis, partim ὑποβολιμαίοις locupletavit *Galatinus* libro x. cap. 4. Non eſt mihi prolubium ea huc tranſcribere. Summa ſummarum huc redit, *Manifeſtum eſſe ſecundum textus evidentiam, futurum fuiſſe, quod Meßias placenta frumenti eſſet in terra. Siquidem de ipſo, ut patuit, dictum eſt, Erit placenta frumenti vel fruſtum panis in terra.* Et ſequenti pagina, poſtquam ex libro neſcio quo iſta verba citaſſet, *cum ergo ait*, Et erit placenta frumenti in capite montium, *vult dicere, quod placenta panis fiet ſacrificium in capitibus ſacerdotum, qui ſunt in Eccleſia*, iſta ſubjungit Galat. *per montes Eccleſiæ intelligi prælatos & ſacerdotes. In quibus*, inquit, *ſcriptura tunc impletur, cum corpus Chriſti ſuper caput ſuum elevant*, Hæc avide arripuere præter alios Coſterus & Cotonus. Quibus oppono cordatam *Bellarmini* cenſuram, qua commentarium ſuum in hunc verſum obſignat. *Scio*, inquit, *quid Paulus Burgenſis ex peraphraſi Chald. adferat, ad probandum ex hoc loco ſacrificium Miſſæ; ſed ſcio etiam quam multis fabulis Judaicis paraphraſis illa ſcateat. Ideo piget ex lacunis expoſitionum Judaicarum haurire, quæ nobis ex puriſſimis fontibus ſacrarum ſcripturarum abundant.* Hæc Bellarm. Cæterum Chaldæam illam Pſeudo-Jonathanis paraphraſin ſi quis forte requirat, eam exhibebo fide Galatini. Nam in Bibliis eam non invenies, יהי קורבן דעבורא בארעא

בארעא בריש טוריא בשכינתא *id est erit oblatio frumenti in terra in capite montium.* Illud בשכינתא quid sibi velit nescio. Galatinus nimis præfidenter vertit *in Ecclesia.* At שכינתא ista significatione non memini me legere. Pro habitatione, divinitate, gloria, & majestate divina inter homines habitante passim usurpatur. Chaldæa paraphrasis, quæ hodie in Bibliis Ebr. extat, ita habet, יְהֵי סְעִיד לַחְמָא בְּאַרְעָא בְּרֵישׁ טוּרַיָא hoc est *Erit frustum* (bucella) *panis in terra, in capite montium, &c.* Sensus idem qui verborum Ebraicorum est. Pendet enim adhuc sententia, quæ sequentibus verbis absolvitur. Vox Ebræa סְעִיד in Thargum respondet * sæpe Ebræo פַּת / Hoc ergo vult, Ubi pugillus, vel parum frumenti, quod vix sufficeret buccellæ vel in verticibus montium, loco sterili, strepitum edet, &c. Dicitur autem bucella panis סעיד à fulciendo, quod vires hominum fulciat & sustentet, quomodo legimus * alibi *baculum panis*, per quem nonnulli intelligunt vim illam nutriendi, quam Deus O. M. pani indidit. Quæ tamen explicatio locis Jezech. 4. & Levit. 26. non quadrat. Quando ergo Deus minatur se fracturum vel ablaturum baculum panis, denuntiat potius, se ablaturum panem, qui ad hoc ordinatus est à Deo, ut vitæ nostræ * stabilimentum sit. Tale est illud Rom. 4. *Signum circumcisionis*, & juxta quosdam Matthæi 24. *Signum filii hominis* id est Filius, qui ipse erit signum. Hinc סְעַד comedere, vesci 1. Reg 13. 7. Hinc סְעוּדָה Chaldæis & Rabbinis *convivium.* David Kimchi, בימי המלך

* Ex. gr. Ruth. 2. 14. Gen. 18. 5.

*Levit. 26. 16. Jezech. 4. Jesai. 3.

* Plautus in Curcul. de pane & assa bubula loquens, *Hæc* inquit, *sunt ventri stabilimenta.*

הזה יהיה ברכה בעולם עד שיזרע אדם מלא כף תבואה אפילו
בראש ההרים ויהיו השבלים טובות ובריאות עד שירעשו ברוח
הנושבת בהם כמו עצי לבנון hoc est, *in diebus hujus regis talis erit*
benedictio in mundo, ut seminaturus sit homo pugillum frumenti, „
etiam in vertice montium, unde exorituræ spicæ adeo bonæ & „
pingues, ut flante vento strepitum edituræ sint, qualem *edunt* „
arbores Libani. Quid ergo vidit Cotonus, quando de Missa & „
transubstantiatione ex hoc loco agens, Kimchium nescio quæ „
de mutatione naturæ differentem introducit. Nihil ejusmodi
hoc loco prodidit Kimchius. Locus ille de quo aliquid inaudiverat Cotonus, extat in commentario ad caput XIV. Hoseæ, versum 8. Non pigrabor eum integrum adscribere, ויש מפרשים יהיו דגן שיהיה שינוי טבע בדגן לעתיד בבוא הגואל שיהיו אותו כמו הגפן

הגפן ולא יצטרכו לזרוע הדגן אלא פעם אחת כמו הגפן וכיוצא בה״ וזכרו רבותינו ז״ל בשינוי טבע שיהי׳ לעתיד בחטה hoc est, *sunt qui illa verba* יחיו דגן *ita exponunt, fore olim, ubi advenerit redemptor, mutationem naturæ in frumento, (quippe vivificabunt illud instar vitis.) Neque fore ut ferant frumentum, nisi una vice, sicuti vitem serimus & id genus alia. Et meminerunt magistri nostri beatæ recordationis, mutationis naturæ, quæ aliquando futura est in tritico.* Hæc Kimchius. Quæ an aliquid commune habeant cum ista transsubstantiatione & naturæ mutatione, quæ in Papatu docetur, & in qua defendenda, omnia sophistici myrothecii pigmenta profundunt, cordato lectori dijudicandum relinquo.

Ps. CII. 21. ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios * interemptorum.] Ita vulg. ex Lxx. τοῦ ἀκοῦσαι τοῦ στεναγμοῦ τῶν πεπεδημένων, τοῦ λῦσαι τοὺς υἱοὺς τῶν τεθανατωμένων, Huic versioni alienas interpretationes superstruxerunt commentatores. Per *interemptos*, martyres: per *filios interemptorum*, eos intelligit Augustinus, qui solvuntur à modis peccatorum & vinculis cupiditatum. Bellarm. *per filios interemptorum* intelligimus filios veteris Adami & Hevæ, qui fuerunt primi occisi astutia serpentis.
“ Textus Ebr. ita habet, לִשְׁמֹעַ אֶנְקַת אָסִיר וּלְפַתֵּחַ בְּנֵי תְמוּתָה *ad*
“ *audiendum gemitum vincti, & ad solvendum filios mortis.* Nota genitivum finis. *Filius mortis* id est destinatus morti. Ita & Genebr. & Sa. Eadem locutio obvia est Ps. 79. 11. ubi in vulg. *filios mortificatorum.* In Græca utrobique eadem vox est. Talis Genitivus & in illo est Ps. 44. 23. *reputati sumus* כְּצֹאן טִבְחָה / quem Apostolus quoque per Genitivum expressit, Roman. 8. ἐλογίσθημεν ὡς πρόβατα σφαγῆς, *tanquam oves mactationis.* Huc referunt vulgo illud Joh. 17. 12. υἱὸς ἀπωλείας, *filius perditionis.* Sed malo assensum meum commodare reverendo D. *Piscatori*, qui genitivum istum pro genitivo adjuncti accipit, ut filius perditus intelligatur, quomodo filium contumacem *filium contumaciæ* Ebræus sermo appellat. Alibi *filius mortis* (Ebr. בֶּן מָוֶת non תְמוּתָה) est dignus morte, qui capital admisit. 2. Sam. 12. 5. Bellarm. ad Ps. 79. ipsi 78. agnoscit in Ebræo esse *filios mortis*, atque illud posse significare homines morti destinatos. & sic multos exponere. Lxx. tamen intellexisse filios occisorum. Se putare hanc esse veram hujus loci sententiam. Et quare Bellarmine? Nam inquit. non solum hoc loco, sed & Ps. 101. ubi legimus *filios interemptorum*, haben-

* August. mortificatorum.

bentur eadem verba Ebraïca, quæ ad literam significant filios mortis. Et tamen Lxx. constanter vertunt, filios interemptorum. Q. d. est quidem ita in Ebræo. Sed quia nostra translatio aliter vertit, non admittimus Ebræum textum. Et tamen isti homines non erubescunt asserere, per Concilii Tridentini de vulgata versione decretum nihil derogatum esse fontibus. Neque illam fuisse Concilii mentem, ut vulgata fontibus anteponeretur. Sed ad rem ipsam quod attinet, jam animi sui sententiam candide edisseruit Cardinalis. Et ego meam lectori communicabo. Ajo Lxx. Interpretes non discrepare ab Ebræo textu. Duo tantum observentur. 1. filium hominis phrasi Ebræa hominem esse. Ita *filii hominum* Marc. 3. sunt homines, Filii Gigantum Num. 13. Gigantes, ita Græci, υἷες ἀχαιῶν, & Latini, *Medicorum filii*. Ex hac phraseologia filii τεθανατωμένων sunt ipsi τεθανατωμένοι. 11. οἱ τεθανατωμένοι sunt interficiendi. Scilicet participia illa passiva sæpe talem induunt significationem qualem Latinorum nomina in *bilis* vel *dus* exeuntia. Ita בְּלַעַג subsannabilis, נִבְזֶה contemptibilis נֶחְמָד desiderabilis, מְהֻלָּל Psal. 18. 4. laudandus. Huc refer locum Pauli ad Galatas 2. 11. Erat enim κατεγνωσμένος id est condemnandus ex merito, condemnabilis, condemnatione dignus, ἐπιμεμφὴς vel ἐπίμεμπτος. Quomodo Cicero in Pisonem, *Quis te miserior, quis te damnatior?* Quod si υἱοὺς τεθανατωμένους reddidisset, minus tenebrarum ea versio habuisset.

Ps. CIV. 26, Draco iste quem fecisti * ad illudendum ei.] *Lovan. om hem te bespotten.*

Ita vulgatus ex Lxx. δράκων οὗτος ὃν ἔπλασας ἐμπαίζειν αὐτῷ. Ex versione Latina alienæ expositiones natæ sunt. Qui sensui literali hærent., existimant de captura balænæ & quæ eam subsequi solet illusione agi. Carthus. narrat multis modis ei posse illudi. 1. per symphoniam, quam audit libenter, atque ita ad ripam prolectatur per gallinam assatam, quæ ipsi in pertica vel veru ostenditur, cujus nidore capta ad litora usque defertur. per pisces qui hunc tyrannum dum fugiunt, naturali instinctu ad ripas confugiunt, &c. Hæc Carthus. Sed an hoc fine creatus est iste Dræco? annon Job. cap. 40. docet, creatum esse Leviathanem, ut potentia Dei per eum agnosceretur? Respondet Carthus. illud *ut* hic non sumi causaliter, ut finem notet, sed consecutivè. Sed illud quoque ex eodem capite Jobi discere potuisset Carthus. ejus capturam rem longe esse difficillimam. Ge-

„ nebr. ut homines ei illudant, eum captum, in triumphum por-„ tent, jugulent & partiantur, de ejus mole rideant & jocentur, „ &c. Auguſtinus, cui *mare hoc* eſt mundus; *reptilia*, mali ſpiritus; *naves*, eccleſiæ: per Draconem hunc *diabolum* intelligit. Illud autem *illudere* explicaturus, immane quantum prolixus eſt. Tu, lector, ex iis quæ ſupra pag. 440. 441. ad locum Job. XL. diximus, facile intelliges mentem Auguſtini. Illis paucula addam ex commentariis ejus ad hunc locum, columna 1215. *Deus ibi loquitur in libro Job, Non eſt quicquam ſimile ei ſuper terram factum ad illudendum ei ab angelis meis. Omne altum videt & ipſe eſt rex omnium quæ in aquis ſunt. Cui teſtimonio congruit hoc in Pſalmo, — Draco hic quem finxiſti ad illudendum ei. Sed ſi ad illudendum, quomodo Deus illi illudit? An tradidit eum ad illudendum, hoc eſt, ut illudatur? Putaremus quod Deus illi illuderet, niſi Scriptura Job ſolviſſet quæſtionem. Ibi enim dictum eſt, Ad illudendum ei ab angelis meis. Vis illudere draconi? Eſto angelus Dei. Sed nondum es angelus Dei. Donec ſis, ſi eum curſum tenes ut ſis, ſunt angeli qui illudant Draconi, ne tibi noceat.* Hæc omnia, quod bona pace maximi viri dictum ſit, aliena ſunt. Nam quod ad locum Pſalmi attinet, illud conſtat, Prophetam hiſce verſibus laudare potentiam & ſapientiam Dei, quæ ὀφθαλμοφανερῶς apparent in operibus creationis. Deus, inquit, fecit hoc immenſum mare. implevit illud omni reptilium & piſcium genere. Illic naves ambulant, [quomodo & Cato in de re ruſtica locutus eſt, *amnis quo naves ambulent*, quomodo Saluſtius quoque naves *progredi* dixit, & Homerus νῆας ποντοπόρους appellat.] Introducit navigationem & navium uſum, ceu rem mirabilem. Et certe illi robur & æs triplex circa pectus fuit, qui primus fragilem ratem truci pelago commiſit. Nominaverat jam animalia puſilla cum magnis. At poſtea nominatim meminit maximi maris incolæ, aitque ei hoc elementum aſſignatum à Deo לְצַחֶק בּוֹ ad ludendum in eo. Ita Kimchi, Jun. Piſc. ipſeque adeo Bellar. *Simpliciſſima expoſitio videtur*, inquit, *ad ludendum in eo*, ſc. mari. ut ſe in eo moveat, exerceat & quaſi ludat. Atque in hunc modum exponit verba Latinæ verſionis, *ad illudendum ei* id eſt ad ludendum in eo, & Græca, ἐμπαίζειν αὐτῷ, pro παίζειν ἐν αὐτῷ ſc. θαλάσσῃ. Atqui tunc dicendum fuiſſet ἐν αὐτῇ. Reſpondet Bellar. ita expoſuiſſe Theodoretum & Euthymium. quorum ille non male obſervavit, *mare* Ebræo &

Syriaco ſermone maſculino genere efferri. Addo, ipſum quoque affixum, quod in Ebræo בו eſt, maſculinum eſſe. Quæ ſi admittimus, tum certe omnes interpretes, qui hic de illuſionibus prolixe commentati ſunt, ipſo Bellarmine judice, aliud egerunt. Quod vero ad locum Jobi attinet, ex quo huic teſtimonio facem allucere vult Auguſtinus, ſcire licet, nihil tale eſſe in originario. Supra pag. 439. oſtendimus, Græcum interpretem verſ. 14. cap. 40. Job. in deſcriptione Behemoth, iſta de illuſione angelorum de ſuo addidiſſe. Nunc illud nota, verſu quoque penultimo cap. XLI. ubi de Leviathan ſermo eſt; de ſuo eundem infarſiſſe illa verba, *ad illudendum ei ab angelis meis*, ideoque in vulgato quoque interprete nihil ejuſmodi legi. Ebræa ita habent, אֵין־עַל עָפָר מָשְׁלוֹ הֶעָשׂוּ לִבְלִי־חָת Pagn. *non eſt ſuper terram* * *ei comparabile, qui factus eſt ut non timeat.* Piſc. *Nihil ſuper terram eſt quod poßit ei comparari, factus eſt ut* [*ſit*] *abſque pavore.* מָשְׁלוֹ vel eſt infinitivus pro nomine, vel nomen formæ קֹדֶשׁ/ Illud vero עָשׂוּ eſt pro עָשׂוּי/ participium præteritum Kal, quomodo & צָפוּ pro צָפוּי occurrit. Lxx. οὐκ ἐστιν οὐδὲν ἐπὶ τῆς γῆς ὅμοιον αὐτῷ πεποιημένον, ἐγκαταπαίζεσθαι ὑπὸ τῶν ἀγγέλων μου. Quis adeo ſagax qui ullum veſtigium vel τοῦ ἐγκαταπαίζεσθαι vel τῶν ἀγγέλων in Ebræo textu poſſit deprehendere? Sed ne vulgatus, quamvis tenacius Ebrææ veritati hæſerit, hic omnino defendi poteſt. *Non eſt ſuper terram poteſtas quæ comparetur ei qui factus eſt ut nullum timeret.* πάντα καλῶς. niſi quod in vocis מָשְׁלוֹ interpretatione nimis liberalis fuit. τὸ משל & ſimilitudinem ſeu comparationem & dominationem ſignificat. At hoc in loco tam aliene utraque ei inducitur ſignificatio, quam doctiſſimi interpretes, in prima Bibliorum ſuorum editione, τῷ הוּחַל Gen. 4. verſ. ult. duas ſignificationes aſſignarunt, *cœptum eſt profanari.*

* Arias comparabile ejus.

Pſ. CX. Tecum principium,] Occaſione hujus loci, ubi nimis ſupinus fuit Latinus interpres, ſcripſi aliquando commentatiunculam, in quam convectavi craſſiora quædam interpretum ἁμαρτήματα, dum vel librariorum ſphalmata interpretati ſunt, vel ambiguo vocum decepti eam ſignificationem, quæ ab originario quam longiſſime diſtabat, elegerunt. Eam hic exhibebo & quidem cum brevi præloquio.

Ad No-

Ad Nobilissimum pium & magnæ spei juvenem,

D. EPEVM ab AYLVA

bonarum literarum & artium studiosum.

NEgare non potes, nobilissime Aylva, vulgi judicio nobilitatem quasi capite censam fieri, si studia colantur. Spernitur vulgo omnis eruditio, & si pauculos quosdam erectioris animi excipias, valet illud, *Nil nisi Cecropides.* Non postrema corruptæ Reip. nostræ causa contemptus doctrinæ est, inquit alicubi magnus Lipsius. Quis è nostra juventute legitime instituitur in literis? Quis oratores aut philosophos tangit? quis historiam vel primoribus labris libat, illam rerum gerendarum quasi animam? Præcipitant enim parentes vota sua & pueros vix septuennes protrudunt ad juris scientiam. Scilicet omnibus artibus antistat spes lucri & formosior est nummus auri, quam quicquid uspiam est sacræ aut exoticæ eruditionis. Ex hoc numero deinde veniunt ad gubernacula reipublicæ, non virtute, non eruditione, sed favitoribus & suorum potentia subnixi. Non penetrabo altius in hoc confusionum nostrarum pelagus. Te potius miror, qui maximi parentis tui, Academiæ nostræ vigilantissimi curatoris, æmulus, viam virtutis & veræ doctrinæ constanter calcas. Namque in ista fortuna inculpatam & ab omni pravorum contubernio segregem vitam agitas, ab iis quoque alienus, quæ hodie, ut mores mali sunt, morum larvâ seculi licentia velavit. Latinis, Græcis & Ebraïcis Musis non perfunctorie & propter viam litasti, sed ea in hoc linguarum stadio fecisti spatia, ut non solum ministerii & supremorum in re literaria titulorum candidatos, sed & ministros & Doctores quamplurimos in ruborem dare possis. Logicam quoque illam ingeniorum limam & cotem, sic excoluisti, ut in publicis disputationibus, jam respondentis, jam opponentis partes obeuntem non sine admiratione sæpe audiverimus. Istis fundamentis jactis, excelsum illum animum ad reliquas philosophiæ partes, & nominatim divinam

Mathe

Mathematicam, nec non ad Historiarum studia applicasti. Memini me non ita pridem ex reverendo viro, D. GUL. AMESIO hospite tuo audire, cum de te sermo obiter incidisset, se nullum istius ætatis novisse unquam, qui vel majores omni προπαιδείας parte progressus fuerit, vel majori cum judicio de re literaria & Historica disseruerit. Atque hæc non tam eo dico, ut te laudem, quam ut alios, quibus nec ingenium nec discendi commoditas defuit, ad exacti temporis calculos vocem. Te admodum adhuc adolescentem breviculi temporis plusquam de decumana industria omnium doctrinarum, quæ ad singularum facultatem προπαιδείαν pertinent, choragio ornavit. Quæ singula quibusdam egregiis ingeniis mirari solemus, ea tu consecutus es universa. At quanta illorum turba est, qui, licet annos aliquot in Acad. vixerint, ne unius quidem linguæ vel artis scientiam sibi comparavêre! Et tamen ea est seculi nostri felicitas, is Academiæ nostræ status, ut nihil aliud quam suam desidiam accusare possint. Tu vero, nobilissime adolescens, qui tam præclare cœpisti, perge constanter, & porro annitere, ut quibus genere antistas, virtute quoque & doctrina antecellas. Erit aliquando, cum in te vel religiosum & eruditum Consiliarium Respublica, vel Senatorem Curia, vel celebrem Professorem Academia habebit. Cur enim hoc postremum non adderem? Scio enim tuum ingenium ad quietem & secessum aurigari. Cum Diodorus Lipsio professoriam linguam objectasset, hoc responsum maximo viro expressit, *Vtor ea, nec cum infamia aut damno Bataviæ vestræ utor. Facio quod ante me NOBILES imo PRINCIPES viri.* Et tu mihi libenter largieris, opinor, beatiorem in Academia quam Republica, prout nostræ jam res eunt, vitam agitari. Sed mittamus ista, & vide mihi, quæso, quantis in tenebris prisci interpretes & commentatores vixerint. quoties vocum ambiguo aut librariorum sphalmatibus decepti ab originarii textus tramite diverterint. Psalmo cx. ita infit David, עַמְּךָ נְדָבוֹת בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּהַדְרֵי קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר לְךָ טַל יַלְדֻתֶךָ Ad quem locum ut & universum hunc Psalmum erudite disseruit reverendus Revetus, Simplicissima interpretatio ista est, *Populus tuus [erit populus] spontaneitatum* (id est summe spontaneus, voluntarius) *in die exercitus tui* (illo tempore quo exercitum tuum id est Apostolos & alios Euangelii præcones in orbem terrarum emittes) *in ornatibus sanctitatis* Ps. cx.

tatis (id eſt vitæ ſanctitate) *Ex utero auroræ tibi* [*erit*] *ros* * *natorum tuorum.* hoc eſt, filii tui, credentes, tanquam ros tibi naſcentur, veluti ex aurora, tanquam utero. Sicut ros ex aurora id eſt aëre matutino veluti ex utero naſcitur, in guttas innumeras diſperſus, ita electi tui ex prædicatione Euangelii maximo tibi numero naſcentur. Quid Lxx? μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ ἐν ἡμέρᾳ τῆς δυνάμεώς σου, ἐν ταῖς λαμπρότησι τῶν ἁγίων σου. ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐξεγέννησά σε. Quæ ſic convertit vulgatus, *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus* (Auguſt. ſplendore) *ſanctorum. Ex utero ante Luciferum genui te.* Valde ſudant Interpretes ut oſtendant hanc verſionem cum originali textu concordare. Omnia invertunt, pervertunt, mutant quadrata rotundis, nec tamen proficiunt hilum. Bellarm. textum Ebræum in hunc modum corrigit, עִמְּךָ נְדָבָה בְּיוֹם חֵילֶךָ בְּאוֹרֵי קֹדֶשׁ מֵרֶחֶם מִשְׁחָר יְלִדְתִּיךָ ubi præterquam, quod in ipſas quoque conſonantes (vocales enim de facili ſolicitant) imperium ſibi vindicavit, duas quoque inſuper voces לְךָ טַל eliminavit. Vide Rivetum & Joh. Tarnovium exerc. Bibl. pag. 119. Edit. 3. Sed operæ erit preſſius inſiſtere huic lineæ, & utrumque textum adverſis frontibus componere.

* ad verbum nativitatis tuæ. Ita juventus pro juvenibus, Effera juventus, princeps juventatis, &c.

Tecum principium] Lxx: μετὰ σοῦ ἡ ἀρχὴ. Ebr. עִמְּךָ נְדָבוֹת / Demus legendum עִמְּךָ *tecum.* quomodo נְדָבוֹת per *principium* reddi poteſt? Hic aqua omnibus Pontificiis hæſit. Vox ἀρχὴ, Græcis & *principatum* & *principium*: Vox Ebræa נדבות neutrum ſignificat. De *principio* nullus unquam ſic depuduit, id ut aſſereret. Et tamen hanc notionem, quæ maxime aliena eſt, Latinus Interpres elegit. De *principatu*, perſuadere quidem ſatagunt Genebr. & alii, ſed fruſtra ſunt. Conjugatum נְדִיבִים principes quidem ſignificat, q. d. εὐεργέται, at נדבה principatum ſignificare nullo uno teſtimonio hactenus oſtenſum eſt. Sed ut demus ſignificare ἀρχὴν id eſt principatum, quid tum fiet voci Latinæ *principium*? Bellarminus ait poſſe ſic exponi, *tecum eſt principium primum omnium rerum, quia tu es in patre & pater in te.* Auguſt. col. 1283. *Quodlibet pone principium, Si ipſum Chriſtum, potius diceretur, tu es principium, quam tecum principium. Cum ſit principium & pater, de quo unigenitus filius, in quo principio erat verbum, quia verbum erat apud Deum. Quid ergo? Si & pater principium, & filius principium, duo ſunt principia? Abſit. Sicuti enim*

vide clavem Script. in principium

pater

pater Deus & filius Deus & tamen non duo dii sed unus deus: sic pa-
per principium, & filius principium. Pater autem & filius non duo, sed
unum principium, — Tunc videberis quomodo tecum principium. Non
enim & hic non tecum principium. Non enim cum dixisti, Ecce itis quis-
que ad sua, & me solum relinquitis, sed non sum solus, quia
pater mecum est. *Et hic ergo tecum principium. Dixisti enim & alibi,*
Pater in me manens facit opera sua. *Tecum principium nec unquam*
à te separatus est pater. Verbo. Tecum principium dupliciter expo-
nitur. 1. tecum, o Fili, est pater qui Johan. 1.1. vocatur prin-
cipium, ipso quoque Cyrillo interprete. 2. Tecum, o Pater,
est filius, qui Joh.8. principium vocatur. Vide Lyram. Has in-
terpretationes non solum Græco & Ebræo sed & Latino textui
adversari, omnes illi Pontificii agnoscunt, qui τὸ *principium* pro
principatu positum contendunt, ut Sa, Genebr. Bell. & alii.
Genebr. ἀρχὴ *hic principatum significat, non principium id est patrem,*
licet Latini fere reclament. Ergo, inquit, tecum principium, id est obtinebis
principatum. Bellarm. *tecum erit principatus manifestus.* Vidit hoc in-
ter Latinos Tertul. adversus Hermogenem, *possum principium,*
inqvit, *aliter interpretari, non abs re tamen. Nam & in Græco*
principii vocabulum, quod est ἀρχὴ, *non tantum ordinativum, sed &*
potestativum capit principatum. Unde & ἄρχοντες *dicuntur principes,*
&c. Necdum ullum testimonium audivimus, quo hæc nova
significatio vocis Latinæ probetur. Ammian. lib. 25. *collecti duces*
exercitus, advocatisque legionum principiis, &c. Hic per princi-
cipia principes intelligunt interpretes, quomodo Vegetius quo-
que sæpe ea voce usus est. Sed nondum principatum habemus.
Non celabo. Sulpicius Severus lib. 1. pag. mihi 12. *dictumque re-*
sponso Domini est, duos in his populos prænuntiari & majorem minoris
(ita enim putarim legendum pro *minori*) *subdendum esse principio.*
Expressit illud Mosis, *major serviet minori.* Cæterum quis sibi
persuaderi patietur, Latinum Interpretem hic ea notione vocem
principium accepisse, qua nusquam alibi. Non certe Lovanienses,
qui locum hunc sic interpretati sunt, *met u ist beginsel in den dach*
van uwer cracht. Non Arias Montanus, qui præfatione in Bi-
blia Interlin. Vulgatum interpretem arguit, quod ambiguitate vo-
cis Græcæ deceptus *principium reddiderit, cum vertendum fuerit,*
principatus. Hanc tamen *principatus* notionem Ebræo non conve-
nire hoc ipso testatus est, quod in ipso textu נדבות *devotiones*
red-

reddiderit. Quanto ſatius fuiſſet, Hieronymo aures ſubſtringere, qui voces Ebræas ſic reddidit, *Populi tui ſpontanei erunt.*

Ex utero ante luciferum genui te.] Quaſi in Ebræo eſſet מֵרֶחֶם מִשְׁחָר יְלִדְתִּיךָ / vocibus duabus לְךָ טַל in exilium ire juſſis. At ut cætera tranſeam, non ſolum Chaldæus, ſed & Aq. Symm. & v. editionis author יְלִדְתִּיךָ legerunt. Interpretes qua veteres qua recentes, ſi pauculos excipias, ex hoc loco Chriſti Deitatem & æternitatem probarunt. Bell. *Ex voce* genui *probant ſancti patres efficaciſſime Chriſti Deitatem. Nam ſi creatura eſſet, non poſſet dici genitus ex utero. Nemo enim dicit ſe genuiſſe ex utero domum vel ſcamnum, neque Deus unquam dixit ſe genuiſſe ex utero cœlum aut terram. Porro per uterum intelligitur eſſentia Dei ſecreta & intima.* Hæc Bellarm. cui objici poſſet locus Jeſa. 46. 3. ubi *vulgatus* ita legit, *Audite domus Jacob, qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva.* Quæ B. Luth. ſic convertit, *die ghy van my inden lyve gedragen wert, ende my in der moeder legget.* An hic quoque רחם intimam & ſecretam Dei eſſentiam ſignificabit? An ergo & domus Jacob ex Dei eſſentia genita eſt? Abſit. Quid tamen ad hunc locum dicent Pontificii? Illi ſe torquent. Nos uno verbo dicimus, interpretationem laborare. Neque enim in originario de utero Dei ſermo eſt, הָעֲמֻסִים מִנִּי בֶטֶן *qui bajulamini ab utero,* הַנְּשֻׂאִים מִנִּי רָחַם *qui portati* [eſtis] aut portamini *à matrice.* Ita Pagn. Arias, Junius & alii. Quis unquam fando audivit, affixa antecedere ſuum nomen? à meo utero, à mea vulva, hoc eſſet מִן רַחְמִי / & מִן בִּטְנִי Quid ergo? Jod in מִנִּי eſt paragogicum, ideoque à Lxx. quoque neglectum, *οἱ αἰρόμενοι ἐκ κοιλίας, καὶ παιδευόμενοι ἐκ παιδίου.* Dicit ergo, ſe eos bajulaſſe ſicut mater puerulum bajulat & portat, idque à prima eorum origine, ex quo, perruptis materni uteri carceribus, hunc aërem hauſere. Sed redeamus ad Pſalmum. Iidem interpp. ex iſtis verbis *ante luciferum genui te*, Chriſti æternitatem probarunt. Bellar. *Hinc ſignificatur æternitas filii, qui genitus fuit ante luciferi creationem, ac per hoc ante omnes creaturas. Sed poſuit nomen Luciferi, quia & ipſe eſt Lucifer quidam increatus.* Genebr *Quemadmodum per*, ex utero, *divinam generationem & identitatem ſubſtantiæ ſignificarunt, ita per*, ante luciferum, *æternitatem divinæ iſtius generationis.* Per Luciferum autem alii ſolem, alii, ſtellam veneris, alii, primum angelum

gelum intellexêre. Quicquid sit, Christũ ab omni æternitate ex substantia patris sui genitum esse, articulus fidei est. Sed hoc loco istud mysterium tractari, articulus fidei non est. Quin potius, eum locum huc velle trahere, crassa inscitia est. Hieronymus, ubi tritam illam de ossibus aridis apud Jezech. 27. expositionem non putat esse literæ cogruentem, sed ænigmaticè Prophetam eo modo mortuam populi spem excitasse, hæc subjungit. *Qui autem aliter interptetantur, ista non debent nobis facere invidiam, quod istum locum aliter exponentes, resurrectionem negare videamur. Scimus enim multo robustiora testimonia, & in quibus nulla possit dubitatio reperiri.* Et paulo post, *Ex quo perspicuum est nos non resurrectionem negare, sed hæc non scripta de resurrectione contendere.* Eodem modo & ego semel hic protestor. Æternam Filii Dei Deitatem non nego. Sed hæc ad istum articulum non pertinere contendo. Vidimus Bellarminum, ut vulgatæ Interpretationi patrocinium præstet, puncta & consonas mutasse, vocesque duas ejecisse. Genebrardus, subtilior artifex, voces Ebræas ut solicitet, non putat committendum. Namque istis versionem vulgatam plane respondere asserit. *Septuaginta*, inquit, *sensum duntaxat secuti sunt, idque fidißime & propheticè. Non quod aliter legerint, quam nunc habeat veritas Ebraica* (cur huic Professori patientiam non præbuisti Bellarmine? Sed videamus.) *Ros metaphorice notat svavitatem & hilaritatem, ut cum nos dicimus*, flos, & aliquem esse in flore ætatis. *Est ergo sensus facilis & perspicuus. Ex utero (meo id est substantia) ab aurora (ab aurora ortu) tibi est ros adolescentiæ tuæ. Tu eras ex utero meo & mea substantia, in rore adolescentiæ, ab ipso Luciferi ortu. Tu jam eras in flore juventutis, vel in svavitate & dulcedine adolescentiæ. Tu jam eras natus magna mea voluptate.* Paulo post subjicit ista, *Non aliene etiam aliqui* (inter quos & Aug.) *de temporaria Christi nativitate. Ex utero*] *Virginis, non è semine humano. Ante luciferum*] *mane summo. Genui te.* Quæso te, Genebrarde, quid, tum fiet istis vocibus, quas fateris in Ebræo esse, *tibi ros adolescentiæ tuæ*? An cum nasceretur ex virgine jam tunc in flore ætatis erat Christus qua homo? si prior illa tua expositio genuina est, quomodo hæc non aliena erit? Aut si hæc aliena non est, quomodo illa non potest non esse aliena? Non licet nobis in scripturarum interpretatione tam esse disertis. Non nego unius loci probabiles sæpe esse duas vel tres ex-

expoſitiones. ſed cum de una expoſitione certo conſtat, cæteræ non poſſunt non eſſe alienæ. Atqui antea priorem illum ſenſum perſpicuum eſſe dixeras, & in noſtros, quos Gnoſticos pro tua manſuetudine appellas, deſtomachatus fueras quod ab iſta interpretatione ſecedentes varia expoſitionum portenta huc convectarent. Noſtrorum interpretatio an portentoſa ſit, eruditi judicent. Quin potius portentoſa ſunt illa Maldonati, qui perruptis omnis pudoris clathris hæc chartis illevit, *Deo tribui vulvam metaphorice, ut intelligamus in generatione æterna filii fuiſſe quodammodo Hermaphroditum id eſt virum & mulierem.* Ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι Non ſic loqui auderent qui muſas colunt modeſtiores. Bellarminus poſtquam de æterna generatione locum expoſuiſſet, hæc ſubjicit, *Auguſtinus aliam addit explicationem minus principalem, quod vid. David Chriſto Filio ſuo ſecundum carnem dicat, Ego genui te ex utero Virginis Mariæ, filiæ meæ, antequam Lucifer oriretur id eſt media nocte. Tertull. quoque in Mercionem lib. 5. exponit de partu virginis, ſed tribuit Deo illud,* genui te, *hoc modo, Ego Deus pater genui te ex utero virginis, nocturno tempore, antequam lucifer oriretur.* Quo loco autem iſtas interpretationes habeat, altum ſilet. Adi jam ad pag. 127. ubi cenſuram B. Lutheri leges. Mihi tollenda jam manus de hac tabula. Ad

Pſ. cxviii 2. alia accingamur. Pſ. cxxviii. יְגִיעַ כַּפֶּיךָ כִּי תֹאכֵל *laborem enim manuum tuarum comedes* id eſt cibum labore manuum tuarum partum. Aq. — κόπων ταρσῶν σου. Symm. & v. editio, χειρῶν σου. Lxx. τοὺς πόνους τῶν καρπῶν σου φάγεσαι Optime, niſi quod ambiguè. Latinus, *labores fructuum tuorum comedes.* Peſſime. Hoc patet illis, qui ad fontes adire poſſunt. Quid enim commune eſt fructibus cum manibus? Καρπὸς Græcis non ſolum fructum, ſed & ἄρθρον τῆς χειρὸς καὶ βραχίονος id eſt juncturam manus & brachii ſignificat. Hinc compoſita illa, περικάρπιον, μεσοκάρπιον, προκάρπιον. Hinc ſynecdochicè totum manum ſignificat. Pro palmâ eadem voce uſi ſunt Lxx. 1. Sam. 5. ἀμφότεροι οἱ καρποὶ τῶν χειρῶν αὐτοῦ πεπτωκότες ἐπὶ τὸ πρόθυρον. Ex collatione Græcorum interpretum B. Theodoretus odorari potuit, Lxx. per illam vocem οὐ τὴν ἐπικαρπίαν, ἀλλὰ τὸ μόριον τῶν χειρῶν intellexiſſe. Vulgatus quoque interpres hic non aberravit. Sed patres fere alteram illam pejorem ſequuntur. Cave ergo hic ſequaris Auguſtinum, plenis velis in Allegoriarum freto navigantem. Diſtinguit ſubtiliter inter labores fructuum, & fructus laborum. *Interim modò* inquit

quit, *labores fructuum, postea fructus laboris. Manducabunt labores fructuum, qui euntes ibant & flebant, mittentes semina sua. Quanto jucundius manducabunt fructus laborum, qui venientes venient cum exultatione, portantes manipulos suos?* Ps. XVII. 14. יִשְׂבְּעוּ בָנִים saturantur filii. LXX. ἐχορτάσθησαν * υἱῶν. *saturati sunt filiis.* August. *saturati sunt porcinâ*, quod sic explicat, *saturati sunt immunditia, conculcantes margaritas sermonum Dei.* Euthymius, *saturati sunt porcis.* quamvis paulo aliter explicet, *Saturati sunt immunditiis, consumpto nim. patrimonio ac bonis omnibus, in varias voluptates.* Notat quidem uterque, aliquos pro *porcina*, filios legere, natamque varietatem interpretationis *ex ambiguo Græco*, ut loquitur Aug. vel ut Euthymius, & quidem melius scriptorum vitio, quia τὸ υἱῶν & ὑῶν confuderint, at neuter, utra genuina lectio sit & in textu retinenda, vel ausus fuit vel potuit asserere. *Ajunt, perhibent, videtur*, inquiunt. Hoc vero est alienis oculis videre & mentis suæ clavum aliorum manibus committere. In Psalt. quoque Rom. est *porcina*, ut & apud Arnob. & Apollinarius in metaphrasi habet πλησθέντες σιάλων. Sed & illam meliorem lectionem, *saturabuntur filiis* non melius explicat August. *Filios*, inquit, *opera intelligimus*. *Et sicut bona opera bonos filios, ita & malos mala.* Hoc ergo vult, sensum eodem redire. Nam malis operibus saturari, quid aliud est, quam immunditia saturari? Adi & Epist. LIX. August. quæ ad Paulinum. Sed & ista interpretatio, præterquam quod sine necessitate ex filiis opera faciat, nullo fulcimine nititur. Sic enim legunt Ebræi, *saturantur filii.* Ita & Symm. Pagn. Arias. Qui ergo legerunt *porcinâ*, videntur in Græco habuisse * ὑείων, qui *porcis*, ὑῶν. Respexit proculdubio ad hanc Græcarum vocum paranomasiam Augustus, qui, narrante Macrobio, cum audivisset inter pueros quos in Syria Rex Herodes infra bimatum jusserat interfici, filium quoque ejus occisum, melius esse ajebat, Herodis porcum esse quam filium. Ps. XXXIX. 6. ubi Ebræi legunt *palmares dedisti dies meos*, & LXX. * παλαιστὰς ἔθου ἡμέρας μου, Hiero. *breves.* Vulg. *mensurabiles.* Vetus Latina, *veteres posuisti dies meos.* Hic multa habet Augustinus de veteri & novo, Sed decepit omnes librarius, qui pro παλαιστὰς scripserat παλαιάς. Vetustum sphalma. ac proinde non mirum, si longe lateque se diffuderit. Nam & Psalterium Rom. & Arabicum & Æthiopicum & Ambrosium & Appollinarium in partes vocant annotatores ad Biblia

Psalm. XVII. vers. 14.

* Ita Basileënses cod. & Regia, & Francof.

* Ita & Edit. Romana legit.

Ps. XXXIX. 6.

* Ita Reg. Basil. Francof.

Ro-

Romana. *Prior scriptura*, inquiunt, *est παλαιὰς*, *postea additum* ς *παλαιστάς.* Ergo pro bestiis habent doctissimos istos Interpretes? Nam quæ literarum similitudo est inter טפחות & quamcunque vocem, quæ Ebræis *veteres* significet? טפח extra controversiam παλαιστή. Cur ergo dubitamus an ita scripserint? Quemadmodum autem Ebræum טפחות ἐλλειπτικῶς ponitur, pro ימי טפחות dies palmorum id est palmares: ita & παλαιστὰς dixerunt pro ἡμέρας παλαιστῶν id est παλαιστιαίους. παλαιστὴ, παλαιστὴς, δοχμὴ δακτυλοδόχμη, synonyma sunt, & significant μέτρον τεσσάρων δακτύλων, διάστημα τετραδάκτυλον. Quod autem quidam Interpretes, inter quos Symmachus & B. Chrysost. spithamæ meminerint, scire licet palmum vulgo distingui in minorem & majorem. De minore diximus. Major tres minores continet. Sed is Ebr. non טֹפַח sed זֶרֶת dicitur, tum alibi tum 1. Sam. 17. 4. ubi tamen vulg. *palmum* reddidit, majorem intelligens. Sed hic rursus vocis Græcæ ambiguitas quibusdam imposuit. Cum enim παλαιστὴς luctatorem quoque significet, nonnulli παλαιστὰς inpretati sunt q. d. παλαιστρικάς. Chrysost. ἄλλος δ' ἂν εἴποι παλαιστὰς εἰρῆσθαι τὰς τῶν ἀνθρώπων ἡμέρας, διὰ τὸ πεπληρῶσθαι πάλης καὶ ἀγῶνος *eo quod pleni sint lucta & agone.* Euthym. *Ecce laboriosos posuisti dies meos, certaminis ac pugna plenos.* Vnde in Basil. editione vox ea reddita per *pugiles. pugiles posuisti dies meos.* Plausibilis interpretatio, sed quam vox Græca hoc loco, quia interpretamentum est Ebræi טפח / plane aspernatur. Ps. XXXI. 16. *In manibus tuis* עִתֹּתָי *tempora mea* sc. sunt. LXX. ἐν ταῖς χερσί σου οἱ κλῆροί μου. Vulgata, * *in manibus tuis sunt sortes meæ.* Hic multa de sortibus apud Interpretes legas. Aug. postquam primo de sorte in genere, deinde de sortitione Apostolorum dixisset, *Sortes*, inquit, *quantum ego existimo, gratiam dixit, qua salvati sumus. Et quare sic vocat gratiam Dei? Quia in sorte non est electio, sed voluntas Dei. Nam ubi dicitur, iste facit, iste non facit, merita considerantur. Et ubi merita considerantur, electio est, non sors. Quando autem Deus nulla merita nostra invenit, sorte voluntatis suæ nos salvos fecit, quia voluit, non quia digni fuimus. Hæc est sors.* Piget cætera adscribere. Prolixa enim sunt. At genuina lectio erat καιροί μου. Hoc agnoscunt Genebr. Bellarm. & alii. *Non desunt antiquæ versiones*, inquit, Bellar. *ex Græco, quæ habeant, tempora mea. Sic certe legitur in officio Missæ non semel & in Psalterio Ecclesiæ S. Petri Romæ.* Genebr.

Ps. XXXI. 16.

* *Lovan.* In uwe handen zijn mijn avontuyren.

nebr. *Psalterium Ebr. & Romanum & forte 70. pro* κλῆροι *habebant* καιροί. Ps. XLIV. 13. לֹא רִבִּיתָ בִּמְחִירֵיהֶם *non multiplicasti* (auxisti, subaudi *rem*) *pretiis eorum.* nulla enim tibi dederunt. Est ergo in antecedentibus catachresis vocis *vendendi*, cui similis illa *emendi*, Jesa. LV. 1. *Emite absque pecunia.* Lxx. reddiderunt, οὐκ ἦν πλῆθος (Theodotio, πλεόνασμα) ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν αὐτῶν. quod vulg. convertit, *non fuit multitudo* (scil pretii, non auxisti rem legerunt רִבִּית) *in commutationibus eorum.* hoc est, in alienatione & venditione. In venditione enim commutantur merces & & pretia. Ita legunt & exponunt Hiero. Ambros. Chrysost. & Theodoretus. Quid ergo visum Augustino, locum ita citanti? *Et non fuit multitudo in jubilationibus eorum.* quod ita porro exponit, ut, queratur Psaltes, persecutionis tempore non remansisse multos in Ecclesia, qui Domino in officiis divinis celebrandis jubilarent. Scilicet Græci codices jam olim hic pro ἀλλάγμασι legerunt ἀλαλάγμασι, quam mendosam lectionem expressit & Editio Wecheliana, & Complutensis. Lectionis istius & Euthymius meminit, & de vociferationibus hostium & clamore bellico exponit. Qui Ebræa legere didicit, videt quam alienæ ab Ebræa veritate istæ expositiones sint. Cæterum quid proprie sit ἀλαλάζειν & ἀλαλαγμὸς, docet Hilarius ad Ps. LXV. 1. Ἀλαλαγμὸς, *quem Latine Jubilum ponunt, significat vocem exercitus prœliantis, aut in concursu proterentis hostem, aut successum victoriæ exultationis voce testantis.* Vide sequentia, & Bezam in appendice ad Marc. v. 38. Ps. XCII. 11. *senectus mea in misericordia uberi.* Ita vulg. At Ebr. בְּשֶׁמֶן רַעֲנָן / Lxx. ἐν ἐλαίῳ πίονι. *oleo pingui.* Non dubium quin vulg. legerit ἐλέῳ. Nec refragantur Bellar. & Genebr. *Noster interpres*, inquit, Bellar. *videtur legisse*, ἐν ἐλέῳ. Ps. CXIX. 28. דָּלְפָה נַפְשִׁי מִתּוּגָה *stillavit anima mea prœ dolore.* Vulgata Latina. & August. *dormitavit anima mea præ tædio.* At quid commune est dormitationi cum stillatione? Lxx. scripserant, ἔσταξε, *distillavit* atque ita legerunt & Ambrosius & Origenes: at imperita manus illud in ἐνύσταξε deformavit. *Non est improbabile*, inquit Bellarm. *Lxx. vertisse* ἔσταξε, *& postea errore librariorum factum esse* ἐνύσταξε. *Certe S. Ambros. utriusque lectionis meminit. In Ebræa autem nulla literarum similitudo est inter destillavit & dormitavit.* Hæc ille; quem si roges, cur ergo locum istum non correxerint, non aliud responsum feres, quàm illud Lucæ Brug. *Romani correctores non censue-*

Ps. XLIV. 13.
Psalm. CXII, vers. 11.
Psalm. CXIX, vers. 28.

censuerunt locum esse corrigendum. Ibidem litera Nun, *Anima mea* בכפי *in manibus meis semper.* Hanc locutionem exposuimus supra pag. 422. Kimchi, אֲנִי בְּסַכָּנָה תָּמִיד versor assidue in periculo. Quod enim in manus superficie gestatur, vel lapsui vel direptioni expositum est. Lxx. ἡ ψυχή μου ἐν ταῖς χερσί μου διαπαντὸς. Atque ita legit vulg. Librarii cum phrasin illam non intelligerent, τὸ μου in σου mutarunt. At ita in omnibus, quos ego quidem inspexi, codicibus legitur. Ita legerunt August. Ambros. Hilar. Ita Psalt. Romanum. Ita Apollinarius,

Locus alius ejusdem Psalmi.

ἦτορ ἐμὸν παλάμησι διηνεκέως σέθεν ἴσχω.

Ita & Theodoretus, Euthymius, Cassiodorus & alii. Augustino tamen & Ambrosio de meliori lectione suboluit. *Quidam codices habent*, inquit, *in manibus meis, plures*, tuis. *Et hoc quidem planum est. Justorum enim animæ sunt in manu Dei. Anima vero in manibus meis, quomodo intelligatur, ignoro.* Quod ignoravit Augustinus, explicuit Hieronymus, inquit Genebr. qui & illud subjungit, Nempe multa ignorantur à linguarum imperitis, quæ periti liquido intelligunt. Ps. cxxxii. 15. *Benedicendo benedicam* צֵידָהּ / Pagn. Arias, *esca ejus.* Lxx. θήραν quod Latinus interpres reddit, *venationi ejus.* Sed ut טֶרֶף *raptum*, ita & צַיִד (per synecdochen) quemlibet cibum significat. Hinc teste Hiero. cæteri Interpretes Græci uno ore ἐπισιτισμὸν id est cibaria, vel σιτάρχια interpretati sunt Vulgatæ Latinæ author, August. Prosper, Ambos. Cassiodorus Apollinarius, Hilar. & alii legunt, *viduam ejus benedices.* Ita & Psalterium Romanum & Gallicum. B. Calvinus in comm. existimabat, primitus scriptum fuisse *victum*, hinc *vidum*, hinc denique *viduam* factum. Hanc conjecturam Bellarm. calumniam vocat, nescius eandem Melchioris Cani esse de locis Theol. 2, 15. Lubens tamen dederim, hujus lectionis originem altius petendam esse. nonnulli codices Græci, qualibus S. quoque Chrysostomus usus est, legerunt χήραν, uti contra Psal. 89. pro χρόνους legebant θρόνους. Genebr. *Græci* θήραν. *Sed noster, inconsulta veritate Ebraica, legit* χήραν, *quia mox sequebantur pauperes. Utrosque enim solet Scriptura conjungere.* Quicquid ergo hic disserit Augustinus de viduis, quicquid superstruit isti assertioni, universam Ecclesiam esse unam viduam, quicquid denique hic porro ἀλληγορεῖ, non alio fundamento, quam

August. ibidem.
An forte ita dictum est, anima mea in manibus meis semper, tanquam eam vivificandam offerret Deo? ut alibi, Ad te levavi animam meam. Ps. cxxxii. 3.

quam indocti descriptoris peccato nititur. Atque hic mirari
lubet insignem Pontificiorum pertinaciam, cujus patronum
agit Bellar. *Verum quidem est*, inquit, *in Ebræo non haberi* viduam,
sed victum, neque ullam esse similitudinem literarum, ob quam suspi-
*cari quis possit, illos scripsisse, * viduam: sed in Græco idiomate ma-* *אַלְמָנָה
gna similitudo literarum est inter χήραν & θήραν. *Igitur vel in Ebræo*
mutatus est textus (serione an joco Bellarmine?) *vel in Græco*
textu facta est corruptio, vitio scriptorum, quia unam literam legerant
pro alia. Hoc erat. Cur ergo hoc sphalma non sustulistis? Cur
Lovanienses in sua versione illud retinuere? *Quia usus obtinuit*,
inquit Bell. *ut legeretur* vidua, *non est ullo modo mutanda. cum à*
veneranda antiquitate ortum habuerit. Ab antiqua inscitia dixisses
verius. Alia mens Cano fuit, qui postquam de hoc loco egisset,
ista subjungit, *Hujusmodi menda gravi ratione & prudenti consilio*
corrigi possunt. Si quicquid usu & longa annorum serie obtinuit,
mutare nefas est, ne venerandæ antiquitati convitium fiat, cur
ergo correctores Romani, quorum tu quoque Bellarmine, pars
magna fuisti, tot inveterata sphalmata sublatum ivêre? Si tam
pervicaces sunt in corrigendis istis minutulis, de queis inter
omnes constat, quid circa majorum correctionem ab ista sede
expectandum est? Illud exciderat. in Edit. Basileënsi pro θήραν
legi θύραν, portam Joel. I. 17. נָשַׁמּוּ אֹצָרוֹת *vastati sunt thesauri.*
Non est dubium, quin LXX. verterint ἠφανίσθησαν θησαυροί. At
in Aldinis legitur σαυροὶ, quod interpretantur, *vastati sunt lacer-*
ti. In Basileënsibus anni 1550. & 1572. ταυροὶ, quod Latinus
interpres reddidit, *vatasti sunt tauri.* Non dubitavit de hujus le-
ctionis veritate corrector, quia precesserant δαμάλεις, *vitulæ.*
At pro ea quoque in Ebræo est פְּרֻדוֹת *grana. computruerunt gra-* Iesaiæ III. 13.
na sub glebis, Jes. 3. 13. נִצָּב לָרִיב יְהוָה *stat ad litigandum* DOMI-
NUS. Lutherus, Aber der HERR stehet da * zur rechten/
Belgicus interpres, mendo isto deceptus, *de* HEERE *staet daer* *mensose; pro zu.
ter rechterhand, Non minus fœdum lapsum ad Job XI. detexi-
mus, Vide supra pag. 421. Exodi 38. 8. בְּמַרְאֹת *ex speculis mu-*
lierum, &c. Speculum ita dictum à רָאָה *video*, quod priscis
erat *specio.* In marginalibus annotationibus ad Biblia Belgica,
queis Nicolaus Biestkens nomen dedit, ex Castalione citatur
hæc versio, *van der vrouwen wacht-toornen*, quasi illud *specula*
esset à singulari recto *specula.* Adeo periculosæ plenum opus aleæ
Aaaa 2 est

est, versionem ex versione adornare. Ad singulos versus imo & voces consulendi fontes sunt. Hujus quoque loci est celebris ille locus Joh. XXI. *Si eum volo manere.* Græce, ἐὰν. At una literula C addita, unde nata hæc lectio, *sic eum volo manere*, quam portentosas expositiones Interpretibus extorsit! Sed de hoc loco dicemus prolixius suo loco. Et jam opinor, illud probavi, ne ipsas quidem versiones tuto & utiliter ab erudito viro semper legi posse, nisi aliqua originalium linguarum peritia instructus sit. Desino itaque, & te, nobilium juvenum doctissime, summo isti Numini commendo, penes quod potestas est

Iohan.XXI.

Tuique misque & omnium mortalium.

Ps. CXI 2. Magna sunt opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.] Iterum posui verba vulgati, quæ ex istis Græcis tralata sunt, *μεγάλα τὰ ἔργα κυρίου, ἐξεζητημένα εἰς πάντα θελήματα αὐτοῦ.* Hunc locum allegat Magister Sententiarum lib. I. Dist. XLV. lit. G. Lubet autem hic adscribere censuram eruditissimi Theologi L. Danæi. Sic ergo ille, Super malo fundamento struit malam molem iste. Perperam enim ille Ps. CXI. 2. locus convertitur. Cum ex Ebræa veritate sit vertendus, *magna opera Jehovæ, exposita omnibus qui delectantur istis.* Ergo quod isti ex hoc loco colligunt, plures esse Dei voluntatis (quam voluntatem signi vocant) species, quoniam in Psalmo illo numero plurali *voluntates* leguntur, inane est & falsum fundamentum. Et tamen hoc est unicum & hujus, & Thomæ parte prima. quæst. 19. articulo II. argumentum. Una est igitur voluntas signi, sed illius proponendæ multæ tamen sunt formæ, phrases & rationes. Atque eæ etiam duntaxat nostri ratione, externæ & ad ipsam Dei voluntatem accidentales. Ebræa si quis requirat, ista sunt, גְּדֹלִים מַעֲשֵׂי יְהוָה דְּרוּשִׁים לְכָל־חֶפְצֵיהֶם, Pagni. Arias, — *omnibus volentibus ea vid. indicem.*

Ps. CXVIII. 27. Ornate festum frondibus.] Ita Lutherus. Et citari hoc modo crebro pro concione solet in festo Pentecostes. De quo loco erudite disseruit cl. vir, Joh. Tarnovius, in Exercit. Bibl. Edit. I. pag. 114. Edit. 3. p. 379.

Ps. CXIX. 109. Anima mea in manibus meis] vide supra pag. 663. & 873.

Vers. 112. propter retributionem.] Ita vulg. ex Lxx. δι' ἀντάμειψιν. Hunc locum producit Cardinalis Bellarm. probandæ isti sententiæ, bona opera mercedem proprie dictam mereri, & ejus gratia debere quoque suscipi. Carthus. hic quærit, cum propter mercedem operari sit opus mercenarii, non filii aut amici, quomodo dicat David, se propter retributionem inclinasse cor suum, &c.. Sed observa, tiro, in Ebræo esse עֵקֶב / *inclinavi cor meum ad faciendum statuta tua in perpetuum,* עֵקֶב / Pagn. *usque in finem.* Arias, *calcem.* Eandem vocem vulgatus interpres hoc ipso Psal. vers. 33. reddidit, *semper*, Lxx. διαπαντός. Ubi tamen Pagn. (mirare lector) *propter mercedem*, Arias *mercede.* At illic (vers. 112.) probabiliorem istam versionem fecisset præcedens illud לְעוֹלָם / Confer & expende. Vox Ebræa proprie calcaneum significat. Cum vero calcaneus sit extremum corporis humani & quasi finis, nata est altera significatio, *finis autem*) Positum ergo עקב pro לְעֵקֶב / *in finem*, Chald. vers. 33. reddidit עַד גְּמִירָא ad consummationem scil. vitæ meæ. hic vero, עד סוֹפָא usque ad finem Lxx. εἰς τέλος. Kimchi, כָּל־יָמַי *omnibus diebus meis.* Cum ergo ista significatio optime hic quadret, atque adeo ipsi Interpreti vers. 33. probata, quid opus est ad alia hic delabi? Fateor equidem, עקב alibi ocurrere in significatione mercedis, sic dictæ b.) quod in fine operis persolvi soleat, Ps. 19. *in observatione eorum est* עקב *merces magna.* ἀνταπόδοσις, [quomodo & אַחֲרִית usurpatur Ierem, 29. 10. *ut dem vobis* אַחֲרִית וְתִקְוָה *mercedem & expectationem* id est expectatam mercedem & τέλος 1. Petri 1.9.) Sed ibi vox ea aliter exponi non poterat. Sed & admissa hoc loco notione eadem non sequitur quod ille pertendebat. Namque etiam gratuita & nullo officio provocata beneficentia καταχρηστικῶς merces & retributio in S. L. appellatur. Quod Luc. 6. 32. appellatur χάρις, Matth. v. 46. μισθὸς id est *merces* dicitur. Sic & גמל non semper significat retribuere bene vel male, sed & benefacere vel malefacere simpliciter. Prov. xi. *justus* גּוֹמֵל *retribuit* (id est benefacit, Lxx. ἀγαθὸν ποιεῖ) *anima sua* id est sibi. Genes. 50. 15. *& reddendo reddet nobis Joseph omne malum* אֲשֶׁר גָּמַלְנוּ אוֹתוֹ Lxx. ἃ ἐνεδειξάμεθα αὐτῷ, quomodo loquitur Apostolus 2. Tim. 4.

De justific. 4. 8.

Tim. 4. Ἀλέξανδρος ὁ χαλκεὺς ἐνεδείξατό μοι πολλὰ κακά, *ostendit mihi multa mala*, quod Ebræus diceret, הִרְאַנִי רָעוֹת רַבּוֹת Pſ 116. 7. *quia Dominus* גָּמַל עָלָיְכִי Lxx. ὅτι κύριος εὐεργέτησέ σε. Et Pſalm. 13. 6. *ᾄσω τῷ κυρίῳ τῷ εὐεργετήσαντί με*. Ubi rurſus Ebr. eſt גָּמַל / Pſ. CXIX. 17. גְּמוֹל עַל עַבְדְּךָ ubi licet Lxx. reddiderint ἀνταπόδος & vulg. *retribue ſervo tuo*, tamen ipſe Genebr. id explicat, *benefac*, *confer beneficium*. Verba ejus hæc ſunt; *Retribuendi verbum etiam de gratuitis uſurpatur, nec ſignificat ſolùm beneficium reddere, ſed etiam ultro & liberaliter tribuere & beneficiis prævenire.*

a.) Kimchi ad verſ. 33. Pſ. 119. poſtquam rejeciſſet interpretationem Aben-Ezræ, qui עקב ט' pro mercede acceperat, quod vid. eo eſſet כדרך שאמרו ר"ל על מנת לקבל פרס hoc eſt ſecundum viam ſeu cum modum de quo dixerunt * Doctores noſtri p. m. qui miniſtrant ea conditione, ut accipiant mercedem, hæc ſubjiciit לפי דעתי כי פירוש עקב סוף וכן לעולם עקב וכן והוא יגור עקב בסוף ולפי שהעקב בסוף הגוף אמרו לסוף הדבר עקב id eſt *mea ſic fert ſententia*, τὸ עקב *exponendum per* סוף *finis*, *& ſic* לעולם עקב (verſ. 112.) & והוא יגור (Gen 49.) *Quia vid. calcaneus eſt in extremo & fine corporis, ideo finem ſeu extremitatem rei* עקב *dixere.*

* Aboth cap. primo, dictū Antigoni. Ne eſtote ſicut ſervi qui miniſtrant principi ea conditione, ut præmium ab eo accipiant. Sed eſtote, ſicut qui miniſtrāt hac conditione ne accipiant præmium & ſit timor Dei ſuper vos.

b.). Ibid paulo poſt, וגם השכר נקרא עקב בעבור שהשכר סוף המעשה. *i. etiam merces vocatur* עקב *quia merces eſt finis operis.* Adi & comment. ejus ad Pſ. XIX.

Verſ. 173. Vide humilitatem meam,] Ita vulgatus ex Lxx. ἰδὲ τὴν ταπείνωσίν μου. Thod. Ambroſ. Auguſt. hæc de virtute illa interpretantur, quæ ſuperbiæ opponitur. At Ebr. עָנְיִי nequaquam illam expoſitionem admittit. Ideo Bellar. Genebr. vocem eam per afflictionem & tribulationem expoſuere.

Pſ. CXXVII. 4. filii excuſſorum.] Ex Lxx. υἱοὶ ἐκτετιναγμένων. Adſcribam eruditiſſimi Hieronymi cenſuram, qui Epiſt. 126. ad Marcellam ſcribens ita infit. Illud quoque de eodem Pſalmo interrogare dignata es, qui ſint, *filii excuſſorum*. Miror te in Hilarii expoſitione non legiſſe, Excuſſorum filios credentium populos interpretari, quod ſc. apoſtolos putaverit eo nomine appellatos, quibus in Euangeliis ſit præceptum in quamcunque civitatem introierint, & non fuerint recepti, excutere pulverem

verem pedum ſuorum, in teſtimonium non credentium. Li-
cet tu argute præcaveris, non poſſe appoſtolos ſub nomine
excuſſorum intelligi, cum ſit aliud *excutientium*, aliud *excuſſo-*
rum. Quia excutientes ſunt qui excutiant, excuſſi vero qui ab
aliis excutiantur. Et incongruum eſſe excuſſos apoſtolos accipi,
qui magis excutientes debuerint appellari. Hæc Hieron. ad quæ
fortaſſis aliquis Hilarii favitor reſponderet, illum τὸ *excuſſorum*
accepiſſe non à recto *excuſſus* ſed *excuſſor* deflexum. At inane
eſſe hoc ſubterfugium ille intelligit, qui Græcum ἐκτετιναγμένων
conſiderabit. Pergit Hieron. Quid igitur faciam? tantum vi-
rum & temporibus ſuis diſertiſſimum reprehendere non audeo,
qui & confeſſionis ſuæ merito, vitæ induſtria, & eloquentiæ
claritate, ubicunque Romanum nomen eſt, prædicatur; niſi
quod non ejus culpæ adſcribendum eſt, quod Ebræi ſermonis
ignarus fuit. Græcarum quoque literarum quandam aurulam
ceperat; ſed ab Heliodoro presbytero, quo ille familiariter uſus
eſt, ea quæ intelligere non poterat, quomodo ab Origene dicta
eſſent, quærebat. Qui quia in hoc Pſalmo commentarium Ori-
genis invenire non potuit, opinionem magis inſinuare ſuam,
quam inſcitiam voluit confiteri, quam ille ſumptam claro ſermone
diſſeruit & alienum errorem diſertius executus eſt. Reſtat igitur ut
rurſus ad fontem ſermonis Ebræi recurramus & videamus, quomo-
do ſcriptum ſit. Ubi nos habemus, *ſicut filii excuſſorum*, ibi legitur,
כֵּן בְּנֵי הַנְּעוּרִים/ quod Aquila, interpretatus eſt, *ſicut filii pubertatum*
Symm. & Theod. *ſicut filii juventutis*. Sexta, ἠκονηθέντος νοῦ, quod nos
dicere poſſumus, *exacuti ſenſus*, &c. Hæc Hieronymus. Au-
guſt. quoque admodum hic laborat. I. Filii excuſſorum ip-
ſi ſunt filii apoſtolorum, (apoſtoli) excuſſi ſunt de manu Dei,
tanquam ſagittæ, & iverunt longe & totam terram impleverunt.
II. Filii excuſſorum id eſt apoſtolorum, qui ſic dicti ſint ob præ-
ceptum de excutiendo pulvere, &c. ut Hilarius. ad objectionem
Hieronymi, tunc potius *excutientes* dicendos fuiſſe, commo-
tius reſpondet, *Qui excutit, aut ſe excutit aut aliquid aliud. Si aliquid*
aliud excutiens eſt, non excuſſus. Si autem ſe excutiat, & excutiens eſt &
excuſſus. — excutiens, quia excutit ſe; excuſſus, quia excutitur à ſe.
Queritur ergo quos excuſſerint Apoſtoli? Vtique ſe ipſos. à pedibus enim ſuis
pulverem excuſſerunt. Sed ait aliquis, non ſe excuſſerunt, ſed pulve-
rem. Hoc plane calumnioſe dicitur. Duobus enim modis dicimus ali-

quid

quid excuti sive illud quod inde excutitur: sive illud unde excutitur. Nam & excussus est pulvis, dicimus, & excussa est vestis. Quare ergo non dicantur filii excussorum filii apostolorum? Et paulo post aliam expositionem proferens, *Dicimus excuti etiam aliquid, ut exeat inde quod absconditum est. Aliter dicimus, excuti vestem, ut excutiant pulverem. Aliter saccum, ut illud, quod intus latebat, appareat & exeat. Ergo intelligo, quantum possum, filios excussorum, fortasse ipsos apostolos dictos filios prophetarum. Prophetæ enim clausa sacramenta & operta continebant, excussi sunt, ut inde manifestata procederent.* Et col. 1485. *Excussi sunt prophetæ & generati sunt apostoli. Quia ergo, excussis prophetis, generati sunt Apostoli, filii sunt excussorum.* De hac autem expositione confidentius sentit col. 1487. *visum est nobis, suggerente, quantum credimus, Domino, filios excussorum Apostolos esse, dictos, filios prophetarum. Quia prophetæ in ænigmatibus locuti sunt & figuris rerum, tanquam mysteriorum involucris, coöperuerunt intellectum, qui intellectus prodire non potuit ad homines, nisi involucra illa excuterentur. Unde dicti illi filii excussorum, qui de prophetis excussis profecerunt.* Prolixior fui in citandis Augustini verbis, ut de mente ejus lectori plenius constaret. Omnia illa in fumum abeunt, si textus primigenii facem admoveas. Euthymius per filios excussorum, intelligit filios spirituales fidelium doctorum filios, qui à dæmonum captivitate excussi sunt. Sa, *filii excussorum id est excussi, expediti, scilicet validi*, atque ita conciliat cum Ebræo, & versione Hieronymi, *juventutis id est juvenes.* Bellarm. per fil. excussorum intelligit prophetarum & apostolorum, qui tanquam quisquiliæ & rejectamenta, è mundo ejecti & expulsi sunt. Genebr. per fil. excussorum simpliciter intelligit filios piorum vexatorum. Quod autem subjungit refutandæ nostrorum expositioni (filii juventutis id est in juventute procreati, non ætate exita, quales בְּנֵי זְקֻנִים filii senectutis vocantur Genes. 37. 3.) *vocem* נעורים *non juventum sed pueritiam denotare, quæ ætas nondum ad procreationem matura est*, miror hoc tanto viro potuisse excidere. Ergo, ipso judice, vulgatus interpres Genes. 8. 21. τὸ מִנְּעֻרָיו male vertit, *ab adolescentia ejus.* Vide supra pag. 402. & Pro. v. 18. *lætare de uxore* נְעוּרֶיךָ *adolescentiæ tuæ* & Joel. 1. 8. *propter maritum* נְעוּרֶיהָ *pubertatis suæ*, & Malach. 2. 14. *inter uxorem* נְעוּרֶיךָ *pubertatis tuæ.* Quomodo in his locis pueritiam, ætatem procreationi immaturam, signi-

significabit? נְעוּרִים ad universam ætatem crescentem se porrigit, & secundum subjectam materiam exponendum est. Vide Drus. observ. 7. 17. ubi illud citatur ex Midras Misle, ad cap. 1. *Ad quotum annum homo dicitur* נַעַר*? Meir dicit, ad annum 25. Aquiba ad annum 30. Rabbi ait, ad annum 20. duntaxat.*

Ps. CXXVIII. 2. labores fructuum tuorum,] Vide supra p. 867. Hieronymus ad hunc quoque locum Hilarium perstringit, quem ait, *spiritualem intelligentiam venaturum, longam ingredi disputationem & tanta uti operatione persuadendi, quod volebat intelligi, quanta semper falsitas indiget, ut vera videatur.*

Ps. CXXXIII. 3. sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.] Ita LXX. & vulg. Quomodo ros montis Hermon, qui longe distat à Sion, descendat in montem Sion, variis modis exponunt interpretes. Non lubet huc multa transcribere. observa ἀσύνδετον, & omnia erunt plana. *Sicut ros Hermon [&] qui descendit in montem Sion.* vel plenius, *& sicut ros qui descendit in montem Sion.*

Ps. CXXXIX. 2. *Vulg.* tu cognovisti sessionem & resurrectionem meam.] August. & Hilarius hunc Psalmum de Christo exponunt. Vnde de resurrectione ejus ex mortuis hunc locum interpretati sunt. Magister sententiarum lib. 1. dist. 48. hunc quoque locum adducit probandæ isti thesi, aliàs verissimæ, bonam Dei voluntatem mala hominum voluntate aliquando impleri. Cl. Theologus W. Franzius, non concoquit quomodo hic textus qui generalissimus est & de providentia Dei agit, in paschate magno spiritu & quadrato tactu canatur pro textu plane specifico. Nihil enim in specie de resurrectione Christi dicitur. Per sessionem & resurrectionem (Ebr. קוּמִי surgere meum) ajunt Sa. & Genebr. intelligi omnes actiones. vers. 3. Ubi Ebræa habent, *semitam meam & accubitum meum* (רִבְעִי) *circumplecteris.* Vulg. reddidit, *s. m. & * funiculum meum.* Quam vocem multi expositionum variarum funiculi vexarunt. Qui commodissime exponunt, de limite, fine & meta ad quam perventurus esset, capiunt. Aug. *limitem* reddit. Genebr. conjectat LXX. initio scripsisse κοῖτον, cubile: aut funiculum pro vita accipiendum, ut apud Latinos *filum*, quod parcæ dicuntur nere & postea præscindere. Sed quid hoc ad Ebræum רִבְעִי quod ipse quoque *Hieron. & Pagn. & Arias* accubitum reddunt. Hoc vult, inquit Sa, sive ambulem, sive accumbam. Nec refragantur Genebr. & Bellarm.

Libro de Interp. Scripturæ, pag. 829.

Vide & Thomam parte, 3. quæ 49. a. 6.

* Lovan. *mijn seelken.* Ex LXX. σχοινόν μου.

larm. verſ. 4. *Cum nullus eſt ſermo in lingua mea, en* O DOMINE *noſti ipſum totum.* q d. cum nondum eſt ſermo, tu noſti quid dicturus ſim. Vel, etiam cum taceo, tu omnia noſti. Elegantem ſententiam defloravit Interpres Græcus, qui membra illa diſcerpſit, — *quia non eſt ſermo in lingua mea. Ecce Domine tu cognoviſti, &c.* Acceſſit imperita manus, quæ τὸ λόγος in δόλος demutavit, quomodo & Auguſt. legit, *non eſt dolus in lingua mea.* Ubi rurſus ſudatur. verſ. 6. פְּלִיאָה דַעַת מִמֶּנִּי / *mirabilis eſt ſcientiâ* (hæc vid. ſcientia tua qua omnia noſti) *præ me.* magis mirabilis quam ut eam poſſim aſſequi. Hæc eſt ipſiſſima Prophetæ mens. Nam in verſu præcedenti de formatione corporis humani non agitur, ut de iſtius ſcientia locus hic intelligi non poſſit. Et, ubi in vulg eſt, *tu formaſti me*, Ebræus codex habet, צַרְתָּנִי quod reddi poteſt, *obſediſti me*, ſequitur, *poſuiſti ſuper me manum tuam.* Hoc vult, tu undequaque me quaſi circumtenes, ſicuti verſibus ſeq. explicatur. Vulgatus, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Bellarm. Sa, & alii agnoſcunt, *ex me* poſitum, pro, *præ me.* Ruunt ergo iſtæ interpretationes, quas invenies apud Carthuſ. : Alphonſum de Caſtro, titulo *anima*, in initio, & alios. Verſ. 15. בְּתַחְתִּיּוֹת הָאָרֶץ *in inferioribus terræ*, i. in utero matris meæ. Atque ita exponunt nonnulli locum Epheſ. IV. 9. Ubi Chriſtus diſcendiſſe dicitur εἰς κατώτερα μέρη τῆς γῆς. Non dicit τοῦ κόσμου, ſed γῆς. ut plane videantur hæc loca invicem illuſtrare. ut non opus ſit limbum fabricari. Verſ. 17. וְלִי מַה־יָּקְרוּ רֵעֶיךָ אֵל מֶה עָצְמוּ רָאשֵׁיהֶם׃ אֶסְפְּרֵם מֵחוֹל יִרְבּוּן/ Ad verbum, *Et mihi quam pretioſæ ſunt cogitationes tuæ! quàm invaluerunt*, (numero. Vide ſupra p. 770.) capita (ſummæ, κεφάλαια) *earum* [*Si*] *velim numerare eas, præ arena multiplicabuntur.* vel, *numerarem eas*, [*ſed*] *arena plures ſunt.* Hæc eſt ipſiſſima Pſalmographi mens quam & Pagn. & Arias expreſsêre. Lxx. ab ea toto ferre cœlo aberrarunt, ἐμοὶ δὲ λίαν ἐτιμήθησαν οἱ φίλοι σου, ὁ θεός. λίαν ἐκραταιώθησαν αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν. Ἐξαριθμήσομαι αὐτοὺς, καὶ ὑπὲρ ἄμμον πληθυνθήσονται. Quæ vulg. ſic convertit, *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur.* Diverſitas oritur potiſſimum ex duabus iſtis vocibus רֵעֶיךָ & רָאשֵׁיהֶם / Priorem vocem eo audentius noſtri per *cogitationes* reddidere, quia hoc eodem Pſ. verſ. 2. eandem vocem

vocem Lxx. διαλογισμοὺς, Vulg. *cogitationes* reddidit. Alteram illam pro κεφαλαίῳ sæpe in Bibliis occurrere, quis tam impudens, ut negare ausit. Hinc alius interpres Græcus verba illa sic interpretatus est, τί παμπληθεῖς αἱ κεφαλαὶ αὐτῶν; hoc est, *quam multa sunt capita eorum*? Ubi ראש principem significet vel præstantissimum quid in re aliqua, loca novi plurima. At ubi *principatum* significet, non invenio ullum. Ex hoc tamen loco, Costerus in Enchirid. cap. 12. Eckius in Ench. cap. 15. Alfonsus à Castro libro contra hæreses, probant, Sanctos in cœlo colendos. Cotonus ex eodem probat. mundum hunc ab illis administrari. Verùm si hic de religiosa adoratione sanctorum defunctorum ageretur, quæ esset cum præcedentibus cohærentia? In illis enim infinitam Dei providentiam laudare voluit quæ in eo potissimum elucet, quod nihil tam sit absconditum, quod ille non perfectissime rimetur. Adhæc quomodo probabunt יקר esse *honorificari*, & hoc rursus esse, religiose coli? Quomodo probabunt per amicos intelligendos esse sanctos defunctos? Nam vivos religiose colendos esse, non asserent opinor illi. Et defunctos suo modo colendos esse, non negamus nos. Porro, cum Bellarm. lib. 1. de beatit. Sanctorum cap. 19. diserte pronuntiet, *Sanctos in Vet. T. non intrasse cœlum, nec Deum vidisse, nec cognoscere potuisse ordinarie preces supplicantium, ac proinde non fuisse consuetum in V. Test. ut diceretur, Sancte Abraham ora pro me, &c. sed homines istius temporis solum orasse Deum & allegasse merita Sanctorum*, quomodo, salvâ illa doctissimi Cardinalis sententiâ, ex his & id genus aliis Scripturæ locis, sanctorum in V. T. invocationem probare possunt Pontificii? Quod autem Bellarm. hic ait, allegata fuisse merita Sanctorum, ut illis orationes vivorum juvarentur, frustra probat ex ejusmodi locis, ex. gr. Ex. 32. *recordare, Domine, Abrahami, Isaaci & Israëlis servi tui.* Namque in talibus nullum à defunctorum meritis imploratur auxilium, sed solum memoratur pactum, quod Deus cum patribus de protegendis eorum posteris pepigerat. Sed replicat Bellarm. illam responsionem Calvini non satisface- Locus Psal. cxxxII. I. examinatur. re, pactum & merita sæpe conjungi. ex. gr. Psal. 132. (ipsi 131.) *Memento Davidis & omnis mansuetudinis ejus.* Ubi rursus impingit disputator. Neque etiam ipse ignorare potuit, in Ebræo esse עֲנוֹתוֹ quæ vox non *mansuetudinem ejus*, sed, *affligi ejus* significat.

ficat. In commentario, postquam dixisset Salomonem his verbis Deum orare per merita patris sui David, postea subjicit, B. Hieronymum ex Ebræo vertisse, omnis afflictionis ejus. Sed vox ea, inquit, aliis punctis legi potest עינותו mansuetudinis. Ergo indifferens, ipso fatente, ad utramque lectionem vox Ebræa est, quando punctis caret. An ergo ex talibus locis firma nectuntur argumenta? Sed plures opponam Bellarmino interpretes, qui tunc quoque cum puncta nondum adscripta erant, ita legerunt, ut Hieron. & hodierni codices. Ecce n. Chald. reddit סגופה / *afflictionis ejus.* Aquila, κακουχίας Symm. κακώσεως, v. Editio ταπεινώσεως. Sed redeamus ad locum Psalm. 139.

Cham. T. 2. pag. 779. Diximus Cotonum ex istis verbis, *nimis confortatus est principatus eorum*, probasse, sanctos defunctos administrare hunc mundum, atque inde porro illud intulisse, adorandos esse. An ergo omnes, quorum ministerio Deus O. M. mundum administrat, adorandi? An probatum, per amicos hic defunctos intelligi? An probata ista versio? Et hoc opinor fulcrum est istorum principatuum, quos inter Sanctos distribuit Romana Ecclesia, ut Eligius præsit fabris: Blasius, carminatoribus: Lucia, sartoribus: Josephus, fabris lignariis: Nicolaus, navigantibus: Rochus, peste afflictis: Antonius porcis, &c. Nunc illud restat, ut aberrantes aliquot aliorum, meliores tamen eâ quam hactenus examinavimus, hujus loci expositiones proferamus. Primo itaque hic occurrit Theod. qui priora verba explicat de honore, quo Rex Iosias (putat enim sub ejus persona scriptum esse hunc Psalmum) sacerdotes prosecutus est. Pro istis vero, *confortatus est principatus eorum*, legit ex Theodot. *corroborati sunt* οἱ πένητες αὐτῶν, & explicat de restitutione sacerdotum, qui sub ejus decessoribus pauperrimam vitam agitaverant. Euthym. per amicos Dei intelligit, quicunque per virtutem, familiaritatem & benevolentiam ejus adipiscuntur. Illa vero, *valde prævaluerunt principatus eorum*, dicit ab alio interprete ita fuisse reddita, *valde præval. capita eorum.* i. ipsi amici Dei, fortes facti sunt virtute Dei. Lyra interpretatur locum de angelis, qui per ordines trium hierarchiarum distincti sunt. *Hierarchia vero*, inquit, *est idem quod sacer principatus. Et quia istæ tres hierarchiæ, & tres ordines in singulis hierarchiis immobiliter stabiliuntur, ideo convenienter dicitur, nimis confortatus est principatus eorum. Et quia angeli sunt in maximo*

mo numero, ideo subditur, Dinumerabo eos, &c. Bellarmini hæc sententia est, Prophetam considerantem, ex quanta abysso imperfectionis Deus perducat amicos suos ad eminentissimam perfectionem, erumpere in exclamationem seu admirationem, *Mihi.* i. apud me, meo judicio, *nimis honorificati sunt amici tui.* i. valde omnino, *valde omnino confortatus* stabilitus *est principatus eorum.* Nam educti ex massa perditionis & diabolica captivitate transferuntur ad regnum æternum, facti angelis æquales, Subjicit autem ista; *Non desunt qui illud*, mihi, *interpretentur, à me, ut sensus sit, à Davide honoratos semper amicos Dei fuisse. Sed prior expositio est communior & verior, & melius cohæret cum verbis sequentibus*, nimis confortatus est principatus eorum. *Qui enim honorificavit amicos Dei, ille idem confortavit principatum eorum. Deus autem non David confortavit, principatum eorum.* Dinumerabo eos. *i. conabor enumerare vel amicos Dei, qui principatu fruentur, vel subditos eorum, &c.* Carthus. qui Psalmum de Christo exponit, *Mihi. i. ad honorem meum, nimis honorificati sunt amici tui O Deus Pater, i. apostoli & apostolici viri, qui omnia relinquentes mea sunt assecuti vestigia. Et nimis conf. est princ. eorum. Constituti enim sunt principes super omnem terram prævalueruntque mundo, carni & Diabolo.*

Ps. CL. 1. Laudate Dominum בְּקָדְשׁוֹ] ad verbum, *in sanctitate*, vel *sanctuario ejus.* קֹדֶשׁ non solum *sanctitatem*, sed & sanctuarium aliquando significat. Ps. xx. 3. *Mittat auxilium tibi* מִקֹּדֶשׁ *è sanctuario suo.* Qui de sanctuario capiunt, vel templum, ut sacerdotes & Israelitas alloquatur; vel cœlum, ut ad angelos & beatas animas sermonem dirigat, interpretantur. Qui sanctitatem hic loci intelligunt, ב exponunt *propter, laudate DOMINUM ob sanctitatem ejus*, vel cum Junio, *de sanctitate ejus.* Ut vers. 2. *laudate eum* בִּגְבוּרֹתָיו *de* vel *propter potentias ejus.* Res ergo in originali plana est. Lxx. ἐν ἁγίοις αὐτοῦ, Benè, si benè capias. Namque & in epistola ad Ebræos non semel τὰ ἁγία de sanctuario dicitur. ex gr. cap. IX. 2. 3. 12. Erit ergo illud ἁγίοις ex recto plurali τὰ ἁγία. Author Latinæ vulgatæ, *in sanctis ejus.* Utrum ex mente Interpretis, non ausim affirmare. Illud fidentius, posse commode intelligi, si vid. deflectatur à recto plurali, *sancta*, non *sancti.* vel ut sit ellipsis substantivi, *locis.* Hoc non ignoravit Lyra, quandò asserit, intelligi sancta, primam templi

partem, in qua verſabantur quotidie ſacerdotes. Agnovit Genebrardus, cujus hoc ſcholion eſt, *in ſanctis ejus*] *neutro genere. Hinc Ebr. in ſancto vel ſanctuario ejus. Eſt enim Apoſtrophe ad cœlites, per Eclepſin, O vos qui eſtis in locis ejus ſanctis id eſt in cœlo angelico & animarum.* Eadem eſt expoſitio Bellarmini, nec non Emmanuelis Sa. Patres fere omnes acceperunt de ſanctis hominibus. Nullus tamen, quodego ſciam, de ſanctorum invocatione hic quippiam ſomniavit. Ut vel ſupra modum ſtupidos eos eſſe oporteat, qui hunc locum eo trahunt, neque hunc ſolum,
Pſal. LXVIII. verſ. ult. ſed & illum Pſ. LXVIII. verſ. ult. *Mirabilis eſt Deus in ſanctis ſuis,* ubi rurſus in Ebræo eſt מִמִּקְדָּשֶׁיךָ / *è ſanctuariis tuis*, ubi rurſus Genebr. agnoſcit illud *ſanctis* neutro genere poſitum. Certe utrobique res in Ebræo planiſſima eſt. Eo magis miror ſeu potius indignor, in Lovanienſium Editione Belg. loca iſta ſic converſa, *God is wonderlyck in ſyne heyligen*, &, *Looſt God in ſyne heyligen*, Nota, *heyligen*, non, *heylige*, ne fortaſſis de locis intelligeret lector. Putarunt ſua intereſſe, ut hæc loca de ſanctis angelis vel hominibus intelligerentur. Sed conceſſo, de ſanctis defunctis gemino hoc loco agi, nihil tamen inde pro ſanctorum invocatione extundi poſſe, hæ Patrum expoſitiones docebunt. Auguſtinus, *laudate Dominum in ſanctis ejus.*] *Vtique in eis quos glorificavit.* Theod. *Si à plantis & feris & reptilibus in gratiarum actionem anſam arripere juſſi ſumus, quanto magis juſtum eſt in ſanctos inſpicere & horum celebrare Deum? Quis enim non linguam impelleret ad hymnos canendos ei, qui tantam bonorum copiam hominibus largitus eſt.* Euthym. *Laudate D. in ſanctis ejus, hoc eſt, propter ſanctos ejus, quod ſcil. hujuſmodi converſationem virtute præditam, Deus in hanc vitam introduxit, quæ angelos ex hominibus eos eſſe effecit.* Arnobius, *Laudamus Dominum in ſanctis ejus, quando eorum imitamur exempla, ſequimur monita, regulam obtinemus*, &c.

Fecimus aliquando in ſuperioribus mentionem Pſalterii Romani & Gallicani. Meminimus & verſionis Hieronymi. quam ex Ebræo traductam & à vulgata Latina, quæ in Bibliis vulgatis extat, tantum ſæpe diſcrepantem,

— ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης,

invenies in operibus Hieronymi. Hæc ut intelligat, tiro, ſciendum, verſionem illam, quæ hodie in Bibliis vulgatis extat,

non

non ex Ebræo, ut cæteri plerique libri, sed ex veteri illa quam Italam vocant, quæ ex Græca ꝑ Lxx. transumpta erat, (de qua supra pagina 10. & pag. 63.) derivatam esse, in multis mendosam & non unius imperiti manu vitiatam. Psalterium quod *Romanum* vocant, est quidem eadem illa Editio Latina, tunc temporis vulgata, sed quam Hieronymus, jussu Damasi, emaculavit, secutus & in hoc Græcam ꝑ ὁ versionem. Ea cum Damasi jussu in Ecclesia Romana legi cantarique cœpisset, *Romani Psalterii* nomen obtinuit. Verum cum hæc emendatio rursus depravata esset vitio scriptorum, apud quos plus antiquæ translationis error, quam novæ correctionis fides valebat, Hieronymus hortatu Paulæ & Eustochii secundam Editionem ex Græca versione adornavit, in qua appositis obelis ea jugulavit, quæ apud Lxx. erant superflua: & insertis asteriscis notavit, quæ ipse ex Ebræa veritate addiderit. Quod opus cum Damasus in Ecclesiis Gallicanis cani concessisset, *Gallicanum Psalterium* nominari cœpit. Tertiam editionem ex Ebræo adornavit, flagitante Sophronio.


PROVERBIA.

CAp. VI. 31. — deprehensus reddet septuplum.] Ita vulgatus. Inter alias constitutiones variorum Regnorum & provinciarum, divinæ & immutabili divini numinis legi oppositas, & istæ sunt, queîs fures laqueo, adulteri mulcta pecuniaria luunt. Qui eas defensant, aut, cum antiquare possent, nihilo tamen minus tolerant, viderint quid supremo isti legis-latori in decretorio isto die responsuri sint. Me quod attinet, dicam illud Jacobi, *In arcanum eorum ne ingreditor anima mea & in cœtum istorum* judicum *ne adunator gloria mea.* Sed audio, crescentibus delictis pœnas exasperandas esse. Cur ergo, delictis decrescentibus pœnas non mitigant iidem censores? Cur pœnam homicidii capitalem, iis in locis ubi rariores cædes, non convertunt in pecuniariam? Sed hæc Junius, Piscator, Franzius & alii ventilarunt. Nos verbum addemus ad hunc locum. Furtum lege Mosis pro circumstantiarum varietate, restitutione dupli vel Gen. 49, 6.

qua-

quadrupli expiabatur. Sed & quintupli. Neque ulterius eunt Moſaïcæ leges, quamdiu furi ſuppetit, unde reſtituat. Si enim nihil habet, vendebatur. Cum vero hic dicat Salomon, *ſeptuplum reddet*, colligunt, ejus ſæculo pœnam furti exaſperatam fuiſſe: ac proinde, ut loquitur Thomas prima ſecundæ, ad præcepta judicialia potuiſſe à regibus additionem fieri ſecundum exigentiam temporis. Quamvis vero longe diverſa ſint, pœnam aliquam non capitalem aggravare; &, pœnam non capitalem convertere in capitalem, tamen ne illa quidem poteſtas ex hoc loco ſtabiliri poteſt. Id quod jam jam apparebit. Adhæc, ſi judiciale diſtinguas à morali & ceræmoniali, negatur diſerte, leges illas, quæ tranſgreſſoribus moralium legum pœnas decernunt, judiciales eſſe. quales ſunt præter leges de pœna furti, leges de adultero & filio rebelli Deut. 21. & id genus aliæ. Valebitque & hic illud Juriſconſultorum, *Acceſſorium ſequi ſuum principale*. Sed veniamus ad locum Salomonis. Illic eſt vox שִׁבְעָתַיִם / quæ pro ratione loci reddi poteſt vel *ſeptuplum*, *ſeptempliciter*, vel *ſepties*. Sunt qui cum vulg. vocem *ſeptuplum* retinentes, eam ſic explicant, *reddet plenarie*. ut Pſalmo 79. *redde vicinis noſtris ſeptuplum*, ut numerus determinatus pro indeterminato ponatur. Piſc. *ſeptuplum, id eſt multiplum*. vid. vel duplum vel quadruplum vel quintuplum pro ratione circumſtantiarum. Sed an numerus ſeptenarius pro numero, qui infra ipſum eſt, accipitur? Hoc primo oſtendendum erat. Pro *ſepties* uſurpatur Pſal. XII. 7. *ut argentum defœcatum* שבעתים *ſepties* ubi vulg. quidem habet, *ſeptuplum*; at à Genebr. Sa & aliis exponitur, *ſepties*, id eſt, ſæpius. Sed & idem Sa hoc ipſo loco ſeptuplum exponit, *multo plus*. Hanc interpretationem firmant ea quæ ſequuntur, *omnem ſubſtantiam domus ſuæ dabit*. Salomonis ſcopus iſte eſt, ut adulterium inviſum reddat adoleſcenti, propoſito præſentiſſimo periculo, in quod ſe præcipitem dat. Hoc illuſtrat & amplificat comparando pœnas adulterii & furti, conferendo item ipſa illa delicta inter ſe. Fur inquit, non tam inviſus eſt quam adulter, præſertim ſi ex neceſſitate furetur, nec etiam, licet extra illum caſum, tanto afficitur ſupplicio. Furto enim coërcendo non alia deſtinata pœna eſt, quam reſtitutio dupli vel quadrupli vel quintupli pro ratione circumſtantiarum, ne tum quidem, cum ſæpius idem delictum iterat. Furatur

ſepties? reddit ſepties. Uſque dum univerſam domus ſuæ ſubſtantiam exhauriat. vel ut Iun. ex qualibet ſubſtantia domus ſuæ reddat. vel, ſi legi ſatisfacere non poteſt, reddat omnia quæ habet, aut ſi nihil habet, in ſervitutem aſſeratur. Vitam ei nec dominus rei ablatæ, nec judices ex lege divina poſſunt adimere. At in mœcho aliter ſe habent omnia. Si vel ſemel deprehendatur, & privato & publico jure de ejus honore & vita actum eſt. *Nam zelotypiæ ineſt æſtus viri, ideo non utitur clementia die ultionis. Non acceptabit faciem ullius redemptionis, neque acquieſcet, quamvis multa adhibeas munera.* Ex hac antitheſi liquido apparet mens Salomonis.



Ad celebrem illum locum Proverb. VIII. 22.

κύριος ἔκτισέ με,

COMMENTATIUNCULA.

In qua illud quoque ostenditur, Cl. & celeberrimum virum,

D. IOH. DRVSIVM

p. m. Arianæ impietati non favisse.

A D

Clarissimum & eximium virum,

M. JOHANNEM HACHTINGIUM,
Logices Profess. Ord. Collegam meum conjunctissimum.

NOn ignoras, amicorum coryphae, unde nata olim fuerit suspicio, qua beatæ memoriæ vir, Ioh. Drusius, præceptor noster communis, præter omne meritum gravabatur. Non exigui aut minutuli alicujus erroris, sed Arianæ impietatis fautor audiebat, & per ora virum juvenumque traducebatur. Doluimus & ingemuimus, quoties ista aures nostras pulsarent. Doluerunt magni viri, qui Drusium ex Drusio id est, ex scriptis & sermonibus ejus aliter noverant. Inter eos fuit beatæ recordationis vir, D. Ausonius Aysma, *Ordinum Frisiæ Secretarius, dum vixit, fidelissimus. Is cum super hac re mecum aliquando sermocinaretur, rogabat, ut brevi quadam apologia præceptori meo maculam istam abstergerem & citra cujusquam mortalis insectationem beati senis memoriam emacularem. Parui magno viro & hanc, quam nunc publice repræsento, commentatiunculam exaravi. Vt autem eam publici*

juris

juris facerem, impetrare à me mortalium nullus potuit. Neque etiam jam exire passus fuissem, nisi subinde intelligerem, eandem illam suspicionem ineptis & indoctis quibusdam hominibus etiamnum hærere. Cum insuper operis mei, in quo jam versor, institutum tale sit, ut undequaque in illud convectem, quicquid uspiam ad celebriorum locorum interpretationem ex linguarum ignorantia peccarunt Interpretes, non existimavi me capital admissurum, si hoc loco commentatiunculam illam meam exhiberem. Eam tibi inscribo, Clarissime Vir. Tu de hac materia judicare potes accuratissime. Tu magni istius viri memoriam cum benevolentia colis. Tu is es, cui merito multum defero. Privatam amicitiam omitto. Tu publice de Academia nostra benè meritus es & mereris quotidie. Labore & indefessa industria cedis nulli. In tuenda disciplina, quam vitio temporum propemodum collapsam, superioribus annis juxta cum panculis aliis ex collegio nostro mascule restitueras, ante biennium, cum Rev. & celeberrimo Theologo, D. SIBRANDO LUBBERTO, *magno isti disciplinæ vindici, in rectoratu successor datus esses, ita te gessisti, ut te pro salute publica, offensionum impavidum tota Academia agnoverit. Plura non addam, ne aliis adulari videor. Tu nosti ingenium meum, simplex, candidum, apertum. Sed hoc elogium intrepido isti animo tuo debebam. Vale Clarissime Vir & diurna.*

PROV. VIII. 22. Dominus possedit me, &c.] Locus iste immane quantum ab Arianis & Patribus orthodoxis vexatus est. Occasionem disputationi præbuit indiligentia interpretum LXX. circa hunc potissimum versum. Conferamus.

Ebr.

יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ קֶדֶם מִפְעָלָיו מֵאָז DOMINVS *possedit me initio viæ suæ, ante opera sua, ante tunc.*

Lxx.

Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. *Dominus creavit me initium viarum suarum ad opera sua.*

Hic quædam notanda sunt. I. Illud קָנָנִי quod proprie est, ἐκτήσατό με, reddiderunt sine ulla necessitate ἔκτισέ με. Atque hinc illæ lacrymæ. II. τὸ רֵאשִׁית reddiderunt ἀρχὴν, tanquam per appositionem additum ad illud *me.* III. קֶדֶם quod significat *ante*, reddiderunt per εἰς. IV. Vocem ultimam מֵאָז tanquam si non extitisset, insuper habuere. Locus prout in Ebræo legitur, non tantum Arianæ hæresi non patrocinatur, sed & efficacissimum argumentum pro Deitate Christi continet. Quis enim hic loquitur? *Sapientia*, חָכְמָה/ æterna illa Patris sapientia, quæ Prov. I. 20. & IX. I. honoris causa vocatur חָכְמוֹת *sapientiæ*, ut solent Ebræi res, quas amplificare & extollere volunt, πληθυντικῶς efferre. quamvis alii malint per ellipsin exprimere, quasi integrum esset, חָכְמַת חָכְמוֹת *sapientia sapientiarum.* Nam & hic modus αὐξήσεως non minus Ebræis usitatus est. Quocunque modo sumas, recte expressa ea vox à Junio est, *summa sapientia.* Quid de se loquitur? DOMINUS, Pater *possidebat me*, jam genuerat me, jam pepererat me. Gignere enim & parere in hoc mysterio sæpe alternant. Quando? *initio viæ suæ.* initio operum suorum. Ἐν ἀρχῇ ἦν, in principio creationis jam eram. Et ne ullus scrupulus superesset, addit, *ante opera sua, ante tunc* id est, ante ullum tempus. Vers. 23. *ante seculum, ante principium, ante primordia terræ.* & 24. *cum nullæ essent abyssi, nulli fontes, cum nondum esset terra, montes, &c.* Hæc enim in toto hoc contextu sunt synonyma, מ & קֶדֶם & לִפְנֵי *ante*, בְּאֵין & בְּטֶרֶם *nondum.* τὸ *Mem* ipsi quoque Lxx. Ps. cx. in voce משחר (quam illi מִשַּׁחַר legebant) per *ante* reddiderant, πρὸ ἑωσφόρου, *ante Luciferum.* Eodem modo sumitur Mich. v. ubi de æterna Filii Dei generatione agens, sic inquit vates, וּמוֹצָאֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם *& egressiones ejus ante principium, ante dies seculi.* Confer. Ps. 90. 2. & 93. 2. Ies. 43. 13. יָצָא egredi, aliquando est nasci, Genes. XVII. 6. & XXV. 26. Ies.

Ies. XI. 1. Utitur autem rursus voce pluralis numeri, non ad denotandam duplicem nativitatem Christi (illud enim quod hic prædicatur, non nisi divinæ generationi accommodaveris, sed ad auxesin & excellentiam) Eadem significatione occurrit & N. T. particula ἀπό. Nam quod Ephes. I. 4. dicitur πρὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου & 2. Tim. I. 9. πρὸ χρόνων αἰωνίων id 2. Thess. 2. 13. dicitur, ἀπ' ἀρχῆς. & Apocal. 13. 8. ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ agni mactati*, ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου In quibus verbis observa primo trajectionem. illud enim ἀπὸ καταβολῆς, &c. referri debet ad γέγραπται *scripta sunt*. Plane uti Matth. 27. 9. illa ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ, referuntur ad remotius ἔλαβον *accepi*, (N. B. non *acceperunt*, atque ita pro ἔδωκαν restituendum est ἔδωκα, vide Syrum, Pisc. Deodatum, & Junium ad versionem Syraicam & in Parallelis) non ad proximum ἐτιμήσαντο. Illam porro trajectionem confirmat Junius ex Areta, & emendatiores codices distinctione separant illa, ἀπὸ κατ. τοῦ κόσμου, à voce τεθυμένου, Sed evidens est locus Apoc. XVII. 8. ubi diserte sine ulla trajectione legitur, *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ* ἀπὸ καταβολῆς τοῦ κόσμου. Unde duo illa consequuntur. 1. illud ἀπὸ καταβολῆς hic idem esse quod πρὸ καταβολῆς, Ephes. I. 4. Ergo *quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ* id est, qui non sunt electi ante jacta mundi fundamenta. Alterum, frustra esse & circa vitiosam lectionem eorum versari industriam, qui hoc ostendere satagunt, quomodo agnus commode dici possit ab origine mundi seu à jactis mundi fundamentis mactatus. Frustra & illos Metaphysicos esse, qui suæ inter essentiam & existentiam distinctioni ab hoc scripturæ loco & robur & facem quærunt. Agnus mactatus est, inquit *Keckerm. ab origine mundi, secundum essentiam: sub Pilato, secundum existentiam. Sed de hoc loco vide Junium & Piscatorem & Sultetum. Nos ad locum Proverbiorum redeamus, quem, prout in Ebræo legitur, adversus Arianos & Photinianos invictum esse, jam, opinor, ostendimus. Certe locus iste ab ima stirpe convellit illud Arianorum πολυθρύλλητον, ἦν ὅτε οὐκ ἦν. Si fuit ante conditum cælum & terram, ante ullum tempus, consequens est, ut ab æterno fuerit. Nam immotæ veritatis illud est, quod in Scholis docetur, quicquid ante mundum & ei concreatum tempus extitit, æternum esse.

Sic Apoc. 14. beati sunt mortui qui in Domino moriuntur, ἀπ' ἄρτι.

Sic Jud. 8. ἀπὸ ἀναβάσεως ἄρεως. Latin. ab ascensione Ares. Vide Heins. p. 245

* Metaphys. lib. 2.

Et illud Athanasii, *Si æternus est filius, non est creatura, Si creatura, non æternus.* In eo orthodoxos Patres admodum sudasse supra diximus. Sudarunt circa illud, *ad opera sua.* Æstuarunt circa illud, *initium viarum suarum.* Sed maxime laboratum fuit circa illud ἔκτισε. Illud enim ad istas angustias nonnullos redegit, ut hunc versum de humana Christi natura intellexerint. Vide orat. 3. B. Athanasii contra Arianos. Verba ejus pag. 234. ista sunt, *Plane constat, verbum, quum aliud esset ab omnibus & ante omnia, postea incepisse creari initium viarum ad opera, per assumptionem humanæ naturæ.* Et pag. 238. *Ipsa opera quæ facio, testantur de me. Hæc sunt opera ad quæ ipse creatur, dum in proverbiis dicit, ad opera sua,* οὐκ ἄρα, inquit, τῆς οὐσίας αὐτοῦ σημαντικόν ἐστι τὸ ἔκτισε, ἀλλὰ τῆς σωματικῆς αὐτοῦ γενέσεως. Illud autem, *initium viarum* sic interpretatur, *in illa carne factum est initium novæ creaturæ, eo quod ipse creatus sit homo pro nobis & viam nobis renovavit.* Vide lector, quantis in tenebris primarius ille Arianæ impietatis malleus versatus sit. Neque ille tantum, sed & Cyrillus Archiepisc. Alexandrinus, Thesauri contra hæret. lib. v. cap. 4. *Christus,* inquit, *jam homo factus id de se dixit* [Dominus creavit me, & cap. 9. Sapientia ædificavit sibi domum] *ut homo enim sapientiæ domus ædificatus est. ille inquam homo, qui ex virgine natus est, & in quo plenitudo Deitatis corporaliter habitavit.* Et paulo post, *Filius ergo Dei factus homo est & creatus secundum carnem, ut initium viarum Domini & operum suorum omnibus daret. In Christo enim primo Euangelica vita effulsit. Quid enim aliud opera & viæ Domini significant, præter mandata ejus, quæ custodientes recto itinere ad ipsum pergimus.* Est postquam alia quædam satis aliena interjunxisset, istis verbis caput illud obsignat, *Dominus creavit me, hominem me fecit, intelligendum est,* Et cap. v. ad calcem, *Postremo, si quia dicit,* Dominus creavit me, *creatus est, similiter quia dicit,* ante omnes colles genuit me, *creatus non est. Aliud enim est genitum, aliud creatura. Genitum enim ex substantia generantis naturaliter exit, creatum vero ad extra producitur. Quoniam igitur Deus & homo est, ut homo quidem, Dominus creavit me, dicit; ut Deus, Ante omnes colles genuit me.* Hæc certe ad textum Græcum speciose dicuntur. quæ si velis Ebræo applicare, ineptus sis. Similia invenies apud Basil. lib. 2. & 4. contra Eunomium. Epiphan. hæres. 69. & alios. Cæterum qui

in

in hoc contentionum æstu ad originarium textum provocaverint,

Apparent rari nantes in gurgite vasto.

Inter eos fuit Hieronymus, quem vide ad caput XXVI. Jesaiæ, IV. caput Michææ, 2. caput Epist. ad Ephes. & in Epistola 139. Cæteri, ut Basil. lib. 2. in Eunomium & Epiphanius hæresi 69. quæ Arianorum est, ex interpretatione Aquilæ tale quid odorati sunt. Is enim locum hunc sic reddiderat, κύριος ἐκτήσατό με ἀρχὴν ὁδῶν κατεργασμάτων αὐτοῦ. Verum ista responsio nec Arianis, nec ipsis quoque orthodoxis inter Græcos satisfecit. Quia enim textus Græci authoritatem nolebant solicitari, summa sibi ope eo annitendum putarunt, ut salva recepta lectione hæreticis ora oppilarent. Itaque alii responderunt, ἔκτισε idem esse quod *præfecit*, q. d. præfecit me initio omnibus operibus suis creandis. Hæc sententia refertur ab Athanasio, libro de decretis Synodi Nicenæ ex Dionysio Romano. Alii locum de Ecclesia interpretati sunt; Alii ad Ideam quandam, ad quam omnia creata fuerant, retulerunt. Nec defuerunt, qui Arianorum impetum hac responsione retuderint, Scripturam promiscue usurpare vocabula ista, *creo*, *facio*, *gigno*, itaque non ex solo verbo *creavit*, aut *genuit*, sed ex antecedentibus & consequentibus verum loci sensum indagandum. Hanc responsionem invenies apud eundem Athanasium, orat. 3. contra Arianos, Cyrillum libro v. Thesauri cap. 6. & alios. Omnes in eo conspirarunt, LXX. Interpretes hæresi Arianæ neutiquam favere. Cl. Drusius, licet non ignoraret, quomodo locus iste in Ebræo legeretur, tamen censebat operæ pretium esse, in ipsissimam LXX. interpretum mentem penitius inquirere. Itaque omnibus rite expensis, judicabat simplicissimam esse illam τοῦ ἔκτισε interpretationem, quam postremo loco recensuimus. Illud certe minime committendum putavit, ut authoritas illa pro derelicto haberetur & hasta quasi abjecta, celeberrimos istos interpretes Arianæ impietati favisse concederetur. Hanc ergo aliquando super ea re thesin proposuit,

Verbum creo aliquando ponitur pro gigno *vel* procreo. *Hoc sensu Christus dici potest creatus id est genitus. Sane Proverb. VIII, in Græca Editione legimus, ab initio viæ suæ creavit me. Et in Sirach sapientia legitur creata.*

De qua thesi, unico suspicionis istius fonte, antequam plura addam,

addam, lubet manifesta quædam ex Cl. istius viri scriptis testimonia, paucula è multis, præmittere, ex quibus judicabit Lector, quid ὁ μακαρίτης de æterna Filii Deitate senserit.

In Annot. prior. ad Ebr. 1. 5. ad vocem nomen *sic commentatur,*

Nomen] *Quodnam hoc nomen? haut dubie,* Filius Dei, *quem Deus* GENVIT AB ÆTERNO. *Alioqui & Angeli vocantur Filii Dei, sed alio sensu. Non enim certè geniti fuere, sed creati.* Et paulo post, *Quia servat homines à peccatis, quod est Dei proprium, ideo Iesus dictus est. Vtrumque ergo innuit Deitatem ejus.*

Eodem libro ad 1. Tim. 6. 11. Qui Christum, inquit, ita [nempe hominem Dei vel hominem divinum] vocant, non eam opinionem de eo habent, quam debebant. Aliud enim homo Deus, aliud homo Dei vel divinus. Homo Dei vel divinus dici potest de homine, non Deo: Homo Deus non item.

Ibidem, ad Titum 2. 13.

Magni Dei] *Non solùm Deus, sed & magnus Deus vocatur hic Christus. Cur igitur horrent eum Deum appellare Novatores? Homo divinus est, inquiunt, non Deus propriè. Phy* * τῆς ἀσεβείας! *Tune audes negare, quod Scriptura tam clare affirmat? Quod si non est Deus, nec adorandus igitur est. Apagite qui contra itis & oculos tandem aperite, ut Solem in ipso meridie lucentem clarè videatis.*

* id est impietatem.

In posterioribus Annot. ad Luc. 3. 38.

Adami, Qui fuit Dei.] *sub. Filius. Quomodo Filius Dei? an quia formatus à Deo ex luto terræ? Aut Filius Dei propter animam quæ ei divinitùs inspirata.* Et paucis interjectis, *utut sit, Filius Dei est, qui ex substantia ejus* GENITVS, *ut Meßias; Et qui à Deo factus, ut Adam.*

In comm. ad loca diffic. Mosis cap. 1. libri 1.

Faciamus hominem] *Antiquißimi Ebræorum prodiderunt, Deum ita locutum fuisse ad domum judicii sui. Quænam domus judicii, si non Filius & Sp. S.? Nam Angeli intelligi non possunt, siquidem & ipsi inter creaturas. Quomodo enim deliberarent de creando homine, qui ipsi creati fuêre?*

Ad Judicum librum, cap. 6. 11. Post distinctionem Angelorum in supernates & infernates, Supernates angeli sunt, *inquit,* in duplici genere. Nam alii omnes creati fuere: Unus ex

iis

iis non fuit creatus, qui Angelus fœderis & magni consilii vocatur.

Nota autem, Drusium ex Rabbinorum phraseologia per inferiores angelos intelligere sacerdotes, qui in V. T. Angeli vocantur. Malach. 2. 7. In Miscellan. cent. 2. cap. 53. & in libro Elohim.

Non hic nego tres in Deitate personas, impius futurus si id negem, &c.

Adversus evidentissima ista loca ceu totidem confessiones nihil objici poterit præter illam quam supra exhibui, positionem. In qua tamen nihil erat quod non * antea in suis scriptis passim annotaverat. Putabat eruditus senex se isthac sua responsione (se enim ejus primum authorem esse existimabat usque dum necessitas ei imponeretur alios quoque authores super hoc loco consulendi) crus dextrum fregisse Ario & nobilissimum locum à blasphema ejus interpretatione vindicasse. Non volebat ad hanc versionem explicandum vel vertendum esse textum Ebræum. Non volebat in Scholas vel Ecclesias introductas illas phrases, λόγον creatum esse, Christum esse creatum. Abhorrebat ei animus ab omni novitate & sæpe ad mentionem novarum phrasium & sententiarum inculcabat illud Salomonis, *Ne moveas terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Quid ergo? Jam diximus, hoc operam dedisse pium senem, juventuti ut persuaderet, Græcum textum, prout in codicibus vulgatis extat, sic posse exponi, ut nec Ebrææ veritati, nec orthodoxæ sententiæ, sed contra Arianorum hæresi obvertat cornua. Dixi prout in vulgatis codicib. extat, κύριος ἔκτισέ με η. & ι. in authoribus Græcis sæpe permutata esse non ignorabat. Observat. libro x. cap. 11. non abnuit, Psalm. 104. 24. ἐπληρώθη ἡ γῆ τῆς κτίσεως σου, primitus scriptum fuisse κτήσεως, quod & codices nonnulli legunt. At eosdem interpretes hoc loco primitus scripsisse ἔκτησε, quod postea corruptum sit in ἔκτισε, non poterat adduci ut crederet. Neque isti conjecturæ assensum suum facile commodabit, qui istas rationes expenderit. 1. omnes Græcorum codices constanter legere ἔκτισε 2. τὸ ἔκτησε vix Græcum videri. Aquila enim vetustus interpres cum istam significationem exprimere vellet, dixit ἐκτήσατο Et Lxx. illud κτάω in forma activa nunquam usurparunt. Neque Lexicographi meminerunt. 3. Idem

* Vide inter alios ejùs libros comment. in Sirach ad cap. 1. vers. 4.

Polanus in syntagm lib. 3. cap. 5. assentitur Drusio de scriptura vocis ἔκτισε.

verbum קנה alibi quoque à LXX. Interpretibus per *κτίζω* redditum, ut Genes. XIV. 19. & 22. IV. Chaldæum quoque interpretem hoc ipso loco τὸ קנה per ברא expressisse. Sed audi ipsum Drusium in Epistola quadam *ἀνεκδότῳ* sic scribentem,

Quæritur, inquit, *an Christus dici poßit creatus? Et respondeo nullo modo dici posse, si* creatus *propriè accipias, ut olim Arrius, cum diceret*, Creationem in Deo esse generationem. *Nam sic omnes res creatæ à Deo essent genitæ, & per consequens Christus non esset unigenitus. Ad hæc, si creatus diceretur hoc sensu, esset quoque creatura, Si creatura non esset creator. Creatorem autem unà cum Patre esse, omni omnino inter orthodoxos caret controversia. Non ergo creatus. Amplius quæritur, an ullo modo dici poßit creatus? Nam legimus in Sirach*, Dominus creavit me, *& in Apost. Hebr. 3.* Qui fecit eum. * *Facere autem est creare, Gen. 1. 1. In Græca Ed.* In principio ἐποίησεν *id est* creavit. *Respondi ante, nec adhuc muto, verbum* creo *in linguis improprie sumi pro* procreo, gigno. *Et hoc sensu Christum posse dici creatum, id est genitum. Ante annos XIX. idem scripsi in notis ad * Sirach, Verba sunt*, creavit eam.] *Salomo dixerat Proverb. 8. 28.* possedit, *ubi Gr. & Chald.* creavit. *Quæ si placet de Filio Dei accipere (fecit autem hoc universa antiquitas) debes exponere*, creavit, *id est*, genuit. *Nam hæc duo se mutuò explicant in linguis. Cic. lib. 1. de Repub.* Patria antiquior est parens, quàm is, qui, ut ajunt, creaverit. *Virg. citante Lact. lib. 5. 10.* Sulmone creatos. Quatuor hos juvenes. *Et contra, Psal. 90. 2.* antequam montes gignerentur, *vel si mavis*, *nascerentur, id est, crearentur. Hæc illic. His nemo unquam contradixit non Gallus, non Germanus, non Anglus, ac ne quidem Inquisitores Hispaniæ, quorum censuras habeo in has notas meas ex Bibliotheca Bodlæanâ ad me transmissas.*

*Ego vero existimo, *facere* hic positum pro constituere ordinare. vide Bezam.

*ad cap. 1. vers. 9. Dominus creavit eam.

Postea plenius ostendit, voces istas in linguis promiscue sæpe sumi. Ecce enim Ezech. 21. 30. *In loco ubi creata es* id est genita, nata. Tremellius, *procreata.* Psal. 102. *Populus qui creabitur* id est nascetur, generabitur. Ps. 104. 31. *Immittis Sp. tuum & creantur*, id est generantur. Individua enim propagantur per generationem. contra Ps. 90. 2. *antequam montes gignerentur*, id est, crearentur. Adde Deut. 32. 18. צוּר יְלָדְךָ *petra quæ genuit te, oblitus es*, quæ eodem versu explicantur, *& oblitus es Dei formatoris*

tui

sui. Seneca apud lactant. cap. 1. cap. 4. ex mente suæ sectæ, *Deus*, inquit, cum prima fundamenta molis pulcherrima jaceret, ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse se pertotum corpus intenderet, tamen ministros regni sui *Deos genuit*. Genuit id est fecit interprete Lipsio 1. Physiolog. dissertat. 20. Vide apud Besoldum p. 137. In Chaldaïsmo, Koheleth 4. 3. *Melior est ille qui nondum creatus est*, id est genitus, natus. Et Prov. 8. *Dominus possedit me*, Chald. בראני *creavit me* id est genuit. Ad quem locum Scindlerus in Pentaglotto, ברא *Chaldæis de generatione*. Horat. *Fortes creantur fortibus*. Et Cicero, *Quæritur uxor liberis creandis*. Lxx. quoque Ezech. 21. 30. Ebræum ברא per γεννάω interpretati sunt. Et Sirach quater usus fuit verbo κτίζω de Sapientia, vid. cap. 1. 4. *prima omnium creata est* (ἐκτίσθη) *sapientia* id est, ante omnem creaturam genita est, eo loquendi modo, quo Apostolus Christum vocat πρωτότοκον *omnis creaturæ*. & vers. 8. *Dominus creavit eam*, ἔκτισε. & cap. 24. vers. 12. aliis 8. & vers. 14. aliis 10. πρὸ αἰῶνος καὶ ἀπ' ἀρχῆς ἔκτισέ με. ubi ἀπ' ἀρχῆς verti potest, ante initium. Non dubitant eruditi quin Siriachides utroque oculo ad locum Proverb. respexerit. Et certe locus primus admodum firmat communem lectionem Proverb. 8. 22. iisque adversatur qui ἔκτισε scripsere. Tunc enim & illic legendum esset ἐκτήθη, quod Græcum non est. Atque ut ad Belgicam linguam tandem descendamus, quis non concesserit libens, probabilem esse eorum originationem, qui Belgarum *baren*, ab Ebræo ברא *bara* deducunt. Quis Chaldæorum בר *filius* ab eodem themate derivantes solide refutaverit? Sed mittamus ista & aperiamus fontem ex quo oritur illa vocum & interpretamentorum commutatio. Bellarminus lib. 1. de Christo, cap. 18. ad Arianorum argumentum quod ex hoc loco depromebant, responsurus, quinto loco exhibet responsionem quam vocat pulcerrimam & in qua ipse videtur conquiescere; quam adscribit concilio cuidam catholico orientali & Thomæ quoque probatam asserit. Summa huc redit, divinam generationem habere aliquid analogum * generationi & creationi, ac proinde nunc verbum creandi, nunc gignendi in hoc mysterio adhiberi. Mihi non lubet in arcanum illud altius penetrare. Tutius erit dryphacta & cancellos Grammatices non excedere. Multi sunt Hellenisticæ linguæ idiotismi. Quos, nisi

* Vtrumque inquit, de divina generatione dicitur, quia nullo vocabulo perfecto explicari potest. Vtrumque ergo dicitur, ut ex utroque sumatur, quod est perfectionis, & omittatur quod est imperfectionis.

Ebraice intelligas, haudquaquam solide intelliges. Cur quæso te, δένδρον arbor & ξύλον lignum, toties mutuas operas præstant? ut ex. gr. Apoc. 2. ξύλον τῆς ζωῆς lignum vitæ id est, arbor. Et apud Lxx. toties, ut tantum decies & quater δένδρον verterint. Certe non alia causa assignari potest, quam quod vox Ebræa עץ ad utrumque indifferens est. Cur θυμὸς excandescentiam & venenum significat? In prima signific. passim obvium est. In altera Apoc. 18. 3. ἐξ οἴνου θυμοῦ, ex vino veneni id est venenato. ut & Jobi 6. 4. sumitur. certe non alia hujus rei causa est, quam quod Ebræum חֵמָה utrumque significat. Cur τέλειος *perfectus* toties ponitur pro *integro*, *infucato*? Certè non aliam ob causam, quam quod vox Ebræa תָּמִים & hoc & illud significat. 1. Cor. 13. *Absorpta est mors εἰς νῖκος* id est in perpetuum. Hic εἰς νῖκος ponitur pro, εἰς αἰῶνα. Quod inde manifestum evadit, quod Esa. 25. unde locus desumptus, sit לָנֶצַח / Quod nunquam significat, *in victoriam*. Cum autem apud profanos νῖκος nusquam æternitatem significet, cur apud Apostolum? Ratio hæc est, quod vox Ebræa נֵצַח & victoriam (νῖκος) & αἰῶνα significet, vid. quando habet ante se litera ל / Atque hinc est, quod Lxx. τὸ לָנֶצַח / quod nunquam aliter accipitur, quam pro לְעֹלָם in æternum, Amos cap. 1. 11. verterint εἰς νῖκος, ut & Aq. & Symmachus & Theodotio Prov. 21. 28. & Ps. 13. vers. 2. Δωρεὰν *gratis*, in novo testam. usurpatur pro μάτην id est *frustra*. Galat. 2. si per legem justitia, tunc Christus δωρεὰν ἔθανε, Vulg. *gratis mortuus est* id est μάτην frustra id est sine ulla causa, vel ut alii, sine adeptione finis. Ps. 109. 3. oppugnaverunt me δωρεὰν, Vulg. *gratis* id est sine ullo meo merito, sine ulla causa. Unde hæc enallage? Ex eo quod Ebræum חִנָּם utrumque significat. Ea enim voce excluditur causa, meritum, merces, pretium, fructus, effectus, pro diversitate locorum. Unde variis modis redditur, sine causa, sine merito, sine mercede, sine pretio, hoc est, gratis: sine fructu & effectu, hoc est frustra. Sic κακία malitia Matth. 6. 34. & passim in V. T. apud Lxx. pro κακώσει id est afflictione ponitur, quia vid. vox Ebr. רָעָה utrumque denotat. Ad eundem modum ἕτοιμος & ἑτοιμάζω passim usurpatur in sacris pro κραταιὸς & κραταιόω, quia vid. נָכוֹן utrumque significat. Nec alia dari ratio potest, cur δύναμις pro exercitu, (ut in eo, κύριος δυναμέων, δυνάμεις τοῦ οὐρανοῦ,) ut & *virtus*

virtus apud vulg. *Dominus virtutum*, *virtutes cœli*, item pro *divitiis*, (ut Ruth. 4. 11. *fac* δύναμιν *virtutem in Ephratha* & Prov. 31. *Multæ filiæ fecerunt* δύναμιν id est compararunt sibi opus) usurpetur, nisi quod vox חַיִל & potentiam significet, & omne id, in quo hominum potentia videtur consistere, ut sunt exercitus, divitiæ, &c. Et ut finem faciam, cur αἰῶνες Ebr. 1. 2. *per quem condidit* τοὺς αἰῶνας, pro *mundo* adhibent, nisi quod vox עוֹלָם & seculum .i. αἰῶνα, & mundum .i. κόσμον significet, ut cum Deum vocant רִבּוֹנוֹ שֶׁל עוֹלָם Dominum mundi, quo sensu Interpretes plerique eandem vocem in ipsis Bibliis accipiunt. Kohel. 3. 11. Ex his, quæ paucula ex multis sunt, exemplis extruximus aliquando hanc regulam, *Interpretamentum significationis unius, sæpe adhibetur pro interpretamento significationis alterius apud priscos S. Literarum Interpretes.* Vide Grammaticam nostram ad finem parænesis. Atque huc refero duo illa, de quibus impræsentiarum nobis sermo est, vocabula, *creo* & *gigno*. Cum enim vox Ebræa קָנָה utrumque in S. L. significet, quid miramur, si alterum pro altero usurpetur; קָנָה πρώτως & primariò significat *possideo*, vel *acquiro*. Jam verò Pater acquirit quem gignit, unde per gigno interpretantur, Zach. 13. 5. הִקְנַנִי LXX. ἐγέννησέ με, *genuit me*. Mater itidem acquirit & possidet quem *parit* unde pro *pario* usurpatur Gen. 4. קָנִיתִי *possedi* .i. peperi *virum cum* DOMINO. Deus possidet Filium suum, quem genuit ab æterno, unde pro gigno positum est Prov. 8. *DOMINVS possedit me*, &c. id est, genuit. Deus itidem possidet, quicquid creavit, unde pro *creare* usurpatur Genes. 14. 19. *Deo altissimo* קֹנֵה *possessori cœli & terræ* .i. creatori, LXX. ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, qui creavit, &c. Creare ergo & gignere aliquando significationes suas permutant. At inquies hoc ipsum esse, quod Arius volebat. Sic enim apud Athanas. p. 89. Editionis Comelinianæ inquit, τὸ ἔκτισεν ἐπὶ τοῦ ἐγέννησεν μεταλαμβάνω id est vocem ἔκτισε accipio pro ἐγένν. Cumque regereret Athanasius, Si genitus non creatus, Si creatus, non genitus, respondit Arius, ἐπὶ θεοῦ τὸ κτίζειν καὶ γεννᾷν ταυτόν ἐστι .i. gignere & creare in Deo idem esse. Hanc machinam sic retudit beatus noster Senex in comm. posterioribus ad 2. Cor. 4. pag. 106. *Idem Tertullianus*, inquit, *Christum factum & creatum dixit*, *id est genitum. Verbum gigno accipiendo in propria significatione, & facio vel creo* in

Diabolus in N. T. vocatur ὁ ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου & ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου.

Heinsius Paulò aliter.

in impropria vid. pro gigno. Aliter Arrius, qui Christum dicebat creatum proprie; genitum improprie. Nam omnis creatio, inquiebat, in Deo generatio est. Quod si verum, Christus non esset unigenitus. Phui τῆς Θεολογίας ταύτης. Nam si creatus fuit ex substantia Patris id est genitus. Quæ est impropria verbi significatio, ut recte Athan. observat orat. 3. adversus Arianos.

Similia extant in comm. prioribus ad Philip. 4. 5. quæ non lubet ascribere, quia prolixiora sunt. Et certe istam Arii fuisse mentem, tum ex omnibus Theologorum veterum, queis cum eo ejusve sequacibus res fuit, libris, tum vero potissimum ex eodem loco Athanasii liquet. Cum n. Athanasius ex isto ejus axiomate, creare & gignere in Deo idem esse, inferret, omnes ergo creaturas filios Dei esse, rogaretque quomodo ergo Christus unigenitus: Arius nihil nisi de quodam inter creaturas excellentia respondit. Illud jam restat, ut ostendam, complures quoque alios qua priscos qua novellos, in articulo de SS. Trinitate orthodoxos, eandem responsionem de permutatione vocum creo & gigno, eadem mente, qua Drusius, passim inculcasse. Et quidem primò offert se hic Athanasius, qui orat. 3. adversus Arianos sic inquit.

Ne igitur ex verbo controversias captent, si sancti alicubi pro vocabulo gignere τὸ creare *subjiciunt, cum in istiusmodi locis significatio non variet, sed id quod secundum naturam est insinuet.* Et mox, *Quum opus aliquod aut creatura prodierit, tunc propria ac idoneæ voces sunt, operatus est, condidit: cum autem Germen aut Filius, de quo mentio habetur, tunc* fecit *&* creavit *improprie de ea pronunciantur.*

Eadem habet *Tertullianus* contra Praxeam & alibi. Unde Beatus Rhenanus in admonitione de dogmatibus Tertulliani ita inquit, *Adhac Filium, qui & sermo & Sophia Patris dicitur, non tam genitum, productum, natum, procedentem & emanantem dicit, quam creatum à patre, conditum & factum, quod alioqui sacris literis* (non originalibus Rhenane, quando de Christo ut Deo agitur) *peculiare est. Sed malo te,* inquit, *ad sensum rei, quam ad sonum vocabuli exerceas* Eadem invenies apud *Cyrillum*, cujus testimonium allegat quoque *Bellarminus*, qui quartus hic nobis erit advocatus. Non defatigabo me, ut ostendam, cum in doctrina de Deitate

Filii Dei arctissimum cum Ecclesiis nostris consensum colere. Quis enim tam in controversiis hospes, hoc ut nesciat? Is ergo libro 1. cap. 18. controvers. 2. de Christo, ad objectionem Arianorum ex loco Prov. 8, 22. deprompta, inter alia sic inquit.

> *Secunda responsio est Athanasii Serm. 3. contra Arianos & Cyrilli lib. 5. Thesium cap. 6. qui dicunt Scripturam promiscuè usurpare vocabula* faciendi, creandi, gignendi. *Nam Deut. 32. dicitur*, Deum qui te genuit dereliquisti. *Et tamen legimus Gen. 1.* Fecit Deus hominem, *itaque non ex solo verbo* creavit *aut* genuit, *sed ex adjunctis sensum Scripturæ elicere oportet. Et quia hic dicitur Filius creatus, antequam Deus quicquam faceret, apparet, creatum dictum esse pro genitum.*

Hanc responsionem non castigavit in Animadvers. suis Junius, qui aliàs acutùm videt. Plane in eundem modum Drusius, ac si ex Cyrillo & Athan. descripsisset, *Ergo inquies, Christus creatura? Non hoc dico, sed creatum dici posse, quia genitum. Nec ego hoc dico, sed vetus Synagoga sic locuta fuit, cum dixit Meßiam ante mundum creatum fuisse. Nihil profectò ante mundum creatum fuit propriè loquendo. Debemus ergo creatum ibi accipere pro genitum. si ergo vetustißimi Ebræi dixerunt Meßiam creatum fuisse, quis mihi vitio vortet, si hoc explico ad orthodoxam sententiam? &c.*

Addo & Concilium Catholicum Orientale, apud Hilarium libro de Synodis can. 5. Cujus Patres sic introducit Hilarius loquentes,

> *Impietatis hæreticorum hinc profana præsumptio est, quod legisse se dicant*, Dominus condidit *vel* creavit me; *sed consequentem sententiam subtrahentes, ex qua intelligentiam prior sumit, ex primâ arripiunt impietatis suæ authoritatem: ut creaturam dicant, quia Sapientia dixerat se creatam. Quæ si creata est, quomodo potuit & nasci, quia omnis nativitas, quæcunque est in naturam suam, ex natura gignente consistit. Creatio autem sumit exordium de creantis potestate, potente sc, creatore ex nihilo condere creaturam. Sapientia itaque quæ se dixerat creatam, eadem in consequenti dixit se & genitam.*

Ad hæc verba ab ipso quoque Bellar. loco prædicto producta & approbata, sic quoque magnus ille Theologus *Ioh. Rainoldus*, in censura sua librorum Apocryphorum, lect. 75. pag. 890. Tomo primo.

Ex quibus verbis ipsius Concilii, inquit Rainoldus, *manifestum est, ipsos ex circumstantiis textus Prov. 8. docere, vocabulum* creari *usurpari impropriè, & vocabulis consequentibus quasi corrigi. Cum enim Prov. 8. in Edit. LXX. Sapientia dixisset,* Dominus ἔκτισέ με creavit me, *quasi statim corrigere se vellet, sequitur,* ἐγέννα με, *genuit me.*

Et paulò post idem Rainoldus,

Quare concludit Concilium illud Orientale, quod ex circumstantiis textus manifestum sit, verbum illud creandi *impropriè usurpari.* Et iterum paucis interjectis, *Quo satis docent, se tantum probare usum vocabuli (creo) ita adhibiti, ut sequatur statim castigatio atque correctio.*

Hinc Cl. vir D. *Conradus Deckerus*, Theologus Heidelbergensis in Indice, quem ex Prælectionibus Rainoldi collegit, in litera C sic ait,

Creatus esse Filius Dei non potest dici nisi additâ aliqua castigatione.

NOTA. Si non potest dici, nisi additâ aliquâ castigatione, Ergo dici potest castigatione additâ. At Drusius in thesi castigationem addit, *creatus*, inquit, *id est genitus.* Et sic τοὺς LXX. excusavit, ut jam vidimus, Concilium Orientale, non diffidente Rainoldo, qui tamen in eo à Drusio diffidet, quod hâc observatione authorem Ecclesiastici excusari non patiatur. Nam Sirach, inquit, nusquam se corrigit id est voci *creandi* nunquam subjicit vocem gignendi vel similem aliquam, quâ ostendi possit, eum vocem *creandi* impropriè usurpasse.

Magnum illud Germaniæ suæ sidus *Rod. Goclenius*, Philosophus Marpurgensis, in Lexico suo Philosophico docet, vocem *creo* extra doctrinam physicam aliquando usurpari pro *gigno.*

Magni nominis & meriti Theologus, *David Pareus* initio comm. ad Genesin docet, verbum בָּרָא *creavit* aliquando significare *generavit.* Et de voce Latinâ sic ait, *Verbum* creare *latinâ usurpatione, propriè non est ex nihilo aliquid efficere (talis enim effectio Ciceroni & Latinis ignota fuit) sed gignere vel ordinare, &c.*

C. Jansenius, Episcopus Gandavensis in commentariis suis ad Proverbia & Sirachidem, eodem planè modo hæc loca vindicavit.

Prodeat in hanc quoque arenam magnus ille Theologus, *H. Zan-*

Zanchius. Is lib. 3. parte 2. de tribus Elohim, cap. 7. sic introducit Arianum; Ponam ipsa verba, ut appareat, quam procul Drusius ab Arianismo abfuerit.

> *Instant adversarii & ajunt, ut demus loca esse in quibus sermo sit de æterna Filii ex Patre Deo generatione, contendimus tamen non posse ex illis concludi, illum esse genitum de substantiâ Patris. Verbum enim gignendi accipitur Metaphoricè (NB.) & improprie, nempe pro factum seu creatum esse.*

Nota rursus, Ariani agnoscebant Christum in S. L. dici & creatum esse & genitum. Sed volebant genitum impropriè, creatum propriè. Drusius contra, plane ut Zanchius in Responsione: Sic enim respondet,

> *Resp. quasi verò non possimus invertere argumentum & dicere: ubicunque dicitur creatus esse, prodiisse & processisse à Patre, hujusmodi verba accipienda esse pro genitum & procreatum esse, juxta propriam verbi significationem.* Verba Zanchii.

Quasi diceret Zanchius, Esto usurpentur de Christo quà Deo duæ hæ voces, *creatus, & genitus*, annon probabilius, *creatum* usurpari pro *genitum*, quam, *genitum* pro *creatum*? Aut, cur mihi non tam licet *creatum* accipere impropriè pro genitum, quam vobis *genitum* impropriè pro creatum?

Sed clarissimè Drusio patrocinatur idem Zanchius cap. 8. Ibi enim sub initio responsurus ad loca Sirachidæ, ubi Sapientia dicitur creata, post 1. & secundam responsionem sic ait:

> *Tertiò respondetur, verbum* creare *pro generare positum esse, ut Basilius ait: quod etiam* ὅτι γεννήσεως κτίσμα καὶ ποίημα λέγεται *ut exempla Scripturarum docent.*

Et paulo est:

> *Ac certum est, creare sæpenumerò pro procreare seu gignere accipi, non autem semper pro facere ex nihilo: & contra generare pro creare.*

Rever. D. *Math. Martinius*, tractatu de Deo lib. 2. cap. 12. sic inquit, בַּר *Filius potius à* בְּרָא / *quod usitate quidem creare, sed & generare. Nam Psal. 2. 7. pro* יְלִדְתִּיךָ *in Chaldæo est* בְּרִיתָךְ / Et Ps. 51. 7. *pro* חוֹלָלְתִּי *habet*, cogitavit Pater לְמִבְרָא generare me. *Et* Prov. 8. 22. pro קָנָנִי in Chald. est בראני id est ut Lxx. *vertunt* ἔκτισέ με. *Et hinc est quod voces creandi & generandi interdum confuntur, quæ confusio ne Arianis faveat, cavendum, & catachreses à sermo-*

nis proprietate sunt distinguendæ. Ita sane & γίνεσθαι est non tantum fieri & creari, sed & generari ex γάω, quod est genero. Sic & Genes. 2.4. Tholedoth. *generationes, dicuntur de creatione. Et sic Caßianus libro 6. de incarnatione Domini cap. 8.* Idem Theologus comment. in Psalm. 2. pag. 360. de hoc ipso loco verba faciens, sic inquit, *Itaque aut arguenda est versio Chaldæa & Græca, cum de Filii generatione loquens, illa* bera, *hæc,* κτίζειν *usurpat, aut catachresis ista orthodoxo sensu interpretanda, ut facere seu creare sit pro generare.* γίνεσθαι fieri, *de creaturarum generatione aliquando accipitur, & sic abusive quoque de divina generatione.*

Plures habet suffragatores hæc cl. viri observatio. Sed eos, quos jam adduxi, sufficere arbitror. Summam summarum paucis istis aphorismis repræsentabo.

I. Lxx. interpretes & Sirachidem Arianæ hæresi patrocinari non esse concedendum.

II. Non posse eos tamen in viam reduci pro ι reponendo η.

III. Accepisse itaque eos vocem κτίζω, id est *creo* pro *gigno*, enallage Græcis quidem & in Theologorum scholis duriore: at apud Chald. & Latinos tralatitia. Sed & in Ebraïsmo voces illas aliquando commutari.

IV. Ea correctio seu interpretatio si adhibeatur, favere illos orthodoxis.

V. Eam correctionem seu interpretationem multos orthodoxos literis prodidisse & suo calculo approbasse.

VI. Eam correctionem seu interpretationem in ipso textu interpretum Lxx. liquido extare. Sic enim locus integer habet,

Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ εἰς ἔργα αὐτοῦ. πρὸ τοῦ αἰῶνος ἐθεμελίωσέ με, ἐν ἀρχῇ πρὸ τοῦ τὴν γῆν ποιῆσαι —γεννᾷ με.	Dominus creavit me initium viarum suarum, in opera sua. Ante seculum fundavit me, in principio, antequam terram fecisset —GIGNIT me.

Ecce, disertè τὸ ἔκτισε per γεννᾷ declaravit. Si dixeris, posterius potius explicandum per prius, ut solet aliquando id quod claris & propriis vocibus dictum est, obscurioribus & tropicis repeti, jubebo te textum inspicere & examinare ista, *ante seculum, antequam terram fecisset.* Si ante principium temporis Christus extitit, certe æternus est & sine principio. Namque ante principium

pium illud temporis non fuit tempus, ſed tantum æternitas. Quicquid à Deo creatum eſt, in tempore creatum eſt. Obſerva denique ex voce γεννᾷ *gignit* Scholaſticos nonnullos probaſſe, melius dici, *Filium ſemper gigni*, quam, *ſemper genitum eſſe*. Vide Magiſtrum Sententiarum lib. 1. diſt. 9. litera L. Qui in iſtam ſententiam citat Origenem. Sed tu obſerva, in Ebræo eſſe verbum præteriti temporis חוֹלָלְתִּי quod vulg. verſ. 24. reddit. *concepta eram*. At verſ. 25. *parturiebar*. Lovan. *begonſte ick ghebaert te worden*. admodum improprie. Unde Sa, parturiebar id eſt gignebar. (Eadem vox extat Pſ. 51. *in iniquitate* חוֹלָלְתִּי quam vulg. reddidit, *conceptus ſum*.) Iun. *edita eram*. Deod. *Io fui produtta*. Genev. *J' ai eſte engendree*. Hiſp. *fuè engendrada*. Piſc. war ich geboren. Omnes bene. Luth. war ich bereyt. Belg. *was ick veerdigh*. Quæ minus commode dicta cenſeo.

CAP. XVI. 11. Et opera ejus omnes lapides ſacculi.] Ita hunc locum reſtituerunt Romani correctores. Ebr. *opus ejus* כָּל־אַבְנֵי כִיס *omnes lapides marſupii*. opus ejus, hoc eſt, ei placens, ut Joh. 6. 29. *hoc eſt illud opus Dei, ut credatis*, &c. כִּיס marſupium, loculus. Unde illud πολυθρύλλητον Ebræorum, בְּכִיס בְּכוֹס בְּכַעַס *in loculo, in poculo, in ira*, ſc. ingenium hominis cognoſcitur. Olim lapidibus pro ponderibus utebantur, eoſque in ſacculis aſſervabant. Deuteron. 25. 13. Non erit in ſacculo tuo lapis & lapis id eſt, duplex pondus. Codices antiqui legebant, *omnes lapides ſeculi*, Carthuſ. *id eſt, omnes electi, qui tanquam lapides vivi ponuntur nunc in ædificio militantis eccleſiæ, &c.* Quid eſt ineptire ſi hoc non eſt?

Ibidem verſ. 15. כְּעָב מַלְקוֹשׁ id eſt ſicut nubes pluviæ ſerotinæ. Ita nominant Ebræi pluviam, quæ in Judæa matureſcentibus jam frugibus cadebat. dicitur à לקש demetere, colligere. Illam vero, quam poſt ſementem dabat Deus, vocant יוֹרֶה & מוֹרֶה à יָרָה *jácere*, In Judæa non tam frequentes pluviæ, ut apud nos. Hieronymus comment. in Amos 4. teſtatur ſe menſibus Junio & Julio in Judæa pluviam vidiſſe nunquam. Hinc *pluvia in meſſe*, Prov. 26. 1. de re inſolita, & intempeſtiva & 1. Sam. 12. 16. portenti loco habetur. Kimchi ad illum locum, *Quoniam pluvia in meſſe novitas magna erat apud eos, ideo timuerunt valde & dixerunt*

runt, ora pro servis tuis, ne moriamur. Cæterum quia utraque ista pluvia, maturior & serotina (Lxx. vocant ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον, vide Deut. XI. 14. Jacob. 5. 7. & alibi) plane erat necessaria, ideo & gratissima. Unde passim in sacris literis, cum de rebus gratis acceptisque sermo est ad eas fit allusio. Lutherus Deut. XI. & alibi reddidit, *vroegh-regen ende sparegen.* Optime. si voculas illas *vroegh* & *spade*, non ad diem, sed annum referas. Pluvia enim illa πρώϊμος (יוֹרֶה) erat autumnalis: ὄψιμος vero (מלקוש) vernalis. At Jacob. v. 5. nescio quid spectans reddidit, *morgen-regen ende avondregen.* Quæ versio imperitiori facilè imponat. Confer & Ioël 2. 23.

Prov. XVIII. In jure Canonico, itemque apud Canonistas in controversiis de matrimonio, utrum meretrix vel adultera in uxorem ducenda sit, utrum adultera retinenda, &c. allegantur sæpe ista verba, *Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum, qui autem adulteram, stultus est & impius.* Versus est antepenultimus. alii codices, *stultus & insipiens.* At Græca habent, ἄφρων καὶ ἀσεβής, & Biblia Clementis istam quoque lectionem exhibent. Lucas Brugensis in locis insignioribus Romanæ correctionis, quo libro tanquam Masora quadam correctam illam Editionem circumvallavit, hæc notat, *legendum potius*, impius, *quod est iniquus, quam* insipiens, *quod idem est cum eo quod præcedit*, stultus. Et tamen, Clementis authoritate insuperhabita. Lovanienses Theologi veterem Editionem Belgicam hoc loco non emendarunt. Namque & recentiores Editiones, quæ in præloquio ad postremam correctionem Romanam emendatæ dicuntur, legunt. *dwaes ende onwijs.*

Prov. XX. 25. Ruina est homini devotare sanctos, & post vota retractare.] Ita legunt Lovan. Ita & Sixtus edi jusserat. At Clemens scribi jussit, *devorare.* Alii legunt *devocare*, alii *denotare*, alii *devovere.* Quam obsequentes imperio Clementis fuerint nuperi correctores Editionis Belgicæ, liquebit ex hac interpretatione, *'Tis den mensche eenen val den heylighen beloven, ende na de beloften weder-roepen.* Hoccine est Belgicam editionem *ad veritatem editionis vulgatæ nuper in urbe emendatæ & restitutæ corrigere*, sicuti titulus promittit & Joh. Malderus in approbatione asserit? communis apud interpretes lectio est, *devotare sanctos*, quod Lyra, Carthus. & alii exponunt frequenter sanctis aliquid vovere,

vere, Laqueus eſt vovere & poſtea pœnitere. Placus in Lexico Biblico, *devotare* interpretatur diris imprecationibus malum alicui optare, quæ interpretatio minus contorta eſt propter accuſativum qui ſequitur. Mitto aliarum lectionum interpretationes. Melior lectio eſt *devorare*. לוע enim eſt *deglutire*, *abſorbere*. Sed quid hoc eſt, *devorare ſanctos*? Reſpondet Sa, *ſanctos* poſitum eſſe pro *ſancta* id eſt, Deo ſanctificata voto devorare id eſt conſumere & non ſolvere. Suarez in opere de virtute & ſtatu religionis, tomo 2. lib. v. cap. 4. de gravitate peccati violatorum votorum agens, *præterea*, inquit, *aſſerri ſolet illud Prov. 20.* ruina eſt homini devorare ſanctos. *Ubi aliqui pro* devorare, *legunt* devotare. *Sed retinenda eſt lectio recepta, & optimus ſenſus eſſe videtur, ut,* devorare ſanctos, *ſit temere & magna facilitate vovere.* Dura certe & quam meus ſtomachus non concoquit, interpretatio. Putaret aliquis י *ſanctos* librariorum culpa irrepſiſſe, pro *ſancta*. Sed malunt hic ineptire interpretes, quam illud agnoſcere. Ideo Lucas, tanquam ſi interpreti præſens fuiſſet aut calamum ejus gubernaſſet, *maſculinum* ſanctos, inquit, *interpres noſter dedit*, non ſancta. Ebræa habent in hunc modum, מוֹקֵשׁ אָדָם יָלַע קֹדֶשׁ וְאַחַר נְדָרִים לְבַקֵּר i. e. *laqueus* (tendicula) *eſt homini quod deglu-ſanctum, & poſt vota inquirere.* יָלַע eſt futurum ſecundum Hifyl pro יָלִיעַ contractum, ut יָרַע pro יָרִיעַ Accentum autem ad penultimam ſyllabam rejecit ſequens vox diſſyllaba. Eſt inſuper in hac voce ellipſis literæ ש pro שֶׁיָּלִיעַ. קֹדֶשׁ autem poſitum pro דְּבַר קֹדֶשׁ Pagn. *laqueus eſt homini deglutire ſanctificatum, & poſt vota inquirere.* Nefas eſt res Deo ſacratas intervertere, aut in profanos uſus convertere. temerarium & ſtultum eſt vovere, & poſtea inquirere, diſceptare, utrum velis vel poſſis exolvere. Jun. *poſt vota requirere, id eſt laborem in eo conſumere, ut retineantur res votivæ.* Hæc eſt mens Salomonis, quam B. quoque Lutherus aſſecutus non eſt, *het is den menſchen een ſtrick het heylige te laſteren, ende daer na met geloſten omgaen.*

CAP. XXII. 20. Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter.] Et hoc loco abutuntur Pontificii, ut triplicem illum Scripturarum ſenſum ſtabiliant. Fateor, ex Ebræis quoque nonnullos Ebræum שָׁלִישִׁים explicare *terna*, vel, *triplicia*, ſed illi aliter explicuere. R. Sal. hæc accipit, tanquam à Deo dicta, & interpretatur de lege, prophetis & hagiographis. Alii, qui hæc in perſona Salomonis

monis dicta censent, putant respici ad tres libros, Proverbia, Koheleth & Canticum. Alii ad triplicem hominum statum, incipientium, proficientium & perfectorum respici existimant. Alii, triplicia, id est sæpius iterata. Pagn. perfecta. Vox Ebræa pluralis numeri est à sing. שָׁלִישׁ / & proprie tertium à principe in Rep. vel militia significat, ut מִשְׁנֶה secundum. Postea extenditur ad virum principem, eximium, & in alto dignitatis gradu constitutum. Hinc alii reddunt, *verba magnifica*, alii, *verba principalia id est* principibus digna vel convenientia. Jun. [*verba*] *ducum*, hoc est, præstantissima, Confer Proverb. 8. 6. *Audite, quia loquar* נְגִידִים supple דִּבְרֵי / [*verba*] *principum*, id est principalia, principibus digna. vulg. *de rebus magnis*.

CAP. XXIV. Septies in die cadit justus.] Locus iste crebro pro concione citatur adversus quorundam opiniones de perfectione hominis regeniti in hac vita. In consolationibus quoque ad erigendas pœnitentium conscientias sæpe depromitur. Ego moneo tironem. ut isti usui firmiora scripturæ testimonia conquirat, inter quæ eminent illa 1. Joh. 1. 8. & 2. 1. Et Jacob. 3. 2. Profecto si verum amamus, nimis oscitanter à plerisque divina pagina legitur. Cujus rei hic locus documentum præbet quam maxime luculentum. Primo enim illud *de die*, nec in Ebræo, nec Græco, nec Luthero, nec Belgico comparet. Quia & ab editione correcta Clementis VIII. absunt. Unde Lucas Brug. in locis insignioribus, *non addas*, *in die*, inquit. Deinde *cadere* hic non est peccare, sed in calamitates incidere. Hoc ex professo ostenderunt Junius in notis, W. Franzius libro de interpret. Scripturæ, pag. 32. & 657. Tarnovius in Exercit. Biblicis, Coppenius ad Psal. 119. ש / [ubi & hoc addit, locum hunc conferendum cum illo Psal. 34. 20. *Multa sunt afflictiones justi: at ex omnibus istis eripit eum DOMINUS.*] Drusius, Mercerus, Piscator, Deodatus, Genevenses & alii. Lubet hic paululum arare vitula Cl. Theologi Joh. Tarnonii. *Ne insidiator*, ajebat Salomon vers. 15. *o improbe, habitaculo justi. ne devastato ejus accubitum* id est quietem ejus ne turbes. Cubare enim phrasi Scripturæ est quiete & pacifice vivere, Psal. 3. 6. & 4. 9. Ratio hujus rei versu 16. apponitur, ab inutili desumpta, hoc modo, nam ut ut *septies*, hoc est sæpius, *cadat*, Deo permittente à te improbe dejectus, *justus, exurgit tamen*, & proinde spes tua, qua eum periturum sperabas, decolla-

Inepsisse videtur ex loco Luc. XVII. v. 4.

collabit. Atque hæc est piorum sors. Quid vero improbi? Hoc docet antithesis, *improbi vero corruunt malo*, hoc est, vel unico malo deficiunt, dispereuntque, cum multis non frangatur justus. Subjungit egregiam admonitionem de vitanda ἐπιχαιρεκακίᾳ. *Cum cadit inimicus tuus, ne lætator, & cum corruit, ne exultato animus tuus.* Scopus ergo Salomonis & adjuncta vox *corruit* satis evidenter verum loci sensum indicant. Quoties etiam קום & נפל opponuntur, tum utrumque ad calamitates respicit. & hoc (נפל) iis demergi; illud קום ex iis eluctari significat. Vide Mich. VII. 8. Amos VIII. 14. & V. 20. Ierem. 25. 27. Iesa XXIV. 20. Similis & plane parallelus locus extat Ps. 37. 23. *A Domino statuuntur gressus viri, cujus viâ delectatur. Cum cadit, non dejicitur, quia Dominus sustentat manum ejus.* πίπτει, οὐ καταπίπτει. Observat porro idem Tarnovius, נפל in libro Proverbiorum sæpe pro, *in calamiates incidere*, at nunquam pro *peccare* usurpatum. Hanc quoque interpretationem Emmanuel Sa probavit, *cadet*] *in pericula. resurget.*] *Augustinus, quoties ceciderit tribulationibus, non peribit*, pergit August. quod non de iniquitatibus, sed de tribulationibus ad humilitatem perducentibus intelligi *voluit*. De civit. Dei XI. 31. *&c.*

CAP. XXV. vers. penult. Scrutator majestatis opprimetur à gloria. Et hæc sententia crebro auditur, quoties coarguenda est hominum curiositas tum in genere circa res nobis in Dei verbo non revelatas, tum in specie, ut sic loquar, circa mysteria essentiæ divinæ & trium personarum in una essentia. Atque hic in mentem mihi veniunt aurei magni Scaligeri versus,

Ne curiosus quære causas omnium
Quæcunque libris vis prophetarum edidit,
Afflata cælo, plena veraci Deo.
Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, verum adorans præteri.
Nescire velle, quæ magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Cæterum locum citatum quod attinet, disce tiro, in Ebræo nihil tale extare. Ebræa ita habent, וְחֵקֶר כְּבוֹדָם כָּבוֹד / hoc est, ad verbum, *& scrutatio gloriæ sui ipsorum gloria.* Affixum illud non expressit vulgatus. Contra, τῷ *opprimetur* & præpositioni *à* nihil in Ebræo respondet. Versu 16. & 17. egregium præceptum dictat sapientissimus Rex, de usu amicitiæ legitimo & servanda

Tarnovius in Exercit. Biblicis pag. 140. Edit. 3.

medio-

mediocritate in congressibus. Utitur autem egregia similitudine à melle desumpta. Ut mellis usus moderatus suavis est & reficit, nimius contrà ejus insuavis est & vomitum ciet & fel generat, ita & usus amicitiæ liberalis modicus recreat, nimius odiosum reddit. *Itaque rarum fac pedem tuum in domo amici tui.* Ita enim malo locum interpretari, quam cum Iunio, *studiose contine pedem tuum à domo*, &c. Quamvis sensus eodem recidat. יָקָר non solum pretiosum, sed & rarum significat, unde 1. Sam. 3. 1. *pretiosum erat* יקר *verbum Domini in Israel*, id est, rarum. & Iesa. 13. *pretiosior erit vir auro*, id est, rarior. Quod vero ad præpositionem מ attinet, quæ in voce מִבֵּית / quis ignorat aliquando pro ב poni? Lxx. σπάνιον εἴσαγε σὸν πόδα πρὸς σεαυτοῦ φίλον. Hoc ergo dicit Salomo, quod sententia illa Arabum exprimit, visita raro & augebis amorem, Et Martialis,

Drus. observationum IV. I.

Si vitare voles acerba quædam,
Et tristes animi cavere morsus,
Nulli te facias nimis sodalem.
Gaudebis magis & minus dolebis.

Postea vers. 27. rursus mediocritatem in sermonibus & περιαυτολογίας, ut sic dicam, inculcaturus, per eandem comparationem ita infit, *ut comedere mellis plurimum non est bonum, ita pervestigatio honoris sui ipsorum [non est] honor*, videlicet περιαυτολόγοις. qui de suis semper virtutibus & gestis verba faciunt. Sicut qui modum excedit in esu mellis, inquit Tarnovius, sibi nocet, dum vomitum provocat, & quando voluit stomachum saburrare, eundem exonerat, sic qui apud amicos sæpe & multum sua facinora more Thrasonis ebuccinat, eos facile à se alienat, & dum honori suo voluit velificari, ignominiæ se exponit, & quo amorem & gloriam sibi voluit conciliare, eo odium & contemptum sibi acquirit. Hæc ipsissima quoque sententia est Junii, Genev. Anglorum, & aliorum. Vau pro כּ notâ apodoseos ponitur. Negatio ex præcedenti membro repetenda est, id quod in his literis adeo est frequens, ut supervacaneum sit huc exempla convectare. Vide tantum Ps. IX. 19. hoc ergo vult, *ita non est gloria hominibus scrutatio gloriæ sui-ipsorum.* vel, *neque scrutatio honoris proprii honos est hominibus.* Pisc. Mercerus & alii dum noluerunt in hujus loci interpretatione nimium à recepta sententia recedere, affixum illud plurale in כְּבוֹדָם aliò retulerunt,

runt, *& scrutatio gloriæ eorum* [*quæ* * *sunt instar mellis, non est*] *gloria.* Quæ interpretatio nimis videtur coacta, ut & illa, [*ita non est bonum*] *investigare gloriam rerum gloriosarum.* Hoc enim esset, חֵקֶר כְּבוֹד נִכְבָּדִים / Et ista, *scrutans gravia gravatur.* Hic enim affixum negligitur. & כָּבוֹד accipitur in significatione gravitatis proprie sic dicta, quam nullibi habet. Beati quoque Lutheri translatio, wer schwere dingen vorschet / dem wirds zu schwer / non satis video, quomodo cum fontibus conciliare possit, nisi prius ostendatur, כָּבוֹד gravitatem vel difficultatem in literis mysticis notare.

* hoc est rerum sublimium, quæ captum nostrum excedunt.

CAP. XXX. 19. viam viri in adolescentia.] LXX. ἐν νεότητι. Hunc locum Ambrosius libro de Salomone cap. v. interpretatur de Christo, iisque quæ in terra adolescens gessit. Baradius eundem allegat, ut doceat, non posse sciri gesta Christi, ab anno XII. usque ad annum baptismi. Carthusianus de quolibet homine intelligit, *In adolescentia*, inquit, *sanguine fervente, cogitationes, desideria, verba & opera adolescentium investigabiliter & ineffabiliter mutantur.* At hæc à mente Salomonis aliena sunt. Nam in Ebræo est, בְּעַלְמָה *in adolescentula.* Atque ita quoque legit Lyra, *Hæc est vera litera*, inquit, *quia sic est in Ebræo.* Quod vero per *adolescentulam*, B. Virginem, per *virum* Christum intelligit, nimis contortum est. Verba ejus hæc sunt. *Quia Christus in utero virginis fuit vir perfectus scientiis & virtutibus ab instanti conceptionis, & in nativitate exiit clauso utero virginis, ideo de hoc, via viri in adolescentula, dicit Salomo, hoc esse quartum quod penitus ignorat.* Veram hujus loci interpretationem vide apud Junium, Mercerum, Pisc. & alios. עַלְמָה virginem significat, sed juvenculam. בְּתוּלָה tam juvenculam quam vetulam. נַעֲרָה juvenculam, sive virgo sit sive devirginata. Dicitur autem עלמה à עלם absditum, occultum esse. Ita κατάκλειστος epithetum honestiorum virginum perpetuum est. Olim enim ut notat * Casaubonus, apud Judæos, Græcos plerosque & Romanos, virgines domi in propriis œcis, quos Græci παρθενῶνας cellas virginales vocant, continebantur, eratque ea pars gynæconitidis. 2. Machab. 3. ubi describitur tumultus, cujus occasionem profanus ille Heliodorus præbuit, inter alia narrat author, virginum quoque, quæ conclusæ erant, (αἱ κατάκλειστοι τῶν παρθένων) alias ad vestibulum & portas concurrisse, alias ad parietes, quasdam per fenestras

Pintus quoque in Iesai. cap. 7. p. 38. ait legendum esse, *adolescentula*, & pro eo alterum irrepsisse vitio typographorum. Et nonnullos codices lati nos veram lectionem exprimere.

* Exercit. Anti Baron. pag. 119.

Confer quæ ad Exod. 38. 8. diximus.

exerto collo proſpectaſſe. Hæc Baronius de recluſis in templo virginibus, & voto religionis obſtrictis intellexit. At in Græco textu nulla templi, nulla Oniæ Pontificis mentio. Hic tamen (Onias) importune à Latino interprete in textum intruſus, frivolam illam hariolationem nonnihil videtur confirmaſſe. Gloſſa ordinaria, *Virgines quæ concluſæ erant*] *id eſt, de domibus parentum non exibant ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis: tamen in illa perturbatione exibant præter morem ſolitum currentes ad Oniam.* Similis locus eſt 3. Machab. 1. 15. ubi in ſimili urbis ἀγωνίᾳ narrat author, τὰς κατακλείσ͜ους παρθένους ἐν θαλάμοις *id eſt incluſas in thalamis virgines cum matribus erupiſſe, &c.* Notat ibidem doctiſſimus ſcriptor, apud Hephæſtionem extare hoc Lyrici Poëtæ fragmentum,

Ἡ παῖς ἡ κατάκλειστος,
Τὴν οἱ φασὶ τεκόντες
Εὐναίους ὀαρισμοὺς
Ἔχειν ἴσον ὀλέθρῳ.

Atque huc pertinet egregius ille locus in Machabaïco Ioſephi, cap. 18. *Caſta Virgo genita ſum, neque unquam* ὑπερέβην πατρικὸν οἶκον. Hoc vere eſt κατάκλειστον εἶναι, καὶ θαλαμευομένην. Nam & hoc nomine virgines à Græcis ſcriptoribus inſigniuntur. Talem deſcribit Heſiodus, 2. ἔργων καὶ ἡμερῶν,

Ἥ τε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει.

Hoc decorum eſſe notus ille Euripidis verſus in Oreſte docet, Εἰς ὄχλον ἕρπειν παρθένοισιν οὐ καλὸν, *Foras puellæ ut prodeant parum decet.* Inter laudes quoque honeſtæ matronæ illa non poſtrema eſt, quod pedem domo raro efferat. Unde eas Græci οἰκουροὺς, (ad Titum 2. 5.) & οἰκουρούσας καὶ οἰκουρικὰς, καὶ οἰκουρήματα, Latini *caſarias* dixere. Qualem matronam repræſentabat Venus inſidens teſtudini, quæ domiporta vocatur. Contra, meretricem à Chaldæis נָפְקַת בָּרָא *id eſt, prodeuntem foras* vocari, quod in domo non habitent pedes ejus, ut de ſcorto loquitur Salo-
Prov. 7. 11. mo, nemo ignorat. Sed redeamus ad עלמה/ Ea hoc loco non virginem ſed devirginatam puellam denotari nonnulli contendunt. Inter quos Mercerus, Druſius & alii. Ipſe quoque

Junius

Junius de lupa perfrictæ frontis interpretatur, sed quæ pro virgine habetur, aut saltem haberi cupit. Et certe in Scripturis tralatitium est, ut vocetur aliquis non ex eo quod revera est, sed quod esse videtur aut creditur. Ita Luna, *luminare majus*; idolum, *Deus*: pseudo-propheta, *propheta* appellatur. Quod si hoc modo meretrix *matrona* vocaretur, quis inde inferret, *matronam* meretricem significare? Existimo ergo, עלמה vi originationis suæ virginem denotare & in scriptura non nisi de juvencula & quæ in flore ætatis est, usurpari. Nec tamen illis accedo, qui Merceri & Drusii sententiâ nobilissimum illum locum Iesaiæ 7. *Ecce* עלמה *concipiet*, prodi existimant. Nam ut ut vox ea indifferens esset ad virginem & devirginatam, illic tamen istam indifferentiam vel solæ istæ voces, הָרָה & אות convulserint.

CAP. XXXI. Noli regibus dare vinum.] Non defuerunt qui his verbis, regibus vini usu interdictum existimarent. Ebr. אַל לַמְּלָכִים שְׁתוֹ יָיִן *non (convenit) regibus bibere vinum.* אַל pro לא/ Bibere vinum sumitur Levit. x. 6. *vinum & siceram non bibes.* Aliter Psal. 69.13. נְגִינוֹת שׁוֹתֵי שֵׁכָר hic enim largiorem & quæ hilaritatis terminos excedit, potationem notat. In eundem modum *οἰνοπότης* quoque & *οἰνοποτεῖν* dicitur, qui vinosus est.

Ibid. date siceram לְאוֹבֵד) Lutherus, *denen, die umbkomen sollen* id est morituris, aut perituris. Hæc verba ita vulgo capiuntur; ac si iis contineretur mandatum de propinando illis vino, qui capitali supplicio afficiendi sunt. Et certe huic loco natales debere suos videtur prisca illa & non improbanda consuetudo, qua olim facinorosi ad supplicium ituri haustu vini reficiebantur, quo præsenti magis animo fatum exciperent. Quod vero, ad occasum jam vergente Ebræorum republica, morituris omnem rationis usum expectoraverint, quod etiamnum multis in locis facinorosi, instante supplicii tempore, ad ebrietatem impleantur, aut bibere permittantur, id vero plusquam belluinum est. De Judæis testem habemus Maimonidem, cujus in Halacha Sanhedrin cap. 13. hæc verba sunt, *postquam vero confessus est, potionant eum grano thuris in calice vini,* שֶׁתִּטָּרֵף דַּעְתּוֹ עָלָיו וְיִשְׁתַּכֵּר *ut tollatur ab eo intellectus & inebrietur.* Hoc est, ut externatus & inebriatus careat sensu doloris & horrorem supplicii minus attendat. Atque ad hanc consuetudinem referunt

interpretes, quod de *ὄινῳ ἐσμυρνισμένῳ* id eſt, interprete Syro, *vino cui mixta erat myrrha*, Marcus in hiſtotia paſſionis prodidit. Ut vel Maimonides ſpeciem pro ſpecie poſuerit, vel thuri addita fuerit myrrha. Certe de myrrha illud conſtat ex Galeno libro de ſimpl. medic xv. 19: eam, ſi largius cum vino bibatur, vel obumbrare mentem vel accelerare fatum. Sed & ex Apulejo liquet, verberandos præſumptione myrrhæ ſe munire ſolitos fuiſſe. *Indidem*, inquit, *ſe multimodis commaculat ictibus, myrrhæo præſumptione munitus.* Et libr. x. *obfirmatus myrrhæ præſumptione multis ictibus & ne ipſi quidem ſuccubuit.* Atque huc facit, quod doctiſſimus Hiſpanus, *Laurentius Ramirez* in Pentecontarcho notavit, ſicuti Romani olim, ſemine Erucæ in vinum infuſo, ita etiamnum in Hiſpania, eos; qui tormentis ſubjiciendi ſunt, thure & myrrha (nota) ſe indurare, atque eo modo ſeveros judices eludere. Sed redeamus *εἰς παρέκβασιν*, ex qua divertimus. Aliud eſt dare ſiceram, aliud eſt inebriare & uſum rationis tollere. Sed nec ulla neceſſitas eſt per אוֹבֵד *moriturum* intelligere. Poteſt enim de paupere exponi ut hoc dicat; *date ſiceram pauperi*, cujus res & fortunæ pereunt, quem etiam Belgæ idiomate ſuo perire dicunt, *hy gaet verloren.* Eam interpretationem firmant frequentia, *Bibat & obliviſcatur* רִישׁוֹ *paupertatis ſuæ.* Sic AbenEzra eandem illam vocem exponit Deut. xxvi. 4. אֲרַמִּי אוֹבֵד אָבִי *pater meus erat pauper Syrius*, quid eſt OBED inops, omnium egenus. In cujus loci interpretatione impegit vulgatus, quando ita vertit, *Syrius perſequebatur patrem meum*, quem etiam B. Lutherus ſecutus eſt. Hoc enim eſſet מְאַבֵּד vel מַאֲבִיר / Quod ſi vero lubeat vocem Ebræam paulo laxius accipere pro *miſero, mœſto*, tunc illi qui ex ſententia judicis morituri ſunt, ea voce, tanquam ſpecies genere, continebuntur. Hæc laxior interpretatio firmatur ex altero hemiſtichio, *& vinum illis qui amaro ſunt animo*; Nihil enim frequentius eſt in hoc libro, quam illud quod primo hemiſtichio dictum eſt, altero diverſis verbis repetere. Hinc Lxx. *δότε μέθην τοῖς ἐν λύπαις.* Et vulg. *date ſiceram mœrentibus.* Junius *date ſiceram perituro*, hoc eſt, ei qui præ anxietate & amaritudine animi prope eſt ut pereat. Atque ita reddunt locum illum Deuteronomii: *Syrus miſer erat pater meus.* Hinc orta videtur ea conſuetudo, qua calice conſolationis recreabantur, qui ſuos ſepeliverant, de

quo Jeremias XVI. 7. Dices, si *bibere vinum* vers. 4. est inebriare annon *dare vinum*, hoc loco erit inebriare? Respondeo, concessionem esse, cujus iste sensus est, Si quando largius bibere oporteret vel liceret, magis id conveniret miseris & afflictis, quam regibus. Illi enim obessent nemini. Hi officii sui facile obliviscerentur. Adhæc, miseris & afflictis unicum fere & facillimum comparatu & præsentissimum curarum levamen vinum est, Regibus vero, præter vinum, innumera suppetunt alia, queis animum laxare & vires laboribus exhaustas redintegrare queant.

ECCLESIASTES.

CAP. I. vers.

VAnitas vanitatum] De voce הבל, quæ in Ebræo, diximus pag 238. August. libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ, cap. XXI. de vana cognitione & mundo hoc fugiendo verba faciens, locum istum ita citat, *Vanitas vanitantium.* Verba doctissimi patris ista sunt, *Huic ergo authoritati, si de veteri testamento quæram quid comparem, plura quidem invenio, sed unus Salomonis liber, qui Ecclesiastes dicitur, copiosissime in summum contemptum ista perducit. Incipit enim sic,* vanitas vanitantium, dixit Ecclesiastes, &c. *Hæc verba omnia si attendantur, si pendantur, si discutiantur, multa inveniuntur per necessaria illis, qui hunc mundum fugere & refugere in Deum desiderant. Sed longum est & alio festinat oratio. Tali tamen principio constituto, exequitur omnia, vanitantes esse eos, qui rebus istiusmodi falluntur.* Hæc Aug. fœdo imperitissimi librarii errore deceptus. Ipse hoc agnovit, retractationum lib. I. cap. VII. *Quod posui,* inquit, *de libro Salomonis,* vanitas vanitantum, *in multis quidem codicibus legi, sed hoc Græcus non habet. Habet autem, vanitas* vanitatum. *quod postea vidi, & inveni eos Latinos esse veriores, qui habent* vanitatum. *Ex occasione tamen hujus mendositatis quæcunque disserui, vera esse in rebus ipsis apparent.*

CAP. IV. 15. cum juvene secundo, quis resurget pro eo?] Ita legit Ambrosius, & per juvenem secundum, Christum intellexit. Ambros. de instit. virg. cap. 12.

tellexit. Paulo poſt, eodem tamen capite, iſta ſubjicit, *Ipſe ergo ex Iſrael tranſivit hanc portam, ipſe dux ſedit in ea quando verbum caro factum eſt & habitavit in nobis, quaſi rex ſedens in aula regali uteri virginalis vel in olla ferventi, ſicut ſcriptum eſt,* Moab aula ſpei, vel olla ſpei meæ. *Vtrumque enim diverſis in codicibus invenitur. Aula regalis eſt virgo, quæ non eſt viro ſubdita, ſed Deo ſoli. Eſt & olla uterus Mariæ, quæ ſpiritu ferventi, qui ſupervenit in eam, replevit orbem terrarum, cum peperit ſalvatorem.* Confer nunc ea quæ ſupra ad Pſalm. Lx. notavimus. Ebræa ita habent ad verbum, interpretibus Pagnino & Aria, *Vidi cunctos viventes ſub ſole cum nato ſecundo, qui ſtabit pro eo.* אֲשֶׁר־יַעֲמוֹד תַּחְתָּיו / Lxx. quoque ὃς στήσεται ἀντ' αὐτοῦ. Vulg. *qui conſurget pro eo.* Hoc vult, opinor, plures adorare ſolem orientem quam occidentem. A qua ſententia immane quantum aberravit Ambroſius.

CAP. IX. Neſcit homo utrum amore vel odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta] Valde vexatus eſt hic locus à Theologis, tum in controverſia de Verbo Dei & vulgatæ Editionis authoritate, tum etiam in controverſia de certitudine ſalutis. Omnes illi qui adverſus primam controverſiam Bellarmini ſcripſerunt, hunc locum diligentiſſime examinarunt. Sed & illi, qui tomum ultimum ſibi examinandum ſumſere. Vide Pareum, Ameſium, & prolixiſſime hunc locum tractantem Chamierum, tomo 3. πανστρατιᾶς catholicæ. Librum, caput, & paginam index tibi monſtrabit: Lubet autem hic quoque exhibere ſententiam reverendi viri, *D. Ludovici de Dieu*, amici noſtri, qui in privata ad me epiſtola ita inſit. Addo verſum 1. capitis IX. unde Pontificii Herculeum ſcutum fingunt pro incertitudine gratiæ. Videtur mihi in ſola diſtinctione erratum, qua obſervata, locus planus evadit. Sic verto, *Juſti & ſapientes, & opera eorum in manu Dei ſunt, etiam amor & odium*; (certe hic eſt accentus rebiang) *non norunt homines quicquam eorum quæ ante ipſos ſunt.* Dicit ergo, amorem & odium, ſicuti juſtos & opera eorum, in poteſtate Dei eſſe. Vident homines ante ſe, quibus benè, quibus male ſit. At quinam Deo inviſi, quinam cari ſint, non norunt, &c. Hactenus doctiſſimus ille verbi divini interpres. In cujus expoſitione acquieſco. Liceat quoque adjicere expoſitionem Salmeronis Jeſuitæ, quæ extat in comment. ejus ad 2. Cor. 12. diſp. 14. *Hic* locus, inquit, nequaquam probat

quod

quod aliqui inde accipiunt, hominem neſcire amorem Dei erga ſe, quia ſequitur in textu, *vel odio, &c.* At impii propter maxima ſua ſcelera norunt ſe maxime dignos eſſe odio Dei. Hæc Jeſuita.

CAP. XI. Si ceciderit lignum ad auſtrum, &c.) Ad hunc locum vide Chamierum tomo 3. libro de purgat. cap. xxx.

CANTICUM.

CAP. II. verſ. 4.

ORdinavit in me charitatem.] Huic loco ſuperſtruxit Thomas prolixiſſimam diſputationem, de ordine charitatis, ſecunda ſecundæ quæſt. 26. Et Magiſter lib. 3. diſtinct. 29. Multa fateor, illic bona ſunt; at hunc locum eo non pertinere intrepide affirmo & pronuntio. Ebræa ita habent, וְדִגְלוֹ עָלַי אַהֲבָה Pagn. Arias, *& vexillum ejus ſuper me amor.* Jun. *habens pro vexillo amorem erga me.* דֶּגֶל extra controverſiam *vexillum.* Lxx. legerunt דִּגְלוּ / reddunt enim τάξατε ἐπ' ἐμὲ ἀγάπην. & Symm. ἐπισωρεύσατέ μοι ἀγάπην, *coacervate mihi caritatem.* At quid vidit vulg. quando reddidit, *ordinavit?* In דגל nulla ordinis ſignificatio eſt. Atque hic locus in memoriam mihi revocat celebrem illum locum Roman. XIII. 1. ubi in vulg. vulgo legitur, *quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt.* In jure Canonico, extravagant. comm. lib. 1. titulo de major. & obed. cap. 1. Bonifacius VIII. ex verbis Apoſtolorum, *Ecce duo gladii hic*, id eſt, in Eccleſia, & reſponſione Chriſti, *Satis eſt*, prolixe diſſerit de duplici gladio, ſpirituali & materiali, utrumque eſſe in poteſtate Eccleſiæ, hunc pro Eccleſia, illum ab Eccleſia exercendum: illum manu ſacerdotis, hunc manu regum, ſed ad nutum Pontificis eſſe ſtringendum. Gladium eſſe ſub gladio &c. Hoc vero probat Bonifacius ex Rom. cap. XIII. quæ autem ſunt à Deo, ordinata ſunt. Verba ejus hæc ſunt. *Oportet autem gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubjici poteſtati. Nam cum dicat Apoſtolus*, non eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo, ordi-

ordinata sunt, *non autem essent ordinata, nisi gladius esset sub gladio, & tanquam inferior reduceretur per alium in suprema.* At qui Græce intelligunt, sciunt τάσσω etiam esse *constituere.* & usurpari quoque sine ullo respectu ordinis. Unde & Emm. Sa vocem *ordinata*, interpretatur, *posita.* Abutitur quoque hoc Apostoli loco Thomas, quando prima secundæ quæst. 102. art. 1. quæstionem illam, utrum cerænonialia præcepta habeant finem, sic definit, *cum sapientis sit ordinare secundum Philosophum in 1. Metaphys. ea quæ ex divina sapientia procedunt, oportet esse ordinata, ut Apostolus dicit ad Romanos.* Locus autem iste in conclusione ita quoque distinguitur, *Quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt.* Atqui Græca alium plane sensum habent. αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ θεοῦ τεταγμέναι εἰσὶν quæ autem sunt potestates, â Deo ordinatæ, id est, constitutæ sunt. Unde in Editione Clementis locus iste sic legitur & distinguitur, *quæ autem sunt, à Deo ordinatæ sunt.* Vide & Erasmum.

SIRACH.

Cap. XVIII. vers. 1.

QUi vivit in æternum creavit omnia simul.] Ab hoc, opinor, loco, si non ortum, at saltem præcipuum robur habet vetus illa & nondum ex scholis explosa opinio, Deum omnia uno die creasse. Augustinus ut hanc sententiam defendat, omnes ingenii sui vires intendit. Libro de civ. Dei XI. cap. 9. *Nimirum ergo si ad istorum dierum opera pertinent angeli, ipsi sunt lux illa, quæ diei nomen accepit. Cujus unitas ut commendetur, non est dictum,* dies Vide supra pag. 175. primus, *sed* dies unus. *Nec alius est dies secundus aut tertius aut cæteri, sed idem ipse unus ad implendum senarium vel septenarium numerum repetitus est, propter senariam vel septenariam cognitionem.* Sed vide illum argutius philosophantem cap. VII. ejusdem libri, & libro 4. de Genesi ad literam cap. 33. ubi multa de cognitione matutina & vespertina. per vesperam intelligit obscuriorem cognitionem Angelorum, qua res in se ipsis cognoscunt. Scientia enim

enim omnis creaturæ, inquit, reſpectu creatoris quaſi veſpera-ſcit. Per mane vero vel matutinam cognitionem, eorundem cognitionem perfectiorem intelligit, qua res creatas in Deo intelligunt. Luceſcit enim & quaſi matutina fit cum ad laudem & dilectionem creatoris refertur. Procopius Gazæus numerum dierum non temporis gratia à Moſe aſſumptum eſſe putavit, ſed tantum docendi gratia, ob noſtri intellectus imbecillitatem, quæ rerum creatarum ordinem propter earum multitudinem alio modo comprehendere non poterat. Eandem ſententiam conſtabilitum ivere ex cap. 2. Geneſ. verſ. 4. *in die quo fecit Dominus cœlum & terram & omne virgultum*, &c. an Deus omnia uno die creaverit. Quid ad eum locum reſpondeat Thomas parte 1. qu. 74. art. 2. non ignoramus. Exiſtimamus tamen facillimam reſponſionem iſtam eſſe, diem pro tempore poſitum. Unde & Junius, *qua die*, id eſt, quo tempore, quomodo & *Sa* vocem illam interpretatus eſt. Cæterum locum iſtum Sirach quod attinet, ad eum varie reſponderunt interpretes, qui paradoxam illam Auguſtini ſententiam longe à ſe ſpreverunt. Non lubet omnia producere. Duæ reſponſiones ſuffecerint. quarum prior eſt, omnia ſimul, hoc eſt uno tempore creata eſſe quantum ad rerum ſubſtantiam quodammodo informem. Ita & Thomas in ſumma, parte 1. qu. 74. art. 2. Carthuſ. *omnia ſimul id eſt primo die creata dicit in materiis & formis ſubſtantialibus.* Altera, eaque ſimplicior, in Græco eſſe κοινῆ, quæ vox hic non ſignificet tempus, ſed comprehenſionem partium, q. d. tam hoc quam illud. Janſenius ad hunc locum, τὸ ſimul, *non identitatem temporis deſignat, ſed univerſa ſine exceptione comprehendit, ſicut apud Joh. Omnia per ipſum facta ſunt*, &c. Ita & Cornel. à Lapide ad Geneſ. 1. Simul, inquit, *non referendum eſt ad* creavit, *ſed ad*, omnia. & Genebr. ad Pſalm. 32. Ebræis & nobis 33. *Deus creavit omnia ſimul, id eſt, nullo dempto, ad unum omnia, ne quis exiſtimet Deum aliqua non creaſſe cum Manichæis.* Verbo, Græcum κοινῇ reſpondet Ebræo יַחַד vel יַחְדָּיו/

CAP. XXIV. 3. Ex ore altiſſimi prodii, primogenita ante omnem creaturam.] Hæc poſtrema verba citantur à Bellarmino, ubi de Chriſti Deitate diſputat & Magiſtro Sent. parte 1. diſt. 2. litera F. & Thoma parte 1. quæſt. 41. art. 3. & aliis. Sed moneo lectorem meum, verba iſta in Græco non extare. Pro-

cul dubio ex Epistola ad Col. I. 15. huc transcripta sunt.

CAP. XLIV. Henoch—translatus est in Paradisum:] Et hic moneo, illas voces, *in Paradisum*, non extare in Græco. De Henoch secundo, septimo illo ab Adam, variæ moventur quæstiones ab Interpretibus. Inter alias & istæ sunt. I. Utrum mortuus fuerit. Affirmant Ebræi plerique, R. Sal. AbenEzra, Brigtmannus in Apocal. Non Calvinus, ut ait Corn. à Lapide. Negant Kimchi, Chaldæus & omnes fere interpretes, freti authoritate Apostoli Ebræorum XI. II. Quo translatus sit? 2. Reg. 2. Elias dicitur assumptus esse in cœlum. At per *cœlum* aërem multi intelligunt, per quem translatus sit in Paradisum terrestrem. Kimchi dicit, hanc esse sententiam Sapientum. Ita & Bell. Senensis, Thom. parte I. quæst. 102. art. 2. & pag. 3. qu. 49. art. 5. & universa fere Schola. Primarius tibicen quo hæc sententia sustentatur, est locus iste Sirach. Cum enim Elias & Henoch Apoc. XI. 3. ex pontificiorum sententia conjungantur, rationi consentaneum esse putarunt, eos unum eundemque locum incolere. cum ergo Henoch hoc loco in Paradisum dicatur translatus, putarunt rem quoque de Elia confectam. Quin & Senensis libro V. annot. 36. ex hoc loco coarguit Steuchi sententiam, qui negabat Henoch & Eliam in terrestrem Paradisum translatos esse, atque huic tantum insistens monimento, non erubescit asserere, illam sententiam spectare ad fidem. Sed infirmum istud munimentum est. Præterquam enim quod necdum probatum est, per duos illos testes in Apocal. Henoch & Eliam intelligi, illud constat, voces illas, *in Paradisum*, in Græco non comparere. Ita respondent, Serarius loco prædicto, Bellar. & Jansenius in comm. & alii. Et tamen Clemens VIII. voculas istas in Editione sua retinendas esse censuit.

III. Quæritur, ubi post diluvium fuerint Henoch & Elias. Fuerit Henoch in Paradiso usque ad diluvium. At postquam aquæ diluvii eum subvertêre, quo translatus sit, non de nihilo quæritur. Hic multi negant Paradisum diluvii aquis eversum fuisse, inter quos & Bellarm. de Gratia primi hominis, lib. I. cap. 12. & 14. Senensis ut terrorem secus censentibus incutiat; ait hoc esse de fide, rursusque loco huic Ecclesiastici hæret, arripitque insuper illa verba, *ut det gentibus pœnitentiam.* Nec *fas est*, inquit, *hoc testimonium de cœlesti Paradiso intelligere, quoniam non conve-*

convenit, ut quis inde descendat ad prædicandum pœnitentiam. At ubi hoc dicit Sirach? Græca sunt, μετετέθη ὑπόδειγμα μετανοίας ταῖς γενεαῖς ad verbum, *translatus est exemplum pœnitentiæ generationibus.* Hoc certe aliud est, quam transferri in Paradisum, ut inde redeas ad prædicandam pœnitentiam. Adscribam verba eruditissimi Jansenii, quæ extant in comm. ejus ad hunc locum. *Henoch & Elias tempore Anti-Christi ex Paradiso venturi putantur ad prædicandum omnibus pœnitentiam, adquod confirmandum plerique hunc locum solent adducere. At ad hæc comprobanda non multum valet locus iste juxta Græcorum lectionem. Ea enim, ut satis patet, tantum significat, Henoch ex hoc mundo translatum, idque in exemplum pœnitentiæ omnibus generationibus, ut scilicet ex ejus translatione omnes intelligentes Deo curæ esse, qui illi student placere, etiam ipsi convertantur & pœnitentiam agant. Possunt etiam Græca sic intelligi, ut cum dicitur Henoch translatus exemplum pœnitentiæ generationibus, significetur, eum translatum, quia cum viveret, erat omnibus exemplum pœnitentiæ, &c.* Hæc ille. Redeamus ad quæstionem propositam. Diximus non deesse, qui Paradisum adhuc superesse existimant, illique incolas Henochum & Eliam assignant. At Genebr. Corn. à Lapide, Serarius, Jansenius, Steuchus, Pererius & alii in ea versantur sententia, Paradisum aquis diluvii vastatum fuisse. Horum ergo alii amœnam aliquam, eamque secretam terræ regionem, alii cœlestem aliquem locum, prout cœlum ab aëre distinguitur, eis assignant. Alii sibi de loco non liquere respondent. Serarius. *Dico, vel incertum esse locum, vel in superiori mundo.* At Corn. à Lapide comm. in Genes. p. 95. *Post diluvium agit in loco aliquo amœno, quem Deus illi sive in aëre, sive in terra præparavit, ad quem post diluvium raptus est Elias.* Audiamus & R. Salomonem ad 2. Reg. 21. *Fieri non potest, ut intelligatur ascendisse in cœlum. Quia illuc non ascendunt ista corpora. Sed hoc vult historia, sublatum eum fuisse in altitudinem aëris, sicuti dicunt, urbes magnæ & munitæ in cœlum usque id est in aërem, &, turris cujus caput pertingebat ad cœlum usque, &c. Et ecce tulit eum spiritus Domini in legatione Domini in locum jam ignotum, atque ibi etiamnum vivit, &c.* Certe in eo cum Pontificiis conspirat Rabbinus, in cœlum beatorum haudquaquam assumptum fuisse Eliam.

IV. Ubi jam post adscensionem Christi sint Henoch & Elias?

Ne nunc quidem cœlum beatorum iis tribuunt Pontificii. Et quare? Quia sic jam viderent Deum, non essent amplius viatores. At sunt adhuc viatores, corpus eorum necdum est glorificatum. Unde hoc probant? Rursus reponitur illa crambe, *ut det gentibus pœnitentiam*. Rursus adducitur locus Apocalypseos, ubi duo isti testes tempore AntiChristi redituri & mortem oppetituri dicuntur. Ad quæ jam responsum est. Ad postremum hoc addo, locum istum de duobus testibus magis incertum illos reddere, qui illis tertium Collegam adjungunt, Johannem vid. Euangelistam. Inter eos sunt Catharinus, Salmeron & Baradius. *Putant enim*, verba Corn. à Lapide in Genes. pag. 95. col. 2. A. *Henoch & Eliam, uti & S. Johannem Euangelistam, necdum esse mortuos, ideoque eos adhuc habere mortalia corpora, venturosque esse contra AntiChristum & ab eo martyrio afficiendos.* Istam autem sententiam de Johanne superstruxerunt mendoso isti loco, Johan. XXI. *Sic eum volo manere, donec veniam*, ad quem prolixius suo loco. Sed istam sententiam merito castigat Cornelius, & ad locum Joh. 21. cordate respondet, loqui Christum non assertive, sed conditionate, idque ad retundendam curiosam Petri interrogationem, *Domine, hic autem quid?* Quod vero addit. *Sic eum volo manere*, idem esse quod, *Si eum volo manere, ut alii codices legunt*, condonandum est Cornelio. Maluit enim ineptus videri, dummodo veram sententiam ostenderet, quàm textum vulgatum, & qui eum ad minimum Jota servandum sanxit, Pontificem, erroris arguere. Aliàs vel pueri norunt, quid *Sic* & *Si* distent. Scimus præstantissima ingenia in papatu tyrannide premi, & ora liberiora, ne veritatem proloquantur, superiorum authoritate oppilari. Ideo quod diserte pronuntiare non audent, per ambages & mæandros innuunt. Nos, ubi Henoch & Elias ante Christi in cœlos introïtum fuerint, non disputamus. Qui scimus magno isti [a] Calvino & [b] Martyri hic rationes dubitandi fuisse. At post gloriosam ejus ἀνάβασιν eos tertii istius cœli incolas fuisse credimus & profitemur.

Vide supra pag. 556.

[a] Comm. in Genes. v.
[b] Comm. in 2. Reg. 2.

Finis Libri tertii Antibarb.

LECTORI

S. P.

CUM opus hoc Typographo excudendum daremus, omnino sedebat per omnes veteris novique fœderis libros ire, & quæ jam pridem ad insigniora quædam eorum loca collegeramus, uno volumine, eoque in sex libros digesto, tibi repræsentare. Quin & animus erat ad operis calcem exercitationes quasdam super antiquitatibus & ritibus quibusdam Ebraïcis, nec non dogmatibus quibusdam Judæorum, mantissæ loco adjicere. Sperabamus enim omnia ista justi voluminis molem non excessura. Hinc est quod pag. 259. dissertationem de circumcisione & phrasi illa, *Excindetur anima ista è medio populi*, nec non pag. 445. sententiæ Kimchianæ expositionem in locum alium rejecerimus. Eum vid. quem jam diximus. Cæterum cum opus hoc sub manu immane quantum nobis creverit, uti hic vides, necessitatem nobis impositam putavimus hic abrumpendi. Et profecto non abs re fuerit, in hac prima operis parte doctorum judicia experire. Si enim censebunt, laborem hunc nostrum juventuti non esse utilem, sat chartæ & operæ perdidimus. Si vero benigniorem calculum ponent, & Deus O. M. otium & valetudinem dederit, post exigui temporis spiramentum habebis partem universi operis alteram, vid. librum, quartum, quintum & sextum. Quorum prior circa prophetas majores minoresque; alter circa Euangelistas & Acta Apost. postremus denique circa reliquos novi fœderis libros occupabitur. Istis vero, appendicis loco adjicie-

jiciemus exercitationes quaſdam de judiciis & ſuppliciis, funere, feſtiſque Ebræorum, de Aſylis כָּרֵת / מִיתַת בִּידֵי שָׁמַיִם itemque מַכַּת מַרְדּוּת aliiſque in Ebræorum ſcriptis paſſim obviis. Quia vero de כָּרֵת & circumciſione & ſententia Kimchii περὶ τῆς διαμονῆς τῆς ψυχῆς jam mentio facta eſt, quæ de iſtis jam parata habebamus, hic exhibere libuit.

AD LOCUM.

Gen. XVII. 14.

Aben Ezræ commentarius ſuper loco Gen. XVII. 14. *Variæ Ebræorum ſententiæ de ſupplicio quod* Chereth *id eſt, exterminium vocant. Iunii, Deodati, Merceri & aliorum ſententia, pœnam capitalem non denotari. Aliorum opinio, pœnam capitalem ſignificari. Eorum ratio. Quid ad eam reſpondeant Ebræi. Quid ſit* התראה *apud Thalmudicos. De examine teſtium apud Ebræos uſitato. Vbi mors ſimpliciter nominatur, ſtrangulationem; ubi* ſanguis ſuper eum, *lapidationem intelligunt Ebræi. De die circumciſionis. Eum ex lege fuiſſe octavum, etiam ſi in Sabbathum incideret. Aliquando in* 9. 10. 11. *&* 12. *incidiſſe. Iſtius traditionis fundamentum. Circumciſio impellit Sabbathum ſi incidat in tempus ſuum. Non item ſi loco ſuo jam mota ſit, aut ſi ſit dubitatio. Quid ſit, dies legalis non eſt à tempore ad tempus. Alia.*

De Chereth, vide Maim. ad cap. 10. Sanhed. Miſn. Verba AbenEzræ ad verſ. 14. cap. XVII. Geneſ. iſta ſunt, ימול יפעול למו כי ידור נדר / והוא מן ונמלתם את בשר־ערלתכם וטעמו אם היה בר מצוה ולא ימול את בשר ערלתו יש עליו כרת / כי מצות הנער קטון על האב ואם אביו לא מלהו ימול עצמו בהיותו ברשותו וכרת בידי שמים / והטועים יחשבו כי אם מת הנער ולא נמול אין לו חלק לעולם הבא, ואין הנפש כרצונם כי נפש כמו איש וטעמו גוף שיש לו נפש וכן נפש כי תחטא וי״א כי כרת המות קודם נ״ב שנה וי״א כי כרת שיכרת שמו במות זרעו / על כן אמר הכתוב מעמידה כי מי שיש לו בנים כאלו הוא חי ושמו / לא נכרת id eſt, immol *eſt formæ* jiphgnol, (id eſt futurum Kal) *inſtar*, chi jiddor,

dor neder, *ubi voverit votum, &c, estque ejusdem conjugationis cum* ונמלתם & circumcidetis carnem præputii vestri Gen. 17. 11. *& sensus est, si fuerit filius præcepti* (id est, jam XIII. annum supergressus, quæ ætas singulis Judæis Legis Mosaïcæ jugum imponit) *& non circumciderit carnem præputii sui, ei incumbit* כָּרֵת id est, *exterminium. At præceptum quod ad parvulum spectat, patri incumbit. Quod si ergo pater eum non circumciderit, ipse se circumcidet, ubi jam sui juris est.* Chereth *autem ab ipso Deo* (Ebr. cœlo) *infligitur. Errant qui existimant, puerum sine circumcisione ex hac vita discedentem non habiturum partem in futuro seculo. At vox* נפש anima, *non significat id quod illi volunt. Nam* נפש *hic idem est quod* איש / *& significat corpus, in quo est anima, ut,* anima cum peccaverit, Levit. 4. 2. *Et sunt qui dicunt, per* Chereth *intelligi, cum quis moritur ante annum* LII. *Alii, cum alicujus nomen exscinditur extincta posteritate. Ideo dicit Scriptura,* מעמיה ex populis suis, *Nam qui filios relinquit, est ac si viveret, & nomen ejus non exscinditur.* Hæc Aben. Moses Maimon. Halacha de pœnit. cap. 8. exponit in hunc modum, יכרת ברשעו ואבד כבהמה וזהו כרת כתובה בתורה שנאמר הכרת תכרת הנפש ההיא / hoc est, *exscindetur ob impietatem suam & peribit ut bestia. Atque hoc intelligitur per illud* Chereth, *quod extat in lege, quando dicitur,* & excindendo excindetur anima, &c. Addit, ex traditione habet, illud הכרת *exscindendo*, ad sæculum præsens: תכרת *exscindetur*, ad futurum seculum pertinere. Equidem non ignoro, quomodo hic sudent interpretes, ut lectoribus persuadeant, Maimonidem ἀθανασίαν impiarum animarum non negare: Sed & illud scio, vocem illam כבהמה *sicut bestia* à Maimonide, si ita sensit uti interpretes eum sensisse volunt, non fuisse adhibendam. Moses Kotsensis in libro præceptorum magno, quem סמ״ג id est, סֵפֶר מִצְווֹת גָּדוֹל vocant, fol. 35. columna. 3. ait כרת esse cum quis ex hac vita discedit inter L. & LX. annum. Et paulo post ex alterius sententia, מת קודם ששים וזהו מיתת כרת id est, *qui moritur ante LX. annum, ille moritur morte* Chereth. Ibidem distinguit inter *Chereth* & עֲרִירִי id est, eum qui ἄτεκνος & illiberis moritur. R. Salomo utrumque conjungit, dum illa verba, *exscindetur anima*, ita interpretatur, הולך ערירי ומת קודם זמנו id est, *abibit ex hac vita sine liberis & morietur ante tempus suum.* Respexere, opinor, ad Levit. 20. vers. 20. & 21 vers. 20. ערירים *morientur*, vers.

21. עריריים *erunt*, quæ ſubtilius diſtinguit R. Salomo in hunc modum, *Si habet liberos, ſepelient eos. Si non habet, morietur illiberis. Hæc duo diſtinguit duobus iſtis textibus*, Sine liberis morientur. *Si habent liberos tempore tranſgreſſionis, orbi erunt quando morientur, nam ſepelient eos, iiſque ſupervivent.* Sine liberis erunt, *Si non habent liberos tempore tranſgreſſionis, manebunt reliquo vitæ ſine liberis, &c.* Ebræi ergo hanc pœnam ſoli Deo relinquunt. Cl. Junius, licet ab his diverſus abeat, non agnoſcit tamen capitale ſupplicium. Hoc enim ad Gen. 17. 14. ejus ſcholion eſt, *hic & in futuro ſæculo à ſanctorum conſortio excludetur.* Deodatus, *ſicuti ego non habebo eum pro membro mei populi, ita etiam excommunicetur ex Eccleſia.* Ita & Genev. Atque hi omnes, ubicunque eadem phraſis recurrit, Lectorem ſuum ad hujus loci annotationem ablegant. Eadem quoque ſententia placuit *Mercero, Luthero, Calvino* & aliis. Sunt tamen qui capitale ſupplicium à Magiſtratu infligendum ea phraſi denotari exiſtimant. Cui opinioni præſidia quærunt ex ejuſmodi locis, ubi uni eidemque flagitio & mors & כרת decernitur. Ex. gr. Exod. 31. verſ. 14. Levit. 20. confer verſ. 6. & ult. verum ad hæc loca reſpondent Ebræi, diſtinguendo inter flagitia manifeſtaria & occulta. Namque quod ad locum Exod. 31. 14. attinet, ſic ait Maimon. cap. 1. Tract. de Sabbatho §. 2. מהו חייב על עשיית מלאכה אם עשה ברצונו בזדון חייב כרת׃ ואם היו שם עדים והתראה נסקל׃ ואם בשגגתם חייב קרבן חטאת קבועה hoc eſt, *Quid eſt cum dicimus aliquem reum eſſe ob factum opus [in Sabbatho?] Si fecit volens in ſuperbia, reus eſt exterminii. Si ſint teſtes & præmonitio, lapidatur. Si ex errore, tenebitur offerre oblationem ordinarii ſacrificii pro iſthoc peccato.* Eadem invenies in comm. R. Salomonis. Idem Rabbi Salomo ad verſ. ult. cap. 20. Levit. כאן נאמר בהם מיתה ילמעלה כרת עדים והתראה בסקילה׃ מ״ר בלא התראה בכרת ושגגתם חטאה וכן בכל חייבי מיתות שבאמר בהם כרת *Hic*, inquit, *decernitur illis mors: at ſupra* (verſ. 6.) *exterminium. Si teſtes ſint & præceſſerit præmonitio, lapidatio obtinebat. Si ſciens volenſque hoc delictum patrabat, non antegreſſa præmonitione, locum habebat exterminium. Si per errorem, ſacrificio peccatum expiabat. Atque ita ſe res habet cum omnibus reis mortis, de quibus uſurpatur illud* כָּרֵת In quibus verbis obſerva vocem הַתְרָאָה

à no-

à nobis redditam *præmonitio*. Est enim ab Hiphil הַתְרָה / præmonere, protestari. Quia vero doctissimus quidam vir vocem eam solet reddere, *evidentem probationem*, operæ erit locum unum atque alterum nostro interpretamento firmando adducere. Sic ergo legitur in Misna tractatu Sanhedrin, cap. 5. ubi agitur de examine testium in judiciis capitalibus, היו בודקים אותם בשבע חקירות באיזה שבוע באיזו שנה באיזו חדש בכמה בחדש באיזה יום באיזו שעה באיזה מקום / ר׳ יוסי אומר באיזה יום באיזו שעה באיזה מקום / מכירים אתם אותו הִתְרֵיתֶם בו hoc est *Probant eos* (testes) *septem investigationibus, qua septimana* (Glossa, באיזה שבוע של יובל qua septimana Jubilæi id est, ut loquitur Moses Kotzensis, præcepto affirm. 109. באיזו שמטה qua hebdomade annali, quales septem inter singulos Jubilæos interfluebant) *quo anno, quo mense, quoto die mensis, qua feria septimanæ, qua hora, quo loco.* R. Jose *dicit, quo die, qua hora, quo loco (Rogant testes,) an nostis eum, an præmonuistis eum, &c.* Maim. in Halacha Sanhedr. cap. 12. postquam posteriora illa retulisset, hæc adjicit אחד תלמיד חכם אחד עם הארץ צריך התראה שלא נתנה התראה אלא להבחין בין שוגג למזיד שמא שוגג היה id est, *sive aliquis sit discipulus Sapientis*, (id est Sapiens, quomodo olim sapientes se Philosophos appellarunt) *sive Idiota, opus est ut fiat ei talis præmonitio. Namque ea non alium in finem instituta est, quam ut discerni posset inter eum qui ex errore peccat, & eum qui sciens, volens & quasi elata manu peccat.* Et addit וכיצד מתרין בו אומרים לו פרוש או אל תעשה שזו עבירה היא והייב את עליה מיתת ב״ד או מלקות *hoc est, quomodo præmonent eum? dicunt ei, separa te ab isto, aut ne facias, nam transgreßio est, & reus eris mortis infligendæ à domo judicii aut flagellationis, &c.* Qua de re quid sentiam, alias, Deo volente, dicam. Ego certe istius rei præsidium nullum in divinis literis hactenus investigare potui. Et quod ad pleraque flagitia attinet, ex. gr. pulsationem parentum, homicidium, Sodomiam, concubitum cum matre vel filia, an non ipsa natura & conscientia (ut de Lege morali quæ omnib. Judæis nota erat, nihil dicam) illis instar sonori præmonitoris erat? Sed redeamus ad כרת / Thalmudici in Massecheth Cherituth. 36. flagitia recensent, quorum patratores in hanc pœnam incurrant. Observant, omnia illa peccata committi adversus præcepta ne-

gativa, exceptis duobus, quibus affirmativa violantur, quorum alterum de circumcisione Gen. 17. 14. alterum de Paschate agit, Exod. 12. 15. His autem lubet adjicere alium insuper locum ex Maimonide, in Halacha אסורי ביאה id est de illicito concubitu, cap. 1. *Quisquis elata manu se polluit illicito concubitu, ex eorum genere, de quibus in Lege agitur, reus est exterminii. Quod si ex errore peccet, expiet peccatum sacrificio ad hoc destinato. Sunt autem quædam species* עריות *nuditatum, id est, incestuosi concubitus, quæ capite luuntur ex sententia domus judicii,* יתר על הכרת שהוא שוה בכלם *præter exterminium, quod in omnibus pariter obtinet. Omnes qui illicitis libidinibus se polluunt, talibus vid. quæ supplicio capitali ex decreto judicum vindicantur, si fuerint testes, & præmonitio præcesserit, & illi tamen patrent, afficiuntur isto supplicio, quod singulis destinatum est. Etiamsi transgressor fuerit discipulus sapientis, nec morte nec verberibus mulctatur, nisi præcesserit admonitio; Quippe ea introducta est, ut distingueretur inter peccantem elata manu & peccantem ex ignorantia.* (Quid est libidinibus laxare fibulam si hoc non est?) *Inter illicitas mixtiones, queîs capitalia supplicia decreta sunt, quædam strangulatione expiantur. Qui lapidibus obruuntur, isti sunt, 1. Qui rem habet cum matre. 2. cum noverca. 3. uxore filii sui. 4. masculo. 5. bestia. 6. Fœmina quæ admittit bestiam. Isti sunt qui comburuntur: Qui coit cum filia uxoris, dum ipsa adhuc superstes est, cum filia filiæ ejus, cum filia filii ejus, cum matre uxoris & matre matris ejus: cum matre patris ejus, cum filia sua, cum filia filiæ suæ, & filia filii sui. At concubitus cum alterius conjuge strangulatione punitur.* S. S. E. morte morietur adulter & adultera Lev. 20. 10. *Et nota per mortem absolute & simpliciter memoratam intelligi strangulationem.* (Ea enim levissima pœna censebatur inter capitales. Homicidia tamen, de quibus eadem phrasis usurpatur, Exod. 21. 12. gladio punivêre, & tam ex Joh. 8. vers. 4. 5. quam Ezech. 16. vers. 40. & 38. collatis liquet, adulterium olim lapidatione fuisse expiatum) *Si fuerit filia Sacerdotis, illa comburitur, stuprator verò strangulatur. Si puella desponsata, in utrumque lapidatione animadvertitur. Et ubicunque reperitur,* morte morietur, sanguis ejus super eum, *lapidatio intelligitur. Cæteri concubitus solo exterminio puniuntur, neque in illis obtinet capitalis pœna. Quod si tamen testes sint & præmonitio, judices flagellant eum, Nam omnes rei exterminii* (isto casu) *flagris cæduntur.* Hæc Maim. Si autem quæras quinam sint isti concubitus, queis incumbit כרת/ accipe eos à Mose Kotzensi.

vide Kimchium hoc fatentem

Qui

Qui rem habet cum ſorore patris, matris, uxoris, cum uxore fratris ſui, & cum menſtruata.

Hæc ex magna teſtimoniorum ſylva libuit accongerere, ut intelligeres, quid Ebræi de hac phraſi חכרת נפשו ſentiant. De qua re integer extat tractatus in Thalmud, titulo כְּרִיתוֹת / Ego in ſententia Cl. Junii, Deodati, & Genev. acquieſco, quæ in eo cum Ebræorum conſpirat, quod eam à pœna capitali à Judicibus infligenda diſtinguat. Loquor de iſta phraſi *exſcindetur anima ejus.* juvant hanc ſententiam iſta quoque loca, ubi Deus expreſſe ſibi hanc pœnam reſervat, Levit. 17. 10. Levit. 20. 6. *Ego exſcindam iſtam animam*, &c. Nuſpiam vero legitur, *Tu exſcindes iſtam animam*, ſicuti Ex. 22. *Tu maleficam non ſines vivere*, quibus verbis Magiſtratum alloquitur Deus. Rurſus dico, me loqui de iſta phraſi, *exſcindetur anima iſta è populo*, vel, *exſcindetur iſte è medio populi.* Nam quominus hæc extendi poſſint ad omne נכרת quod in ſacris occurrit, ſi non alius. vel unicus ille locus, Dan. 9. 26. *Poſt. 62. ſeptimanas* יכרת המשיח / impediat. Porro de ſuppliciis iſtis, quæ in ſuperioribus memoravimus, prolixius, cum bono Deo, alibi dicemus.

Verbum addam de die circumciſionis, quem octavum Deus eſſe voluit, etiamſi in Sabbathum incideret. Et quidem hoc ſic ſatis rigide obſervatum à Judæis eſt. Namque etiam tempore Chriſti (Joh. 7. 22.) ipſo Sabbatho, ſi in illud dies à natali octavus incideret, hæc ſacra peragebant. Et etiam illud dictitant מילה דוחה את השבת id eſt, circumciſio pellit Sabbathum id eſt, veneratio Sabbathi non impedit circumciſionem. Repertum tamen ab ipſis παραπέτασμα eſt, quod ſuæ ab hac lege ſeceſſioni oppandant. Audi decretum Thalmudicum Maſſecheth Sabbath cap. 19. in Miſna, קטן נימול לשמונה לתשעה ״ יֹאֹ ולשנים עשר לא פחות לא יותר/ הא כיצד כדרכו לשמנה/ נולד לבין שמשות נימול לתשעה/ בין שמשות של ערב שבת נמול לעשתה/ יום טוב לאחר השבת נמול לאחד עשר/ שני ימים של ראש השנה נמול לשנים עשר

hoc eſt, *Infans circumciditur die octavo, 9. 10. & 12. non antea, non poſtea. Quomodo? ordinarie die octavo. Si natus ſit inter Soles,* (id eſt in crepuſculo veſpertino) *circumciditur die nono, Si in crepuſculo veſperæ Sabbathi, circumciditur die decimo. Quod ſi dies ille qui Sabbathum excipit, ſit feſtus, circumciditur die undecimo. Quod ſi duo dies in principio anni*

Sabbatum excipiant, in duodecimum differtur circumcisio. Fundamenta, quibus hæc traditio nititur, refert Maimon. in comment. ad hanc Misnam. Qui nascitur, inquit, inter soles, dubium est utrum die an nocte nascatur. Et quia circumcisio non poterat administrari noctu, (Maimon. in Halacha Mila cap. 1. §. 8. *Non circumcidunt* אלא ביום אחר עלות השמש שנאמר ביום השמיני ולא בלילה *unquam*
Genes. 17. *nisi de die, orto jam sole, sicuti scripsum est, * die octavo, non nocte.* Ideo differunt hujus infantis circumcisionem in diem sequentem, qui à natali nonus est. E. gr. nascitur Rubeni filius die Mercurii in crepusculo vespertino, non circumciditur die Mercurii sequentis septimanæ, sed die Jovis. Nascitur Rubeni filius die veneris in crepuscnlo vespertino, nec die veneris, nec die Saturni circumcidunt, sed differunt circumcisionem in primum septimanæ [ita loquitur Maimonides] id est, diem Solis, à natali decimum. Atqui, inquies, antea dictum, circumcisionem pellere Sabbathum. Audi distinctionem. Ibidem §. 9. מילה בזמנה דוחה את השבת ושלא בזמנה אינה דוחה את השבת ולא את יום טוב *id est, circumcisio quæ fit tempore suo* (id est die 8.) *pellit Sabbathum, atque jam mota est suo loco, nec pellit Sabbathum nec diem festum,* id est, cogitur & Sabbatho & diei festo cedere. Et paulo post, *non pellunt Sabbathum ob dubium,* hoc est si dubium sit, an tempus nativitatis in vespera Sabbathi, diei an nocti annumerandum sit. At si tempus extra dubitationis aleam positum esset, alia erat ratio. AbenEzra ad Lev. 12. 3. *Die octavo circumcidetur,* אמרו ח״ל ביום ולא בלילה והנה הנולד חצי שעה קודם שקיעת החמה יהיה נימול לששה ימים וחצי יום כי יום התורה אינו מעת לעת *id est, Dicunt Sapientes nostri p. m.* die, & *non,* nocte [sc. administrabitur circumcisio] *Quod si infans nascatur dimidia hora ante solem occasum,* (ecce tempus, quod extra dubium diei annumerabatur) *circumcidetur post sex dies & dimidium.* [Etiam Sabbatho] *nam dies Legalis non est à tempore ad tempus.* Hoc est, dies Legalis non accipitur strictè pro die 24. aut 12. horarum, ita vid. ut tum demum dicatur completus, cum eadem diei hora recurrit. Nota, Lector, particulam illam diei natalis, semihorium, synecdochicè pro toto die à Magistris sumi, (eodem plane modo, quo reliquum diei Veneris, quo mundi Salvator expiravit, integer dies censetur.) Si ergo iste dies synecdochicus ad 6. integros adji-

adjiciatur, jam in diem octavum incidit circumcisio. Atque ita AbenEzram in concordiam redigo cum Thalmudicis. Sed quid hoc inquies, post dies 6. & dimidium? Pone, Rubeni natum filium die Sabbathi, dimidia hora ante occasum Solem, adjice ad illum diem sex sequentes, an ergo circumcidetur infans die octavo, qui rursus incidit in Sabbathum, post meridem, elapso vid. jam dimidio diei? Certe omne illud tempus quod ortu & occasu Solis concludebatur, erat legitimum. Maimon. in Halach. Mila, cap. I. §. 8. מל משעלה עמוד השחר כשר וכל היום כשר למילה ואף על פי כן מצוה להקדים בתחלת היום שזריזין מקדימים למצוה *id est, qui circumcidit post ortam columnam auroræ, rite facit: nam totus dies est idoneus circumcisioni; nihilominus tamen jubemur ante capere hoc opus in principio diei. Nam expediti antevertunt præceptum* id est, non in ultimam horam rejiciunt, ut solent ignavi & lentuli. Non audeo tamen asserere, AbenEzram hic adversari vetustæ consuetudini, quæ etiamnum durat, (Buxt. in Synag. Jud. pag. 81. *Vulgo tamen tempore matutino, quando jejunus adhuc est, circumcidi consuevit.*) Quid ergo? Puto eum per dimidium diem intelligere noctem, primam diei naturalis seu ἡμερονυκτίυ particulam. Sed hoc à me dissertum, non assertum. Scio enim AbenEzram à Thalmudicorum scitis non semel recedere.

Habes, Lector, compendium eorum, quæ de tempore circumcisionis Ebræi notarunt & etiamnum observant. Habes simul in hoc [& habebis postea plura] evidentissimum exemplum istius prævaricationis, quam ipsis objectat Salvator, Marc. 7. *Sane belle aboletis mandatum Dei, ut traditionem vestram servetis.*

AD LOCUM
Psalm. I. vers. 5.

Pio, & πολυΐστορι Iuveni-Viro,

D. IOHANNI COCCEIO,
meo in Thalmudicis studiis consecraneo,

S. P.

Non ignoras, eruditissime Cocceje, aliquando anxie inter nos quæsitum fuisse de germano sensu verborum Kimchii, quæ ad vers. 5. primi Psalmi commentatus est. Occæcaverat nos tot doctorum præjudicium, qui Kimchii verba in eam sententiam citare consueverunt, tanquam si διαμονὴν impiarum animarum, postquam ex corporibus suis exivere, negitasset. Videbamus periodum unam atque alteram huc aurigari. At cum universum locum expenderemus, multas difficultates receptæ sententiæ intercedere cognovimus. Quæ super ea nuper in chartam conjeci, ad te affero, qui ex divite tuo penu nonnulla quoque huc contulisti, & suspenso gradu ambulantem firmasti tuo judicio, cui quantum deferam, supra pag. 307. testatum feci. Vale doctissime Cocceje & diurna bono Ecclesiæ & Reip. literariæ, quæ in te magnum & incomparabile columen aliquando habitura est.

Promisimus pag. 445. nos ostensuros, Kimchium vocem יָקֻמוּ quæ vers. 5. Psal. 1. occurrit, accepisse in significatione subsistendi, prout in foro opponitur נָפֹל cadere. Commentatio ista Kimchiana ita vulgo intellecta fuit, ac si impiorum animas post hanc vitam superesse negaret. Et nos isti sententiæ hæsisse non infitemur. Nunc cur aliter sentiamus, facile ostendemus, ubi ipsa Kimchii verba præmiserimus. Sic ergo inquit, על כן הרשעים הולכים בדרך רע בעולם הזה לא יקומו במשפט רוצה לומר ביום הדין והוא יום המיתה לא תהיה להם תקומה׃ ² וחטאים גם כן׃ והוא הדין ללצים׃ לא תהיה להם׃ בעדת צדיקים כי הצדיקים במותם תהיה להם תקומה׃ ³ [אבל הרשעים לא תהיה להם תקומה אלא תאבד נפשם עם

עם גופם ביום המיתה] ♦ ואמר בעדת צדיקים / כי כשימות הצדיק נפשו עם נפשות הצדיקים מתענגת עם כבוד אל בעולם העליון /
Verba illa, quæ uncinulis iſtis incluſa vides, exhibendæ ſententiæ Kimchianæ vulgo citari ſolent, quæ certe ſeorſim accepta eo tendere videntur. Ita enim Latine reddunt, *ſed improbos quod attinet, illis non erit reſurrectio: ſed peribit anima ipſorum cum corpore ipſorum in die mortis.* At ſi locum integrum, quem nos exhibuimus, expendas, videbis per תקומה neutiquam intelligi poſſe *reſurrectionem.* Quod ut appareat, vertam totum Latine, voces illas יָקוּמוּ & תְּקוּמָה integras relicturus. *Ideo improbi, qui ambulant in via mala in hoc mundo, non* יקומו *in judicio, vult dicere, in die judicii, hoc eſt, in die mortis* [Nota, an in die mortis locum habet reſurrectio? Vides ergo illud יקומו non poſſe exponi *reſurgent,*] *non erit ipſis* תקומה / [nec hoc poteſt reddi *reſurrectio.*] *2. Et peccatores ſimiliter. Et idem judicium erit irriſorum Non erit ipſis* תקומה *in cœtu juſtorum. nam juſtis, cum moriuntur, erit* תקומה / *3. Sed improbos quod attinet, illis non erit* תקומה / *ſed peribit anima ipſorum cum corpore ipſorum in die mortis. 4. Et dicit, in cœtu juſtorum. Quando enim moritur juſtus, anima ejus cum juſtorum animis delitiatur cum divina gloria in ſuperiori mundo.* Ex his evidenter apparet, תקומה non uſurpatum fuiſſe Kimchio, pro reſurrectione, quam תְּחִיָּה vocare ſolent. Ideo opinabamur תקומה Kimchio idem eſſe quod השארות הנפש / ſeu διαμονὴ τῆς ψυχῆς, ut hoc dicat §. 1. *non ſuperſtites erunt in die judicii, hoc vult dicere, in die judicii, hoc eſt in die mortis non erit ipſis* διαμονὴ *ſed annihilabuntur eorum animæ.* Firmabat nos in hac ſententia locus Amos. 7. 2. *Quis* יָקוּם *ſtabit Jacobo?* id eſt ſuperſtitabit, ſuperſtes manebit, & Joſ. 2. 10. *& non* קָמָה *ſtetit amplius ſpiritus in viro.* Chald. אִשְׁתְּאַרַת / διέμεινε, *permanſit.* Accedebat & auhoritas Corn. Betrami, quem in additionibus ad theſaurum Pagnini, th. קום videbamus hoc eodem modo Kimchium interpretatum fuiſſe. Pagninus enim locum illum non intellexit. Movebat nos denique locus ad Pſ. CIV. 30. ואם תהיה תחיית המתים לכל אדם: זה מחלקת בין חכמינו ורוב סוגיית התלמוד היא כי תחיית המתים לצדיקים ולא לרשעים / *id eſt an omnium mortuorum futura ſit reſurrectio, contravertitur inter ſapientes noſtros. At ſtylus ſeu curſus thalmudicus huc fere inclinat, quod reſurrectio tantum futura*

Verba Kimchii in commentario.

tura sit justorum, non vero improborum. Sed ipse Kimchi aliis in locis ita se explicat, ut dubitari nemo possit, quin animarum impiarum post hanc vitam διαμονὴν agnoverit. Ecce enim comm. in hunc ipsum Psalmum, ad vers. ultimum, *Deus novit viam justorum,* sic inquit, *dicit, quod Dominus exaltandus congreget animas justorum ad se & novit eas & curam earum gerit, ut benefaciat illis & ut satiet illos bonis suis & scientia sua & providentia sua, quod est magnum bonum & magna retributio, sicuti dictum est 1. Sam. 25.* Eritque anima domini mei ligata in fasciculo viventium cum Domino Deo tuo. *Et via improborum peribit. Quia cum moriuntur, non erit ipsis* תקומה *sicuti dicit,* לא יקומו / *& peribunt animæ ipsorum,* וַיֵּלְכוּ לַאֲבַדּוֹן *& ibunt in locum perditionis.* Videamus & commentarium ejus ad 1. Sam. 25. 29. *Eritque anima Domini mei in fasciculo viventium, cum Domino Deo tuo, & animam hostium tuorum ejaculabitur è medio cavo fundæ.* Ad hæc verba ita commentatur, שלא יוכלו להמיתך מי שרודפין אותך ותהיה בחיים את השם כלומר שתלך בדרכיו כל ימיך וכן ורעה לא תמצא בך כל ימיך וימית האל יתעלה ויתברך הרודפים אותך *ne poßint te occidere quicunque persequuntur te, & ut sis in vita cum Domino, q. d. ut ambules in viis ejus omnibus diebus tuis, & sic, Et malum non invenietur in te omnibus diebus tuis* (infra vers. 28.) *& interficiet Deus exaltandus & benedictus eos qui persequuntur te.* ויפריח נפשם כמו אבן הקלע זכף הקלע פירו' מושב אבן הקלע שהוא עשוי כמו כף ׃ ולדעת יונתן פירו' נפש אדני צרורה בצרור החיים לעולם הבא שתרגם הפסוק כן ותהא נפשא דרבוני גניזה בגנז היי עלמא קדם יי אלהך וית נפש בעל דבבך יפרחינה כמה דמפרחין אבנא בקלעא *& projiciet animam eorum, sicut lapidem fundæ, per* כף הקלע *intelligitur sedes lapidis fundæ, quæ facta est instar volæ. Et juxta sententiam Jonathanis hæc est loci interpretatio, anima domini mei ligata erit in fasciculo viventium in futuro seculo, nam in hunc modum vertit locum, Eritque anima domini mei repositam in thesauro seu repositorio vitæ æternæ coram Domino Deo tuo, & animam adversariorum tuorum projiciet, quemadmodum lapidem fundæ projiciunt.* וכן בדברי רז״ל ר׳ אליעזר אומר נשמתן של צדיקין גנוזות תחת כסא הכבוד שנאמר בצרור החיים וגו׳ ונשמתן של רשעים מטרפות ומשוטטות מסוף העולם ועד סופו ואין להם מנוחה שנאמר יקלענה יגו׳ *Et sic in sententiis doctorum nostrorum p.m. R. Eliezer dixisse legitur, animas*

mas justorum repositas esse sub throno gloriæ sicuti scriptum est בצריר / *&c. & animæ improborum abripiuntur & discurrunt ab una mundi extremitate ad alteram usque, neque ulla ipsis quies est, sicuti scriptum est,* יקלענה / &c. Hanc sententiam dum non improbat Kimchius, probasse existimo. Sed clarius loquitur ad Ps. 22. circa finem, *Atque sunt ex gentibus, quos non suscipiet etiamsi incurvaverint se illi.* אותם שהרגו ישראל שהם יורדי עפר כלומר שיהיו בגיהנם ולא יחיה האל נפש אחד מהם *illi qui interfecerunt Israel, qui sunt descendentes in pulverem; q. d. quod futuri sint in Gehenna, & quod non vivificaturus sit ullam animam ex illis.* Ubi manifeste apparet, eum per *vivificare* intelligere, ad vitam æternam traducere, quemadmodum *vivere* est beate vivere, & תְּחִיָּה est ἀναβίωσις id est non resuscitatio simpliciter, sed resuscitatio ad vitam æternam, prout morti æternæ opponitur. Atque hinc lux accedit ad illud πολυθρύλητον Thalmudicorum, *non esse* תחיית המתים *id est, resurrectionem mortuorum nisi justorum duntaxat.* An ergo animæ improborum annihilantur? Neutiquam. Etiamsi enim negarent improborum resurrectionem, non tamen inde colligi posset, ipsos τῆς ψυχῆς διαμονὴν negare. An ergo non resurgent improbi ex Thalmudicorum istorum, qui sic loquuntur, sententia? Neque illud sequitur. Cum enim sic loquuntur, resurrectionem ad vitam æternam intelligunt. Si cui duriusculus iste tropus forte videatur, is adeat Luc xx. 36. ubi eodem modo vox Græca ἀνάστασις usurpatur. Adscribam locum, *Filii hujus ævi ducunt uxores, &c. Qui vero digni habiti fuerint, qui ævum illud consequantur, & resurrectionem ex mortuis,* (*nota*, Nam resurrectionem, prout late accipitur, omnes consequentur, Actor 24. 15.) *neque ducunt uxores, neque nuptum dantur. Nec enim mori possunt amplius, pares enim sunt angelis, & filii sunt Dei, quum sint* υἱοὶ ἀναστάσεως *id est, filii resurrectionis.* Ubi obiter observo purum putum Thalmudissimum in istis verbis, *qui vero digni habiti fuerint qui seculum illud consequantur.* Maimon. Halacha de pænit. cap. 8. הטובה הצפונה
לצדיקים חיי העולם הבא והיא החיים שאין מות עמהם והטובה שאין
עמה רעה הוא שכתוב בתורה למען ייטיב לך והארכת ימים · מפי
השמועה למדו למען ייטיב לך לעולם שכולו טוב הארכת לעולם שכולו
ארוך וזה הוא העולם הבא: שבר הצדיקים הוא שיזכו לנועם זה
ויהיו בטובה זו ופירעון הרשעים הוא שלא יזכו לחיים אלו אלא יכרתו
וימותו וכל מי שאינו זוכה לחיים אלו הוא המת וגומר / *Bonum quod re-*

repoſtum eſt juſtis, eſt vita futuri ſeculi, vita ſine morte, bonum ſine ulla mixtura mali, S. S. E. in lege, ut bene tibi ſit & prolonges dies. Didicerunt ex traditione, ut benè ſit tibi, *intelligendum de ſeculo, quod totum bonum eſt, &* ut prolonges dies, *capiendum de ſeculo quod totum longum eſt, atque hoc eſt ſeculum venturum. Merces juſtorum iſta eſt, quod digni habebuntur hac amœnitate & in hoc bono victuri ſint. Vindicta, contra, improborum hæc eſt, quod non habebuntur digni iſthac vita, ſed excindentur & morientur. Quiſquis non habebitur dignus hac vita, iſte mortuus eſt, &c.* Addo & locum Joh. v. 29. *Et prodibunt, qui bona fecerunt, in reſurrectionem vitæ,* εἰς ἀνάστασιν ζωῆς, hoc eſt תְּחִיָּה / *qui vero mala egerunt in reſurrectionem judicii.* Sola beata vita vere vita eſt, contra, in æternis ſuppliciis vivere, non vita ſed mors eſt, quam Thargum מוֹתָא תִנְיָנָא / *mortem ſecundam* vocat. Ieſa. xxii. 14. *donec moriamini,* Chald. *donec moriamini morte ſecunda.* Hinc in Apocalyſi ὁ θάνατος ὁ δεύτερος cap. II. & xx. & xxi. Hanc Kimchi ad dictum locum Jeſaiæ vocat, *mortem animæ,* ר״ל מיתת הנפש בעולם הבא *vult dicere,* inquit, *mortem animæ in futuro ſeculo.* Huc pertinent πολυθρύλητα illa, quæ in Ebræorum ſcriptis paſſim occurrunt, *juſti, etiam cum mortui ſunt, vivunt. Improbi, etiam dum vivunt, mortui ſunt.* Puto jam liquere. non alienas à ſtylo ſcripturæ Novi Teſtam. iſtas phraſes eſſe, qua animæ improborum perire, mori, & non reſurrecturæ dicuntur. Item cum improbos in futuro ſeculo partem habituros negitant. Illos vid. nec διαμονὴν τῶν ψυχῶν, nec reſurrectionem corporum negare. Quid ergo fiet verbis Kimchii ad Pſ. primum? Dicam verbo, τὸ יקומו accepit in ſignficatione ſubſiſtendi, prout opponitur τῷ cadere cauſa. Itidem תקומה accepit eo ſenſu, quo Levit. xxvi. 37. eandem vocem à Moſe uſurpatam eſſe pag. 445. in fine, oſtendimus. R. Salomo in comm. vocat הקמת רגל / Atque hæc erat forenſis formula לא היתה לו הקמת רגל id eſt cecidit cauſa. Interpretare hoc modo voces יקומו & תקומה quas in teſtimonio Kimchii ſine interpretatione reliquimus, & nullæ erunt ſalebræ. Quod denique ad locum Kimchii attinet, quem ex comm. ejus ad Pſal. cxv. produximus, dices, in poſterioribus verbis quibus aſſeritur, reſurrectionem tantum fore piorum, eodem modo accipiendam vocem *reſurrectionis,* quo in prioribus, ubi dicit, controverti utrum omnes homines reſurrecturi ſint. Hinc enim colliges, aut nonnullos Thalmudicorum iſti hæſiſſe ſententiæ, omnes in univerſum homines

mines ad vitam æternam resurrecturos, aut hunc esse posteriorum verborum sensum, improbos omnino non resurrecturos. Resp. Kimchium non decidere controversiam, sed tantùm ostendere, quomodo Thalmudici Doctores de hac re vulgo loqui soleant. Illam autem formulam, qua vulgo uti solent, dubitationi isti, utrum omnes homines, etiam improbi, resurrecturi sint, occasionem præbuisse. Quid vero prisci illi Pharisæi, quid ipse B. Paulus super hoc articulo senserit, ex aureo illo loco Actorum XXIV, 15. liquido apparet.

F I N I S.

ANTI-BARBARI
BIBLICI
PARS. II.
LIBER. IV.
JESAIAS.

CAP. I. 5.6. *vulg. omne caput languidum, & omne cor mærens. A planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas.* Lutherus, *totum caput, totum cor. &c.* Vulgatus interpres expressit versionem Græcam, πᾶσα κεφαλὴ, πᾶσα καρδία &c. At cum Ebræum כל jam *omne*, jam *totum* significet, hinc Græcum πᾶς sæpe itidem pro ὅλος ponitur. In hunc sensum vocem eam usurpavit Matth 21. 10. *Et commota est* πᾶσα ἡ πόλις. 1. Cor. 13. 2. *Si habeam* πᾶσαν τὴν πίστιν, *totam fidem.* 2. Timoth. 3. 16. πᾶσα ἡ γραφὴ, *tota scriptura divinitus inspirata est.* Itaque aut non satis fideliter, aut non satis apposite hæc sic convertit Belg. Lovan. *alle hooft is quelende, alle herte is truerende.* Hunc locum passim citari videas probandæ originariæ labi, quam peccatum originale theologi vocant. Quasi de corpore humano Vates differeret. Atqui contextus evidenter docet 1. de corpore Reipublicæ 2. de calamitatibus, quibus hoc corpus per spiramenta temporum afflictaverat Deus, sermonem esse. Quis adeo in scripturis hospes est, ut nesciat, eas passim de regno vel Rep. tanquam de corpore humano loqui. Jes. 7. 20. *Tempore illo abradet Dominus novacula ista mercenaria pilum capitis & pedum, etiamque barbam ipsam consumet.* Ubi vide notas Junii. Atque huc quoque pertinere mihi semper visus est locus ille 2. Reg. x. 32. *Temporibus illis cœpit DOMINUS truncare Israelem.* Ebr. לְקַצּוֹת Genev. *rongner*, Deod. *mozzare*, Pisc. *zu stommelen*, ubi Lutherus, pedibus in vulgati vestigia positis, *Tunc cœpit DONINUM tædere super Israel.* zur zelven zeit fieng der HERR an uberdrussigh zu werden uber Israel. Qua versione duo themata קצה & קוץ [unde neutiquam formes קצות] confunduntur.

duntur. Quis non videt, prophetam, poſtquam propoſuiſſet rebellionem populi verſ. 2. poſtquam oſtendiſſet, eos beſtiis longe pejores eſſe, verſ. 3. poſtquam exaggeraſſet eorum ingratitudinem, progredi ad depingendam ſtupendam eorum contumaciã & ἀναισθησίαν. Quos nulla beneficia potuerunt continere in officio, eos nullæ afflictiones poterunt revocare ad officium. Quo pulſabantur gravius, eo peccabant fœdius & à Deo recedebant longius. Id quod propheta exprimit iſtis verbis, verſus 5. עַל־מֶה תֻכּוּ עוֹד תּוֹסִיפוּ סָרָה quæ ſic converit Junius, *quare [quo] percutimini amplius, augetis apoſtaſiam?* Hanc vero percuſſionem prolixius perſequitur uſque ad verſ. 10. ut & apoſtaſiam à verſ. 10. ad verſum 16. Illa [percuſſio] verba Reverendi Tarnovii, primum per comparationem corporis humani allegorice declaratur, verſ. 5. 6. Deinde proprie explicatur, verſ. 7. 8. 9. vide ejus exercit. Bibl. pag. 338. Edit. tertiæ, Franzium de Interp. Script. pag. 738. Calvinum in hunc locum, Lutherum comm. in Jeſajam. Junium, Piſcat. & alios. confer & Jeſajæ caput. 3. verſ. 6. 7. ubi non phyſicum ſed politicum medicum Judæi deſiderant. Fateor tamen ab afflictiſſimo hoc Reip. ſtatu ad corruptiſſimum optimam eſſe conſequentiam. Atqui 1. non quid per conſequentiam ex hoc loco elici poſſit, ſed quod primario & ſenſu literali intendatur, quæritur. 2. Ne ſic quidem ad probandam originariam, cui nos infelix Adam involvit, labem, locum iſtum extendi poſſe. Omnia enim quæ Judæis ſpiritus objectat, actualia ſunt.

verſ. 24. Heu ego conſolabor ſuper hoſtibus meis & vindicabor de inimicis meis.] Ita vulg. Adſcribam verba Oleaſtrii, *Torquerit hunc locum concionatores, in ſuis concionibus, volentes ex eo probare, Dominum invitum homines caſtigare: quia ſcilicet poſtquam vindicaverit ſe, conſolatione indigeat, ut oſtendat ſe invitum punire, quod nec locus hic dicit, nec propheta ſomniavit.* Loquitur Deus more hominis, qui inſigni injuria affectus dolorem in ultionis ſolatia intendit. Eſt enim vindicta, ut Juvenalis loquitur, *bonum vita jucundius ipſa.* Facem huic loco allucet locus Jezechielis v. 13. *Ita conſummabitur ira mea & collocans excandeſcentiam meam in illis, ultione conſolabor me* & Moſes Deut. 28. 63. *Eritque ut quemadmodum lætabatur DOMINUS de vobis benefaciendo vobis, ſic lætetur de vobis perdendo vos & exſcindendo vos.* Et locus Salomonis prov. 1. 26. *Ego quoque in calamitate veſtra ridebo &c.* Ipſos autem Iudæos hoſtes ſuos vocat. Quid ergo ſibi vult

Interpres Belgicus, quando locum ſic convertit, *Ick ſal my trooſten door myne vyanden, ende my wreken door myne vyanden.* In Ebræo enim eſt מ / מִצָּרַי מֵאוֹיְבָי Locum iſtum reduces in viam, ſi particulæ *door*, qua inſtrumentum notari videtur, particulam *aen* ſubſtitueris, *Ik ſal my trooſten aen myne vyanden.* Ita certe clarior fuerit oratio. Dices voculam Heu, vel Eheu ſatis innuere. Deum invitum eo pertrahi, ut tam ſævas de populo repoſcat pœnas. Reſp. ne hoc quidem eſſe firmum. Etenim Ebræum הוי non ſemper dolentis ſed & aliquando vocantis aut alloquentis, aut hortantis; aliquando comminantis interjectio eſt, R. Salomo ad hunc locum, הוי לשון הזמנה והכרזה / Additque locum Zachariæ 11. 6. *Hoi, Hoi, fugite ex terra Aquilonis*; Ubi Jun. *Heus, Heus.* Vulg. O, o. Et Lxx. ὦ, ὦ. Vide & verſ. 7. & Jeſ. 55. 1. At Ieſ. v. 8. 11. 18. 20. 21. &c. & hoc eodem cap. verſ. 5. comminantis eſt, idem quod אוי / ubi & chaldæus וַי reddidit id eſt, væ & Lxx. οὐαὶ. Lubet adſcribere verba R. Salom. ad verſ. 5. hujus capitis,

כל הוי שבמקרא לשון קובל וקינה כאדם הגונח מלבו וצועק אה אלא שיש מהם מועטים שהם לשון צעקת קריאת קול כמו הוי הוי ונוסו מארץ צפון ותרגומו אכלו לשון הכרזה / hoc eſt, *omne Hoi quod in ſcriptura eſt, habet notionem clamoris & lamenti* [id eſt, clamoris lamentabilis] *veluti cum homo ſuſpirat è corde ſuo & clamat, Ah, niſi quod paucula ſint ex illis, quæ ſignificent inclamationem vocis, veluti Zach. 2. 6. Heus Heus &c. ubi Chaldæus vertit* אכלו *proclamate, in ſignificatione proclamationis* Ad eundem locum Kimchi, הוי לשון קריאה וצעקה הן לאבל הן להשמיע השומע וי״ת זה לשון אבל *Hoi valet exclamationem, ſeu clamorem tam ad ſignificandum luctum, quam ad vocandum aut compellandum alium. Ionathan vero hoc loco tranſtulit in ſignificatione luctus.*

Verſ. 21. urbs—in qua juſtitia dormiebat] ita hunc locum expreſſit editio Baſil. in octavo ex Græca, Lxx. Interpretum verſione, Ea enim ita habet, ἐν ᾗ δικαιοσύνη ἐκοιμήθη ἐν αὐτῇ. Non dubito, quin hic locus multos olim torſerit. Et quis hoc ad laudem civitatis ſpectare crederet? Tu diſce tiro, κοιμᾶσθαι
Pſ. 49. 23. Jerem. 4. in Helleniſtica lingua aliquando idem eſſe quod *manere, pernoctare.* Sic dico, הֵלִין eſt pernoctare, manere, permanere, & quod à pernoctantibus fieri ſolet, quieſcere, cubare, dormire.

Hinc

Hinc posteriorum istarum significationum interpretamentum commutatur cum interpretamentis priorum. Hinc intelliges, quid sit Exod. XXXIV. 25. οὐ κοιμηθήσεται εἰς τὸ πρωῒ θῦμα ἑορτῆς τοῦ Πάσχα. Ubi rursus Latinus Interpres, *non dormient in mane sacrificia festi paschatis*, Ubi vides perspicue κοιμηθήσεται pro *remanere*, per noctem manere positum esse. Tamen Deut. XVI. 4. Idem interpres vocem eandem per *remanebit*, interpretatus est.

CAP. II.

Vers. ult. vulg. *Quiescite ergo ab homine, cujus spiritus in naribus ejus est, quia excelsus reputatus est.*] Hæc verba veteres plerique interpretati sunt ceu evidens vaticinium de Christo θεανθρώπῳ, qui vid. & *homo* & *Excelsus* vocatur. Glossa ordin. *ne sæviatis in Christum, qui purus homo videtur quia spirat naribus & vivit sicut alii homines.* Excelsus] *super omnes gentes Dominus*, Ps 86. *Et ipso fundavit eam altißimus.* Lyra, *ostendit medelam contra prædicta mala. sc. cessationem à provocatione iræ divinæ. Quiescite ergo ab homine, id est a Deo ejus offensam cavendo· Scriptura enim V. Test. frequenter de Deo loquitur more humano. Et similiter vocat eum aliquando hominem, vel virum, & maxime quia erat humanandus. &c.* Hieron. in comm. hunc locum vocat perspicuum de Christo prophetiam, eamque à LXX. Interpretibus neglectam fuisse demiratur. Carthusianus, *Quiescite id est cessate ab homine, Christo, cujus spiritus .i. anhelitus est in naribus ejus, id est, qui ita vivit, quantum ad humanam naturam attinet ut cæteri homines, spirando & respirando &c. Quia excelsus reputatus est*] *&c. quoad naturam divinam. Sic enim altißimus est, sicut in Ps. 86. cantamus de eo, & ipse fundavit eam altißimus.* Hæc ille. At, tu disce tiro, nihil ejusmodi ex Ebræis posse extundi חִדְלוּ
לָכֶם מִן־הָאָדָם אֲשֶׁר נְשָׁמָה בְּאַפּוֹ כִּי בַמֶּה נֶחְשָׁב הוּא *id est desinite vobis ab homine, cujus flatus in naribus ejus, nam in quo reputatur ipse?* Ita vertit & Arias Montanus. Pagninus postrema illa verba in hunc modum reddidit, *quid enim reputationis est*, sensu nihil variante. Hanc Ebræi textus mentem esse, ne Lyra quidem in media barbarie ignoravit. Verba ejus, postquam communem interpretationem repræsentasset, ista sunt. *Secundum Ebræos litera est ista*, Quiescite ergo ab homine &c. quia in quo appreciatus est ipse? *Et secundum ipsos non intelligitur de Deo, sed de homine mortali, & ideo non est ponenda spes in eo, sed in Deo. Et hoc est quod dicitur*; quie-

quiescite ergo ab homine cujus spiritus in naribus ejus &c. id est *qui vivit per respirationem aëris, & sic est fragilis & mortalis, quia in quo appreciatus est ipse? q.d. in nihilo, respectu Dei. Et hoc intelligitur, quod idola quæ sunt ab homine facta, adhuc sint minus appretianda, ut exponit* R. *Salomo* &c. Habes Lector germanum interpretamentum hujus loci. A quo in hoc tantum recedit Oleastro, quod priora verba, *Quiescite ab homine* interpretetur, *ne timete vos o pii & fideles, mala, quæ homo vobis possit inferre, homo, cujus ira in naso est id est ostenditur, ac si dicat non transit nasum, aut nihil aliud est quam flatus nasi.* Quamvis immediate eandem subjungat expositionem quam ex Lyra exhibuimus. Arias Montanus de primo homine exponit, ut hoc velit Jesajas, istum hominem, qui primus creatus fuit, cui nihil magis divinum erat quam spiraculum à Deo in nare insufflatum, jam mortalibus esse fastidiendum. Eo potius esse connitendum, ut portemus imaginem coelestis Adami &c. Hæc si admittimus non quidem falsa, attamen aliena sunt, quæ vulgatæ versioni Interpretum vulgus superstruxit, Cornua enim Vulgati Interpretis patronis obvertit vox בָּמָה, quæ neutiquam potest reddi, *Excelsus.* Esto. legatur בָּמָה, Ea vox Excelsum hominem vel personam nuspiam significat. Quid ergo? locum excelsum. Expende omnia loca, Hoc cum non ignoraret Forerius hanc paraphrasin adhibuit, *Cavete vobis ab homine hoc, Christo, perinde quasi à loco sacro, cujusmodi est altare aut templum. Nam de templo corporis sui dixit ipse Christus, Solvite templum hoc &c. ne scilicet eum audeant temerare, vel vim ipsi inferre.* Paulo aliter Glossa ordin. *Hebr.* excelsum, *non* excelsus. *Ipse est enim ipsa altitudo, non altus tantum.* At ego intrepide nego, vocem Ebræam ullibi altitudinem significare. Aquila locum præsentem sic interpretatus est, παύσασθε ὑμῖν ἀπὸ ἀνθρώπου, οὗ ἀποπνοὴ ἐν μυκτῆρι αὐτοῦ, ὅτι ἐν τίνι ἐλογίσθη id est *cessate vobis ab homine, respiratio in naribus ejus, quia in quo reputatus est?* Hæc ad quædam exemplaria græca Origenes ex Aquila sub asterisco addidit. Id quod & Cyrillus & Basilius testantur. Basilii verba, si requiris, ista sunt, τοῦτο ἐν τῷ ἑβραϊκῷ κείμενον ἐκ τῶν λοίπων μετηκομίσθη. Apud Procopium eadem sub asterisco quoque reperiàs, Chaldæus, אתמנעו לכון מלאשתעבדא לאנשא במעבדה דחלא דנשמת רוח חיין באפוהי ארי יומא דין הוא קים ומחר ליתוהי וכלמא חשיב הוא cessate vobis ne subjiciatis vos ho-

Quiescere inquit, Ebræis est non timere, quia timor hominem inquietum reddit.

al. ὃς ἀναπνοεῖ, qui respirat

homini, cum factus est terribilis, cujus spiraculum vitæ in naribus ejus est, quia hodie est vivus, & cras non est & quasi nihilum reputatus est ipse. Lubet etiam adscribere verba Kimchii, quibus hunc locum illustravit, אז יאמר כל אחד לחברו חדלו לכם מן האדם .כי יהיה פחד יהוה עלכל העולם ׳ ויאמר איש לאחיו לא יהיה עוד מורא בשר ודם עליכם אלא מורא האל / לבדו׃ *hoc est, tunc dicet unusquisque socio suo, abstinete vos ab homine, quia pavor Dei universum mundum incesset. Dicetque alter alteri, ne esto amplius metus carnis & sanguinis* (id est hominis) *super vos, sed metus solius Dei.* כי האדם כאין נחשב כי במעט רגע ימות כי הנשמה באפו׳ כלומר קרוב לבאת׃ ואמר כאפו כי רוח החיים תלוי באף׃ כי דרך נקבי האף יצא החום הטבעי אשר בלב תמיד / וכן יכנס אליו דרך נקבי האף קרירות האויר ובזה חיי האדם שידוע בחכמת הטבע / אם כן שחייו קצרים במה נחשב הוא ואיך יתכן לבטוח עליו או לירא ממנו *homo enim instar nihili æstimatur, Parvo enim momento expirare potest, utpote cujus halitus in naribus est. q. d. jam prope esse ut exeat. Dicit autem* in naribus ejus, *quia halitus vitalis quasi à naribus dependet. Namque per ista foramina egreditur calor ille naturalis, qui perpetuo cordi inest. Et per eadem ingreditur refrigeratio aeris. In hoc autem consistit vita hominis, sicuti ex physica constat. Si adeo brevis & caduca vita ejus est, quanti æstimandus est? & quomodo rectum censeri poterit, in eo collocare fiduciam aut eum extimescere?* R. Salomo *Abstine vobis ab homine* שלא לשמוע למלכיכם המתעים אתכם מאחרי ולהשתחוות למעשי ידיו / אשר נשמה באפו / אשר כל היותו ובחו תלויים בנשמת אפו שהוא רוח פורח שהיום ישנה בו ומחר תצא ממנו וקל וחומר לצלם למעשה ידיו שאין ממש / *ne aures regibus vestris substringatis, qui seducat vos, ut me deseratis & incurvetis vos operibus manuum eorum,* Cujus halitus est in naso ejus. *Hoc est, cujus omnis, ut sic dicam vitalitas & robur à flatu narium ejus dependet, qui est spiritus volaticus, & hodie in eo mutari & cras egredi potest. Quanto minus ergo fiducia collocanda est in idolo, opere manuum hominis, in quo nihil omnino est.* Aben-Ezra, אחר שהשם גזר עליכם וזהו מפני פחד יי אין כוח באדם לבטל גזירותיו על כן חדלו לכם מן האדם שלא ישיעו אתכם כי הבל המה hoc est, *quandoquidem Deus statuit aliquid*

contra vos, *quod innuebat istis verbis*, מפני פחד יי (versu præcedenti) *non erit in potestate hominis irrita facere ejus decreta. Ideo abstinete ab homine*, *non enim servabunt vos. Quia vanitas sunt.* Tollam manum de hac tabula, ubi B. Lutheri versionem adscripsero, So lasset nu ab von dem menschen / de athem in der nasen hat: Denn ir wisset nicht / wie hoch er geachtet is / *quia nescitis*, *quanti æstimetur.* Agnosco me non satis capere mentem beati viri. Piscator, So lasset nu ab vondem menschen / der athem in der nasen hat / Dan [liever] wie hoch ist er zu achten? *nam*, quæso, quanti *æstimandus est?* Uter mentem Jesaiæ melius assecutus sit & clarius expressetit, docti judicent. Meum certe punctum si ad dicendam sententiam admitterer, Piscator ferret. Etiam Genevenses qui ne latum quidem unguem ab hac mente divertunt, *Deportez-vous de l'homme*, *du quel le soufflé est en ses narines*, *car que vaut il?* glossa. *x. assavoir*, *pour delivrer de la main du Seigneur*, *& de quelque danger. Comme s'il disoit*, *C'est en Dieu qu'il faut mettre sa confiance*, *& non pas en l'homme.* id est *nam quid valet ille?* sc. *ad liberandum è manu Domini & periculis q. d. In Deo collocandam esse fiduciam. non vero in hominibus.* Suffragatur & Deodatus, qui ad verba illa, *cui halitus est in naso ejus* ista commentatur, *qui natura & conditionis dibilissima est*, *quem sola narium obthuratione possis intersicere.* In hanc quoque sententiam ire videas Jacobum Salianum Jesuitam qui Annalium tomo 1. pag. 101. locum sic exponit, *nolite timere hominem*, *cujus vita in inspiratione & respiratione consistit*, *quia vitalem spiritum per nares haurit*, *qui si comprimatur*, *protinus perit aëris inopia.*

CAP. III.

Vers. 7. non sum medicus.] Ita vulg. & Lutherus. Ex hoc loco probat Franciscus Valesius, apud Ebræos in Rege medicæ artis peritiam requisitam fuisse. Decipit eruditissimum Philosophum Vulgata versio. Ebræa sic habent, לֹא אֶהְיֶה חֹבֵשׁ, *non ero obligator.* Respondent autem istis verbis præcedentis versus, קָצִין תִּהְיֶה לָּנוּ id est ἀρχηγὸς γενοῦ ἡμῶν: Esto nobis Dux, ut ruina &c. Ideo Lxx quoque Interpretes τὸ הובש ἀρχηγὸν reddidêre. Vox quæ in Ebræo est, propria chirurgorum est vulnera *obligantium.* vide supra 1.6. ubi idem verbi. Negat ergo se idoneum esse, qui isthoc Reip. statu clavum capessat. Vulnera Reip. peritiorem

tiorem Chrirurgum requirere. Quod si itaque vocem *Medicus* retinere lubeat, scias non de Medicina corporis sed Reip. vati sermonem esse. Arias Mont. *non ero ligator*, hoc est, lictor. q. d. vos vultis me ducem & principem. Sed hoc est me lictorem constituere & quasi carnificem, Adeo enim sceleribus coôperti estis, ut omnes comprehendendos, ligandos & puniendos esse censeam. Non expediret ergo vobis penes me summam rerum esse. Quærite alium &c. Probarem si probari posset vel uno evidenti loco חבש habere significationem ligandi vinculis in poenam. Scindlerus quidem notat, dici de hominibus qui ligantur vel ad obedientiam vel ad pœnam. Sed locus Job. 34. 17. quem profert, non probat. Illic enim obligandi notionem optime quadrare ex Junii versione disces. Pene exciderat, vocem Ebræam חובש Theodotionem ἐπιδεσμένοντα reddidisse.

Vers. 12. Popule mi, qui te beatum dicunt, decipiunt te] ita Vulg, ex Græco, οἱ μακαρίζοντες ὑμᾶς, πλανῶσιν ὑμᾶς. Luth. *qui te solantur*, sensu eodem, qui te jubent esse securum & in utramque aurem suaviter dormire, atque hac ratione adversus Prophetarum minas solantur. Jun. Pisc. Gen. Angli &c. *qui te ducunt*, *seducunt te* Ebr. מְאַשְּׁרֶיךָ utramque expositionem admittit. Sic dico, אשר in *Phiel vel* μακαρίζειν & ὁδηγεῖν seu κατευθύνειν significat, prior tamen significatio usitatior. Confer *Ies. 1. 17. & 9. 16.*

CAP. V.

Vers. 1. *Cantabo dilecto meo, Canticum patruelis mei vineæ suæ.*] Vulg. In hæc vestigia pedem posuit B. Lutherus, Canam dilecto meo *een Liedt mijns Ooms* i. Canticum patrui mei. Si Lutherus bene expressit mentem Vulgati, tunc Vulgatus *Patruelem* pro *patruo* usurpavit, quomodo Exodi VI. 20. *patruelem* dixit pro *amita*, ubi in Ebræo est דֹּדָתוֹ / ita Bellarm. de sacram. matrimonii lib. I. cap. 27. & Steuchus & Cajet. & SA, & Joh. Bened. & Oleastr. in dictum locum Exodi At 1. Sam. 10. sæpius *patruum* reddidit. Esther 11. 7. *Fratrem* reddit. Mardochæus qui fuit nutritius בַּת דּוֹדוֹ filiæ fratris sui, Belg. Lovan. **een Voester-Heere van syn Broeders Dochter.** Quid audio; An ergo דוד fratrem significat? Ita certe nos credere jussere Sixtus V. & Clemens VIII. Quorum uterque vulgatam illam lectionem

retinuit. Hinc vires & incrementa sumsit error communis, Mardochæum patruum Estheræ fuisse. Error, adeo crassus & palpabilis, ut Jesuita Serarius, cui alias frons satis inverecunda est, coactus fuerit asserere, hoc loco vocem *patris* excidisse legendumque in vulgata versione, *filia fratris patris.* Id quod Cl. Drusius annis ante Serarium 14. in commentario, quem satis diligenter ante Serarium ex ejus stricturis apparet, annotaverat. Sed quia carpi & flagellari hic non poterat, nominandus non erat. sic ergo tenendum, Estherem filiam patrui ejus [Mardochæi] fuisse. Mardochæus non Patruus Estheris, sed ut cum Cicerone loquar frater ejus patruelis fuit. Duorum fratrum liberi fuerunt. Quos Græci ἀνεψίυς vocant. Neque obstant verba versus primi Cap. 8. *Confessa enim est ei Esther, quod esset patruus suus.* Nihil enim tale extat in originario. *Judicaverat enim Esther* מַה הִיא לָהּ hoc est, verbum, *quid ipse sibi* sc. esset, hoc est, quæ sibi cum illo intercederet cognatio ut suus necessarius esset. Cajetanus, *redditur manifestata cognatio ab Esther inter ipsam & Mardochæum. Erant enim patrueles.* Serarius vulgato sic patrocinatur, ut dicat vel per *patruum* intelligi patruelem, vel talem qui patris loco est. Sed ut tandem redeamus ad Jesaiam, quis ignorat, quam aliena de hoc patruele vel patruo Jesaiæ commentati hoc loco sint interpretes. Non libet ea huc accongerere. Vide Lyram, qui per *patruelem* filium patrui intellexit, [ut & Belgicus Interpres vulgatæ versionis, *Het Liedeken van mijns Ooms Sone*, quod notandum propter Interpretes Forerium, Carthus. & alios. At Ebræa vox indifferens est ad *patruum*, & *Dilectum.* Ebr. אָשִׁירָה נָּא לִידִידִי שִׁירַת דּוֹדִי *Canam nunc dilecto meo canticum dilecti mei* &c. Lxx. Ἄσω τῷ ἠγαπημένῳ μου ἆσμα τοῦ ἀγαπητοῦ μου Forerius, *Si cui tamen conjectura illa de patruo Jesaiæ displiceat,* דוד *pro* dilecto *accipiat, ut ponatur antecedens pro relativo, sicut non raro consueverunt Ebræi. Cantabo inquit, delecto meo canticum ipsius de vinea sua. Id est canticum, quod Deus jussit me canere. Vel sic, cantabo dilecto meo populo Israëlitico canticum Dei mei dilectissimi, quod jussit me canere de vinea sua, ipso nempe populo.* Quod vero sequitur in vulgata versione, *in cornu filio olei*, fideliter quidem ex Ebræo traductum est, sed à multis non intellectum. Et quis intelligat versionem Lovaniensium, *Mynem lieve is een VVijngaerd gebeurt in den horen, de sone der olien.* Equidem lubens dederim Pontificiis ejusmodi versiones aut

exiguo

exiguo aut nullo cum fructu legi posse. Appello omnes cordatos, quos partium studium non sideravit, qui vel tria quatuorve capita Belgicæ hujus versionis cum Latina & Ebræo textu contulere, utrum non hoc ex professo egerit interpres, quisquis fuit, ut simplicioribus in ista incidentibus extorqueret hanc confessionem, scripturas non posse cum utilitatte aut fructu a Laïcis legi. Qua de re pleniori manu ad Hoseæ cap. 1. eum bono Deo, disseremus. Quanto melius B. Lutherus de suæ versionis lectoribus meritus est, qui non tam ad verba quam sensum respiciens, verba illa בֶּן שֶׁמֶן vertit, *aen een vetter plaetse.* Quamvis illud dissimulare non possim, vocem בְּקֶרֶן ab eodem neglectam. Ebræa enim sic habent, בְּקֶרֶן בֶּן שָׁמֶן / Lxx. *ἐν κέρατι, ἐν τόπῳ πίονι.* Quod vero per קֶרֶן *cornu* divinus vates intelligat, optime docet Kimchius, quando ad hunc locum sic commentatur, וקרא

כתרגומו בטור רם בארעא שמינא ארץ ישראל קרן לפי שהיא גבוהה מכל הארצות / והקרן גבוה מכל הגוף / וקורא ארץ ישראל בן שמן כמו שנאמר עליה ארץ זבת חלב ודבש hoc est, *verba illa* בקרן בן שמן Chaldæus sic interpretatus est, in monte excelso, in terra pingui. Vocat autem terram Israel cornu, quia altior est reliquis regionibus [confer hęc cum iis quæ parte prima Anti-Barbari pag. 509. diximus quæ in clavi scripturæ Illyrici ad vocem *Ascendo* addemus] sicuti cornu reliquo corpore altius est. Vocat insuper terram Israel filium olei, juxta illud quod dicitur de ea, fluens lacte & melle. Cl. Junius, *in clivo uberrimo.* Pisc. *auf einen fatten trugel.* Genev. *en un costau d'un lieu gras.* Atque hæc hactenus. Ea vero quæ ad hanc parabolam vulgo disputantur, non libro

Πεζῇ βαδίζω νῦν γὰρ οὐκ ἐπίσαμαι.

Audiant tamen hoc à Grammatico argutuli isti disputatores Academici (juvenes alloquor, qui disputationes theologiæ animam esse putant) *ne disputare maluerint quam vivere.* Eo annitantur, ut uvas edant, non labruscas. Non decet theologos arguta differere & theologiam in tales angustias ex sua majestate detrahere. Quanto satius est ire aperta via & recta, quam sibi ipsi flexus disponere, quos cum magna molestia debeas relegere? neque enim quid- Seneca Epistola 102. quam aliud sunt istæ, disputationes, quam inter se peritè captantium lusus.

CAP. VII.

vers. Si non credideritis, non intelligetis.) Ita LXX. Ἐὰν μὴ πιστεύσητε, οὐδὲ μὴ συνῆτε. Ita Tertullianus adversus Marcionem libro 4. cap. 20. Et bis Cyprianus vid. lib. 1. adversus Judæos cap. 5. hoc titulo, nihil posse Judæos intelligere ex Scripturis, nisi prius crediderint in Christum, iterumque libro 3. ubi docet, tantum nos posse quantum credimus. Et Ruffinus in symb. ut confirmet illud quod est in epistola ad Ebræos cap. XI. *credere primo oportet accedentem ad Deum.* Sic & invenies apud Euseb. Demonstrat. Evang. 7. 2. Chrysost. homilia 51. in Ioh Cyrillum Alexandr. in fine libri 7. contra Julianum, August. in 7. cap. Joh. Prosperum cap. 19. lib. 1. de vita contemplat. &c. Pamelius ait locum insignem esse adversus eos, qui etiam hodie nolunt credere, nisi quod intelligunt, & fidem sensu aut scientia metiri volunt, vide ejus annot. ad Tertull. pag. 349. Verùm sciendum est, istum sensum ex originario textu exsculpi non posse, אִם לֹא תַאֲמִינוּ כִּי לֹא תֵאָמֵנוּ / quæ vulgatus interpres sic convertit. *Si non credideritis, non permanebitis.* à qua mente non divertit B. Lutherus. Paraphrastes Chaldæus, אִם לָא תְהֵימְנוּ בְּמִלֵּי נְבִיָּא אֲרֵי לָא תִתְקַיְּמוּן hoc est, *si non credideritis verbis prophetæ* [*certum est*] *quod non permanebitis.* Arias montanus vertit, *neque permanebitis*, ut אֲרֵי otium agat. Hisp. Genev. Angli, *Si* [*hoc*] *non credideritis, profecto non eritis certi, pour vrai vous ne serez point affermis.* Pisc. *Si hoc non credideritis, (certum est) quod non futuri sitis certi.* Scilicet fides in Deum, est veluti anchora, qua & Deum apprehendimus & nos ipsos firmamus. Si autem fiduciam amittamus, sumus veluti naves quæ vi ventorum ac fluctuum huc illuc impelluntur. Hispanica vetus, quæ creditur esse Kimchii, *Si hoc non credatis, (hoc ideo sit) quia non estis confirmati*, vel constantes. Verba ejus in commentario ista sunt. *Si non credetis verbis meis, unde hoc erit?* שאין אתם נאמנים וקיימין באמונת האל/ תאמנו/ עניין קיום כמו. מימיו נאמנים *quia non estis fideles & constantes in fide Dei.* תאמנו *habet significationem stabilitatis sicuti legimus, aquæ ejus stabiles.* Plane in eandem sententiam AbenEzra. וטעם כי לא תאמנו בעבור שאין אמונה בכם כמו ויאמנו דבריכם id est, & sensus verborum istorum כי לא תאמנו est, pro-

pterea quod nulla in vobis est stabilitas, sicuti, & stabilia erunt verba vestra. Gen. 42. 20. omnes isti אם interpretati sunt Si. At cum eâdem particulâ aliquando etiam interrogent Ebræi, Deodatus ita maluit interpretari, *Annon creditis, quia non confirmamini?* sc. ullo signo. Junius, *Annon creditis? quod non confirmamini,* Reprehensio diffidentiæ Achazi. Videbat enim Propheta eum perstare in sua illa trepidatione de qua versu 2. *Quod non confirmamini*, scilicet hac promissione Dei, sed potius in vestra trepidatione pergitis. Cum ergo nuda promissione non confirmaretur Rex, infidelitati ejus perdomandæ signum adhibuit Dominus. Hanc interpretationem & antecedanea & consequa verba evincunt inquit Junius. Equidem omnes istæ interpretationes adeo concinnæ sunt, ut difficilem electionem faciat æqualitas.

CAP. VIII.

Vers. 19. 20. Vulgatus, & cum dixerint ad vos, Quærite à Pythonibus, & à divinis, qui strident in incantationibus suis, nunquid non populus à Deo suo requiret visionem pro vivis & mortuis? Ad legem magis & ad testimonium. Quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit iis matutina lux.) Universum hoc caput, ut & superius, admodum difficiles & proinde variis interpretum declaramentis obnoxios versus habet. Non sedet nobis omnia excutere. Quod ob filium illum vers. 3. Maher-schalal-chasch-baz attinet, non est dubium, quia filius ipsius Prophetæ fuerit, ex legitima uxore, quæ vers. 3. Prophetissa dicitur, susceptus, ac præsentibus testibus, quos non vulgo *compatres*, veteres etiam συνἵκτυς vocitabant, isthoc nomine, quod ipse Deus dictaverat & præscripserat, indigitatus. Quid hic difficultatis est, vel in ipsa versione vulgata? Hanc interpretationem ipsi quoque Thomæ adscribit Lyra, qui tamen ab ea divertit, ut & Carthus. & ait. At inquiunt, quis credet Jesajam virum pudicum & castum testes adhibuisse ad concubitum? Quasi vero hoc diceret Jesajas, & non ex ipsa vulgata facilius colligi posset eos adhibitos esse firmandæ scripturæ, de qua versu primo. Quasi etiam dici non possit, eos adhibitos fuisse, ut de nomine hoc, filio in Ecclesia imposito, testarentur, ut sic vertas cum Junio, *me enim congresso cum prophetissa, conceperat illa, pepereratque filium &c.* Quod

vero

vero iidem movent de Uria, eum fuiſſe vitæ peſſimæ hominem, ac proinde teſtem nequaquam fidelem dici poſſe, reſpondent, eum non ob vitæ ſanctitatem, ſed officii dignitatem fidelem teſtem appellari utpote, cujus authoritas & teſtimonium permagni futurum erat in populo. Quod denique objectant Samariam captam anno nono Regis Hoſeæ, quo jam ætate major fuerit iſte filius, quam ut de eo dici potuerit, eum non potuiſſe vocare patrem matremve ſuam valde torſit interpretes. Qui commodiſſime reſponderunt, quinquennem aut ſexennen fecerunt hunc filium tempore Samaritanæ captivitatis, quæ incidit in 9. annum Hoſeæ. Et cum hac ætate conſiſtere poſſe exiſtimant illa, *antequam ſciat puer &c.* Quæ interpretatio ſi vera eſt, tunc oportet hunc filiolum valde ὀψίλαλον fuiſſe. Nos nullam putamus eſſe neceſſitatem hujus natales in ultimum Achazi annum aut Ezechiæ regnum rejiciendi. Referantur hæc ad idem illud tempus quod memoratur cap. 7. & conferantur hæc cum hiſtoria 2. Reg. XVI. videbis illa verba, *antequam puer ſciat dicere, pater mi, aut mater mea,* commodiſſime poſſe exponi, cum Junio, *ante annum aut breve aliquod tempus ſimile.* Niſi illud fortaſſis demonſtrari poſſit, inter apparatum illum militarem duorum Regum & confectum bellum, occupatamque Damaſcum (2. Reg. 16. 9.) multos annos fluxiſſe. Id quod nullus, opinor, demonſtrabit. Hinc jam vides, cordate lector, veriſſimum eſſe quod in ſuperioribus ſæpè inculcavi, quoties difficultas quædam aut nodus intricatior incidit, quem ſolvere interpretes non fuerunt quiti, mox ad Allegoricas & myſticas expoſitiones confugiſſe. Ita quicquid perſonæ vel rei de qua ſcriptura ad literam manifeſte loquitur, aptare non potuere, de Chriſto & rebus novi Teſtamenti expoſuere. Licet autem illic majores ſæpe difficultates offenderint, tamen poſtquam ſemel Allegoricæ expoſitioni laxarunt habenas, nihil tam alienum fuit, quod non per Allegoriam eodem traherent. At quanto ſatius fuiſſet ſubinde Ignorantiam ſuam profiteri, aut illam potius verſionem, cujus filum ſequebantur, tanquam minus accuratam ſuſpectare. Et quidem hujus rei egregium ſpecimen exhibuimus ad XL. caput Jobi, ubi de Behemoth & Leviatham agitur. Idem fere hic ſe offert caſus. Iſtæ, quas recenſui difficultates adegerunt Interpretes ad inſulſam hanc interpretationem, ut puer iſte ſit Chriſtus, propheteſſa Maria, Qui loquitur, Deus pater, vel Jeſajas. Carthuſ. Sed quicquid ſit de argu-

Vide & Thomam part. 3. q. 1?. art. 3. & Magiſtrum lib. 3. de tract. 33. c.

argumentationibus, ego pro meliori eligo, atque securius puto sequi Hieronymum, quantum ad principale, quod puer, de quo nunc sermo est, sit Christus filius virginis, & hoc tenent Doctores *communiter*. Lyra, In hoc capite denuntiatur Christi resurrectio futura ad spoliationem inferni principaliter & per consequens ad significandum tanquam per signum rememorativum spoliationem duorum regum, Israel & Syriæ. Velociter spolia] Istud convenit Christo resurgenti, qui tunc celeriter spoliavit infernum, & in hoc fuit signum rememorativum spoliationis duorum regum. Et contrà hæc spoliatio fuit signum prognosticum spoliationis fiendæ per Christum. Et accessi ad prophetissam] id est, *virginem Mariam*. Hæc ex Lyra. Nunc addam lepidum commentarium Dionysi Carthusiani, *Isajas*, inquit, in propria persona profatur, Ad prophetissam] id est, spiritum sanctum, secundum S. Hieronymum. Designatur enim Spiritus S. nomine Prophetissæ, quoniam in lingua Ebr. denotatur per nomen gen. fœminini, Unde in sermone de assumptione Hieronymus dicit per Rebeccam significari Spiritum S. propter rationem prædictam. Accessit itaque Isajas ad Spiritum S. exhibendo se dignum & aptum dono seu gratiæ prophetali. Dicitur enim in Psalmo, Accedite ad eum & illuminamini. Accedimus quippe ad Deum disponendo nos ad gratiam ejus & amando contemplandoque ipsum. Sed quomodo huic prophetissæ id est, Spiritui Sancto conveniat quod subditur, & concepit, non video. Non enim Spiritus S. aliquo modo est mater Christi, nisi exponatur, concepit id est, concipere fecit virginem. Veruntamen quamvis Spiritus S. Latino sermone masculino genere designatur, nec tamen proprie propheta vocatur; sic quamvis in Ebræo sermone fœminino genere exprimatur, non tamen videtur prophetissa proprie nuncupari. Propter quod convenientius arbitror, per prophetissam significari Mariam. Ad hanc Isajas accessit contemplando excellentissimam ejus dignitatem, eamque mirando. Et concepit ipsa non de me, sed de Spiritu S. Hæc Carthus. Piget pudetque plura adscribere. Nam, quasi non satis nugarum chartis illevisset, addit alios verba ista, *& assumsi mihi testes duos & accessi ad prophetissam* &c. exponere tanquam verba Dei patris. Quod vero ad illa attinet. *Antequam puer sciat vocare patrem suum* (sc. ore humano & creata sapientia, uti interpretantur iidem) *auferetur fortitudo Damasci* &c. in Bibliis Benedicti

Amesius. Aug. ad Psal. 6.

nedicti ex Chrysostomi homilia 2. in Matth. sic exponitur: *Magi adorantes Christum dicti sunt virtus Damasci, quia virtus uniuscujusque provinciæ sunt sapientes illius.* Idem Chrys. per Regem Assyriorum Diabolum intelligit. Hoccine est interpretari Sacras Literas? Audi Hieronymum ab Oleastro, qui postquam confirmandæ literali expositioni multa adduxisset, sic tandem infit, Et omnia hæc dicimus, quia exponere, quæ hic dicuntur, de virgine & Deo patre, videtur nimis torquere literam hanc, & hujus mentis est S. Thomas hic, Vatablus, Brixianus & multi * alii. Si tamen contendas de virgine intelligi non disceptabo, quoniam exponere decrevi, non digladiari, maxime cum his hominibus, qui nihil adversum se aut suos dici patiuntur, & parati sunt ad quodvis verbum gladium exerere. Hæc ille. Quæ cum scripsissemus, incidimus in comm. Hectoris Pinti Lusitani, qui in comm. per hanc Prophetissam itidem Mariam, & per puerum Christum intelligit. Hanc interpretationem ut stabiliat, destruere conatur alteram, quæ per Prophetissam ipsius Jesaiæ conjugem intelligit. Hoc ut obtinent, à vulgata versione *antequam puer sciat v. p. s. & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci* &c. provocat ad fontes, ubi pro *auferetur*, est יִשָּׂא *auferet.* *Quod de nullo puro homine*, inquit, *dici potest. Quis enim priusquam sciat vocare patrem aut matrem, imo priusquam noscatur, posset evertere Damascum?* &c. Quasi vero illud insolens esset in mysticis literis personalia pro inpersonalibus usurpari, aut ad verba subintelligere nomina? Sic & imputat ei Gen. 15. sc. Deus, Rom. 4. & imputatum est sc. à Deo. Sic 1. Sam. Et nuntiavit Davidi, sub. nuntius. Hoc est, & nuntiatum est, quamvis D. Junius retinuerit activum *asportabit*, & quæ sequuntur in fine versus לפני מלך אשור exposuerit, *servus regis Assur*, quasi ea per ellipsin posita essent pro אשר לפני מלך אשור / *qui* [*stat*] *coram Rege Assur.* Notum est ut ministri dicantur stare coram dominis suis, 1. Reg. x. 8. Deut. x. 8. Luc. 1. 19. Apoc. 8. 2. Nunc accingamur ad versum 19. Si quis textum bene examinet videbit Prophetam per artificiosam ἀιτιολογίαν transire ad tertium peccatorum genus. q. d. Merito sane populus iste à Deo deseritur. Non solum enim Deo diffidens, alienam opem implorat vers. 6. 12. & seqq. Non solum se ipsum in peccatis obfirmat & aversatur Deum, vers. 16. 17. 18. Sed & dæmones consultat, piosque ad idem scelus solicitat.

* Inter quos Emm. Sa & Arias Mont.

ſicitat. Hoc autem Propheta exprimit, verba Junii, ſermone converſo ad pios ut eos inſtituat de atrocitate criminis & confirmet in bono. *Cum ergo dicent ad vos conſulite Pythones aut ariolos, qui pipiunt & muſſitant*, tunc dicetis & reſpondebitis ſeductoribus illis, *annon populus Deum ſuum conſidere debet?* An *pro vivis mortuos* conſulet? vel, an *pro vivis ad mortuos* ibit? *Ad legem* potius & *conteſtationem* cant [vel, *legem* potius & *conteſtationem* conſulant. אִם לֹא יֹאמְרוּ כַּדָּבָר הַזֶּה אֲשֶׁר אֵין לוֹ שָׁחַר Hæc verba variis expoſitionibus obnoxia ſunt. B. Lutherus in Vulgati Interpretis veſtigia pedes poſuit. His particula אֲשֶׁר otium àgit & לוֹ poſitum pro לָהֶם/ quæ enallage, fateor, non eſt inſolens. Deodatus ab hoc tramite non divertit. Tantum ne otiaretur vocula אֲשֶׁר ſupplet aliquid, *Si quis ſecundum hoc verbum non dixerit*, [*ſcito*] *quod ipſi non futura ſit aurora.* Aurora .i. Lux, illuminatio. Ille perpetuabit vitam in craſſis denſiſque tenebris. Angli & Hiſp. אֲשֶׁר accepere pro בַּאֲשֶׁר *Si non loquantur juxta verbum hoc* (ſcil. verbum Legis & teſtimonii divini) [*hoc ideo fit*] *quod nulla lux ſit in illis.* Piſc. *Legem & teſtimonium* [*conſulere oportet:*] *Sin minus, loquantur juxta verbum hoc, cui nulla meſt aurora.* Conceſſio irati & diſperantis. q. d. Loquantur juxta verbum pythonum & magorum, quo nulla lux, nullum gaudium, nihil denique, quod hominis animum tranquillare queat in hac interpretatione, qua poſt אִם לֹא diſtinguitur, nulla enallage vel numeri vel voculæ אשר. Ideoque maxime ſe mihi probat. Junius & Tigurini ſeorſim ab iſtis abeuntes τὸ אִם accepere pro vocula interrogandi: ſed diverſo ſenſu, Tigur. *Ad legem & teſtimonium* [*accedant*] *quibus lux deeſt, an non ſecundum iſtum ſermonem dicant* 21. *Quam qui neglexerit, indurabitur & eſuriet. Annon loquuntur in ſententiam* illam (vid. Conſulite Pythones &c.) *cuicunque nulla eſt lucis ſcintilla* .i. quiſquis plane ignorat Deum. Ubi rurſus Enallage τοῦ לוֹ pro לָהֶם/ ſi verba illa, *cuicunque nulla eſt lucis ſcintilla*, accepit tanquam ſubjectum propoſitionis. Si enim ea accepit tanquam partem prædicati, ſeu quod idem eſt objectum loquentium, tunc אֲשֶׁר pro לַאֲשֶׁר poſitum erit. Nunc videamus quomodo vulgatus Interpres Prophetæ mentem expreſſerit. I. Occurrunt hic duæ iſtæ voces אוֹבוֹת & יִדְּעֹנִים/ queis reſpondere mihi videntur gemina illa participia מְצַפְצְפִים & הַמַּהְגִּים ita ut prius primo, poſterius poſteriori nomini conveniat; de quibus

 poſtea

postea. אוב Pythonem reddere amant interpretes, qua novelli qua prissi. Loquor de Latinis. Græci enim ἐγγαςριμύθες ventriloquos, Chald. בדין i. e. mendaces reddidit. Porro אבות positum videtur pro בַּעֲלֵי אובות sicuti. 1. Sam. 28. 7. legimus בַּעֲלַת אוב .i. quæ habet אוב aut אֲשֶׁר בו אוב ut Levit. xx. ult *in quo* est אוב & Act. XVI. 16. ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος. אוב ergo est πνεῦμα πύθωνος. בַּעַל אוב ἔχων πνεῦμα Πύθωνος. Cùm אוב pro בעל אוב ponitur, metonymia adjuncti est, qualis & 1. Joh. IV. 1. *ne credite omni spiritui; sed probate spiritus. 2. In hoc cognoscetis spiritum Dei* .i. doctorem, qui habet vel se habere dicit spiritum Dei &c. אוב proprie *utrem* .i. ἀσκὸν significat unde Latinum *Obba* poculi genus Pers. Satyra V. *vejentanumque rubellum Exhalet vapida lætum pice sessilis obba.* Sessilem vocat, quia cum ponitur, sedere videtur. II. Spiritum impurum, qui submissam, stridulam, obscuram & quasi ex utre profectam vocem edit. Jesai. XXIX. 4. *Adeo ut dejecta e terra loquaris & e pulvere mussitet sermo tuus: eritque quasi Pythonis e terra vox tua & e pulvere sermo tuus* תְּצַפְצֵף *pipiet* vel susurrabit, mussitabit. Ubi rursus vides, τῷ אוב vocem submissam tribui nisi malis δαιμόνιον illud μαντικὸν Ob dici, quod ventrem hominis, quem incesserat, ad instar utris inflaret & ex eo loqueretur. Putem ergo si proprie loqui velimus, hanc fuisse πυθομάντιαν, quando spiritum, ut sic dicam, familiarem evocabat aliquis, eoque afflatus divinabat, sive ipsi spiritui vocis organa commodaret, sive ipse Spiritus sonum qualemcumque ederet. Talis videtur fuisse illa puella, Act. XVI. 16. ἔχουσα πνεῦμα πύθωνος. Talis denotatur Lev. xx. ult. *vir IN quo fuerit OB.* Talem intelligunt Græci, quando ἐγγαςρίμυθον memorant, pro quo apud Hesychinum in voce Πύθων, extat ἐγγαςρίμαντις. Non ignoro quosdam existimasse vocem illam potius sonare *utriloquos*, quam *ventriloquos* quia, vid. γάςρα etiam vasculum significat & certum est superstitiosos istos homines etiam pelvibus & vitreis ampullis in dæmonum evocationibus usos fuisse. Vides ad Cap. ult. lib. 7. August. de civit. Dei, jam dæmonum evocandorum mille artes. Hydromantiam ad ultimum reservavi. Ea non fit simpliciter. Nam & in ampulla vitrea imposita aquæ, quæ à puero inspicitur, quam gastro-mantiam vocant, à tumore & ventricositate ampulla &c. Sed his oppono Aristophanem, qui in comœdia cui titulus est Σφῆκες, quasi vocem illam interpretaturus

turus

turus ſic inquit, μιμησάμενος τὴν Ευρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι .i. imitatus Euryclis (qui ἐγγαστρίμυθος dictus fuit) vaticinium & mentem, in alienos ventris ingreſſus ad multa comica effundendum. Atque huc pertinent illa quæ apud Plutarch. Strabonem, & Ciceronem libris de Divinatione leguntur, vid. Apollinem in hunc modum Vates ſuos afflaviſſe, ut aura quædam ex antro per anguſtiſſimum os prodiret, ipſorumque ventres tanquam utres quoſdam impleret. Unde tripodi cuidam inſtabant & ut Oecumenius ad Act. XVI. loquitur divaricatis cruribus auram iſtam excipiebant. Origenes lib. 3. contra Celſum, Ori Pythii ſpecus inſidens, quam vocant Prophetidem, per muliebria recipit ſpiritum Apollinis fatidicum, nullo conveſtitum terreno corpore. Et lib. 7. Certe de Pythia, quo non aliud mantéum eſt celebrius, narratur, vatem illam Apollinis deſiderio ſuper foramen ſpecus Caſtalii & aſcendentem inde Spiritum per muliebre recipere gremium, quo repleta profert iſta præclara & divina, ut putant, oracula &c. Huc etiam referas iſtos στερνομάντεις, quorum Sophocles, item ἐντερομάντεις, quorum Theodoretus quæſt. 29. in Levit. meminere, ita dictos, quod ex ipſorum pectore & inteſtinis loqueretur dæmon. Refert Rhodiginus lib. 8. cap. 10. ſe talem noviſſe & vidiſſe. Verbis ejus iſta ſunt, Id nequis ut fabuloſum riſu excipiendum putet, teſtatum volumus, tempeſtate hac, imo vero hæc prodente me, fuiſſe in patria mea mulierculam humili loco, Jacobam nomine, ex cujus ventre immundi ſpiritus vocem prætenuem quidem, ſed tamen, ubi vellet, dearticulatam & prorſus intelligibilem, audivi ipſe, verum & innumeri alii, non Rhodigii modo, ſed & in tota fere Italia. Quando futuri avida potentum mens ſæpe accerſitam ventriloquam ac omni exutam amictu, ne quid fraudis occultæ lateret, inſpectare ac audire concupivit Cincinnatulus dæmoni erat. Hac ille appellatione geſtiens inclamanti ſubinde reſpondebat. Si de præteritis aut præſentibus ſcitareris, quæ reconditiſſima forent, reſponſa dabat ſæpe mirifica. Si de futuris, ſemper mendaciſſimus. Hæc Rhodiginus. Cui non omnino diſſimile eſt quod refert Hieron. ab Oleaſtro in comm. ad Jeſaiæ 29. 4. Memini, inquit, me olim, dum Uliſſiponæ juvenis agerem, fæminam quandam Ceciliam nomine ad Curiam & ſupremum Senatum adductam vidiſſe, in cujus

cubitis & nonnunquam aliis locis, vox quædam gracilis audiebatur, quam illa cujusdam Petri Johannis defuncti esse ajebat, quæ ad omnia quæsita quam citissime & promptissime respondebat.

Lubet autem hic adscribere verba Mosis Kotzensis quæ extant in libro præceptorum majore fol. 9. col. 3. בעל אוב זה פיתום המדבר משיחיו ותניא בעל אוב זה המדבר בין הפרקים פי׳ עולה המת ויושב בין פרקי המכשף או בין שיחיו ומדבר בקול נמוך מאד כאילו יוצא מתחת לארץ ועוד יש מעשה אחד של אוב הנשאל בגולגלת של מת Baal Ob est pytho, qui loquitur ex axillis suis. Et traditio est, πυθομάντιν illum esse qui loquitur inter articulos, hoc est, ascendit mortuus (h.e. si verum amamus non anima defuncti, sed spiritus immundus) & sedet inter articulos magi, aut inter axillas ejus & loquitur voce admodum submissa, ac si prodiret de sub terra. Estque insuper alius modus τοῦ O B, quando vid. interrogatur per calvariam mortui. Hic nulla mentio ἐγγαστριμύθου proprie dicti. Maimonides halacha de Idololatria, cap. 6. כי צד מעשה האוב זה שהוא עומר ומקטיר קטורת ידועה ואוחז שרביט לש הדס בידו ומניפו והוא מדבר בלט בדברים ידועים אצלם עד שישמע השואל כאלו אחר מדבר עמו ומשיבו על מה שהוא שואל בדברים מתחת לארץ בקול נמוך מאוד וכאלו אינו ניכר לאוזן אלא במחשבה מרגיש בו וכן הלקח גלגולת המת ומקטיר לה ומנחש לה עד שישמע כאלו קול יוצא מתחת שחיו שפל עד מאוד ומשיבו כל אקה מעשה אוב / hoc est, quomodo se habet negotium Baal O B? Hoc modo. Stat & ustulat certam quendam suffitum & tenet sceptrum quoddam myrteum manu sua & agitat illud. Demurmurabat autem certa quædam verba, donec is qui consulebat, audiret vocem tanquam hominis secum loquentis & respondentis ad id quod rogabat, idque verbis quasi ex terra prodeuntibus, voce admodum submissa, adeo quidem ut vix perciperetur auribus, sed propemodum cogitatione tantum. Similiter qui accipiebat calvariam morti & odoramenta incenderet super ea & adhibet incantationes, donec audiatur vox quasi ex axillis exiens eaque admodum exilis & submissa, quæ respondeat. omnia ista pertinent ad B A A L O B. Ubi rursus nulla mentio ἐγγαστριμύθου proprie sic dicti. Ego ut hæc non nego aut rejicio, quæ cum ratione μεταφορᾶς τοῦ O B optime consistunt omnia, ita sentio בעל אוב primò & maxime proprie denotare

eum

eum in quo est spiritus pythonicus, sive ut Angli in Bibliorum versione vocant, familiaris, sive sit ἐγγαστρίμυθος vel ἐγγαστριμάντις, sive στερνομάντις, sive ἐντερομάντης. II. eum qui spiritum immundum, seu familiarem incantamentis evocatum tali aliquo modo quales Maimonides recenset, consulit, qui Deuter. XVIII. 2. distinctius שׁוֹאֵל הָאוֹב consulens Pythonem vocatur. Et quia hic coecis mortalibus sæpe illudebat Satanas & defunctorum animas non raro mentiebatur, scriptura quoque secundum erroneam superstitiosorum opinionem sæpe loquens, eundem eodem versu Deuteronomii דוֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים id est, consulentem mortuos vocat. Et pii hoc ipso Jesajæ loco ad consulendum spiritum Pythonicum solicitati, respondent, *an pro vivis consulendi sunt mortui?* procul dubio ad vanitatem τῆς πυθομαντείας vel νεκρομαντείας respicientes. Putem ergo בעל אוב III. eum denotare, qui ex sententia sua animam defuncti, revera autem spiritum immundum *evocat*. Et quidem Græcos quoque tales admodum improprie ἐγγαστριμύθους vocasse Suidas ex Prochoro quodam docet, voce ἐγγαστρίμυθος. Dicit enim prochorum tradidisse ἐν γ. περὶ μαντικῆς libro 3. de divinatione, fuisse & γυναῖκας τινας ἐγγαστριμύθους. Αὗται, inquit, τὰς τῶν τεθνηκότων ψυχὰς ἐξεκαλοῦντο. Pergit. Μιᾶς δὲ αὐτῶν ἐχρήσατο Σαοὺλ, ἥτις ἐξεκαλέσατο τὴν ψυχὴν Σαμουήλ. Ne longe eamus, expende mihi caput XXVIII. libri I. Samuelis, Jubet Saul quæri fæminam בַּעֲלַת אוֹב vers. 7. Eam vero vers. 8. sic affatur *divina mihi* בָּאוֹב *per pythonem, & ascendere mihi fac quem tibi dixero.* Et hanc LXX. quoque ἐγγαστρίμυθον vocarunt. Et fieri potest ut ipsa quoque tam immundum hospitem habuerit. Plura huc convectare ex Ebræis poteram, sed quia Multa in iis suspecta & incerta, operam & tempus compendi faciam.

Quod vero attinet ad vocem יִדְּעֹנִי non moror ineptias quorundam Ebræorum, qui omnes futilitatis numeros hic implevêre. Vox Ebræa, si originem spectes, significat γνώστην seu προγνώστην (Ebræi enim cum non habeant composita, simplicibus utuntur) seu δαήμονα, quæ omnia ariolis & divinis optime conveniunt. Certe nemo tam hospes in Ebraïsmo est, qui nesciat ידע idem esse quod scire, præscire &c. Atque adeo ipsi LXX. Ebræam vocem *Idgnoni* quater γνώστην interpretati sunt.

Verbum addam de voce *Python*, de quo nomine Græcos intoleranda commentos esse, non de nihilo queritur magnus Heinsius.

In Ariſtarcho ſacro pag. 17. ſius. * Adſcribam ejus verba. *Inter Græcos ſunt*, inquit, qui ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, ſeu conſultatione; ſunt qui ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ τὸν δράκοντα, τὸν ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος ἀναιρεθέντα, πύθεσθαι id eſt, quod ſerpens illic ab Apolline ſublatus computruerit, ſic dici volunt. *Quæ* hoc putido ſerpente multo forſitan putidiora ſunt. Minori enim opere à Pythone ipſo deduxiſſent. Niſi quod & hic hærere aquam ſibi facile viderent. Nam ſi locus à Pythone, unde Pytho, à quo nomen loco? Verùm פֶּתֶן ab Ebræis ſpecies ſerpentis dicitur. Ab hac voce *phethen*, Pytho ſerpens. Porro notum eſt, Ebræos ex ſerpentibus, vaferrimo in terris animali, divinationes olim plures & auguria inſtituiſſe. Unde נחש / quemadmodum ſerpentem, ita & divinare aut augurari literis iiſdem denotat in ſacris. Quod non male Græci οἰωνίζεσθαι verterunt, qui ſerpentes ipſos οἰωνοὺς, dixere. Abyſſus eruditionis veteris Grammaticus Heſychius, οἰωνὸς, ὄφις. ἐπιεικῶς γὰρ λέγονται εἰς τὰς μαντείαις τοὺς ὄφεις ἔχειν οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. Plane eodem modo, quo Hebræi voce eadem נְחָשִׁים ſerpentes ſimul & auguria (ad verbum, οἰωνοὺς) dixerunt. Primus ſane qui hanc vocem apud Moſen uſurpavit, Laban Syrus antiquiſſimus Idololatra fuit, quod ex ejus idolis ſive *theraphim* apparet. Primus qui ex oriente, ut cætera, hoc tranſtulit, Homerus eſt: apud quem hoc divinandi genere *Iliados β. uſus augur* antiquiſſimus, de ſumma rei & excidione Ilii Græcorum Principem confirmat. Adhibetur enim δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός. quæ eſt vera circumſcriptio τοῦ nachas quem à notis, quæ in tergo ſunt ſerpentum, è quibus inter cætera illius animalis divinationes & auguria captabant, ita dictum voluêre. Ut non dubitandum ſit, quin Pythius Apollo, hoc eſt ſpurcus ille ſpiritus; quem Hebræi Ob & Abaddon, Helleniſtæ ad verbum Ἀπολλύωνα, cæteri Ἀπόλλωνα dixerunt, ſub hac forma, qua miſeriam humano olim generi invexit, primo cultus ſit in Syria. Quemadmodum & Pherecydes Syrus, principem malorum dæmonum, Ophioneum vocavit &c. Hæc magnus & literatiſſimus ille Eques Heinſius. Quibus illud addo, ipſum quoque Græcorum ὄφις & fortaſſis etiam Φοῖβος ab Ebræo אוב derivatum videri. Et ὄυβαῖος apud Horapollinem lib. 1. cap. 1. ſerpentis genus eſt.

Secundo in hac verſione vulg. occurrunt illa, *qui ſtrident in incantationibus ſuis.* Reſpondent autem iſtis Ebraicis הַמְצַפְצְפִים וְהַמַּהְגִּים / quæ Pagninus vertit, *qui garriunt & loquuntur.* Arias,

qui

qui garriunt & susurrant. Accipiunt vulgo hæc verba, tanquam si ab hac ariolorum proprietate pro vanitate artis argumentum peteret. Vide notas Junii & Carthus. Arias tamen Montanus existimat verba sic construenda, Et *cum ii qui strident incantationibus suis*, hoc est, qui verbosis quibusdam præstigiis personantes, opinionem vobis istam persuadere student, *dixerint ad vos, Quærite* &c. Vulgatus Interpres dum vocem מַהְגִּים interpretaturus *incantationum* meminit, respexisse mihi videtur ad Latinum *Magus*, cui cum Ebræa voce מַהְגִּים quoad sonum non omnino disconvenit. Nec desunt qui vocem illam Latinis jam receptam (ideo Latinam vocavi) ab Ebræorum deflectunt. Magus apud Persas erat σοφὸς, θεωρητικὸς, contemplativus, meditabundus (הגה enim meditari) mysteriorum gnarus. Suidas, μάγοι παρὰ πέρσαις οἱ φιλόσοφοι καὶ φιλόθεοι, Et quid si hinc quoque *Magister*? Sed nihil statuo. Μάγος, sapiens, inquam, Firmat Lucas Actorum XIII. 8. ἀνθίστατο δὲ αὐτοῖς Ελυμας ὁ μάγος, οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Ελύμας enim est ab Arabico עלם / novit, scivit. vide Drusium ad voces Ebr. Novi Test. cap. 7. & Schindleri lexicon in עלם / Nihil autem hic attinet monere, vocem eam, ut & *Tyrannus* & Sophista & id genus aliæ, postmodum una cum ipsa magia degenerasse, atque in malam partem usurpari coepisse. Tertio occurrunt ista, *nunquid non populus à Deo suo requiret pro vivis à mortuis?* Hic se torserunt Interpretes, multi enim codices ita legunt, *n. n. pop. à Deo suo requiret visionem pro vivis ac mortuis?* Carthus. q. d. imo. Nam & pagani à diis suis sciscitantur responsa, nam per locum à majori, nos fideles quærere debemus non à pythonibus &c. sed à Deo nostro, ejusque prophetis & sanctis responsa pro omni negotio occurrente, tam vivis quam pro mortuis. Petrus Cluniacensis ex hoc loco probare voluit pro mortuis orandum esse unde porro Fevardentius & peltanus argumentum pro purgatorio depromsere. Et certe, si orandum est pro animabus defunctorum, videtur statuendum esse purgatorium, positis enim mediis ad finem, omnino etiam finem ipsum dari oportet. Paraphrasis autem Cluniacensis epistola ad Petrobrusianos hæc est, cum dixerint ad vos deceptores, ut ea quæ tantum à Deo requirenda sunt, quærantur contra Deum à Pythonib. & divinis, respondete, annon populus id est, annon hic mos est omnium populorum ut

à Deo ſuo quem colit, requirat ea quæ quærenda ſunt, ſive pro vivis, ſive pro mortuis? Et paucis interjectis, nonne vides prophetam aperte prædicare, Deum à populo ſuo requirendum i. conſulendum eſſe tam pro vivis quam pro mortuis? Quod ſi conſulendus, ſi orandus eſt Deus tam pro vivis quam pro mortuis, quid reſpondent qui dicunt, non eſſe orandum pro mortuis. Docetur ille populus ut reſpondent ſeductoribus inquirendum vel potius deprecandum Deum pro vivis ac pro mortuis, & non docebitur populus, conculcandos eſſe hæreticos, qui negant Deum orandum pro mortuis? Hæc ille. Ubi obſerva, lector μέγα αἴτημα authoris, requirere ſeu conſulere pro mortuis ut ipſe poſtea loquitur, ſalutem mortuorum quærere. Ipſe Lyra hoc *requirere* exponit, *reſponſa quærere de occultis & futuris.* Admiſſa ergo hac lectione, quid aliud eſſet hoc requirere, quam inquirere quo in ſtatu ſint mortui? Hanc expoſitionem una litura delevit Clemens VIII. quando locum ſic reſtituit & in poſterum legendum ſanxit, *nunquid non populus requiret à Deo ſuo, pro vivis à mortuis?* Quæ ſic accipiuntur ab optimis interpretibus, tanquam ſi contineant reſponſionem fidelium, quos impii ad illicitas conſultationes ſolicitaturi erant. q. d. an æquum eſt, an licitum eſt ut pro vivis à mortuis petantur reſponſa? Et ſic quidem idem vulgati ſententia erit, qui Ebraici textus eſt. Proinde non poſſum ſatis mirari, quid in mentem venerit Ariæ Montano, dum in commentario duo iſta ſententiæ membra, eaque accentu Sakeph Katon diſtincta, confundit, *Cum ii qui ſtrident in incantationibus ſuis dixerint ad vos, quærite à Pythonibus & à divinis*, & deinde hoc non eſſe nefas contenderint, aſſerentes, mortuos eſſe medio inter homines & ſuperos gradu, ideoque oportunum reſponſi à Deo afferendi modum eſſe hunc Pythonum, divinorum & quærentium, *Quandoquidem omnis populus à Deo ſuo requirit viſionem pro vivis à mortuis*, quod mortuorum à corporis impedimento exutæ animæ propiores Deo eſſe credantur &c. Hæc Arias, Cujus mentem ſi bene aſſequor, hoc vult, *quandoquidem omnes populus à Deo ſuo requirit viſionem pro vivis per mortuos.* Quam interpretationem neutiquam ex originali eruet.

CAP. IX.

Verſ. Nihil frequentius in veterum & recentiorum ſcriptis quam epitheto *Angeli magni conſilii* Æternum Dei filium redemtorem

torem nostrum indigitare. Est in authenticis verbi divini tabulis, ubi *angelus fœderis* appellatur, at ubi *angelus magni consilii* vocetur, non reperies locum. Quid ergo? Desumptum illud est ex Græca interpretatione hujus loci. Inde manavit in scripta patrum Græcorum, illorumque ex Latinis qui Latina versione ex Græca LXX. traductâ usi sunt. Verba textus Græci, prout ea expressit editio Francofurt. Ista sunt, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτῆς, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, θαυμαστὸς, σύμβουλος, θεὸς ἰσχυρὸς, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος, ἄρχων εἰρήνης. Eusebius Demonstr. Evang. IX. 8. verba Prophetæ in hunc modum citat, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, ἄρχων εἰρήνης, ἐξουσιαστὴς, θεὸς ἰσχυρὸς, πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. Vides hic illa duo, θαυμαστὸς, σύμβουλος quæ respondent istis Ebræis, פלא יוֹעֵץ abesse. Et certe cum illa ab interpretibus LXX. reddita sint per μεγ. βουλῆς ἀγγ. probabile est illa ex Aquilæ versione in textum vulgatum infarta fuisse. Locum ergo accuratius convertit vulgatus Interpres, *admirabalis*, *consiliarius*, *Deus*, *fortis*, &c. Ubi Lutherus, & ex eo Belgicus Interpres, **wonderbaer / raedt / kracht / Heldt.** Duo posteriora respondent istis Ebraicis, אֵל גִּבּוֹר / quorum prius אֵל cum extra controversiam passim in S. literis significet Deum, per synecdochen generis, non puto ullam B. Luthero incubuisse necessitatem ab interpretatione vulgata divertendi. Est quidem ita, τὸ אֵל κατ' ἀκρίβειαν significare ἰσχὺν καὶ δύναμιν, ut loquitur Eusebius, in abstracto, nec non ἰσχυρὸν καὶ δυνατὸν, in concreto, plane ut עֵד *testis & testimonium* significat; At cum immediate sequatur, גִּבּוֹר / cur non potius eos sequimur, qui אֵל Deum interpretantur? Ita certe Chaldæus, אֱלָהָא / Ita LXX. ut vidimus. Ita Jun. Pisc. Angeli, Genev. Hisp. Ital. atque adeo ipse Lutherus tomo 8. edit. Ienensis, fol. 145. pag. 2. Verba ejus hæc sunt, *Vox Ebræa proprie quidem significat potentiam*, kraft / *At cum proprium nomen est, ut hic, significat Deum*, so heists Gott / *per totam scripturam, qui solus potens est. Quod Judæi & Ebraistæ pariter coguntur agnoscere.* Non est operæ prætium super hujus epitheti versione contendere. Lutherus citato loco ad communissimum & passim obvium vocis Ebrææ usum: At in versione ad nativã vocis significationẽ respexit. Et novum non est Deum *potentiam* vocare. Apud virg. Venus Cupidinem suum sic affatur,

Nate meæ vires, mea magna potentia,

Hieron. in comm. textum τῶν LXX. hisce tantum exprimet, numen ejus, *magni consilii angelus*.

q. d. אֵלִי אֵלִי / Namque & illa verba Pſ. XXII. neſcio quis veterum ita convertit, ἰσχυς μου, ἰσχυς μου Ubi tamen Symmachus concretis uſus eſt, ἰσχυρέ μου, ἰσχυρέ μου. Inter nomina Dei, quibus Rabbini Deum appellant, etiam eſt הַגְּבוּרָה *potentia*, מִפִּי הַגְּבוּרָה שְׁמַעְנוּם ἀπὸ στόματος τῆς ἰσχυος ἠκούσαμεν αὐτῶν ex ore potentiæ *audivimus iſta.* Vide Thiſbi Eliæ. Quo referebat Cl. Druſius illud Tobiæ I. τῇ βάαλ τῇ δυνάμει *Baali Deo*, quomodo & Junius locum illum convertit, ut fruſtra ſit Vatablus, qui δαμάλει ſubſtituit. Atque huc idem ille Druſius facem allucebat loco Matthæi XXVI. 64. *à dextris* τῆς δυνάμεως, Ebraice, מִימִין הָאֵל Rabbinice מימין של הגבורה / à dextris Dei, quamvis alii ex Luca 22. 69. Hic ſupplere malunt nomen *Dei. A dextris potentiæ* [*Dei.*] Ita enim plene leguntur illa apud Lucam neque dicere auſim illud θεοῦ hic gloſſema eſſe & ex margine, librariorum ignorantia, in textum irrepſiſſe. Sed ut redeamus ad inſtitutum, licet veriſſimum ſit quod ait Helivicus, eum qui ipſa potentia eſt, citra controverſiam Deum eſſe, tamen alteram interpretationem magis probo.

7. לְמַרְבֵּה Nota tiro Vocem illam licet habeat formam participii, habere tamen hoc loco ſignificationem abſtracti, *amplitudini principatus & pacis nullus erit finis.* מַרְבֶּה ergo inter illa eſt, quæ ſub una forma eaque participiali, abſtractum & concretum ſignificant. Tale eſt & מַשְׁחִית quod Exod. XII. verſ. 23. *perdentem*, at verſ. 13. *perditionem* ſignificat, quomodo & 2. Reg. 23. 13. uſurpatur, הַר מַשְׁחִית *mons corruptionis*, exigua vid. deflexione uſitatæ nomenclaturæ, in opprobrium idololatriæ quæ illic tunc temporis palàm vigebat. Intelligitur enim mons oliveti, quæ Græci ὄρος τοῦ ἐλαιῶνος, Ebræi הַר מִשְׁחָה *montem unctionis* vocant. Ita nomen celebris illius impoſtoris, qui in Hadriani tempora incidit, בר כוכבא *Bar-Chocheva* id eſt, filius ſtellæ, demutarunt in בר כוזיבא .i. filius mendacii. Extat hac de re monitum Magiſtrorum in libro præceptorum magno fol. 98. Col. 3. ubi tractatur lex affirmativa XIV. de deſtruendis locis idololatricis & idolorum nominibus abolendis, quam invenies Deut. XII. 3. Namque illa verba, וְאִבַּדְתֶּם אֶת שְׁמָם R. Akiva videtur accepiſſe hoc ſenſu, & perdetis, .i. corrumpetis nomen eorum (idolorum & rerum eò pertinentium)

לשנות את שמם ומניין שמצוה שישנו השם שנעשה לתם שיהיה

שיהיה לגנאי תלמוד לומר שקץ תשקצנו .i. *mutando nomina eorum*. Rogat porro, unde petitum ſit illud præceptum de mutandis iſtis nominibus in opprobrium, & reſpondet fundamenti loco in Thalmud allegari illud ex Deut 7. 26. *abominando abominaveris illud*. Atque huc retulit Cl. Druſius τὸ Βεελζεβοὺλ, quod in N. T. occurrit, pro Βεελζεβοὺβ non ab errante manu, uti olim Hieronymo viſum fuit, ſed ex uſu, qui tempore Evangeliſtarum obtinebat. Sonat autem *Beelſebut*, ac ſi diceres ζεὺς κοπρικὸς vel κόπριος, vel κοπρώδης: Jupiter ſtercoreus, זבל enim Syris & Chald. eſt κόπρος ſtercus. Vide Druſium ad voces. Ebr. N. T. Non ergo ſolicitanda eſt Scriptura Græca, quam etiam vetuſtiſſima Arabica verſio quam magnus Erpenius edidit, repreſentat. Sed hæc διεξοδικῶς. Revertamur ad noſtrum למרבה in cujus medio Mem finale exhibent omnes Ebræi codices. Maſora nihil aliud notat quam legi למרבה cum מ aperto. In hac Scriptura myſterium vénantur Interpretes. Hi extra controverſiam ponunt vocem illam ſic ab ipſo propheta exaratam fuiſſe. Sed hoc non dabunt Scaliger, Druſius & alii qui Moſem & Prophetas Samaritano Charactere uſos fuiſſe contendunt. Vide ejus diſſertationem de literis in Animadverſionibus ad Euſebium: hujus Alphabetum Ebraicum vetus. Ubi Characterem illum quo nunc Biblia Ebræa eduntur Aſſyrium eſſe docent, ab Ezra primitus adhibitum cum jam illi populus in diuturna illa captivitate aſſveviſſet. Hoc ſi admittimus, nullum hic myſterium Jeſaias intenderit. Namque Samaritanus Character Mem clauſum & apertum non agnoſcit. Sed ponamus Jeſaiam iſtis quos etiamnum habemus, Characteribus librum ſuum exaraſſe, ne ſic quidem evinces hunc Characterem finalem à Prophetæ manu eſſe. Superſtitioni Judaicæ eum adſcribit Weiganmejerus in Tabulis Grammaticis. Forerius putat eſſe ſcribæ lapſum quem juxta cum plurimis aliis ex contextu tollere præpoſtera quadam religione Judæi non fuerunt auſi. Hieronymus, Arias Mont. Junius, Piſc. Deodatus, Genevenſes Interpretes & complures alii de myſterio aliquo altum hic ſilent. D. Calvinus aſſerit, *aſſeri vix poſſe ita ſcriptum eſſe à Propheta*. Hæc monere libuit, nequis nimis ſecurus ea, quæ hic vulgo traduntur, tanquam authentica & omni exceptione majora amplexetur. Magna autem hic eſt Interpretum diſſeritas. Ipſi Ebræi, ut ab illis exordiar,

diar, variant. Quidem altum hic ſilent. R. Salomo ad Mem clauſum alludere videtur his verbis: *Dixerunt Doctores noſtri, Deo benedicto propoſitum fuiſſe ut Ezechiam Meſſiam faceret* (O triſtes ineptiæ!) *& ex Senacherib Gogum & Magogum. Dixerunt angeli miniſterii coram Deo benedicto, An is qui truncavit januas templi & miſit eas Regi Aſſyriæ, fiet Meſſias; Et ſtatim clauſerunt ſcripturam.* En jecur Theologi cujus Deus Sapientia & conſilio infra Angelos eſt. Phy τῆς θεολογίας ταύτης. Aben-Ezra, דרך דרש סופרים כי המ״ם סגור בתוך המלה וראוי להיותו בסוף hoc eſt, *Myſterium ſcribarum hic eſt, nam Mem clauſum eſt in medio vocis, cum debeat eſſe in fine. Innuit autem*, inquit, *ſignum ſolis. Quia enim retroivit umbra, par erat ut hoc cederet ad amplitudinem nominis ejus* מרבה *enim eſt nomen formæ* מַעֲשֶׂה inquit idem. Kimchi, *Mem clauſum* eſt (סתומה) in ſcriptura. Legitur tamen per מ apertum. Contra, in Ezra (Nehemiæ 2. 13. qui Ebræis Ezræ ſecundus) הֵמ פְּרוּצִים Mem aperto in fine vocis ſecundùm ſcripturam. Latet autem in eo aliquid Myſticum. כאשר יסתמו חומות ירושלים שהם פרוצים זמן הגלות ולעת הישועה יסתמו הפרוצים ואז תפתח המשרה שהיא סתומה עד מלך המשיח *quomodo vid. muri Jeruſalem, qui durante tempore captivitatis rupti fuere, tempore ſalutis claudendi ſint, & * dilatandus principatus qui uſque ad Regem Meſſiam clauſus fuerat.* Videtur conferre duo iſta Mem inter ſe, quaſi alterius ad alterum reſpectus ſit. Aben-Ezræ ſententia de voce הֵמ Nehem 2.13. iſta eſt.

* Hebr. aperiendus.

הם פרוצים על דרך מזה בידך מלכם תדכאו עמי רק אנשי המסורת הפרידום לקצר המלות ולפרש המ״ם הפתוחה רמז לחומות הפתוחות הֵמ פְּרוּצִים ופרוצות והוא דרך דרש והדרך הראשון בעיני נכון hoc eſt *habet ſe ad inſtar*, מַזֶּה בְּיָדֶךָ *quid hoc* [*quod*] *in manu tua eſt* (Exod. 4. 2. pro מַה-זֶּה una vox ex duabus conflata) *item*, מַלָּכֶם *quid vobis atteritis populum meum?* (pro מַה-לָּכֶם) *Sed viri Maſoræ ſeparârunt voces illas ad abbreviandas voces & explicandas. Innuit autem Mem illud apertum muros apertos ruptoſque, Sed hoc myſticum eſt. Et prior ſententia mihi ſe magis probat.* Sed redeamus ad ם clauſum vocemque *lemarbe.* Elias Levita in Maſoreth Hammaſoreth, tabulis ſecundis orat. 1. ſpecie 6. plane hic ineptit. Ibi enim agens de vocibus quæ ſcribuntur ut una, & leguntur ut duæ, quales ait eſſe Xv. Itemque illis quæ ſcribuntur ut duæ & leguntur ut

una,

una. quales dicit esse V. hæc addit, *Ego autem demiror mysticam expositionem quam sectantur* nonnulli circa vocem hanc לםרבה / dicentes Mem clausum esse in medio vocis: Cum juxta scripturam illud Mem non sit in medio vocis, nam juxta scripturam sunt duæ voces * לָם רַבֵּה & possumus exponere לָם quasi esset לָהֶם / sicuti in אֶרְאֶלָּם pro / אַרְאֶה לָהֶם item בִּשְׁלָם pro בִּשֵּׁל *Hoc est, ipsis multiplica
לָהֶם Hæc Elias. Nihil jam dico, quam nullum sensum habeat illa lectio לָם רַבֵּה / Nihil dico de voce אֶרְאֶלָּם / quæ sic vulgo exponitur, ut ל non ad pronomen sed ad nomen אֶרְאֵל pertineat, aspice mihi vocem בִּשְׁלָם / quis non videt, ל hic literam ultimam Thematis בשל esse neque ullo modo esse literam syntacticam? Est quidem in eo affixum, quod communiter per Accusativum Latinorum casum exponitur, pro Dativo positum, at quid illud ad rem præsentem facit? Facessant ergo istæ ineptiæ. Pergamus ad Christianos Interpretes & scriptores. Inter eos primo occurrit Galatinus, qui lib. 4. cap. 19. citat testimonium Thalmudicum ex Massecheth Sanhedrin, cujus ista mens sit, per Mem clausum denotari rem clausam. At doctissimus Buxtorfius in lexico suo, themate רבה monet, nihil tale universo isto capite contineri. Addit Galatinus ex sententia cujusdam R. eâ literâ denotari numerum annorum DC. (Mem enim finale in numeris valet Dc.) qui ab hac Prophetia usque ad natales Salvatoris nostri effluxere. Sed hanc sententiam doctissimorum Chronologorum ratiocinia neutiquam admittunt. Itaque alii mysterium vocationis gentium verè tunc adhuc clausum gentisque Judaicæ ab hoc regno excludendæ, denotari: Alii, sicut ם clausum exitum non habet, ita perpetuitatem regni Christi, alii mysterium Christi ex clausa virgine nasciturі hic latitare arbitrati sunt, respicientes ad formam characteris clausam. Alii ad figuram ejus plusculum dilatatam respexêre, ac proinde vel dilatationem regni Christi antea limitibus Cananææ conclusi, vel dilatationem ejusdem hoc est recreationem inter varias pressuras.

Rursus, quia ם litera quadrangularis est, non desunt qui inconcussam stabilitatem regni Christi hinc elicuere. Fuerunt denique qui ipsum nomen Mariæ τῆς θεοτόκȣ παρθένȣ hac litera quasi digito indicatum censuere. Hector Pintus Lusitanus, postquam de conversione barbararum gentium disseruisset, hæc subjungit, Eam ab causam in hoc admirabili versiculo, ubi divinus vates impe-

imperii Christi multiplicationem prædicit, litera finali ad principium reversa annotavit. Reversa est igitur hæc litera retrorsum, ut etiam hac in re innueret Propheta, filium Dei æqualem Deo Patri sumpturum esse humanam naturam, secundum quam esset minor Patre. Exinanivit enim seipsum, ut ait Apostolus, formam servi accipiens &c. Hujus figuram & imaginem gessit Sol, quem reversum fuisse in horologio Achaz ad signum & confirmationem salutis Regis Jezechiæ literæ divinæ contestantur. Hæc ille. Tu lector confer hæc posteriora cum illis, quæ supra ex Aben-Ezra produximus. Non lubet plura accongerere. Non decet me pias doctorum super hac litera meditationes παραδειγματίζειν. Illud moneo tironem, sententiam de numero annorum, ut maxime se devotæ animæ probat, ita veritati Historiæ & Chronologorum doctissimorum calculo maxime adversari. Reliquas vero non nisi precario, si in contradicentem incidas, posse obtineri.

Vers. 14. Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam incurvantem & depravantem una die] Ita plerique codices Editionis vulgatæ & Hieron. in Vers. & commentariis. Biblia tamen Clementis VIII. Contra sententiam ipsius Hieronymi, legunt, * *incurvantem & refrænantem.* Multa hic interpretes de proprietate Pseudo-prophetarum & hæreticorum. Sed nota tiro, duarum istarum vocum nec volam nec vestigium in Ebræo reperiri. Pro illis enim hæc leguntur כפה ואגמון / quæ Pagn. Arias, Oleastrius, Forerius, Pintus, & alii reddunt, ramum & juncum. Ipse vulgatus cap. 35. vocem אַגְמוֹן *juncum* interpretatur. Non ergo hæc duo ad caudam referenda, sed respondent duobus antecedentibus *caput & caudam*, ut idem fere aliis verbis dicat. Ut enim per *caput* primores & honorabiles, per *caudam* abjectissimos intelligit, ita per *ramum*, fortes; per *juncum*, debiles intelligit. Kimchi, in Comment. כפה ואגמון החזקים והחלשים / כפה הוא ענף העץ. אגמון הוא הגמא גדל במים i. *per* Chippha *&* agmon, *intelliguntur fortes & debiles.* Chippha *est* * *ramus arboris.* Agmon *est juncus in aqua crescens.*

* Lovan. Den nederbuyger ende den bedwingher.

* Sic forte dictus à curvitate, כפף unde Arias, ramus curvus.

Lxx. μέγαν καὶ μικρὸν ad sensum magis quam verba respicientes. Memini supra sententiæ Hieronymi. Eam invenies ad cap. 19. ubi v. 15. eædem voces occurrunt, verba ejus hæc sunt, In eo quod nos transtulimus *incurvantem & refrænantem*, possumus

mus dicere incurvum & Lascivientem, ut intelligamus senem & puerum. Nos autem verbum Ebraicum אגמון / dum celeriter quæ scripta sunt, vertimus, ambiguitate decepti refrænantem diximus, quod significantius Aquila transtulit στρέβλοντα id est qui nihil recte agit, sed omne perversum, ut puerum significaret. Nota lector Romanos Correctores has secundas Hieronymi curas insuper habuisse & quod ille damnaverat in textum recepisse.

CAP. X.

Vers. 15. Nunquid gloriabitur securis contra eum qui secat in ea? aut exaltabitur serra contra eum à quo trahitur?] Redarguit Propheta intolerabilem fastum & superbiam Regis Assyriæ, suæ potentiæ & prudentiæ felices istos successus transcribentis. Atqui tu tantum instrumentum Dei es, inquit Propheta, Deus te instrumento usus est &c. Judicet ergo cordatus lector, quam apte hic locus in jure Canonico citetur ad primatum Romanæ Ecclesiæ stabiliendum. Aliter se habet serra vel securis ad artificem, quam Ecclesia inferior ad superiorem. Melius allegatur hic locus, parte 2. Causa 21. quæst. 5. Cap. Remittuntur. Vide si vacat & habes. Quæ vero sequuntur apud vulg. Interpretem, aliquid caliginis habent, *quomodo si* * *elevetur virga contra levantem se, exaltetur baculus qui utique lignum est.* Ebræa ita habent כְּהָנִיף שֵׁבֶט אֶת-מְרִימָיו כְּהָרִים מַטֶּה לֹא-עֵץ Lutherus hic plane exorbitavit. Junius, *quasi vero agitaret virga eum qui tollit ipsam, quasi attolleret baculus,* [&] *non lignum* [*esset.*] Nec male Forrerius, quasi agitaret virga elevantes eam, quasi [qui] elevat baculum, non lignum [elevaret.]

Parte 1. Distinct. 21. Cap. Inferior. verba sunt Nicolai Papæ.

* Clarius Belgica Lovan- Ghelijck oft een roede haer op-hief, teghen hem diese op-heft, ende dat eenen stock hem op-hief &c. reciprocè.

Vers. 22. Consummatio abbreviata inundabit Justitiam.] Oedipo opus habet hoc ænigma. Neque lux ulla à Belgica Lovan. *Een verkorte vol-eyndinghe sal rechtveerdigh overvloeden.* Non erit operæ omnes alienas à Prophetæ scopo sententias convectare. Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem locum ita citat, *Decisum sermonem faciet Dominus in terra* & interpretatur de Novo Testamento, *Compendiatum* enim est novum Test. inquit, & à legis laciniosis oneribus *expeditum.* Nihil tale cogitavit divinus Vates, cujus verba hæc sunt כִּלָּיוֹן חָרוּץ שׁוֹטֵף צְדָקָה vox חרוץ vel participium vel adjectivum esse syntaxis docet, quæ est conve-

 nientiæ

nientiæ, non rectionis. In regimine enim ſecundum analogiam faceret כְּלְיוֹן/ ut ab הִגָּיוֹן fit הֶגְיוֹן/ Cum ergo ea hic ſit ſyntaxis, quam dixi, quis negabit commodiſſime ſic reddi, *conſummationem decretam*, vel præciſam. חָרַץ enim inter alia eſt, decernere, decidere, unde Aben. & Kimchi explicant per גָּזַר/ גָּמוּר 1.Reg. xx. 4. *Sic erit judicium tuum* ut חָרָצְתָּ Chald. פְּסַקְתָּא decidiſti. Unde Jun. locum totum ſic vertit, *nam conſummationem præciſam* [conſummabit] *inundans juſtitiâ*. Conſummabit ſc. Dominus. Accipit vocem *conſummationis* in bonam partem, pro completione promiſſionum quas Deus fidelibus fecit, ſecundum æternum decretum. Utitur autem voce *inundans*, ut oſtendat hanc Dei voluntatem nullo conſilio aut vi impediri poſſe, non magis quam inundans fluvius vel amnis ſiſti aut obſtrui poteſt.

Piſcator vero maluit vocem eandem in malam partem interpretari; Hinc enim novam ſententiam inchoans, ſic reddit Ebræa, *Decreta* conſummatio (deſolatio) fiet, quæ [terram] *inundabit juſtitiâ*. Juſtitia .i. juſtis judiciis. Deodati interpretatio ita habet, *conſummatio determinata inundabit in juſtitia*, hoc eſt, inquit, poſt deſolationem iſtam quam Deus decrevit per Senacheribum exequi, largiſſime effundet beneficia ſua, quæ hic vocantur Juſtitia, ſuper reliquias populi, id quod in regno Ezechiæ impletum eſt: aut per juſtitiam intelligit ſanctitatem cui fideles poſt hanc deſolationem diligentius litarunt. Lutheri interpretationem quî defendam nullus video, neque enim חרץ moderari vel derigere ſignificat, ſed rogabis quomodo vel Piſcatoris vel Junii interpretatio conveniat iſti ſenſui, quo locum hunc laudabit Apoſtolus Rom. 9. 28. λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει ὁ κύριος ἐν τῇ γῇ. Reſpondeo optimè. Obſerva tantum, * λόγον ex Ebraiſmo hic non ſermonem vel verbum ſed *rem* ſignificare .Rem conficiens & concidens [erit] in Juſtitia: quoniam rem conciſam peraget Dominus in terra. Junius, qui Ebræum כליון in bonam accepit partem, hanc quoque *rem* interpretatur de ſalvatione reliquiarum. Negat Prophetam de ſingulari aliquo tempore loqui; Ait ad plenitudinem temporum, quibus Chriſtus in carne patefactus eſt, maxime pertinere hoc vaticinium. Et licet, inquit, particularis eſſet iſtius loci interpretatio, tamen ex univerſali ſententia & perpetuo fonte miſericordiæ Dei ducitur, ac proinde legem univerſalem conſtan-

* Ut alibi ῥῆμα.

tiſſi

tiſſimæ adminiſtrationis ejus complectitur. Hæc magnus ille Theologus in parallelis. At Piſcator, qui in Jeſaia vocem כִּלָּיוֹן & כָּלָה in malam partem accepit, in Paulo nihil mutat. Junius, ut ſibi conſtaret, putavit locum iſtum ab Apoſtolo laudari ut oſtenderet cauſam cur reliquias ſalvaturus eſſet Deus. Piſcator vero putat rationem dari, cur tantùm reliquiæ, & non univerſus populus ſalvandus ſit. Et certe ei videtur favere modus loquendi, *Etiamſi fuerit numerus filiorum Iſraël, ſicut arena maris*, tamen *reliquiæ* tantum *ſalvabuntur*, & non univerſus populus. Vocationem gentium verſ. 25. & 26. ex Hoſea probatum illuſtrat Apoſtolus antitheſi rejectionis Judæorum ſi reliquiæ tantum ſalvabuntur, ergo maxima pars populi peribit. Rectè, ſic enim dixit Jeſaias, &c. Notat autem idem Theologus Prophetam proprie loqui de conſummatione ſeu conſumptione populi per Babylonios & reductione reliquiarum ex captivitate, ſeu quod idem eſt, paucorum conſervatione, quam Apoſtolus ut typum redemptionis per Chriſtum conſideraverit.

CAP. XI.

Verſ. 2. & 3. Celebris eſt inter Pontificios diſputatio de VII. donis Spiritus Sancti. Vide inter alios Magiſtrum ſentent. lib. 3. diſtinct. 34. Hinc & Auguſtinus lib. XI. de civ. Dei, cap. 31. numero ſeptenario Spiritum Sanctum ſæpe denotari aſſerit, Et certe ex noſtris quoque Theologis quamplurimi, quando locum illum Apocal. 1. 4. explicant, ubi ſeptem Spiritus memorantur, de ſeptem donis Spiritus S. loqui atque ad hunc locum reſpicere amant. Ego, ſi illa, quæ de donis Spiritus S. à Scholaſticis nervoſe & docte diſputata ſunt, convellere aut ridere præſumerem, dignus eſſem qui Helleboro potionarer. Neque animus mihi eſt eorum ſententiæ adverſari, qui dicto Apocal. Loco per 7. Spiritus, Spiritum S. intelligunt, quamvis & illud non neſciam Cl. Bezam & Druſium aliud ſentire; Illud ajo, hoc loco non ſeptem ſed ſex duntaxat dona recenſeri. Namque, ubi vulgatus habet verſu 2. *Spiritus ſcientiæ & pietatis*, Ebræa habent, *ſpiritus ſcientiæ & timoris Domini*. Cum itaque in principio verſus 3. dicatur in vulgata, *& replebit eum Spiritus timoris*

Domini, unde ſeptimum donum exſculpunt Scholaſtici, vides manifeſtè, ſex tantum dona hoc loco recenſeri. Ita quidem eſt, per *timorem Domini*, optime intelligi *pietatem*, quomodo hoc loco & Lxx. reddidere, πνεῦμα γνώσεως καὶ εὐσεβείας, Neq; hoc culpo. Sed cum verſu 3. idem donum memoretur, iiſdem vocibus in originario textu, licet in verſione diverſis, rurſus pronuncio numerum ſeptenarium hinc male exſculptum eſſe. Porro ubi Vulg. habet, *& replebit eum Spiritus timoris Domini*, Ebræa ſic habent וַהֲרִיחוֹ בְּיִרְאַת יְהוָה *& odorari ejus* .i. odoratus ejus, *erit in timore Domini* id eſt, cognitio & judicium ejus erit conjunctum cum reverentia Domini & cæteris donis quæ verſu ſuperiori recenſuit Vates. Non tenuiter, infirmè, aut inſtar hominis ſingula odorabitur & cognoſcet, ſed in omnia etiam abditiſſima recto judicio penetrabit &c. Hanc interpretationem ait Forrerius non eſſe contemnendam, aliique non infimi ſubſellii inter Pontificios Interpretes ſuo calculo approbarunt. *Odoratus* ergo pro *judicio* uſurpatur. Ex quinque ſenſibus ſoli guſtus & tactus Deo in ſacris literis non tribuuntur. At auditus, viſus & olfactus frequentiſſime. Videntur enim duo iſti dignitate infra hos tres eſſe. A. Gellius libro 19. cap. 2. eleganter hac de re diſſertavit. Quinque ſunt hominum ſenſus inquit, per quos voluptas animo aut corpori quæri videtur. Ex his omnibus, quæ immodice voluptas quæritur, ea turpis atque improba exiſtimatur. Sed enim quæ nimia ex guſtu & tactu eſt, voluptas ſicuti ſapientes cenſuerunt, omnium rerum fœdiſſima eſt. Et Paulo poſt, iſtæ autem voluptates duæ, guſtus & tactus .i. libidines in cibos & Venerem prodigæ, ſolæ ſunt hominibus communes cum beſtiis, & idcirco in pecudum ferorumque animalium numero habetur, quiſquis eſt his ferinis voluptatibus prævinctus. Cæteræ ex tribus aliis ſenſibus proficiſcentes, hominum eſſe tantum propriæ videntur. Verba Ariſtotelis, quæ eidem rei affert nimis prolixa ſunt. Ego paucis iſtis contentus ero. οὐσῶν δὲ τῶν αἰσθήσεων πέντε, τὰ ἄλλα ζῶα ἀπὸ δύο μόνων τῶν προειρημένων ἥδεται, κατὰ δὲ τὰς ἄλλας ἢ ὅλως οὐχ ἥδεται, ἢ κατὰ συμβεβηκὸς τοῦτο πάσχει. i. cum ſenſus quinque ſint; cætera animalia ex duobus tantum prædictorum voluptatem capiunt; cæteris vel omnino non delectantur, aut per accidens. Maimonides in More Nebochim parte 1. cap. 46. vel ſi Ebræum Exemplar habes 47.

aliam assignat præstantiæ rationem. *Invenimus scriptum*, inquit, Et vidit Dominus, & audivit Dominus, & odoratus est Dominus & non invenimus, & gustavit Dominus, & tetigit Dominus. Ratio autem hæc affertur quia infixum est cogitationi cujuslibet hominis, Creatorem non conjungi corporibus sicut corpus corpori, neque enim oculis suis vident eum. Isti vero duo sensus .i. gustus & tactus לא ישיגו מורגשיהם non apprehendunt sensata sua, nisi tangant ea. Visus vero & auditus & olfactus apprehendunt sua sensata quamvis corpora in quibus sunt qualitates istæ remotæ sint. Hæc ille. Rursus ex his tribus sensibus olfactui primas defert Aben-Ezra, non judicabit, inquit Jesaias, ad aspectum oculorum suorum, neque arguet secundum auditum aurium suarum, quia sensus isti sæpe falluntur. Sæpe enim, verba Aben-Ezræ, errat sensus auris, ut videaris tibi aliquid audire, cum nullus sit sonus. Sæpe etiam errat sensus oculi, ut putes aliquid quiescere, quod movetur, sed odoratus non errat. Hæc Aben. Hinc ad rerum naturam penitius pernoscendam olfactus magis, quam visus vel auditus, valet. Nam, ut jam dictum est, multa simulata & efficta oculorum sensum & auditum fallunt, cujusmodi admirandas res omnium seculorum artifices repræsentarunt. At vero odor ipse, quod ex interioribus rerum virtutibus & facultatibus, una cum substantiæ parte aliqua remissus proferatur, uniuscujusque rei naturam præcipue ostendens minime omnium sensatorum fallit. Atque huc adeo illud pertinet quod de natura & arte Philosophi tradidere, artem rerum species imitari posse & referre, motum vero & vitam ipsam non posse referre. Inter vitæ vero & motus genera odor ex rebus remissus numeratur. His ergo verbis, *Et odoratus ejus in timore Domini erit*, maxima cognoscendi, sentiendi & judicandi vis indicatur, non feret judicium ex aspectu oculi vel auditu auris .i. non ex apparentia & signis externis, quæ fallere solent, sed de unoquoque secundum illud quod in eo, infallibili judico, quasi odorabitur, faciet arbitria. Sed manum de tabula. Non enim scribimus commentaria.

Vers. 10. Et erit sepulcrum ejus gloriosum] id est, famosum & honorandum, inquit Carthus. Ex omnibus enim finibus mundi visitatur à Christianis, & cum summa devotione *honoratur*. Thomas in summa, p. 3. qu. 51. art. 2. ex hoc loco definit quæstio-

ſtionem, Chriſtum convenenti loco ſepultum fuiſſe. Sed ſcire oportet, Ebræa ita ſonare וְהָיְתָה מְנֻחָתוֹ כָּבוֹד eritque requies ejus gloria id eſt, in gloria, vel glorioſa. Lxx. ad verbum, καὶ ἔςαι ἡ ἀνάπαυσις αὐτȣ̃ τιμή. Forerius *eritque manſio ejus* &c. Video, inquit, vocem non ſemel ſignificare, non unam aliquam domum, ſed totas ædes & quidem amplas, cujuſmodi ſunt palatia. Unde pro regia & templo Dei ſæpe accipi videbis, & Pſ. 95. pro tota terra promiſſionis. Libenter ego hic pro regia acciperem. Eccleſia enim Chriſti plena fuit gloria Domini &c. Hæc Forerius. Plane in eundum Modum Junius, *& requies ejus ſit glorioſa*, id eſt, *Eccleſia*, inquit, *domus Dei, in qua requieſcit Chriſtus* Pſ. 32. 14. Oleaſtrius eodem modo Ebræa reddidit. Et requies ejus erit glorioſa, id eſt, pax qua regnabit, erit glorioſa. Arias Montanus, *Et erit quies ejus gloria*, eſtque hujus loci iſta explicatio, inquit, gloriam illam & amplitudinem & imperium in omnes gentes, non bellis & cædibus & humanarum rerum perturbatione, ut aliis gentium imperatoribus contigit, ſed pace, quiete, tranquillitate, & quodam lenitatis uſu conſtare. Cæteris enim ſummis ducibus, gloria, rebus per vim & arma geſtis, & perturbatis confuſiſque aliorum hominum regnis ac ditionibus parari ſolet, eaque res triumphi cauſa expeti videtur. At vero Chriſtus, princeps & author pacis, paupertatis magiſter, ambitionis oſor, lenitatis & modeſtiæ princeps ſummus, nullis alienis rebus aut vitæ inſidiatur, ſed ſaluti, tranquillitati & quieti omnium conſulit: atque hac ratione omnium gentium animos ſibi conſiliat, nullo bello indicto, ſed pace & miſericordia Dei omnibus nationibus, quæ Evangelio obedierint, propoſita. Hæc Arias.

CAP. XIII.

Verſ. 1. Onus Babel] Ebr. מַשָּׂא בָּבֶל Onus Babelis, i. oneraſa Prophetia in Babylonios. R. Sal. משאוי פורענות שעל בבל vox נשא inter alia ſignificat levare, aſſumere, attollere, & rem levatam portare. Hinc מַשָּׂא *aſſumptio*, & *onus*. Frequenter uſurpatur de infauſtis Prophetiis, non tantum quod illæ inſtar oneris graves eſſent, verùm etiam quia & auditu & dictu graves & injucundæ eſſent. Hanc ſignificationem manifeſte alludit Jeremias cap. 23. verſ. 32. & ſeq. Jeſ. 21. verſ. 2. vocatur חזות קשה *viſio dura*, quæ verſu 1. dicebatur משא. Moneo tamen tyronem, מַשָּׂא תּ non

ubique

ubique onerosam & infaustam prædictionem denotare, ac proinde non esse verum illud Hieron. viri eruditi effatum, Ubicunque præmittitur vox משא/ insinuari ea, quæ sequuntur, plena minarum esse. Ecce enim Prov. 31. 1. *Verba Lemuel regis & מַשָּׂא qua erudivit eum mater ejus.* Et cap. 30. 1. Utrobique vulg. *visionem* vertit. Alii cum Chaldæo melius, *Prophetiam.* Junius contra accentum & proprietatem Ebraismi, *Verborum Lemuelis comportatio*, Hoc enim diceretur Ebraice, מַשָּׂא דִּבְרֵי לְמוּאֵל/ Tollere vel assumere prophetiam, canticum, lamentum, parabolam, contentionem phrases Ebriacæ sunt, sed defectæ Ps. 50. plenior extat, licet sensu aliquantulum diverso, *ut assumas fœdus meum in os tuum.* Unde aliæ explicandæ sunt, e, gr. in Decalogo, præcepto 3. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Assumes in os tuum. Pro quo Psalmo XVI. occurrit, *assumere super labia.* Hinc מַשָּׂא aliquando est assumptio, subaudi, Prophetiæ, doctrinæ &c. id est, Prophetia, doctrina, sermo. Hinc Jes. 14. 28. Anno quo mortuus est Achaz, facit הַמַּשָּׂא הַהוּא/ Lxx. τὸ ῥῆμα τοῦτο, sermo vel verbum istud. Malach. 1. 1. Jerem. 23. 32 & seq. & alibi Lxx. vertunt λῆμμα i. ad verbum assumptio, à λήβω sive λαμβάνω ut משא à נשא. Non potest tamen is qui locum Jerem. considerat, dubitare, quin per λῆμμα onus intellexerint. Quippe ut נשא Ebræis est assumo & porto onus, ita & illi vocis Græcæ significationem extenderunt. Quod cum Moschopulus non intelligeret, vocis istius rationem paulo diversam reddidit, λήμματα προφητεῖαι ἃς ἔλαβον οἱ προφῆται ἀπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος. Vide Drus. Quæst. 1. 57. Quo respexisse videtur Schindl. quando in Lexico Prophetias sic dici asserit; quod traderentur Prophetis, ut ferrent eas ad Israëlitas.

Vers. 3. mandavi sanctificatis meis] Hoc epitheton. Alii ad universum Persarum Medorumque exercitum extendendum, alii ad Cyrum & Darium tantum restringendum putant. Nos hoc in medio relinquimus. Quomodo autem gentiles, & barbari isti homines *sanctificati* dicantur, quærunt Interpretes. Qui vocem Ebræam hoc proprie significare putant, quod vertit Vulgatus, multa hic convectant haudquaquam spernenda. Adscribam elegantissima verba Forerii, Milites, inquit qui Dei bellum gesturi erant; sanctificatos suos vocat, quasi ad bellum sacrum conscriptos. Bella enim tum apud Judæos, tum apud gentes, certis

tis

tis ceremoniis, legibus, ritibus, solennitatibus, insuper etiam juris-jurandi sacramento interposito suscipiebantur. Deut. 20. Adde quod qui jussu Domini interficiuntur, sunt veluti quædam victimæ, morti destinatæ, ut patet infra 34. Jerem. 46. quia morte illorum quasi *expiatur terra*. In quam sententiam postea adducit locum Sophoniæ 1. *Præparavit Dominus victimam, & sanctificavit vocatos suos.* Audiamus & Oleastrium. Persas & Medos vocat sanctificatos, quoniam vocabantur ad occisionem Babyloniorum, quasi sancti & mundi ad victimam. Vocat enim Ebraismus mactationem & jugulationem eorum qui in prælio occumbunt, sacrificium, ut Ezech. 39. congregate vos omnes ad sacrificium meum. Et sicuti oportebat eos, qui comesti erant de carnibus sacrificii esse sanctificatos & mundos, tales videtur desiderare jugulatores. Hæc ille. Ebræi, inter quos Aben. & Kimchi & Chald. vocem בענין הזמנה in significatione præparationis, atque adeo Aben. מְקֻדָּשִׁים 'פי reddit מְזֻמָּנִים id est, præparatos. Ego semper existimavi retinendam & hic & aliis in locis quamplurimis propriam & primariam vocis significationem. Ea est in Kal. & Phual *separari*, & destinari ad aliquid in Piel & Hiphil, *separare* &c. *Mandavi separatis meis*, .i. Medis & Persis, quos exequendæ sententiæ meæ peculiariter destinavi, delegavi & separavi. Quod vero קדש passim per sanctificari, sanctificare, sanctus &c. exprimitur, ideo in nonnullis Scripturæ locis illi interpretes à vero sensu aberrarunt, qui ejusmodi interpretamenta vocibus Ebræis examussim respondere crediderunt. Sed qui Ebræa vel à limine salutarunt, optime norunt usitatissima vocum Ebræarum interpretamenta sæpe ex diversis significationibus unam tantum exprimere. E. gr. עץ ξυλον & δένδρον significat LXX. passim ξύλον reddidere, etiam ubi δένδρον significat. In istis ergo locis ξύλον *lignum* pro arbore accipiendum est. Sed ad rem. קדש primò & proprie significat separari, destinarique ad aliquid, sive illud sit seculare sive sacrum.

SECULARE, tam licitum quam illicitum tam turpe quam honestum. Jos xx. 7. ויקדשו / *Kedeschun* Vulgatus *decreverunt*, Malim *secreverunt* id est separarunt, destinarunt huic, ut esset Asylum. Quamvis Junius, *sanctificarunt*. Et certe vero admodùm simile est, asyla certis ritibus & religiosis ceræmoniis initiata fuisse, qua ratione hoc exemplum ad *sacra* referri potest. Jerem.

12. 3.

12. 3. וְהַקְדִּישֵׁם & ſeparando (vel deſtinando eos) in diem occiſionis. Quamvis Jun. & Kimchius, *præparando*. Et certe hæc ſeparatio ſeu deſtinatio aliquo modo dici poteſt *præparatio*. Sed & Theodoretus illic loci obſervavit, purificare (Lxx. enim voce ἅγνισον, illic uſi ſunt) pro ſegregare poſitum. Cujus tropi rationem paulo poſt ex eo audiemus Hinc meretrix קְדֵשָׁה / cynædus vero ſeu pathicus קָדֵשׁ dicitur, quaſi dicas perſonam ad ſpurcum turpemque illum uſum ſeparatam deſtinatamque. Scio quidem hic à multis poni Antiphraſin, קְדֵשָׁה meretrix, quaſi minime *ſancta*, ſed ut nihil jam dicam, illud interpretamentum *ſanctus* ſynecdochicum eſſe, & nequaquam vocis Ebrææ latitudini adæquatam eſſe, antiphraſis, vulgo quidem, ſed aliene ſic dicta (Ἀντίφρασις enim teſte Plut. eſt λέξις τὸ ἐναντίον, ἢ τὸ παρακείμενον, σημαίνουσα, ut cum Homerus dicit, οὐ γήθησεν non lætatus eſt, pro, *vehementer doluit*.) à multis eruditis viris vel omnino ex linguis exploſa eſt, vel in pauciſſimis tantum, ubi major quædam neceſſitas urget, relinquitur. Qua de re extat eruditus tractatus Franc. Sancti Brocenſis. Oleaſtrius hic in *ſeparatione* terminum à quo conſiderans, ſtatuit meretrices ſic dictas, quod ab honeſtorum virorum conſortio *ſeparatæ*, locis *ſeparatis*, ſeu in urbe ſive extra ejus pomæria agerent. Quo trahit locum ex Joſ. 2. 15. ubi Rachab in moenibus habitaſſe legitur, Sed hæc ſententia licet arguta, minus tamen ſe mihi probat.

SACRUM. à profano & communi uſu ad ſacrum uſum ſeparari, ſacro uſui deſtinari, conſecrari. Hoc eſt quod vulgo *ſanctificari* dicitur. * Jerem. 1. 5. antequam exires è vulva, הִקְדַּשְׁתִּיךָ *ſegregavi te*, ſcilicet mihi, Lxx. ἡγίακά σε. Joel. 2. 15. קַדְּשׁוּ צוֹם ſegregate jejunium id eſt, diem jejunii. Ex ſex diebus ſeptimanæ negotioſis, unum Deo ſegregate & religioſo jejunio deſtinate. Ellipſis prioris nominis frequens & tralititia eſt. Sirach. 35. 10. ſanctificare decimas id eſt, Deo & miniſtris ejus ſegregare. Quomodo Deus quoque Sabbathum ſanctificare legitur, Gen. 2. vide & Exod. 29 37. Lev. 8. Hagg. 2. Deuter. 22. quæ loca Illyricus aliorum veſtigia premens antiphraſticè ſine ulla neceſſitate, atque adeo contra Spiritus S. mentem interpretatus eſt. Vox ergo קָדוֹשׁ *ſanctus* πρώτως creaturæ competit, & ſignificat aliquid Deo ſeparatum & conſecratum. Hoc elogio inſigniuntur pii in V. Teſt. quaſi à mundo ſeparati & ſoli Deo conſecrati.

* Vide Theodoretum.

ſecrati. Tales videri volebant Phariſæi, unde ſe quoque פרושים id eſt, ἀφωρισμένους, ſeparatos vocitabant. Quia vero tales pietati, juſtitiæ atque omni virtutum generi operabantur, tranſlata ea vox eſt ad Deum, qui ipſa juſtitia & pietas & virtus eſt. Niſi dixeris ita dictum Deum, quod ab omnibus vitiis, ſordibus & imperfectionibus ſeparatus eſt. Sed id minus quadrare videtur, quia in hac voce magis terminus *ad quem*, quam *à quo* ſpectatur.

Quia vero omnis, qui ad aliquod vitæ genus vel certum opus, vel honeſtum coetum vel Dei cultum ſegregatus & deſtinatus eſt, ſe præparat, adornat, à ſordibus & immunditie ſeparat, coepta ea vox uſurpari pro *præparari* & mundari. Quæ præparatio ſeu mundatio in rebus ad religionem & cultum Moſaïcum pertinentibus & vulgo & paſſim quoque in verſionibus *ſanctificatio* appellatur, ut Exod. 19. Joſ. 3. 5. Atque huc refero locum 2. Sam. XI. 4. Ipſa vero Bathſeba מִתְקַדֶּשֶׁת ſeparabat ſe ab immunditie ſua, Jun. purgabat ſe ab imm. ſua, hæc erat ſanctificatio legalis ſive mundatio à fluxu menſtruo qui deſierat. Unde Vulg. *ſanctificata*. Qui tamen verba illa ſic accepit, q. diceret hiſtoria, mox à concubitu ceſſaſſe menſtruas purgationes, ſigno eam concepiſſe. Cum & LXX. & Junius & alii verba ſic intelligant, ut narrat hiſtoria, paulo ante concubitum deſiiſſe menſtrua, atque ex præſcripto legis Lev. XV. Mundatam fuiſſe, quo etiam tempore facillime concipi & Medici tradunt & experientia docet. Sed videamus de præparatione non legali. 1. Sam. XVI. 6. התקדשו Vulg. *ſanctificate vos*. Junius, *comparate vos, ut veniatis ad convivium*. Ebr. זֶבַח / ſed vide Junii notas ad verſum 3. oſtendentis, זבח etiam de convivio accipi. Et Ibidem, ויקדש *& juſſit præparari Iſajum & Davidem*. Sophoniæ 1. 7. והקדיש & præparavit (vel juſſit præparari ſe) invitatos ſuos. Joel. 3. 9. Jerem. 6. 4. קַדְּשׁוּ מִלְחָמָה / Vulgatus, *ſanctificate bellum*. Jun. *comparate bellum*, Alii, *præparate*. LXX., κατασκευάσασθε præparate, ut Joel. 3. 2. ἁγιάσατε. Quamvis etiam non male per ellipſin nominis exponi poſſit קדשו אנשי מלחמה *ſeparate*, ſeligite, *viros belli*. Atque ita Theodoretus ad locum Joelis, ἁγιάσατε πόλεμον, inquit, id eſt, διεγείρατε τοὺς μαχητὰς καὶ ἀφορίσατε εἰς πόλεμον. Excitate bellatores & ſeparate ad bellum. ἐπεὶ γὰρ ὁ ἅγιος τῶν ἐναγῶν ἑαυτὸν ἀφορίζει, πᾶν τὸ εἰς τι ἀφοριζόμενον ἁγιάσαι καλεῖ. Huc etiam non male referas phraſin illam, quam ſupra exhibuimus,

mus, קַדְּשׁוּ צוֹם ut sensus sit, præparate jejunium seu diem jejunii. Non enim quodlibet jejunium Deo placet. Hieron. ad Joel. 1. Si omne jejunium placeret Deo, nunquam diceret sanctificate jejunium, &, non tale jejunium elegi. — Idcirco dicit sanctificate jejunium. Jejunat Manichæus & multi hæretici, maxime Encratitæ. Sed hoc jejunium, saturitate & ebrietate deterius est.

Atque hæ sunt potissimæ vocis קדש significationes, reliquas in Clavi scripturæ invenies. Ubi illud moneo tironem, octavam illam significationem, quam antiphrasticam vocat, plane idoneo exemplo destitui. Confer omnia loca vel cum Junii versione, & videbis quam longe aberraverit Illyricus. In Græcis concordantiis Kircheri, ultimum vocis קדש interpretamentum est *μιαίνω*, citaturque locus ex 2. Chr, 36. 14. Sed crassus error est, namque illud *ἐμίαναν* respondet Ebræo וַיְטַמְּאוּ /

CAP. XIV.

Vers. 12. Quomodo cecidisti de coelo, Lucifer, fili auroræ] Vox *lucifer* in Bibliis vulgatis, si bene calculum posuit author concordantiarum, quinquies occurrit I. Jobi XI. 17. *orieris ut lucifer*; ubi in Ebræo, כַּבֹּקֶר תִּהְיֶה *eris ut mane*, hoc est, splendebis ut tempus matutinum, ut aurora, ut lux matutina II. Job 38. 32. *an producis Luciferum in tempore suo?* Ubi in Ebr. הֲתֹצִיא מַזָּרוֹת בְּעִתּוֹ / ubi Pagn. Arias *signa cœlestia* id est signa Zodiaci. Alii *planetas* vertunt quasi esset מַזָּלוֹת / quam vocem alii à נזל influere, alii ab אזל ire, errare deflectunt. Aben-Ezra, כוכבים הם ויש אומרים כי הריש תמורת למד id est, *sunt stellæ, & sunt qui dicunt Resch esse loco* ל. R. Levi, est figura una ex figuris meridionalibus, quam puto in patria Jobi non apparuisse nisi brevissimo tempore. Quem in parte secutus Junius reddidit, *remotiora signa* id est, inquit in scholio, meridiana, à conspectu nostro magis remota. credo eo respexisse, quod נזר sit *separare, dividere*. Quod autem sequitur בְּעִתּוֹ cum affixo singulari videtur quosdam induxisse ut de una stella hic sermonem Jobo fuisse crediderint. Quasi novum esset aut integrum sidus id est, figuram & multis stellis compositam singulari numero efferri: aut, si placet plures stellas vel etiam sidera hic denotari, singularia affixa distribui, quomodo

hic Junius, [quodque] *tempore ſuo*, quod Rabbini dicerent, מזרות כמו מזלות או יהיה שם כוכב Michlal Jophi, כָּל־אֶרֶךְ בְּעִתּוֹ id eſt, Mazzaroth quaſi Mazzaloth, aut erit nomen ſtellæ, quæ ut omnium fere, ex Kimchio tranſcripſit. Vide hic Radices ejus in themate מזר / Sed dato unam ſtellam hic denotari, unde conſtabit Luciferum intelligi? III. Pſ. 110. Ante Luciferum genui te, ubi nihil tale in Ebræo. Vide Antib. noſtri, partem primam, pag. 548. IV. 2. Pet. 1. 19. habemus firmiorem illum Propheticum ſermonem, quem bene facitis quod attenditis veluti lucernam ſplendentem in obſcuro loco ἕως ȣ ἡμέρα διαυγάσῃ, ϗ φωσφόρος ἀνατείλῃ ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, i. donec dies illuceſcat & Lucifer exoriatur in cordibus veſtris. Ubi alii intelligunt clariorem Evangelii doctrinam obſcuriori illi notitiæ, quæ ſub Legis umbris fuit, oppoſitam: Alii pleniſſimam illam cognitionem, qua in futura vita colluſtrabimur, oppoſitam omni illi notitiæ, quam hic ex verbo Dei haurimus. Confer 1. Cor. XIII. 8. 10. 12. Locus quintus ex hoc ipſo capite XIV. Jeſaiæ affertur. De quo antequam verba faciam monebo lectorem pluribus in locis Luciferum vel exhiberi, vel circum ſcribi. Ecce enim Apoc. II. 28. ϗ δώσω αὐτῷ τ̃ ἀστέρα τ̃ πρωϊνόν, & dabo illi ſtellam matutinam, id eſt lucem gloriæ & ſummi honoris, lucem felicitatis & perfectæ cognitionis Dei, in magno illo die, de quo ex multorum ſententia 2. Petri 1. 19. Rurſus Apoc. XXII. 16. ἐγώ εἰμι ὁ ἀστὴρ ὁ λαμπρὸς καὶ * ὀρθρινός. Ego ſum ſtella illa ſplendida & matutina. Vides ergo ſtellam ſeu Luciferum in S. literis uſurpari primo pro illa ſtella, quam cum ſolem antegreditur ἑωσφόρον, φωσφόρον, Luciferum, Venerem: Cum vero ſubſequitur, Heſperum, Veſperum & Veſperuginem appellaret. Sunt ex Ebræis qui eam Prov. 4. 18. נֹגַהּ appellari putant, à ſplendore, quo minores ſtellas antecellit. * Sola enim inter eas umbram facere dicitur radiis ſuis. Et certe Rabbini ſtellam Veneris נֹגַהּ vocant. Gorionides hiſt. Jud. 1. 2. היכל לוציפר הוא היכל כוכב נוגה templum Luciferi, hoc eſt templum ſtellæ Veneris. Sed & Chald. Jeſ. 14. 12. כְּכוֹכַב נְגָהָא Secundo, pro pleniore luce & cognitione Dei & rerum divinarum. ubi Metonymia & Metaphora concurrunt. Tertio, ita extenditur ea metaphora, ut etiam felicitatem includat. Ut enim per tenebras, calamitates, ita per lucem felicitas & res ſecundæ in ſcriptura intelliguntur. IV. Chriſtus voca-

* Alii πρωϊνός

* Plin. 2. 8. Ubi etiam dicit eam magnitudine extra cuncta alia ſidera eſſe.

vocatur Lucifer, quia ipſe lucem ſapientiæ, ſalutis & juſtitiæ & ſolem paterni favoris nobis reduxerit. Et ut ad hunc Jeſaiæ locum proprius accedamus, Rex Nebucadnezar comparatur Lucifero propter claritatem & ſublimitatem inquit Oleaſtro. Erat enim famâ præclarus & ad maximam dignitatem elevatus inter orientales. Dicit ergo illi, O Nebucadnezar qui in terris claritate & ſublimitate eras ſicut ſtella præclara in cœlo, quæ *alta & lucida* eſt &c. Forerius, Ipſum Regem præcipuam inter ſtellas vocat, quod in ſe oculos omnium ſplendore & *majeſtate ſua converteret.* In eandem ſententiam vide & Hectorem Pintum Luſitanum. Lubet & Hieronymum audire? Dicitur ei (Regi) quod flere debeat & lugere, qui quondam ſic fuerit glorioſus, ut fulgori Luciferi comparatus ſit. *Sicut*, *inquit*, *Lucifer* diſcutiens tenebras. ardens & rutilus illuceſcit, ſic & tuus progreſſus in populos & publicum claro ſideri ſimilis videbatur. Chald. *Quomodo lapſus es ex alto qui fuiſti ſplendidus in medio filiorum hominum* כְּכוֹכַב נְגֹהָא בֵּין כּוֹכְבַיָּא *ſicut ſtella Veneris inter ſtellas.* R. Salomo, הֵילֵל כוכב הנוגה המהיל אור ככוכב הבוקר id eſt, Helel eſt ſtella Veneris, quæ lucere facit lucem, ὡς ἀστὴρ πρωϊνός. Quibus verbis ſimul oſtendit thema vocis הֵילֵל non eſſe ילל ſecuti Hieron. putabat cum diceret in Ebræo ad verbum legi *ulula fili auroræ*, ſed הלל / Kimchi, Quomodo cecidiſti?] Nam fuiſti in vita tua tanquam ſtella cæli, & non ut quælibet ſtella, ſed ut ſtella quæ valde ſplendere facit lucem ſuam. Et ipſa eſt הילל כוכב השחר id eſt, ἀστὴρ ὀρθρινός ſtella matutina. Et vocatur ex illa ſignificatione quam habet Job. 29. 3. בהלו נרו עלי ראשי *Cum ſplendere faceret lucernam ſuam ſuper caput meum.*

Hic vero lubet quærere, quomodo vox illa ἔυφημος & auguſta ad Principem dæmonorum tranſlata ſit. Non producam ex fece aut trivio hominem. Auguſtinus tract. 3. in Johannem, Audi vocem Patris ad filium, Ante luciferum genui te (de hoc loco diximus ad Pſ. cx.) Qui ante Luciferum genitus eſt, omnes ipſe illuminat. Dictus enim quidam eſt Lucifer qui cecidit. Erat enim Angelus & factus eſt diabolus, & dixit de illo Scriptura, Lucifer, qui mane oriebatur cecidit Unde Lucifer, quia illuminatus lucebat. Unde autem tenebroſus factus; quia in veritate *non ſtetit*. Ubi doctiſſimus Pater ſimul oſtendit auguſtum & ſplendidum hoc nomen principi tenebrarum hæſiſſe ex, prima

prima illa illustri & splendida conditione, qua excidit. Dominus Beza ad Matth. cap. 25. 41. de hac Diaboli appellatione ita loquitur, *Luciferi vero nomen cum ex falsissima & ineptissima Jesaiæ loci ex cap. 14. 12. interpretatione sit ortum, mirari satis non possum à nonnullis crassum illud delirium intelligentibus retineri.* Rem acu tetigit Beza. Appellatio illa huic loco prave intellecto natales suos debet. Alii universam hanc parabolam literali expositione Regi Babel applicuere, allegorica Diabolo. Alii qui in controversiis de angelis ex hoc textu argumenta de promsere, statuerunt Prophetam in quibusdam saltem versibus prima intentione agere de Diabolo sub * figura Regis Babel, quomodo etiam Bellarminus loquitur ubi de descensu Christi ad inferos disputat. Carthus. in Lyræ vestigia pedes ponens putat illa, Quomodo cecidisti de cælo & quæ continuis aliquot versibus sequuntur proprie de diabolo exponenda esse. Verba ejus in Comm. ad hunc locum ista sunt, Doctores Catholici hæc communiter exponunt de Principe dæmonum. Advertendum ergo quod septem regularum ad intelligentiam sacræ Scripturæ necessariarum una hæc est, quod scriptura interdum transit à Diabolo ad membra ejus & è contrario. Ascribendo vid. ea quæ sunt dæmonis, hominibus reprobis & vice versa. Dicunt ergo Doctores quod hoc loco ex occasione descriptionis ruinæ Regis Babel, qui erat membrum Diaboli, transit Propheta ad describendum lapsum Diaboli, sicut Ezechiel sub persona Regis Tyri describit peccatum Diaboli. Et paulo post. Denique licet omnia quæ hic dicuntur de Lucifero exponi possint tam de Diabolo quam de Rege Babylonis, sicut patebit, quædam tamen proprie conveniunt regi Babel, & non diabolo; quædam etiam proprie conveniunt diabolo, non regi Babel. Qua propter verius puto, Prophetam loqui mixtim de Rege Babel & dæmone. Hæc Charthus. Expectabam illum ostensurum, quædam in hac parabola non posse de Rege Babel exponi, quale illud videtur nonnullis, quomodo cecidisti de cœlo. Sed bene habet quod ipse agnoscat, omnia quæ hic dicuntur, tam de Rege Babel, quam de Diabolo accipi posse: quod item ipse totum illum contextum egregie de Rege Babel exponat. Sed proprie convenit Diabolo inquit. Hoc ergo vult, non posse ea de Rege explicari nisi admissis tropis. Atqui omnis fere sermo hujusmodi מְשָׁלִים id est, parabolarum

* Alii dicunt, sub persona August. de civ. Dei xi. 15. *sub figurata persona* Principis Babyloniæ.

larum tropis & figuris vernare solet & si de diabolo exposueris, non potes tropicas interpretationes excludere. Aut hoc vult, non posse proprie id est, commode, apte, & sine violentia de Rege exponi. Sed videamus tuam ipsius interpretationem. Secundo, ais, exponenda hæc sunt de Regi Babel. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer id est, quomodo tu Rex Babel qui præ cæteris regibus terræ gloria & potestate pollebas, ita ut Lucifero compararèris corruisti de sublimi throno imperii tui? Qui mane oriebaris, id est, statim in tuo progressu præ cæteris eminebas. Corruisti in terram moriendo. Qui vulnerasti gentes, quas tuo subjugasti Dominio. Qui dicebas in corde tuo, ascendam in cœlum, supra astra cœli &c. id est, in tantum magnificatus sum, omnibus mundi regnis mihi subjectis, ut cœlum mihi restet & sidera. Sedebo in monte testamenti id est, in templo Jerusalem fundato in monte Sion &c. Quid hic violenti? Quid hic coacti? Annon magis torquebas te, cum illa, in cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti in laterib. Aquilonis. Ascendam supra altitudines nubium &c. de Diabolo exponeres. Postquam enim per *gentes* in verbis istis qui vulnerabas gentes, intellexisses angelos qui cum eo cecidere, ais ex verbis sequentibus, Ascendam in cœlum ortam esse inter DD. controversiam de ordine Luciferi & sociorum ejus. *Namque horum verborum occasione*, inquis, Damascenus asserit, Luciferum & omnes qui secum prolapsi sunt fuisse de infimo choro & creatos in aëre ac præfuisse orbi terrestri. Si enim (ut ait Damascenus) creatus fuisset Lucifer in cœlo Empyreo & cæteris angelis sublimior, non dixisset, in cœlum conscendam, super astra &c. Sed quia Ecclesia Latinorum cum S. Gregorio Papa tenet, quod Lucifer erat summus Angelorum, Propterea quod admirabilis, sua pulchritudo erat sibi superbiendi occasio: quod non fuisset, nisi cæteris omnibus extitisset perfectior, & quia patet ex eo, tu Cherub extentus &c. quod fuerit in cœlo Empyreo &c. sensus erit, in cœlum conscendam, id est, tantæ excellentiæ sum, ut non solum inferioribus præsidere, sed in cœlestibus quoque dominari dignus existam vel in cœlum id est summitatem cœli, usque ad tronum majestatis super astra cœli idest, angelos exaltabo solium meum id est, principatus mei dominium & *vitutem*. Atqui jam erat Princeps angelorum. Re-
spon-

ſpondet Carthuſianus. Voluit angelis præeſſe non ſolum ſecundum quod Deus inſtituit, qui eum omnibus prætulit, ſcilicet ut eis præeſſet ſub Deo, ita quod ipſe Deo ſubeſſet & cæteris ad Dei honorem præeſſet; ſed voluit habere ſeparatum ac proprium principatum ita quod ſibi ſubeſſent tanquam ſupremo cuidam, ad ipſum in omnibus agendis tanquam ad regulam recurrendo. Tale ergo erat peccatum Luciferi, ac ſi princeps militiæ vellet præeſſe militibus non ſub rege, ſed tanquam per ſe dominus militum. Sedebo id eſt, regnabo in monte teſtamenti id eſt, palatio cœli, cœlo empyreo, ex quo diſpoſitiones omnium rerum procedant in lateribus aquilonis id eſt, in turmis ſeu partibus angelorum mihi adhærentium, Aut per montem Teſt. intelligi poteſt Eccleſia, per latera vero Aquilonis, corda hominum frigida. Aſcendam ſuper altitudinem nubium id eſt, angelorum per nubes enim angeli deſignantur ſecundum Dionyſium 15. cap. Hierarch. Quid tibi videtur lector, An hæc interpretatio propria eſt? Quam multa hic coacta, violenta, abſurda? At ſi de Rege Babel interpreteris, nihil coactum eſt, ubi illam phraſin, *Cadere de cœlo*, fueris commode interpretatus, cætera egregiè fluunt omnia. Illam vero doctiſſimi Interpretes Pontificii bene explicuere. Ad cœlum uſque exaltata dicitur Capernaum, Matth. XI. 23. id eſt, Provecta ad ſupremum felicitatis & gloriæ apicem. Qui vero ab ejuſmodi gloria & dignitate decidunt & fortunam ſplendidam cum adverſa repente commutant, ex aſtris cœloque decidere & ad inferos trahi dicuntur. Ita quod hic dicitur verſ. 15. אֶל־שְׁאוֹל תּוּרָד ad ſepulcrum vel alii ad infernum detraheris, dicto Matthæi loco dicitur, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ, uſque ad inferos deprimeris. Cicero lib. 2. Epiſt. ad Atticum de Pompejo, quia deciderat ex aſtris, lapſus potius quam progreſſus videbatur. Quamvis alii malint locutionem iſtam conferre cum illo Poëtæ, Tertius è cœlo cecidit Cato. Idem Cicero libro eodem, *Bibulus in cœlo eſt.* Et alibi ad eundem. Si vero quæ de me pacta ſunt, ea non ſervantur, in cœlo ſum. Theocritus, ἐς οὐρανὸν ὔμμιν ἁλεῦμαι, in cœlum vobis ſaliam. Pro *monte teſtamenti* Ebræus habet בְּהַר מוֹעֵד Arias in monte conventus. Pagn. in monte Eccleſiæ, Vatab. in m. congregationis. מועד nec διαθήκην, nec συνθήκην ſignificat. Intelligit autem montem Sion in quo templum erat. Quod vero poſtea memorat latera aquilonis

Eraſm. Chil. 1. Cent. V. adag. 100. pag. 220.

nis confer Ps. 48. 3. & habebis luculentum super hoc loco commentarium. Namquam & illic *mons Sionis*, & , *latera Aquilonis*, & *urbs magni Regis* conjunguntur. Atque ita satis ostensum arbitror nullam esse necessitatem ullam hujus parabolæ particulam de Diabolo interpretandi. Nihil item esse quod non commodissime de Rege Babel possit intelligi, ipsum denique Hieronymum & qui ejus vestigiis institere complures ex ipsis Pontificiis totum hunc contextum de Rege interpretari. Male ergo ex hoc loco probat Thomas parte 1. qu. 63. art. 3. *quod Diabolus appetierit esse ut Deus.* Male articulo 5. ex hoc loco confutat erroneam eorum sententiam, qui statuunt dæmones in ipso instanti suæ creationis, non quidem per naturam, sed per peccatum propriæ voluntatis malos fuisse. Abutitur & hoc loco Magister, quando lib. 2. dist 6. probat inter lapsos & οὐρανοπετεῖς angelos unum fuisse cæteris celsiorem scilicet Luciferum.

Illi cautius locuti sunt qui Prophetam hac phrasi, quomodo cecidisti de cœlo &c. ad lapsum Diaboli allusisse existimarunt. Inter quos & Vatablus & Pintus. Inde tamen non probes, Diabolum Luciferum appellatum esse, quod enim addit Vatablus, reddi posse Ebræa per ellipsin notæ similitudinis, quomodo cecidisti de cœlo [ut] Lucifer filius auroræ, & non nisi precario obtinebit, & ab omnium Interpretum qua veterum qua recentiorum versione diversum abit. Quod vero Pintus adducit & alterum locum ex Luc. x. *vidi Satanam tanquam fulgur de cœlo cadentem*, quem vulgo etiam adferre solent lapsum angelorum è sacra pagina probaturi, sciendum est, & illum præter Salvatoris mentem allegari. Forerius ad Jes. 14. 12. Lucifer dicitur הילל ab expansione lucis, matutina stella. Ego si ad mysterium hæc referrem, potius ad casum principis mundi hujus de imperio quod habebat in sæculo, quàm de priori illa ruina interpretarer. Et ad hunc forte locum respexit Dominus in Evangelio, *Videbam Satanam tanquam fulgur cadentem de cœlo.* Loquebatur autem interprete magno illo Basileo de casu diaboli per Christum. Dabat enim suis potestatem calcandi super serpentes *scorpiones & omnem virtutem inimici.* In quam sententiam videatur & Cranzius oraculo 95. & Jansenius & Beza & Pisc. & alii. Videbam, inquit Salvator, dum vos in meo nomine dœmonia ejiciebatis, videbam inquam vi Deitatis res absentes menti meæ represen-

Vide Gregorium in Moralibus lib. 23. cap. 7.

tantis ipſum Satanam cadere, cum impetu deturbari, & poteſtatem ejus aboleri. Videbam eum cadere ſicut fulgur è cælo cadit. Neque enim illud ἐκ τοῦ οὐρανοῦ minus commode ad ἀστραπὴν, quam ad πεσόντα referri poteſt. Quod ſi tamen illud *ex cœlo* cum πεσόντα malis conjungere, per *cœlum* intelliges ſecurum illud regnum, gloriam & potentiam, quam in hoc mundo habuit, antequam incarnatione filii Dei de ſublimi illo throno deturbatus eſt. Male ergo & hunc locum allegavit Lombardus lib. 2. diſt. 2. ut probet veram theſin, angelos in cœlo Empyreo creatos eſſe. Claudam ubi illud monuero, Lovanienſes in verſione Belgica vocem *Lucifer* retinuiſſe. **Hoe zijdy van den Hemel gevallen Lucifer / die ghy smorghens vroegh op-ginckt?**

Verſ. 21. Propter iniquitatem patrum ipſorum] Lxx. ταῖς ἁμαρτίαις πατρός αὐτῶν. Vide quæ de Patre Diaboli ad Joh. VIII. notavimus.

Verſ. 26. Hoc conſilium quod cogitavi ſuper omnem terram] Hieron. tradit hæc verba multos in eam traxiſſe ſententiam, Prophetam hic de univerſi orbis interitu vaticinari, cujus typus fuerit everſio & πανολεθρεία Regni Aſſyrii. Hi ignorarunt כל הארץ ſæpe de una regione imo & agro dici, ac proinde pro locorum circumſtantia tam reddi poſſe omnem agrum, vel omnem regionem, quam, omnem terram.

CAP. XVI.

Verſ. 1. Emitte agnum Domine, Dominatorem terræ] Lxx. ἀποστελῶ ἄμνον κυριεύοντα ἐπὶ τὴν γῆν. Magnus Hieron. præceptorum ſuorum veſtigiis inſiſtens verſionem iſtam ſic enarrat, O Moab in quam deſæviturus eſt leo: & de qua ne reliquiæ quidem ſalvari poterunt, habeto ſolatium hoc, egredietur de te agnus immaculatus, qui tollat peccata mundi, qui dominetur in orbe *terrarum*. Hunc ſecuti ſunt Lyra, Thomas & alii. Quin & in officio adventus hic verſus de Chriſto exponitur. Per petram deſerti alii ipſam Ruth, alii ſolum ejus natale intelligunt. Vide Hieron. Carthuſianum &c. Hector Pintus locum ita παραφράζει, Ne perdas Domine omnes Moabitas, ex quorum progenie naſciturus eſt Chriſtus. Emitte jam eum, qui innocentiſſimus agnus pro nobis immolatus hominum facinora pretioſiſſimo *ſangvine deleat,*

qui

qui est Dominator terræ. At quid opus erat hoc scopo pro Moabitis intercedere, cum Ruth ante tot jam secula è vivis excessisset & in familiam tribus Judæ transiisset. Dicam quod sensio. Locus iste plane alieno sensu de Christo exponitur. Quæ assertio ut Catholicis minus audax videatur, firmatum eam porro ibo authoritate doctissimorum Interpretum. Et quidem primo hic occurrunt Pagninus & Brixianus, quorum ille verba Ebræa שִׁלְחוּ כַר מֹשֵׁל אֶרֶץ sic vertit, *mittite agnum dominatoris terræ.* Hic vero, *Emittite agnum dominatori terræ.* Explicat vero cum R. Joseph & Kimchio & R. Salomone, Mittite vos Moabitæ Regi Ezechiæ qui ex jure & authoritate Dei Dom. terræ vestræ est, agnum, id est agnos, numerum agnorum vobis imperatum. Moabitæ enim primo tributum pensitarunt Davidi & Salomoni, postea, lacerato & scisso regno cessit illud Regibus Israel, Narrant enim sacri annales 2. Reg. 3. 4. Meschah regem Moabitarum pependisse Regi Israel quotannis centena millia agnorum & centena millia arietum lanatorum. Postquam vero vastatum est regnum Israel, inquit Kimchi in Scholiis היה לכם לשלוח לציון אל מלך יהודה debuissetis illa mittere Tzyonem ad Regem Judæ, Nec aliter sensisse Kimchium in libro Radicum videbit quisquis vel obiter inspexerit. Ut mirer quid induxerit Pintum scribere, Kimchium hunc quoque locum de Messia interpretari. Nam quod de Jonathane Chaldæo Paraphraste præmisit, aliquam speciem habet. Sed speciem tantum. Fefellit enim vox מְשִׁיחָא / quæ illic adhibetur. Cum tamen per משיחא & מָשִׁיחַ non semper ὁ Μεσσίας καὶ ἐξοχὴν sic dictus intelligatur. Chaldæa, si quis ea requirat hæc sunt יְהוֹן מַסְּקֵי מִסִּין לִמְשִׁיחָא דְיִשְׂרָאֵל דְיִתְקוֹף עַל דַהֲווֹ בְמַדְבְּרָא טוּר כְּנִשְׁתָּא דְצִיוֹן / deferent tributa uncto Israelis, qui fortis erit super eos qui erant in deserto, ad montem cœtus Sion.

Sed ut demus eum per משיחא Messiam intelligere, nunquam tamen inde Vulgatam interpretationem stabilient, sed hanc potius, quam & Oleastrius allegat & non improbat, Mittite agnum vel agnos scilicet in holocaustum seu oblationem Dominatori terræ id est, Messiæ quem Malachias cap. 3. 1. quoque אָרוֹן / Vulg. Dominatorem vocat. Alias erit Moab sicut avis fugiens &c. Forrerius quoque non improbat hanc interpretationem, qua מושל per dandi casum redditur, quamvis de Rege Ezechia intelligat & locum ironice exponat, q. d. Vos qui divites

vites eſtis arietum & ovium mittite dominatori terræ tributum, videte an placare poſitis muneribus regem qui nunc dominatur, regem noſtrum Ezechiam; ſed ſera eſt pœnitentia. Præmiſit autem idem aliam Interpretationem & illam quoque ironicam, mittite nunc כַּר id eſt, virum fortem, ſtrenuum ducem (כָּרִים enim ſunt viri fortes & bellicoſi duces) qui dominetur terræ id eſt, terram Iſrael ſibi ſubjiciat; Mittite eum ad montem Sion, ad urbem Jeruſalem. Ut illudat Moabitarum conatibus, quando Ammonitis in auxilium vocatis adverſus Regem Joſaphat validiſſimum exercitum parabant. Vatablus per dominatorem terræ Deum Iſraelis intelligit & cum Ironia quoque locum interpretatur. q. d. Serum eſt, Fruſtra Deo oblationes mittetis. Fruſtra agnos ad templum Jeroſolymitanum deſtinabitis. Hæc adduxi ut oſtenderem inter ipſos quoque Pontificios non deeſſe queis à recepta interpretatione hujus loci recedere non fuerit religio. Junius & Tremellius & Piſcator cum Kimchio, R. Joſeph & Brixiano faciunt. Deodatus putat, Prophetam hortari Moabitas, ut Deum qui in monte Sion habitabat, Dominum ſuum agnoſcerent. Lutherus, *Mittite vos Domini terræ agnos*, quaſi eſſet מוֹשְׁלֵי אֶרֶץ & primores Moabitarum intelligeret. Quæ interpretatio à Piſc. aliiſque merito rejecta eſt. Nunc adi allegoricas & myſticas hujus loci interpretationes & melius de iis judicabis.

CAP. XXII.

Verſ. 14. Non remittetur vobis hæc iniquitas donec moriamini] In hoc loco fundata eſt unica Judæorum tam in vita quam in morte conſolatio. Meſſiam tot jam ſeculis expectant ſed peccatorum remiſſionem ab eo nullam expectant. Quicquid de illo ſibi promittunt, id omne corporale eſt & hujus vitæ terminis circumſcriptum. Unde in precibus quas corporis hujus exuvias depoſituri, recitant, nullam Meſſiæ mentionem reperias. In libro precum Judaïcarum pag. 480. Edit. Venetæ extat ſolennis illa formula ſub titulo וִדּוּי שְׁכִיב מְרַע (id eſt, confeſſio decumbentis ex morbo, Geneſ. 47. ubi in Ebr. eſt אָבִיךָ חוֹלֶה Thargum habet אֲבוּךְ מְרַע / מְרַע & אִתְמְרַע ægrotavit, & מְרַע morbus) Ea ita habet, confiteor ego coram te Domine Deus mi, Deus patrum meorum, Deus ſpirituum omnis carnis, quod ſanitas

mea

mea &. mors in tua manu ſit. Placeat tibi ſanare me ſanatione perfecta, & aſcendat memoria mei & precatio mea coram te, ut precatio Ezechiæ cum ægrotaret. Sin vero inſtet tempus viſitationis meæ ut moriendum mihi ſit, תְּהִי מִיתָתִי כַּפָּרָה לְכָל חַטָּאתַי ſit mors mea expiatio pro omnibus peccatis meis & iniquitatibus meis & tranſgreſſionib. quas commiſi adverſus te ex quo in hanc lucem editus fui. Da mihi portionem meam in horto Eden. Fac me dignum (זַכֵּנִי) futuro ſæculo, quod repoſitum juſtis eſt & monſtra mihi viam vitæ &c. Benedictus eſto, qui *precationem exaudis.* Similem locum ex Joſippo habet Schikkard. in jure Reg. p. 160. lin. ult. Ecce hac ſpe ſuffulti miſelli iſti homines eo abeunt,

Unde negant redire quemquam.

Sed quam infirmo tibicine ſuſtentata ſit illa conſolatio, nemo poteſt ignorare qui phraſiologiam Ebraicam vel leviſſime deguſtavit. Ebræum עד (cui reſpondet Græcorum ἕως, Latinorum *Donec*) ſæpe affirmat aut negat quippiam de eo tempore quod terminum iſtum anteceſſit, ſine ullo reſpectu ad futurum. Sicuti rurſus τὸ לא עוד οὐκ ἔτι aut μηκέτι, non amplius, ita aliquando negat de futura, ut non affirmet, antea vel ſemel vel ſæpius accidiſſe contrarium. ut Jerem. 22. 12. Actorum 13. 34. Apocal. 3. 12. Tob. 3. 10. Vide clavem Scripturæ à nobis interpolitam, in *Donec*, & *Amplius.* Sic ergo habeto, tiro, *Donec* in peculiari iſto uſu fere affirmat aut negat quippiam factum aut futurum eo tempore, quo poſſet, aut potuiſſet fieri, aut de quo poſſet incidere dubitatio, atque ita præſupponit, poſt illum terminum idem omnino fieri non poſſe vel potuiſſe. *Non peperit uſque ad diem mortis ſuæ*, hoc eſt, *donec mortua eſt.* Negat peperiſſe eo tempore, quo parere ſecundum naturæ leges potuiſſet. At poſt partum fœminam non poſſe parere, extra controverſiæ aleam ponit. Senſus ergo eſt, *non peperit unquam.* Eadem hujus loci ratio eſt. Non remittetur nobis, neque in hoc ſeculo, quo ſolent remitti peccata, neque in futuro, ut pote quo non ſolent remitti peccata, hoc eſt, interprete Marco, *nunquam* non remittetur εἰς αἰῶνα confer 1. Sam. 3. 14. ſi expiabitur iniquitas familiæ Eli לעולם εἰς αἰῶνα. Chaldæus hoc vidit, locum præſentem in hunc modum παραφράζει אִם יִשְׁתְּבַק חוֹבָא הָדֵין לְכוֹן עַד דִּי תְּמוּתוּן מוֹתָא תִנְיָנָא id eſt, *ſi remittetur vobis hæc iniquitas, donec mo-*

Apocal. 2. & 20. & 21. neque alibi in N. T. occurr.

moriamini morte ſecunda, Hinc Johannes in Apoc. habet θάνατον τὸ δεύτερον, ut in Apoc. quoque ad Chaldæam paraphraſin ſæpe reſpexerit, quod in Evangelio ab ipſo paſſim factitatum adeo evidenter oſtendit magnus Heinſius. Kimchius mortem illam ſecundam interpretatur מיתת הנפש בעולם הבא id eſt mortem animæ in futuro ſeculo. Nunc vide Junii notas & Forerii, qui hoc quoque modo locum exponi poſſe autumat, Non expiabitur id eſt perpetuo pœnas luetis. Quæ expoſitio firmat explicationem Cl. Druſii & aliorum qui illud Matth. 12. *Non remittetur nec in hoc nec in futuro ſeculo*, ſic interpretati ſunt, vehementer punietur & in hoc & in futuro ſeculo. Hoc eſt, ſolent enim non Ebræi tantum ſed & aliæ gentes hac antiphraſi pondus addere ſententiæ, Non gaudet ſtulti Pater, id eſt, vehementer doluit, Homer. Iliad. x. οὐδ' ἄρα τόν γε ἰδὼν γήθησεν Ἀχιλλεὺς id eſt, valde moeſtus fuit. Sic, *accipere perſonam in judicio non eſt bonum*. Atque hæc eſt vera Ἀντίφρασις, quam definit Plutarchus, λέξιν τὸ ἐναντίον ἢ τὸ παρακείμενον σημαίνουσαν, id eſt, ſermonem (ſic enim voce λέξις etiam Ariſtoteles uſus eſt. 3. Rhetoricorum in Principio) contrarium ei quod poſitum eſt ſignificans. Dixi in futuro ſæculo non remitti peccata. In hac vita locum eſſe reſipiſcentiæ & remiſſioni peccatorum. Hoc putavit Chaldæus doceri loco Jeſaiæ 55. 6. Quærite Dominum בְּהִמָּצְאוֹ dum invenitur ipſe, invocate eum dum propinquus eſt, quem ita convertit. תְּבַעוּ דַּחֲלְתָא דַיְיָ עַד דְאַתּוּן חַיִּין כְּעַן מִן קֳדָמוֹהִי עַד דְאַתּוּן קַיָּמִין id eſt, quærite timorem Domini dum adhuc eſtis vivi: orate eum, dum adhuc eſtis ſuperſtites.

Verſ. 17. Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus] Lovan. Belgica, *Ghelijck een Haen der Hennen wegh-ghedraghen wort*. Carthuſ. *ſicut capo portatur ad forum ut vendatur & manducetur*. Intelligit ergo *gallum ſpadonem*, ut loquitur Petronius. Lyra, *gallus per caſtrationem ad puſillanimitatem gallinæ reductus, & in hoc deſignat Propheta, quod partim erat ex timore ſe Aſſyriis redditurus*. At in Ebr. nullum gallum invenies. Et hunc locum quod attinet, Judæo cuidam credulitate B. Hyeronimi nimium abuſo interpretamentum illud debemus. Cujus tamen & R. Sal. & Kimchi meminere. Et memini me legere, ubi ex paraphraſi Pſeudo-Jonathanis huic verſioni quærebatur patrocinium. Namque Num. 33. 35. עֶצְיֹן גֶּבֶר Paraphraſtes iſte reddidit

תַּרְנְגָלָא

מִכְּרַךְ תַּרְנְגָלָא. Quomodo & Jerosolymitanus Deut. 2. vox E-
bræa גֶּבֶר *Virum* extra omnem controversiam denotat. טַלְטֵל alii
deportandi. alii *projiciendi*, alii denique * *contegendi* notione ex-
ponunt. Et quidem posterioribus istis, inter quos Junius, fa- * Quomodo טלל accipit.
vent sequentia וְעוֹטְךָ עָטֹה *& amiciet te amiciendo*. Solent enim Neh. 3. 15.
Prophetæ לכפל הענין במלות שונות id est, idem *aliis* verbis re-
petere, ut hoc velit Vates, *Ecce Dominus qui contegit te integu-
mento viri*, id est, quantum potest esse viri, amplissimo, *& qui
amicit te belle*, *Egregie volutabit te* &c. Ut hoc versu non conti-
neatur ulla comminatio, sed commemoratio beneficii. Aliis ta-
men projiciendi significatio se probat magis. *Ecce Dominus pro-
jiciet te projectione viri*, id est, projectione vehementi, qualis à
robusto viro, vel projiciet te projectione, O vir, ut גֶּבֶר sit
לְשׁוֹן קְרִיאָה inquit Kimchi, id est, vocativus. *Et cooperiet te
abunde*. Vid. pudore tanquam vestimento. Et insuper Homo erube-
scens, inquit Kimchi, obtegit faciem suam. Vel, cooperiet te
id est, involvet te magnæ ignominiæ, contemtui & cordolio,
adeo quidem ut præbiturus tibi sit occasionem faciem obvelandi,
ritu Israelitis usitato, Esth. 6. 12. Job. 9. 24. Cæterum & illud
non prætereundum censeo, non firmo tibicine illorum senten-
tiam sustentari, qui hunc Sebnam summum Pontificem fuisse pro-
diderunt. Inter quos & Bellarm. pro authoritate libri Judith.
disputans. Namque ubi vulg. legit, *Vade ad eum qui habitat in
tabernaculo*, *ad Sobnam præpositum templi*, *Ebræa sic habent*, בּוֹא אֶל
הַסֹּכֵן הַזֶּה אֲשֶׁר עַל הַבָּיִת id est, *Vade ad thesaurarium hunc qui præ-
est domui*, Regis videlicet. observa verba seq. *Imponam clavem do-
mus David humero ejus*. Non, *domus Dei*, sed domus David id
est, Interprete Forerio, in domo Regia post Regem plenam
habebis authoritatem. Et subjicit de eodem Eljakim qui Sobnæ
hic successor datur, *Et ex eo postquam venerunt Chaldæi*, *ad eos in-
ter præcipuos aulicos emissus est*. Vide 2. Reg. 18. Lxx. πορεύου εἰς
τὸ παστοφόριον, πρὸς τὸν ταμίαν. Quid παστοφόριον? Thalamus in
in quo habitat præpositus templi, inquit Hieron. Sochen, in-
quit idem vel tabernaculum vel παστοφόριον significat. Confun-
dit סכן & שכן / Junius, *adjutorem* vertit quod fautor & adjutor
& patronus esset eorum quos versibus superiorib. perstrinxit,
Vide scholia. Claudam ubi addidero, Forerium postquam suam
interpretationem posuisset, hæc subjungere, *atque hunc germa-
num*

num ſenſum eſſe puto. Nam de gallo gallinaceo non fateor me intelligere, quid velit vulgatus.

Cap. XXVIII. Verſ. 16.

* Lovan. in't fondament gefundeert.

Ecce ego mitto in fundamentis Sion lapidem, Lapidem probatum, angularem, pretioſum, * in fundamento fundatum, qui crediderit non pudefiet] Bell. præloquio in controverſiam de Rom. Pontifice, *Quis* ſit hic lapis, nemo ignorat, qui Evangelium legit, ubi Chriſtus Petrum Petram vocat, qua ſignificatur ſedes Romana, quæ eſt fundamentum fundatum id eſt, ſecundarium fundamentum. Hæc Bell. videtur illud arripere, *fundamentum fundatum*, vel ut eſt in Vulg. *Lapidem in fundamento fundatum*, quod in originario textu nullum habet fundamentum, ibi enim eſt מוּסָד מוּסָּד ἔπος πρὸς ἔπος, *fundationem fundationis* id eſt, fundationem fundatiſſimam vel per ellipſin ב Beth, fundatione fundatiſſima ut nihil jam dicam de ipſo B. Petro, qui cap. 2. Epiſtolæ prioris hunc locum de Chriſto interpretatur. Atque ita hunc locum omnes Patres unanimiter exponere teſtis eſt Sixtus Senenſis in Biblioth. ſua & Thomas comment. in 2. Corinth, 3. & 1. Pet. 2. & Carthuſ. & Lyra & Arias Mont. Pintus comm. in hunc locum & Forrerius, *neque cuiquam dubium eſſe debet*, inquit, *quin lapis hic Chriſtus ſit, ut ex Evangelio & Paulo & Petro apparet.* Et Paulo poſt, *Quarto vocat hunc lapidem fundamentalem. Nam* fundamenti fundati *vel* fundamenti fundamenti, *imum fundamentum deſignat*, id eſt, *ſuper quod totum ædificium conſtruitur*. Illa vero Pinti aſſertio Chaldæum paraphraſten hunc locum exponere de Meſſia, quam ipſam vocem in verſione paraphraſeos idem quoque expreſſit, error eſt, Hæc enim tantum leguntur conſtituo in Sion מֶלֶךְ מֶלֶךְ תַּקִּיף גִּבָּר וְאֵימְתָן id eſt, Regem, regem robuſtum, fortem & terribilem. Hunc Regem, ipſumque adeo lapidem Kimchi ineptiſſime interpretatur Regem Ezechiam. Cordatus R. Salomo Regem Messiam intellexit, Non gravabor verba ejus adſcribere הנני יסד. לשון עבר

הוא כמו יסד המלך וכן צריך לפותרו הנני הוא אשר יסד כבר בציון אבן
כבר נגזרה גזרה לפני, והעמדתי מלך המשיח שיהי בציון לאבן בוחן
לשון מבצר וחוזק כמו עופל ובחן וכמו חקימו בחוניו מוסד מוסד / הראשון
פתח

הנני פתח לפי שהוא דבוק מוסד של מוסד שהוא מוסד גמור id est, יסד Jissad præteritum est, sicuti alibi יסד המלך / ac proinde oportet ita exponere, ego sum is qui fundavit jam in Sion lapidem. Nunc decretum est decretum coram me. Et constituam Regem Messiam ut sit in Sion in lapidem בוחן id est, munitionis & roboris, quomodo occurrit (Jes. 32. 14.) עֹפֶל וָבַחַן / & Jes. 23. 13.) הקימי בחוניו / Quod vero ad illud attinet מוסד מוסד / prius est pathachatum, quia est in regimine, q. d. מוסד של מוסד / id est, fundatione absolutissima. Hæc ille. De posterioribus paululum diversus abit Kimchi, quoad Grammaticam, Verba ejus הראשון שם והשני פעול והוא דגוש עם וי"ו ופירוש יסוד חזק שביסודות יהיה זה היסוד id est prius מוסד nomen est; posterius verbum estque dagessatum cum vau, & sensus est, fundamentum fundatum id est, fundamentum fortissimum erit hoc fundamentum.

a) Notat Rainoldus in censura librorum Apocryph. lect. xv. p. 169. in Manuscriptis controversiis Bellarmini quibus & ille & Witakerus & alii usi sunt, antequam publici juris prælo factæ essent, dicta præfatione simpliciter negatum fuisse locum hunc de Christo intelligi posse, hac subjecta ratione, quia sequitur, ponam lapidem in fundamento fundatum id est fundamentum post fundamentum, fundamentum secundarium. Postea vero in excuso exemplari se corexisse, atque hæc interseruisse, *Etsi non dubitamus hæc præcipue de Christo intelligenda esse, tamen ad Petrum quoque non inepte referri possunt.* At ego ajo, locum istum, prout in vulg. legitur, non posse ullo modo de Christo intelligi. Quæ enim vel probabilis interpretatio dabitur istorum, *in fundamento fundatum?*

Vers. 19. Tantummodo sola vexatio intellectum dabit auditui.] Hic observo in ipso limine voculam *sola*, quæ in orginali non extat, à vulgato Interprete additam esse, Desinant ergo Pontificii magnum Lutherum flagellare, quod eandem voculam illustrando loco Rom. adhibuerit, sed ad rem. Hinc illud vulgatum & celebre, *Vexatio dat intellectum*, depromtum est. Sententia elegans quidem & vera, sed quam ex originariis tabulis non facile exsculpseris וְהָיָה רַק זְוָעָה / הָבִין שְׁמוּעָה *eritque tantummodo commotio* [ad] *intelligendam auditionem* id est, rem auditam, prædicationem, quomodo & ἀκοὴ in N. T. non semel usurpatur.

Scopus Prophetæ est, verba D. JOH. TARNOVI τοῦ μακαρί-του, ruinam denunciat, indocilitatem exprobrat, & sic concludit. Ut tandem intelligatis non esse has minas, fulgura ex pelvi, aut inania terriculamenta, id tantum restare video, ut ex justo Dei judicio immittatur vobis ex omni parte commotio ut re ipsa edocti, & experientia, optima stultorum Magistra, convicti intelligatis hoc meum documentum & prædicationem quam toties repetii & inculcavi. Hæc ille, Cui adversari videtur illa generum discrepantia quæ est in vocibus וְהָיָה זְוָעָה qua tamen non deterriti Angli sic verterunt, *eritque vexatio, tantum intelligere relationem*, id est narrationem. Junius & Trem. *Eritque tantummodo commotioni, cum intelligendum proponet documentum.* Paraphrasis illorum quam in Scholiis suis exhibent, ista est, neque tantum gravitate operum Dei commovebimini in exitium vestrum, sed etiam verba quod nunc petulanter ludificamini: denique consternabimini, omnib. testimoniis præsentiæ Dei, à quo abhorrebitis tanquam à judice severissimo. *Hæc ut ita accipiamus facit comparatio versus.* Hæc illi ubi illorum quoque scholia vide & confer cum annotationibus Forerii. Deodatus, *e l' intenderne il grido, non sarà altro che commovimento, & intelligere rumorem nihil aliud erit quam commotio.* Solent cordati & prudentes viri, ubi audiverint rumorem adventantis mali salutaria consilia capere. At his præcurrens fama consternationem & commotionem augebit. Panicus incesset eos metus &c. Quid si, *Et tantum intelligere famam erit commotio.* q. d. tantæ vobis evenient calamitates, ut vel ad solum earum narrationem tinnituræ sint aures audientium. Vide R. Salomonem. Genevenses, *Et dés qu' on orra bruit, il n' y aura que remuement, & ex quo audietur rumor, nihil aliud erit quam commotio.* Pergit Jesaias vers. 20. *Nam brevius erat stratum, quam ut protendat se,* (ubi Vulg. male, *ita ut alter decidat*, Ebr. מֵהִשְׂתָּרֵעַ fatentibus Forerio, Aria Montano, Pinto & aliis) *& stragula angusta, quum colliget se [cubans]* Denunciavit ipsis angustias diurnas & nocturnas id est, continuas, vers. 19. Hic per ὑστέρωσιν nocturnæ explicantur, vers. 21. diurnæ, utrumque ab exemplo. Qui peractis magnis laboribus, in frigore cubitum se recipit, si lectum habeat & stragulam corpore breviorem, non requiescet commode, sed algebit & cruciabitur: Inferne & superne vexabitur. Ita & vos undequaque affligemini, nullaque ex parte vos à fla-

à flagellis Dei tegetis. Kimchi in comm. *Metaphoricus sermo est*, inquit, *sicut homo qui cubat in lecto adeo angusto, ut pedes suos extendere in eo non possit. Et sicut homo, qui inter cubandum obtegit se stragula nimis angusta, adeo ut non possit se tegere aut colligere se sub ea, ita comparatum erit cum Israële. Namque castra Assyriorum diffundent se per universam terram ejus, & amplissimus* ille tractus fiet angustissimus S. S. E. Jes. 8. 8. implebuntque extensæ alæ ejus latitudinem terræ tuæ O Immanuel, Nihilque adeo relinquetur ipsis ex universa illa regione præter civitatem Jerusalem, eritque ista urbs nimis angusta, quam ut *omnes se in ea colligere & tegere queant.* Vide etiam Oleastrium & Vatablum. Male itaque & non ex mente Prophetæ citari solet hic locus à Scholasticis ad illustrandum vel confirmandum illud Salvatoris. nemo potest duobus dominis inservire &c. quo sensu eum quoque citat Thomas secundæ qu. 122. Articulo 3. Quid porro? Vers. 21. *Nam sicut in monte Perasim exurget Dominus* &c. *ut faciat factum suum, alienum erit factum ejus: ut operetur opus suum, peregrinum erit opus ejus ab eo*, vulg. *alienum est opus ejus* & postea, *peregrinum est opus ejus.* Plane supplendum hic est verbum substantivum ostendit ordo vocum, Adjectivo substantivum præcedente. Proprium Dei opus est, parcere, misereri, inquiunt, alienum ab eo est & peregrinum ipsi opus punire. Ita Lyra, Forerius, Pintus, Carthus. & alii. Hanc expositionem convellit Burgensis in Additionib. ad hunc locum, sed substituit aliam meo Judicio magis alienam. Verba ejus non gravabor adscribere, *ut faciat opus suum, alienum est opus ejus*] *ubi glossa, & est Gregorii, in mundum venit, ut faciat opus suum sc. redimet genus humanum, sed ab ipso alienum est opus ejus. Non enim convenit* Deitati conspui, flagellari, crucifigi. Et notandum quod iste modus exponendi videtur verior quam dicere quod punire non est proprium Deo, sed magis parcere, & misereri. Postea rationes adducit adversus communem sententiam, 1. quod punire peccatores pertineat ad veritatem justitiæ, quæ Deo maxime competit. 2. quod opus puniendi transgressores sit bonum simpliciter, omne autem opus bonum Deo maxime competit. Hæc Burgensis. Oleastrius sic conciliat, si consideres Deum impense misericordem, opus punitionis ab eo alienum est. Proprius tamen si eum contempleris judicem. Quemadmodum opus misericordiæ est illi proprium, si misericor-

dem eum cogites. Si vero judicem, alienum eſt hoc opus *ab eo.* Plura hic additurus eram, niſi Clariſſ. Roſtochienſis Theologus Joh. Tarnovius hunc quoque locum in exercitationibus ſuis erudite tractaſſet pag. 587. editionis ultimæ quæ in octavo, quem lege & non pænitebit.

CAP. XXIX.

Verſ. 5. 6. 7. 8. Vulgo de hoſtium populi Dei ſubverſione intelliguntur, Et videas hic interpretes ut expoſitionem illam ſemel inſtitutam obtineant, valde æſtuare. Moneo etiam, in annotationibus Hackianis ad verſ. Belgicam, multa hic eſſe à ſcopo Prophetæ immane quantum aliena. Mihi non lubet illud Augeæ ſtabulum (ita voco illam annotationum Belgicarum farraginem) repurgare. Verſantur jam in iſthoc labore viri doctiſſimi quibus ego robur Herculeum animitus precor. Ne ergo verbi D. interpretes in hujus loci explicatione vel applicatione à ſcopo Spiritus S. aberrent, bonum factum, ſi commentarium Forerii Dominicani, Ariæ Montani & Junii σχόλια adeant.

CAP. XXX.

Verſ. 15. Cum converſus ingemueris tunc ſalvaberis; vel, Peccator cum ingemuerit ſalvabitur. Alterutro modo ſæpe à priſcis & novellis citatur hic textus. Vide corpus Canonicum parte 2. Cauſa 26. quæſt. 6. capitulo, *his qui tempore neceſſitatis*, quamvis illic ad marginem, notetur locus Jezech. XVIII. Hincmarum Epiſc. Rhemenſem in opuſculo LV. capitum cap. 48. Locus deſumptus eſt ex verſione LXX. Interpretum, ὅταν ἀποστραφεὶς στενάξῃς τότε σωθήσῃ. Sententia vera & plena ſolatii, ſi recte adhibeatur & intelligatur. Non tamen eam facile ex Jeſaiæ verbis exſculpſeris. Nam ille ſuo idiomate ita fatur, בְּשׁוּבָה וָנַחַת תִּוָּשֵׁעוּן *in reverſione & requie ſervabimini.* Vulg non male, *Si revertamini & quieſcatis, ſalvi eritis.* Nihil eſt quod στεναγμὸν id eſt, gemitum ſignificet. Senſum egregie expreſſit Forerius, *Si ab inſtituto redeatis, neque in Ægyptum proficiſci velitis, ſed hic quieſcatis, erit vobis ſalus.* Pintus, *Si revertamini,* *nem-*

nempe à voluntate veſtra & quieſcatis in terra promiſſionis, non peribitis. Non loquitur de ſalute animæ aut æterna, ſed corporali & temporaria.

Verſ. 26. Eritque lux lunæ ſicut lux ſolis &c.] diſputant Scholaſtici, an circa tempus univerſalis judicii obſcuratio ſolis & lunæ ſecundum rei veritatem futura ſit. Negat * Author ſupplementi ſummæ qu. 73. art. 2. Non congruit, inquit, idem eſſe cauſam defectus alicujus rei & augmenti: ſed veniente Domino lux luminarium augmentabitur, unde Jeſ. 30. erit lux lunæ ſicut lux ſolis &c. qua de re ex profeſſo agit idem quæſt. 95. art. 3. ubi concluſionem ſuam huic loco potiſſimum ſuperſtruit. Sed 1. de adventu Domini ad univerſale judicium hic non agitur. 2. Hæc figurate â Propheta dicuntur. Non ignoro quid ad hunc locum diſſerat B. Hieronymus. Sed ego non Hieronymo ſed veritati ſacramento dixi, & malo hic clariſſimos Pontificios interpretes quam Stridonenſem Preſbyterum ſequi. Pintus, magna erit illo rempore (quo vid. liberabuntur Judæi) lætitia. Tunc enim Iſraëlitis lux ſplendidiſſima fulgebit. Uſque adeo erit admirabile gaudium ut cœleſtia corpora gaudere & gratulari videantur. Sa, q. d. erit tunc maxima lætitia. Forerius, hæc nihil aliud quam ingentem lætitiam ſignificant, qua fruuntur fideles, cum vident vulnera ſuorum peccatorum per filium Dei ſuper alligata, cujus typus fuit illa inexpectata lætitia, quàm habuit populus Jeroſolymitanus, interfectis Aſſyriis. Nam ſicut obſcuritas Solis & Lunæ calamitates & triſtia omnia in Scriptura figurate ſignificant, ita & lux Lunæ ac ſolis multiplicata, lætitiam ac læta omnia notat. Nam & lætitia affectis Sol clarius ſplendeſcere videtur, & qui moerore animi tabeſcunt, illis omnia obſcura apparent. Hæc ille Junius, *q. d. illuſtriſſima erunt & glorioſiſſima omnia* in reſtitutione Eccleſiæ. Hyperbole. Non omnino abſimilis eſt locus Horatii: Lucem redde tuæ dux bone patriæ. Inſtar veris enim vultus ubi tuus affulſit populo gratior it dies Et ſoles melius nitent. Lubet autem hic in gratiam φιλεβραίων addere interpretationes Ebræorum, Chald. eritque lux Lunæ tanquam lux ſolis, & lux ſolis *ſplendebit trecenties quadrageſies ter.* כְּנְהוֹר (Arias, ſuper lucem, ad verbum, *ſicut lux ſeptem dierum* quibus facem allucet R. Salomo, שבעתים ſeptem ſeptenarii ſicut lux ſeptem dierum. Ecce 49. ſeptenarii aſcendunt *ad 343.*. Ego hanc ſubtilitatem non capio. שִׁבְעָתַיִם neque ſeptem, neque duos ſeptenarios, ſed vel ſepties,

* Vide & Magiſtrum Sent. lib. 4. Diſtinct. 48, lit. B.

ſepties, vel ſeptuplum aut ſeptempliciter ſignificat. Id clarius eſt ex hoc loco. Nam quod primo dixit שִׁבְעָתַיִם id poſtea explicat *ſicut lux* (non 14. aut 49. ſed) *ſeptem dierum.* Ita 2 Sam. 12. 6. *& agnam reſtituet* אַרְבַּעְתָּיִם / ubi * Pagninus, *bis quadruplicatam*, Arias rectius, *quadruplo.* Idque ex legis præſcripto Exod. 22. 1. Eo magis miror Ariam in comment. ad hunc Jeſaiæ locum τὸ שבעתים reddere, *bis ſepites.* Aben-Ezra ad Gen. 4. 15. Omnis qui interfecerit Kajinum, שִׁבְעָתַיִם יֻקָּם / ita commentatur, uſque ad ſeptem generationes. Hæc enim dictio non ſignificat bis ſeptem ſeu quatuordecim, neque trecenta quadraginta tria (reſpicit, opinor, ad hanc loci Jeſaiæ paraphraſin) Cujus ſententiæ probatio petitur ex loco Jeſaiæ, eritque lux Solis שבעתים / & poſtea hoc explicat Propheta cum dicit *ſicut lux ſeptem dierum.* Kimchi, Multi interpretes explicant hunc locum de futuro. Et ſunt qui exponunt ea ita ut ſonant. Quod non eſt probandum. Sunt qui figurate exponunt de magnitudine felicitatis, quæ in diebus Meſſiæ erit. Et certe erit magna felicitas. Sed recte etiam exponi poteſt figurate de diebus Jezechiæ ut dicat, eventuram ipſis magnam felicitatem poſt internecionem caſtrorum Regis Aſſur, & ex eo futuram magnam ſalutem. Et ſicuti afflictionem vocat caliginem & tenebras; ſicuti dicitur, Sol & Luna obſcurabuntur & ſtellæ contrahent ſplendorem ſuum, qui modus loquendi in aliis quoque Scripturæ locis occurrit, ita & ſalus vocatur lux, S. S. E. Eſth. 8. 16. Judæis vero fuit lux & lætitia, Non quod auxerit illis Deus lucem ſolis & Lunæ; *ſed ut dixi per* lucem *intelligitur* ſalus &c. Et pauculis interjectis de voce שבעתים ita fatur, שבעתים hoc eſt, illumitiationes magnæ & multæ, & ſic, שבעתים vindicatur, id eſt vindicationibus multis non quatuordecim tantum. כי שבע ושבעה יבא להגדיל החשבון / Numerus enim ſeptenarius uſurpatur ad augendum numerum, ut ſepties cadit *juſtus & ſurgit.*

* Is tamen hoc Ieſaiæ loco vertit ſeptempliciter.

Verſ. 27. Ecce nomen Domini venit de longinquo] Lyra, hic conſequenter agitur de dejectione dæmonis citatque authorem hujus ſententiæ Alexandrum de Ales, qui fuit maximus Theologus in temporibus ſuis, inquit. Poſtea dividit reliquam hanc capitis Particulam in tres partes. I. deſcribitur adventus judicis terribilis impiis. II. delectabilis juſtis ibi, Cant. erit. III. & abjectivus dæmonis, ibi, Et auditam. Antea tamen dixerat, *Sciendum quod* Ebræi & expoſitores numeri exponunt partem iſtam ad literam de dejectione

Sena-

Senacherib venientis contra Jerusalem cui sententiæ duo dicit adversari. I. quod dicitur hic in principio, ecce nomen Domini venit de longinquo. Ex quo videtur Jesaias loqui de tempore longinquo quod est tempus judicii finalis. II. quod dicitur in fine capitis, præparata est ab heri thophet id est, pœna Gehennalis, secundum quod dicitur ab omnibus expositoribus Hebræis & *Latinis*. Videamus de singulis ordine. Forerius, Nomen interdum pro fama & gloria accipitur apud Ebræos, sicut apud Latinos, ut Deut. 26. Prov. 22. (Cur non addit locum Philipp. 2. 10.) Ergo hic nomen Dom. pro Dom. majestate vel Dom. ipso glorioso accipio. Sic a. loqui maluit Propheta, ut adventum illum, quasi fama è longinquo adse delatum significaret. Huc forte respexit Evangelista, cum venturum Dominum cum majestate significaret ad vastandam Jerosolyma. Postea dicit, non minus hæc in Judæos tempore Titi, quam in Assyrios tempore Ezechiæ convenire. In qua me non habebit astipulatorem. Totus enim contextus eo nos ducit, ut statuamus de Assyriorum strage Prophetam vaticinari. Itaque Pintus, nomen D. venit de longinquo, hoc est de Persia & Media. Inde enim venerunt Darius & Cyrus qui Babylonem everterunt. Vel sic, ecce Dominus veniet de cælo ut occidat exercitum *Senacheribi*. Et Oleastrius, Per nomen Domini intellige ejus potentiam & majestatem. ut Jerem. x. 6. Quod vero additur, de longinquo, exaggeratio esse videtur punitionis. Qui enim gravius percutere vult, elevat flagellum. Potest etiam intelligi, quod venit de longinquo, id est, de cælo quod longe distat à terra. Solet enim Dominus, cum ad punitionem venit, præ se ferre aliunde venire, quemadmodum ab Aquilone &c. Kimch, Nomen Domini quod probro affecerunt Legati regis Assur, ecce illud nomen veniet ad vindictam. Quod autem dicit, è longinquo, ideo dicit, quia Rex Assyriæ putabat Deum quasi longe à se abesse ac proinde non posse nocere. Aben-Ezra, *è longinquo id est, ex cælo ob descensum Angeli*. Qui vid. castra Assyriorum cecidit. Potest ergo commode illud, *è longinquo* exponi, servata interpretatione totius contextus de clade Assyriorum. Et quid facient versu 31. *A voce enim Domini pavebit Assur virga percussus.* Lyræ, Carthusiano aliisque id genus interpretibus nuspiam hæret aqua. Assur id est, Diabolus, inquit Lyra, qui hic ad literam intelligitur sub nomine Regis Assur. Sicut supra cap. 14. sub nomine Regis Babel significatur Diabolus ad literam.

Car-

Carthuſ. Aſſur id eſt omnis ſuperbus Dæmon & homo, quibus tunc eveniet quod Scriptura nunc minatur. Etiam ex novellis Sa, Aſſur interpretatur Diabolum. At Oleaſtrius ad verſ. 29. Locus optime poteſt interpretari de Aſſyriis, quia ſequitur, à voce D· conteretur Aſſur. Atque ita quoque interpretatur Pintus & Forerius & Arias Mont. Quod vero inquit vulgatus, *Virga percuſſus*, Ebr. בַּשֵּׁבֶט יַכֶּה *virgâ percutiet*, Jun. melius reddere videtur, *qui ſolebat virga percutere.* Futurum apud Ebræos ſæpe actum ſolitum notat.

Quod ad ſecundum Lyræ argumentum attinet ex ultimo verſu depromptum, an ιis literaliter & proprie de loco damnatorum intelligi poſſit valde dubito. Non jam diſputo, an nomen תֹּפֶת pro quo hic eſt תָּפְתֶּה cum παραγωγῇ literæ ה ſit à * תוף *tympano*, an potius à * יפת unde & מוֹפֵת prodigium, vel, ut Junius ad hunc locum, à פתה quod Chaldæis eſt, dilatatum, amplum eſſe; vel ab eodem פתה / ita R. Salomo, quia ſeductionis notionem habet, quod omnis, qui ſeducitur à concupiſcentia ſua mala (מתפתה ביצרו) in locum iſtum præceps detur. Illud extra controverſiam pono, Thophet idem eſſe cum valle Hinnom, quæ Ebræis גֵּי הִנֹּם aut גֵּי בֶן־הִנֹּם aut גֵּי בְנֵי הִנֹּם vocatur. Locus celebris eſt à deteſtabili illo, prodigioſo & portentoſo cultu, quo degeneres Ebræi liberos ſuos idolo Moloch uſtulabant, perſonantibus interim dum illi cremabantur ſacrificulorum tympanis, ne videlicet puerulorum fletus & lamenta animos parentum frangerent. Id quod Ebræorum fide pono. At, inquies, Gehennam locum damnatorum quoque ſignificare. Cur non ergo & Thopheth? Reſpondeo, tum reſpectu cruciatuum, quibus miſelli iſti excarnificabantur, tum reſpectu perpetui ignis, qui illic poſtea aſſervatus fuit ad comburenda cadavera & ſordes quas pius Rex Joſias, polluendo loco, eo deportari curavit (2. Reg. 23. 11.) ſequiori ævo vocem Gehenna uſurpari coepiſſe pro loco damnatorum, Kimchius ad Pſ. 27. 13. ut videam bonitatem Domini in terrâ viventium, ita commentatur, ut videam bonitatem ejus in ſeculo venturo. Et hoc eſt quod dicit בארץ חיים / Et quamvis animæ locus non ſit in terra, tamen quia felicitas futuri ſeculi comparatur horto voluptatis ſeu Paradiſo, qui eſt locus terreſtris, ad captum auditorum, adhibita eſt hæc figurata locutio: Eodem plane modo, quo judicium improborum vocatur Gehenna, והוא מקום בארץ סמוך לירושלים והוא מקום נמאס ומשליכים שם הטומאות והנבלות והיה שם אש תמיד לשרוף הטומאות

* Ita Ebræi. * Ita Forerius.

הטומאות id eſt, erat autem is locus terreſtris juxta urbem Jeruſalem, locus deſpretus, quo projiciebant immunda & cadavera, eratque illic perpetuus ignis ad comburendas immunditias &c. Sed redeamus ex hoc diverticulo in viam. Dixi גיהנם uſurpari pro loco damnatorum, ſed ſequiori ævo. Unde in textu Ebræo nuſpiam eo ſenſu occurrit. At apud Thalmudicos & Thargumiſtas frequens & tralatitium eſt. Atque hinc ad pomœria novi Teſt. tranſlatum eſt. Ut & multa alia, de quibus ſuo loco. An non ergo veriſimile, ſynonymum ejus תֹּפֶת vel תָּפְתֶּה eo ſenſu, à Propheta non fuiſſe uſurpatum? Adhæc, ſi hactenus de temporali exitio eorum qui populum Dei affligebant, ſermocinatus eſt Propheta, quomodo perſuaderi nobis patiemur, hic ex abrupto de Gehennali pœna, diabolo & angelis ejus, ut hic loquitur Lyra, præparata eundum concionari? Licet enim in vulgata ſit, *præparata à Rege*, quod vulgo explicant, à Deo, Lyra tamen notat, & recte, in Ebræo haberi, *Regi præparata*, Regi, inquit, id eſt, dæmoni & angelis ejus, qui dicitur Rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Id vero admodum alienum eſt. Locus enim iſte, qui extat Jobi 41. *verſ.* ultimo nullo modo de Diabolo exponi poteſt, ut ſuo loco oſtendimus. Probabilius illi ſentiunt, qui per *Regem* ipſum Senacheribum intelligunt, illique infernum præparatum dici aſſerunt. Forerius, cum Jeſaias prævideret Aſſyriorum cladem, quam verſimile eſt in illa valle prope Jeroſolymam contigiſſe, venuſte in nomine Thopheth ludit, dum locum illum jam dudum Regi Aſſyriorum cum ſuis præparatum eſſe dicit. Et paucis interjectis, Hæc tamen non impediunt, inquit, quominus hic damnatorum locum deſcribi dicamus. Parum enim fuit Prophetæ, illos occidendos dicere, niſi in æternum cruciandos cum principe diabolo prædicaret in igne &c. Hunc ergo ſenſum videtur agnoſcere ſecundarium, illum, primarium. Junius in ſcholiis ait exornari hoc verſu proxime præcedens membrum de adverſariorum expugnatione, *cujus formam allegorice deſcribi* aſſerit. Ad vocem autem תָּפְתֶּה quam ille reddit *exitii locum*, ita commentatur, Hic ſingularem adhibet vocem ad notandum ſingulare judicium quo in Regem Babyloniæ erat uſurus Deus. Nam deducitur à nomine Thopheth, qui locus fuit, amplus, (unde nomen habet) ab idololatris celebratus, ut ex Jerem. 7. & 19. conſtat, quemadmodum etiam ante hæc tempora filios ab Achazo Rege in eodem loco exuſtos fuiſſe legimus 2. Chr. 28. 3. Cum itaque im-

impuriffima illa facrificia palam fierent ad portam Jerufchalaimorum maxima pompa & apparatu, Propheta illuftriffimum Babylonii regis exitium magnificentiffime efficiendum in oculis Ecclefiæ ipfius nominat conjugata & affini voce, quo etiam fpectant fingula illa defcriptionis verba fequentia. Et Paulo poft, ad vocem *pyræ* *Pergit*, inquit, in allegoria à comparatione eorum, qui in valle Hinnom comburebantur, adhibitis rebus quæ hic dicuntur ad incendium & *conflagrationem eorum*. Kimchius idem dicit quod Forerius, Thophthe eft * vallis Hinnom, dicit eam paratam fuiffe illis ante mortem ipforum, Propheta enim hoc vaticinatus eft, antequam veniffet decretum de illorum ftrage, ובמות גופם תמות גם כן נפשם ותהיה בגי הנם / & moriente corpore eorum, morietur etiam anima ipforum eritque in Gehenna. Quem locum produxi firmandis iftis, quæ in Antibarbari noftri parte priori differuimus, Kimchium. vid. dum animas mori & perire fubinde dicit, earum tamen διαμονὴν non negare. De refurrectione corporum impiorum alia quæftio eft, de qua vide eruditiffimi Coccеii notas ad tractatum Sanhedrin. Aben חפתה שם מקום מטונף סביב ירושלים ושם ישליכו כל דמן ויעלה ממנו עשן Thophthe nomen loci inquinati prope Jerufalem, quo projiciebatur fimus, unde fumus afcendebat &c.

* Sic & Chaldæus.

Cap. XXXIII.

Verf. 13. Qui excutit manus fuas ab omni munere] Ita Vulg. Locus ifte citatur ex Gregorio in jure canon. parte 2. cauf. I. qu. 1. cap. funt nonnulli. Agitur illic adverfus Simoniacos. Sunt nonnulli, inquit, qui quidem nummorum præmia ex ordinatione non accipiant, & tamen facros ordines pro humana gratia vel laude largiuntur &c. Sed Propheta inquit, cum virum juftum defcriberet, ait, Beatus qui excutit manus fuas ab omni munere. Non dixit folum, munere, fed ab omni munere, quia aliud eft munus ab obfequio, aliud à manu, aliud à lingua. Vide fequentia. At in Ebræo non comparet illa univerfalis nota. Fateor ejus adjectione non corruptum effe locum, fed quia in ea hunc difcurfum fundat Gregorius, annotandum duxi

CAP. XXXVII.

Vers. 35. Propter David servum meum] id est, propter promissionem Davidi factam, inquit Junius ad 2. Reg. 19. 34. *Quid* si, *propter Christum servum meum*? Certe Christus vocatur servus Dei, e.g. Jes. 53. Idem vocatur *David*. Jerem.

Pontificii ad meriti Davidis respectum putant, quasi dicere voluisset, propter merita Davidis &c. *Aspicis* hic defunctorum merita vivis prodesse, inquit Pintus. Propter D. servum meum id est, merito ejus, inquit Carth. Sed rectius illud est quod addit, vel, ut impleam promissionem illi factam quod darem illi lucernam in Israel. In quam sententiam etiam Arias Mont. Miseret autem me Oleastrii cordati alias interpretis, qui in elucidatione morali hujus capitis, postquam de meritis sanctorum disseruisset, in hunc modum concludit, *Audiant hoc Lutherani, & sinant nos sanctos venerari & orare, etiam mortuos, ob quorum merita Dominus nobis tot bona largitur.*

CAP. XL.

Vers. 1. Completa est malitia ejus, dimissa est iniquitas ejus: suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis.] Completam malitiam vulgo exponunt, ac si explicaretur per sequentia, *dimissa est iniquitas ejus*, cum tamen compleri malitia tunc potius dicatur, quando impleta est mensura iniquitatis & malitiæ, id est, quando advenit tempus, quo puniri debet malitia, ut loquitur Oleastrius. Per duplicia vulgo intelligunt, multa beneficia, magnifica dona, vel duplicia id est, gratiam & gloriam; pro omnibus peccatis id est, non obstantibus omnibus peccatis ejus. Vide inter alios Pintum. Alii aliter. Sed omnes se torquent, neque se expediunt tamen. Ebræa ita habent, *completa est* צְבָאָהּ quod vulgatus verterat, *militia ejus*, quæ vox à librariis corrupta est in *malitia*, fatentibus Oleastrio, Pinto, Sa, Aria Montano, Aliisque hujus Prophetæ interpretibus, quibus addo & Jansenium in Concord. Evang. pag. mihi 102. Col. 2 Hoc tam evidens est, ut negari à nemine possit, qui Ebraice legere didicit. Hoc tot præstantes inter ipsos Pontificios Doctores ostenderunt. Et tamen *Romani Correctores non Judicarunt corrigendum*

esse, militia, ut loquitur Lucas Brugensis, in locis insignioribus Rom. Correctionis. Licet vero Sixtus V. mendosam hanc lectionem malitia Ecclesiæ ceu authenticam obtruserit, non potuit tamen multorum Catholicorum ora oppilare, quamvis rem ipsam libere edissertarent. Sed videamus Ebraica, כִּי מָלְאָה צְבָאָהּ כִּי נִרְצָה עֲוֺנָהּ כִּי לָקְחָה מִיַּד יְהוָה כִּפְלַיִם בְּכָל־חַטֹּאתֶיהָ. *Loquimini ad cor urbis Jerusalem* (id est, consolamini eam dicire quæ grata ei futura sunt & non nolenti audire, cui phrasi non omnino illa Belgarum absimilis est, *loqui alicui ad os*) Q. prædicate ei, completam esse militiam ejus, * *acceptatam* esse pœnam iniquitatis ejus, accepisse eam è manu Domini duplicia pro *omnibus peccatis suis* τὸ צָבָא non solum exercitum, sed & militiam & tempus militiæ præfinitum significare ad Jobi cap. VII. ostendimus: Hinc alii, *completam esse militiam ejus*, id est, finem tandem impositum esse omnibus molestiis & miseriis, quibus militans V. T. Ecclesia obnoxia fuit. Alii, *præfinitum tempus ejus*, tempus quod Deus O. M. vexationib. & afflictionibus ejus, præfiniverat. Quod ad ultima versus verba attinet; notat Pintus M. Lutherum articulo 36. citare hunc locum, ad probandum, non dari gratiam nisi pro peccatis. Ego verum an falsum sit illud Pinti effatum, in medio relinquo. Vide D. Joh. Tarnovium in Exercit. Biblicis pag. 593. edit. 3. Mantissæ loco adjiciam versionem LXX. Interpretum. λέλυται αὐτῆς ἡ ἁμαρτία, ὅτι ἐδέξατο ἐν χειρὸς Κυρίου διπλᾶ τὰ ἁμαρτήματα αὐτῆς. Quæ sic convertit Hieronymus, solutum est peccatum ejus, quia recepit de manu Domini duplicia *peccata sua*. Unde colligit idem Pater, non solvi peccata nostra, nisi de manu Domini receperimus ea. Nec idem est solui peccata atque dimitti. Cui enim dimittuntur, solutione non eget. Cui autem solvuntur, ideo solvuntur, quia purgata *sunt & soluta per pœnas*, Hieron. in comm. Quæ itidem solutione non egent. Primo enim כִּי hic non est causale. 2. non dicitur in originario, duplicia peccata sua, sed in vel pro peccatis. Ejusdem commatis sunt & illa *B. Ambrosii verba, *Quomodo deleantur* peccata, audi dicentem, solutum est peccatum ejus, quia recipit de manu Domini duplicia peccata sua. Non ergo penitus sibi remitti peccatum postulat, sed moderata solutione deleri id est, ut in futurum ejus memoria *deleatur*. Hæc Ambrosius.

* Alii, *exoluta est iniquit. ejus* Chald. *remissa sunt peccata ejus.*

* In Psal. 37.

CAP.

CAP. XLII. Verſ. 1.

Antequam ad hoc caput protollam gradum, libet adſcribere verba B. Hieronymi quæ extant in ejus comm. ad ſuperius caput XL. pag. 152. Edit. Baſil. *Hebræi aſſerunt*, inquit, nec hac de re ulla apud illos dubitatio eſt, ſpiritum S. lingua ſua appellari genere fœminino id eſt, רוח קדשה Et Paulo poſt, Ebræi illud Pſ. 122. ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ, animam interpretantur ancillam, & dominam Spiritum S. Sed & in Evangelio, quod juxta Ebræos ſcriptum Nazaræi lectitant, Dominus loquitur, modo me tulit mater mea Spirit. Sanct. Nemo autem hac in parte ſcandalizetur, quod dicatur apud Ebræos Spiritus genere fœminino, cum noſtra lingua appelletur genere maſcul. & Græco ſermone, neutro. In divinitate enim nullus eſt ſexus. Et ideo in tribus principalibus linguis, quibus titulis dominicæ paſſionis ſcriptus eſt tribus generib. appellatur ut ſciamus nullius eſſe generis quod diuerſum eſt. Hæc Hieronymus Quæ non ita accipiet Lector, quaſi רוּחַ ſemper fœmininum eſſet, quomodo Spiritus Latinis Maſcul. & πνεῦμα Græcis neutrum eſt. Namque non ſolum cum ventum, ſed & cum Spiritum ſignificat communis generis eſt Jeſ. 32. 15. עַד..יֵעָרֶה עָלֵינוּ רוח ממרום donec effudatur ſuper nos Spiritus ex alto. Nunc ad cap. XLII. accingamur. Verſ. 1. LXX. hoc modo tranſtulere. Ιακωβ ὁ παῖς μου ἀντιλήψομαι αὐτοῦ Ισραὴλ ὁ ἐκλεκτός μου, προσεδέξατο αὐτὸν ἡ ψυχή μου. Jacob puer vel ſervus meus aſſumam eum: Iſrael electus meus, ſuſcepit eum *anima mea*. Citatio Matthæi cap. XII. non ſinit nos dubitare quin ſint verba Patris de unigenito ſuo filio, Redemptore noſtro, Jeſu Criſto. Quid ergo ſibi voluht illa *Jacob* & *Iſrael?* Audi Auguſtinum de civit. Dei XX. 30. *Loquitur de Chriſto ſub nomine Jacob & Iſraël, de cujus ſemine corpus accepit.* Et Paulo poſt, In Ebræo non legitur Jacob & Iſrael. Sed quod ibi legitur ſervus meus, nimirum LXX. Interpretes volentes admonere quatenus id accipiendum ſit, quia ſc. propter formam ſervi dictum eſt, in qua ſe Altiſſimum humillimum præbuit, ipſius hominis nomen ad eum ſignificandum poſuerunt, de cujus genere eadem forma *ſuſcepta eſt*. Hæc B. Auguſtinus, argute & ſubtiliter. Sed quanto ſatius fuiſſet, in eo ſubſiſtere, voces illas ab Ebræo textu abeſſe, & ex aliis locis, ubi eæ cum Jacob & Iſrael ſimul le-

guntur, (e.gr. 44.1.) ab imperita manu infartas esse. Eusebius Demonstrat. Evang. IX. pag. mihi. 281. postquam contulisset textum Græcum Jesaiæ & Matthæi, sic inquit, τήρει δὲ ἐπιμελῶς τίνα τρόπον ὁ Ματθαῖος εἰπὼν, ἰδοὺ ὁ παῖς μου, ὃν ᾑρέτισα, ὁ ἀγαπητός μου, ἐν ᾧ εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου. οὔτε τοῦ Ἰακὼβ, οὔτε τοῦ Ἰσραὴλ, ἐμνήσθη, οὐ γὰρ εἶπεν, Ἰακὼβ ὁ παῖς μου, Ἰσραὴλ, ὁ ἐκλεκτός μου, ἀορίστως δὲ ἐξήνεγκεν εἰπὼν, ἰδοὺ ὁ παῖς μου, καὶ ὁ ἀγαπητός μου. Ὅθεν, ὡς μηδὲ ἐν τῷ ἑβραϊκῷ τῆς προφητείας κειμένης, παρὰ μὲν τοῖς ἑβδομήκοντα ὠβελίσαι τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα. Καὶ παρὰ τοῖς λοιποῖς δὲ ἑρμηνευταῖς παρασεσιώπηται, ἐπεὶ μηδ' ἐν τῷ ἑβραϊκῷ φέρεται. ἔνθεν εἰκότως οὐδὲ παρὰ τῷ εὐαγγελιστῇ εἴρηται ἑβραίῳ ὄντι, καὶ ἀκολούθως τῇ ἑβραίων γραφῇ τὴν προφητείαν ἐκθεμένῳ. Porro in voce *suscipiam*, quos non ludos dedere prisci Interpretes? Lyra, suscipiam eum, quia humanitas Christi assumpta est in unitatem suppositi divini. Per hoc enim quod dicitur, suscipiam eum, non est intelligendum quod pater naturam humanam assumserit, quia solus filius est humanatus, sed hanc assumptionem tota Trinitas *fecit*. Eadem interpretatio probavit se Dionysio Carthusiano, qui & illam præmisit, suscipiam eum id est, omnia opera ejus & preces acceptas *habebo*. At nec hæc nec illam admittit vel vox Ebræa אֶתְמָךְ / vel Græca ἀντιλήψομαι, unde Pagn. *innitar ei*. q. d. apprehendam eum ut illi innitar, sicuti Rex fideli & dilecto ministro, Kimchi, דרך משל כמו המלך הנשכן בעבדו הנאמן לו / Metaphorica locutio, instar Regis qui innititur *servo suo fideli*. Alii *sustento eum*, vel fulcio eum. Coronidis loco addam Chaldæam paraphrasin, הָא עַבְדִּי מְשִׁיחָא אֲקָרְבִנֵּהּ בְּחִירִי דְאִתְרְעֵי בֵהּ מֵימְרִי Ecce servus meus Messias, electus meus in quo complacuit sibi ὁ λόγος μου. Qui locus evidenter ostendit per מֵימְרָא דײ id est, λόγον κυρίου, non semper intelligi Christum, sed sæpe περίφρασιν Dei esse, qualis in Ebraismo, anima Dei vel hominis pro ipso Deo vel homine. Sic quod Gen. VIII. 21. dicit Moses, Et dixit Dominus in corde suo, Oncelos reddidit, *in sermone suo*, בְּמֵימְרֵהּ in sermone suo, quod Hellenistæ dicerent, πρὸς ἑαυτὸν, ut hic Symmachus & Joh. VII. 35. εἶπον οὖν Ἰουδαῖοι πρὸς ἑαυτοὺς vel πρὸς τὴν καρδίαν αὐτοῦ, ut Theodot. vel ἐν τῇ διανοίᾳ. Huc citat & Drusius ex Thargum Jonathanis locum. Num. XV. 32. *Surrexit vir è domo Joseph, dixitque* בְּמֵימְרֵהּ / *ibo, evellam ligna* &c. Et Ecclesiastis I. I. dixit in sermone suo. Et Ruth 3. 8. *quomodo fecit Phaltiel, filius* Lais, qui fixit gladium בֵּין מֵימְרֵהּ וּבֵין מִיכַל בַּת שָׁאוּל

שָׁאוּל inter ſermonem ſuum & inter *Michal filiam Saülis.* Sed quid fiet loco Jeſ, 48. 16 ubi Chriſtus ita loquitur. Dominus Deus miſit me וְרוּחוֹ / Chald. וּמֵימְרֵה ?

CAP. XLIII.

Verſ. 20. Quemadmodum ex Pſalmo 92. 13, Phœnicem fabuloſam avem, ita ex hoc loco, prout is à Lxx. verſus eſt, Sirenas, fabuloſa monſtra nonnulli probare ſategerunt. Ita enim habet Græcus textus, εὐλογήσει με τὰ θηρία τοῦ ἀγροῦ, σειρῆνες καὶ θυγατέρες στρουθῶν. id eſt, *Benedicent mihi beſtiæ agri, Sirenes & filiæ Struthionum,* Sed notandum bene, Ebræa aliter ſonare, *Glorificabit,* me beſtia agri, תַּנִּים וּבְנוֹת יַעֲנָה id eſt, dracones & filiæ ululæ. Hieronymus, Pro Draconibus, quos ſolus Theodotio, ut in Ebraico ſcritum eſt, appellavit תנים (θεννὶμ) reliqui Sirenas interpretati ſunt, animalia portentoſa, quæ dulci carmine & mortifero navigantes Scyllæis canibus lacerandos præcipitabant. Hocque ſignificat, quod voluptati prius & luxuriæ dediti ad ſervitutem Domini convertantur. Licet melius ſit Dracones intelligi quia junguntur & Struthiones, ut quia ſemel de beſtiis ſolitudinis loquebatur, hæc animantia poneret, quæ deſerto familiaria ſunt. Ad verſ. 4. notat Cl. Tarnovius in exercit. Bibl. p. 595. Edit. 3. eum à nonnullis ſic intellectum, quaſi Deus promitteret mundo filium ſuum, *ego dilexi te & dabo hominem pro te.* Sed τὸ אָדָם illic * collective poſitum eſſe, & antecedens verſus & quæ hoc verſu 4. ſequuntur וּלְאֻמִּים תַּחַת נַפְשֶׁךָ / *& nationes pro anima tua,* evincunt. Vide ad verſ 3. Jun. ſcholia, & obſerva verſ. 4. melius à Piſcat. & Vulgato redditum, dilexi te, & dedi homines, (alios, de quibus verſ. 3.) pro te & nationes (prædictas) *pro anima tua,* id eſt, loco animæ tuæ, quam à Junio, *ſubjeci homines tibi & nationes deſiderio tuo.* Ebræa clara ſunt וְאֶתֵּן אָדָם תַּחְתֶּיךָ וּלְאֻמִּים תַּחַת נַפְשֶׁךָ.

* Sic & in N. T. cum Chriſtus vocatur υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου.

CAP. XLV.

Verſ. 1. Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro &c.] Ebr. לִמְשִׁיחוֹ לְכוֹרֶשׁ *uncto ſuo Cyro* Lxx. τῷ χριστῷ μου κύρῳ, Hieron. *Scio in hoc capitulo non ſolum Latinorum ſed & Græcorum plurimos vehementer errare, exiſtimantium ſcriptum eſſe.* Sic dicit Dominus Chriſto, meo

Domi-

Gen. 19. Domino, intelligatur juxta illud, Pluit Dominus à Domino, &
Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo. Neque enim κυρίῳ, quod Dominum sonat, sed Κύρῳ dicitur, qui Ebraice appellatur Chores, Regi *Persarum* &c. Et Paulo post ad vers. 4. *assimilavi te & non cognovisti me*, ita inquit, non cognovisti me id est, idola coluisti, non Deum. In quo loco inquit, non satis mirari queo quæ sit stultitia, legentium, ut hæc ad Christum *referant*. Sed ad hoc respondent alii, ea quæ de Cyro per modum laudis dicuntur de Christo posse exponi ut antitypo, reliqua soli Cyro relinquenda esse. Ego opinor nullum hodie tam fatuellum repertum iri, qui hunc locum literaliter & primario de Christo interpretari ausit: At qui cum scholasticis eum de Cyro ut typo, Christo, ut Antitypo interpretentur, puto esse plurimos. Sed quæ hæc ingeniorum luxuries est, ex quolibet homine typum Christi fabricari? Accommodatio fiat horum & similium locorum ad Christum, ita tamen ut literali sensui sua semper constet authoritas, ea cautione, ne ex Scriptura fiat cereus nasus: Ne typi obtrudantur quos non expresse in Sacris literis vel eodem vel alio loco Spiritus S. indicavit. Vide quæ hac de re diximus Antibarb. nostri, libro 1. errore generali 7. pag. 168. & confer cum illis Apologiam Cl. Joh. Tarnovii pag. 236. & seq. exercit, Biblic. Edit. ultimæ, Inter sensum literalem alicujus loci Biblici & ejus accommodationes semper distingue, inquit, ex quo hæc accurate mihi declaravit meus Patruus præceptor meus venerandus (Rev. Theologum D. Paulum Tarnovium intelligit) qui mihi jam egregium ad hanc rem locum suppeditavit ex Luthero, Tomo 2. in Gen. cap. 15. p 58. Et Paulo post ad loca sibi ab adversario objecta, Joh. 3. de Serpente æneo Joh. 6. de Manna, Matth. 12. de Jona, 1. Cor. 9. 9. de bove triturante, 2. Cor. 3. de velamine Mosis Gal. 4. de Sara & Hagar, ita respondet in plerisque similitudines tantum reperiri, quas licet ex omnibus rebus sumere, dum modo id fiat bono, neque statim pro typo sacro habeatur, quod similitudinem aliquam præbere potest & elegantem comparationem, Verbo, Non statim typus est, ubi potest institui comparatio. Sed ad rem. Audio illud objici ex vers. 4. *assimilavi te* unde & Baronius in apparatu probat Cyrum typum Christi fuisse. Nec abnuere videtur Hieron. quando in Comm. sic infit, *vocavi te nomine tuo — ne putareris esse ille Christus, cui assimilatus es, & in cujus typum & imaginem præcessisti*. Et Sa, Assimilavi sc. Pastori, vel

q. d.

q. d. feci ut esses figura & similitudo Christi. Sed judicem adeamus, textum originarium. Is nobis exhibet vocem אֲכַנְּךָ / id est, *cognominavi te*, interpretibus Pagn. Aria. M. Oleastr. Forerio, & agnoscente ipso SA. Quamvis illi quoque qui vulgatam interpretationem retinuere, alias interpretationes attulerint, quas videre est apud Lyram, Carthus. Pintum & alios. Lubet audire Pintum, assimilavi te nonnullis servis meis, quos priusquam nascerentur, nominavi. Vel assimilavi te id est, cognominavi te. Nam non solum vocavi te Cyrum, sed etiam Regem (Messiam meum, Oleastr.) antequam editus esses in lucem. Junius τὸ *cognominare* sic explicat ut sit pressior ἐξήγησις antecedentis, *vocavi te de nomine tuo*, *proprium* illi nomen, teste Herodoto & Justino, fuit Spaco id est, canis, Medorum lingua, à * cane quæ expositum infantem lactaverat. Coresch vero cognomen fuit honorificum, à Persib. inditum, quod sonat Dominum. Nam eadem quoque ratione Coresch apud Persas est Solis, *quem colunt*, *epitheton*. Hæc Junius. Quibus non omnino respondent illa quæ Arias Mont. ad calcem cap. XLIV. commentatus est. Notet autem hic lector, Junium & Trem. cum ubique fere Ebræum propriorum nominum sonum retinuerint, hic tamen non *Coresch.*, sed *Cyrus* reddidisse, cujus vocis Vocales Ebraicæ consonæ etiam admittunt כורש. Κῦρος & ad Græcum κύριος proprius accedunt.

* Herodotus lib. 1. ait nutricem ejus Spaco id est, Canem dictam, atque inde sparsum in vulgus, Cyrum à cane educatum fuisse.

Vers. 8. Rorate cœli desuper & nubes pluant justum: aperiatur terra & germinet salvatorem. Et justitia oriatur simul. Ego DOMINUS creavi eum] Hæc verba ab erudito & pio Doctore aliquo modo accommodari posse ad Christum non ibo inficias, literaliter & primario de Christo vel extra typum vel sub typo dicta esse, non video qui probari possit. Tres modi sunt, quibus probari possit, aliquem scripturæ locum ad Christum pertinere. 1. authoritas N. Testamenti. 2. Excellentia attributorum. 3. Analogia & nexus necessarius typi & Antitypi id est, Christi. Hic vero eorum nullum video. Quin contra sicuti de solo Cyro cœpit loqui, de eodem nunc vaticinium continuat. Et sicuti in superiorib. illud versus quarti, *& non cognovisti me*, nullo modo Christo applicari poterat, ita & hic nonnulla sunt quæ Salvatori, non nisi cum summa violentia tribui possunt. Videamus singula.

Rorate cœli desuper &c.] Sunt qui putant esse verba Prophetæ qui postquam liberationem Judaicæ captivitatis prædixisset, &

nominatim designasset liberatorem, subito in has voces erupisse, quibus exprimit vota eorum qui in captivitate tot annis detenti magno desiderio & liberationem & florentem Ecclesiæ & Reip. statum quasi è cœlo delapsurum expectabant. Sed verba hujus versus ultima, ego creavi eum, ostendunt, esse verba Dei, quibus cœlo & terræ quasi imperet, ut cooperentur & ut sic dicam, omnes vires suas intendant ad procurandam populi liberationem. Quod Deus cœlo & terræ hic imperat, id promittit populo suo, fore vid. ut gaudio ex captivitate soluta abunde perfundantur & saturentur. Provocat, inquit Jun. res creatas omnes ad testificandum & prædicandum salutare justumque Dei opus & quibuscunque modis poterunt; ministandum ei, quæ omnia enuntiantur *allegorice.* Kimchi אמר זה על דרך משל על התשועה שתבא לישראל כאלו מלאכי שמים באים לעזרתם וכן יושבי הארץ hoc est, dicit hæc figurate de salute quæ Israelitis eventura esset, quasi angeli jubeantur venire in auxilium ipsorum, atque itidem habitatores *terræ.* Hieron. Quidam putant hæc hærere superioribus quæ dicuntur, & Cyro laxante captivos, cœlum terramque lætari μετωνυμικῶς, pro eo, quod est illos qui in cælo *morantur & terra.* Quicquid sit, Loquitur de Rege Coresch, eum venturum & liberaturum populum Israel prædicit; inquit B. Lutherus in nota marginali. Et in Comm. Nos scimus agi in hoc capite de promissa liberatione per Cyrum.

Deod. | Pisc. | Jun.

Nubes pluant justum] An hoc elogium competit Gentili Cyro, inquies? An is de cœlo descendit? An justi nomen meretur? Vis ergo Christum hic intelligi per nubes, vel angelos cum Dion. vel Apost. Vide Carthus. Sed Resp. 1. esse prosopopoïam & allegorice hæc enuntiari. Neq; enim nubes ipsum quoque Christum pluisse vere dixeris. 2. In Ebr. non esse *justum*, sed *justitiam.* וּשְׁחָקִים יִזְּלוּ צֶדֶק *& nubes* (alii æther, vel cœli, vide Piscatoris scholia Latina ad Ps. 18.) *fluant justitia*, Lxx. καὶ αἱ νεφέλαι ῥανάτωσαν δικαιοσύνην. Lutherus, und die Wolcken regnen de gerechtigkeyt. Per *justitiam* intelligit effecta benignitatis suæ (certe צדק sæpe pro benignitate poni non eget probatione) & gratiæ. Aut liberationem hanc vocat justitiam id est, opus justitiæ, quia eam promiserat.

Aperiatur terra & germinet salvatorem] vere dixit B. Lutherus in Comm. *celebrem esse hunc locum in Ecclesia Papistarum & illustre argumentum ignorantiæ, quod ad B. Virginem eum accommodarunt.* Audiamus non Lyram, non Carthusianum, aut ex veteribus scholasticis

ſaſticis aliquem, ſed Pintum Jeſuitam, Terra illa ſanctiſſima Maria ſemper-virgo aperiatur aratro Spiritus Sancti. Conſentiat & dicat Gabrieli angelo, ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum & ſic *germinet ſalvatorem*. Poſtea ſubjungit multa de unicorni, congregari multos venatores ad unicornem capiendum qui eum clamoribus obtundunt, at capi non poſſe, niſi virgo quædam pulchra ſedeat in Campo, ad quam unicornis veniat in cujus ſinu quieſcat & ita capiatur. Unicorni Chriſtum comparat, Juxta illud inquit, quod dicitur in Pſalmis (in margine notatur Pſ. 28. nobis 29.) *& dilectus quemadmodum filius unicornis.* Sed nihil tale in textu eſt. Ut ut B. Auguſt. locum illum de Chriſto interpretatus ſit. Laudat illic divinus vates Creatorem ſuum à tribus potiſſimum effectis, inter quæ principem locum tenet tonitru, quo de agit à verſu. 3. uſque ad 10. *Vox Domini faciat ut exiliant* (cedri Libani) *ſicut vitulus*: facit ut exiliant *Libanus, Sirjon, ut pullus unicornium.* Schirjon nomen montis eſt Libano contigui, qui Hermon & Senir dicitur, Deut. III. 8. 9. Neque ullo modo per *dilectum* reddi poteſt & ad Chriſtum referri. Pergit Pintus, Venatores fuerunt viri illi illuſtres V. T. qui ad eum clamabant ut veniret. Quemadmodum facit hoc in loco Jeſaias. At non ſat erat eos vociferari, ſed ventura erat pulchra illa virgo ſanctiſſima Maria humani generis reparatrix, in cujus utero filius Dei ſummus ille unicornis reclinaretur. Hæc eſt terra illa ſacratiſſima, de qua dicitur in Pſalmis, Terra noſtra dabit fructum ſuum. Et de qua in hoc loco dicit Jeſaias aperiatur terra & germinet ſalvatorem. Hæc Jeſuita. Ubi multa male-ſana. Nam quod ad unicornem attinet, quam vanum ſit totum illud commentum, diximus, ad Deut. XXXIII. 17. Hauſit nonnulla ex Carthuſiano, quem nunc etiam audire juvat, aperiatur terra id eſt, virgo beata S. Maria, de qua dictum eſt, in die illo erit fructus terræ ſublimis. Atque in Pſ. 83. terra noſtra dabit fructum ſuum. Tunc autem aperta eſt terra hęc quando hæc virgo perelecta conſenſum præbens dixit ad Angelum, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Tunc enim beatiſſimus & caſtiſſimus venter ejus clauſus & intactus manens homini apertus eſt Deo, quem intra ſe comcepit, & noſtri corporis cinctorio induit. Et germinet Salvatorem vid. Chriſtum, quem S. Maria ſine dolore genuit, ſicuti eum ſine carnali voluntate *concepit*. Omnes quoq; futilitatis numeros hic implebit Oleaſtrus cordatus alias Interpres, *Expende*, inquit, *quod*

quod non dicit pluite, *sed*, ſtillate cœli *ut oſtendat quam latenter*, *Chriſtus in mundum venerit*, *juxta illud* Pſalmi (72. 6.) *deſcendet velut pluvia in vellus*, *& ut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*. *Poſſemus etiam terram intelligere corpus Chriſti terrenum* (confer cum his quæ prima parte Anti-barbari noſtri ad Pſ. XCIX. 15. quæ de ſcabello pedum Domini commentati ſumus) quod in paſſione innumerabilibus plagis à Judæis & Gentib apertum eſt, juxta illud Pſal. 129. 3. Supra dorſum meum araverunt peccatores &c. Sed quomodo corpus Salvatoris germinavit Salvatorem? Audi quomodo ſe expediat; Terra corporis Chriſti vomere ſpinarum, clavorum, verberum & crucis arata juſtitiam & ſalutem noſtram abunde produxit, ex cujus apertionibus ſalus hominum *germinavit*. Vides non potuiſſe Oleaſtrium hanc interpretationem obtinere niſi recederet à textu vulgato & ad originalem recurreret. Sic enim ille habet תִּפָּתַח אֶרֶץ וְיִפְרוּ יֶשַׁע וּצְדָקָה תַצְמִיחַ יַחַד id eſt, *aperiatur terra & fructificent ſalutem & juſtitia effloreſcat ſimul.* Jun. *& [terreſtria] edant ſalutem, & j. effl. ſimul* Piſcator, *aperiat ſe terra & progerminent ſalus & juſtitia: ea* (ſc. terra) *germinare faciat* (eas) *ſimul.* Hanc interpretationem hauſit ex Kimchio, qui eam alteri præfert, non obſtante accentu Rebiang, qui in יֶשַׁע. Credo ne τὸ יִפְרוּ tranſitive & תַצְמִיחַ intranſitive, ut Junius, exponeret, Junium ſecuti ſunt Angli, niſi quod plurale יִפְרוּ retuliſſe mihi videntur ad cœlum & terram, *aperiat ſe terra, & producant* (cœlum & terra) *ſalutem, ſimul effloreſcat juſtitia.* Nec diverſus abit B. Lutherus, niſi in vocula יִפְרוּ / quam reddit ac ſi eſſet ſingulare תִּפְרֶה / die erde thue ſich auff / und bringe heil / und gerechtigkeyt wachſe mit zu / Omnes conveniunt in abſtractis. Etiam LXX. ἀνατειλάτω ἡ γῆ καὶ βλαστησάτω ἔλεος. vel ut alii, βλαστησάτω ἡ γῆ, καὶ ἀνατειλάτω ἔλεος, καὶ δικαιοσύνην βλαστησάτω ἅμα. Et dicat mihi aliquis, quæ neceſſitas Vulgatam impulerit abſtracta iſta in concreto demutandi. Ineptus eſſem ſi infiterer in vaticiniis de Chriſto & extra ea, abſtracta ſæpe pro concretis poſita. Sed ubi gravis cauſa non ſubeſt, relinquenda ſuo loco abſtracta eſſe erudite monet & docet Cl. Joh. Tarnovius p. 246. Excercit. Bibl. edit. in 8. Eum nunc porro vide, ut & Franzium de recta Interp. Scripturæ pag. 1340. Prolixiora enim illa ſunt quam ut illa huc tranſ-ferre libeat.

Verſ. 14. Tantum in te eſt Deus & non eſt abſque te Deus. 15. vere tu es Deus abſconditus Deus Iſrael Salvator.] Hic de-

demum insurgunt animosius & Spiritus resumunt quidam Interpretes, putantque jam confectum esse superiora non posse de Cyro intelligi; sed de Christo necessario exponenda esse. Putant enim hæc quæ cum superioribus continentur non posse ullo modo Cyro applicari. Affirmant hoc confidentius, quia præeuntem hic habent Hieronymum, verba non pigrabor adscribere. Sic ergo ille p. mihi 170. Col. 1. Sed hoc quod sequitur, vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator, quomodo possit Cyri personæ convenire non intelligo. Et Paulo post, fac enim esse in Cyro Deum & non esse alium præter eum qui sit in Cyro Deus, quomodo Cyri personæ dici convenit; vere tu es Deus absconditus &c, Ergo Deus in quo est Deus, Dominus noster Jesus Christus rectius intelligitur, & verius, qui in Evangelio loquitur, * ego & pater unum sumus. Qui Deus appellatur absconditus, propter assumpti corporis sacramentum, & Deus Israel salvator, quod est JESUS. Et columna 2. Paulo commotior, Ebræi stulta contentione, inquit, nitantur asserere, usque ad eum locum ubi legitur, tantum in te est Deus, & non est absque te Deus vel ad Jerusalem vel ad Cyrum dici. Hoc autem quod sequitur, vere tu es Deus absconditus; subito ad omnipotentem Deum fieri, cum etiam stultis perspicuum sit, unum esse *contextum sermonis*. Bellarminus in controversia de Christo, asserendæ ejus Deitati hinc argumentum petit, sed ficulneum ac proinde à *Socino nullo negotio submotum. Ostendit enim vers. 14. neque ad Cyrum, neque ad Christum, sed ad Sionem seu Jerusalem vel Ecclesiam pertinere, versu vero 15. esse apostrophen ad Deum. Vtinam vero infaustus ille Faustus nullibi periculosius errasset! Quod enim de versu 14. asserit, verissimum est. Omnia enim affixa, quæ versu isto occurrunt fœminina sunt, כה אמר יהוה יגיע מצרים וסחר כוש וסבאים אנשי מדה עליך יעברו ולך יהיו אחריך ילכו בזקים יעברו ואליך ישתחוו אליך יתפללו אך בך אל ואין עוד אפס אלהים *Sic inquit DOMINVS: Labor Ægypti* (id est, divitiæ Ægyptiorum labore partæ) *& merx Chusæorum & Sabæorum, virorum mensuræ* magnæ (id est, procerorum) *ad te* (o Jerusalem, Ecclesia, o popule mi) *transibunt: tua erunt, post te ibunt* (te sequentur, se tibi adjungent) *in compedibus transibunt, tibique incurvabunt se, te deprecabuntur*, dicentes. *Tantum in te est Deus, & nullus est præterea, nusquam præterea Deus.* Deodatus o Ecclesia mea, non tantum liberaberis ex captivitate Babyloni-

* Alii hinc citant illud Coloss. 11. 2. in quo habitat. Deitatis plenitudo corporaliter. Vide Ariam Mont. in Comm. Et Joh. 14. *Ego in patre, et pater in me.* Pintus.

* Vide eum apud Rev. D. Paulum Tarnovium libro de SS. Trinitate p. 283.

lonica, sed & tempore Messiæ subjicies Jobi spiritualiter maximas & opulentissimas nationes adducesque eas per Evangelii predicationem ad fidei obedientiam. Jes. XI. 14. Junius, Hic Deus ostendit consilium, se non alium in finem ista (superius dicta) effecturum esse, quam ut promoveat hoc pacto & instauret regnum suum tempore suo per Christum, qui fundamentum & finis est omnium prophetiarum. Forerius Dominicanus, *Dicit in fidem* Israelitarum idest, electorum ex Israel transituros Ægyptios, Æthiopes &c. Ad te transibunt, deserentes suam religionem & tuæ fidei adhærentes. Vincti manicis, designat omnimodam subjectionem, quod indicant verba sequentia incurvationis, supplicationis quod autem subjectio illa non violenta sed ex agnitione veræ fidei oritura esset, figurateque accipienda hæc sint & non de corporali servitute, confirmant *quæ sequuntur*, tantum in te est Deus, *q. d. vos soli estis*, *qui verum* Deum colitis, O V o s felices, inter quos *Deus in habitat*. & paucis interjectis, vides ut sanctitas Apostolorum gentes ad fidem pertrahebat? Merito profecto nobis ad scribuntur gentium infidelitas & blasphemiæ. Nam si in Christianis eam à peccatis libertatem & affectibus purgatas mentes conspicerent barbari, manus eorum nullæ sic manicæ, pedes nulla sic vincula constringerent, *Exclamarentque*, Vere in vobis est Deus, Et non est absque te Deus *& non amplius*, *nisi Deus*, sic sonant Ebræa id est, & non amplius alius Deus quærendus, *nisi is Deus qui in te est*. Et rursus, *Hæc Israeli* dicta interpretati sumus, neque præter morem Scripruræ, nam quod Jsraeli supplicarent & ipsum deprecarentur gentes, non uno tantum *loco habes*. Hæc Forerius. *Inspice hæc loca*, inquit * Joh. Tarnovius, Ps. LXXVI. 2. 3 XLVI. 5. 6. XLVIII. 2. 3. 4. 9. LXVIII. ult. CXLVII. 19. 20. Jes. XXXI. 9. Ps. CXXXII. 13. 14. CXXXV. 21. *& poteris explicare illud*, Deus est in te O Israel. Cum vero vers. XV. dicat אָכֵן אַתָּה in Masc. genere, quis jam dubitabit, hic apostrophen esse vel Ecclesiæ vel Prophetæ ad Deum. Sed illam generis diversitatem nec ex Latina nec Græca versione odorari potuit ullus Interpres. Ne B. Hieronymus quidem, ex Ebræo textu qui ejus ævo nec dum puncta adscripta habebat, eam observare potuit. Omnia enim istà affixa pronomina sine punctis vocalibus scripta ad utrumque genus indifferentia sunt. Sed lubet hic audire svaviludium Pintum ad illud, *vere tu es Deus absconditus In hostia consecrata* inquit, *vere est Deus absconditus*.

* Vide & Jes. 49. 23. & LX.

* Exerc. Biblic. p. 598. Edit. ultimæ.

Tu

Tu es ſub accidentibus abſconditus, & inviſibilis viſibiliter à nobis ſumeris aliena ſpecie occultatus. Et ita ſumptus peccata deles &c. — Et quoniam Deus eſt in hoc ſacramento occultatus, ait Jeſaias hoc in loco, Tu vere es Deus *abſconditus.* Miſeret me tui Pinte, Miſeret me hujus peregrinæ tuæ Theologiæ, quam Doctores noſtri ab ima ſtirpe jam pridem convulsêre. Quid hic ſit מִסְתַּתֵּר id eſt, *abſcondens te*, non poteſt illi abſconditum eſſe, qui Pſ. x. legerit, quid abſiſtis in longinquo & abſcondis te תַּעְלִים. Deut. 22. 2. non abſcondes te ab eo תִּתְעַלֵּם / Hæc enim ſynonyma ſunt. Licet aliquando ad tempus aliquod te videaris abſcondere & relinquere populum tuum, tamen es & manes Deus ejus, & præfinito tempore in auxilium ejus præſto eris Quamvis Junius Paulo altius hic penetret, Cujus ſcholia, quia prolixiora & omnium manibus teruntur, non adſcribo. Prius interpretationis ejus membrum de abſcondito multis ſæculis apud gentes divino myſterio invenies in comm. Aben-Ezræ: Poſterius de viſibilitate Dei non adumbrantis ſe imaginibus aut ſpeciem eſſentiæ ſuæ communicantis in Scholiis Davidis Kimchii.

CAP. XLVI.

Verſ. 3. Audite me domus Jacob — qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva] Ita Vulg. qui B. Lutherum hic quoque in avia traxit, **die gy van my inden Lijve gedragen wordt/ ende my inder Moeder legget.** Immane quantum hic ſe torſerunt interpretes, & mirabor ſi non hoc loco abuſi ſint Photiniani obſcurandis aut eludendis iſtis locis, quæ pro aſſerendâ æternâ Filii Dei ex Patris eſſentia, Generatione Orthodoxi produxere. Eſt enim παράλληλόν τι inter hunc locum & illum Pſ. Cx. prout eum vulgata verſio nobis repræſentat, Ex utero genui te, ubi illud *ex utero* omnes interpretantur *ex ſubſtantia mea.* Ipſe certe Hieron. hujus interpretationis pater locum illum huc tranſcripſit, pag. mihi 172. Poſtquam enim monuiſſet ineffabilem & incomprehenſibilem Dei Majeſtatem uterum, pedes, manus, non habere, ait Scripturam tamen iſta Deo tribuere, *ut nos affectum Dei per noſtra verba diſcamus. Alioquin*, inquit, *& in centeſimo nono Pſalmo, ex perſona Dei hoc idem canitur, In eo enim loco ubi Lxx. tranſtulerunt*, ex utero ante Luciferum genui te, *in Ebræo ſcriptum habet*, מרחם / *quod * interpretatur*

Vide primam Anti-barbari partem p. 864.

* Vide hoc loco priorem Anti-barbari noſtri partem pag. 458.

tur de vulva. *In præsentiarum vero, non solum*, de utero, *&*, de vulva, *scriptum est*, id est, מבטן & מרחם sed מני / *quæ præpositio significat*, ex meo utero *sive*, ex mea vulva, *& est sensus, qui vos genui ab infantia & meo utero, vulvaque gestavi* &c. Ubi simul habes fundamentum interpretationis Hieronymianæ, τὸ Jod vid. in מִנִּי affixum esse. Non tam hospes in Ebraismo sum, ut nesciam aliquando affixum esse, Dicitur enim מִמֶּנִּי & מֶנִּי & מִנִּי à me, sed & illud scio, sæpe mere paragogicum esse Jud. v. 14. מִנִּי אֶפְרַיִם de Ephraim & מִנִּי מָכִיר Et cum Tzere Jes. 30. 11. מֵנִּי / Adhæc si vel maxime hic pronomen esset, tamen a meo utero, verti non posset Affixa enim ipsis nominib, addenda erant, מִן רַחְמִי / מִן בִּטְנִי Hinc Lxx. ἐκ κοιλίας, ἐκ παιδίας. Hoc viderunt Forerius, Pintus, Pagninus, Oleastrius Arias Mont. alii, & notatum aliquoties in libris Cl. Drusii. Verba Ariæ M. in hanc locum ista sunt, *vanus ego dicar, nisi librariorum culpa locus hic in hac Latina laborat versione. Nam nec hic Deus uterum sibi appingit, nec vulvam confingit, utpote qui in generationis etiam imagine, patris, potius quam matris nomen usurpatur.* *Sed* uterus *&* vulva *ad Jacobi Matrem referenda vocabula sunt. Arbitramur itaque in correctissimis Latinis exemplaribus scriptum fuisse*, qui portamini à me ab utero, qui gestamini à me à vulva, *ut à sexti casus præpositio sit, quæ facile à sciolo cum pronomine*, me, *coaluit.* Exemplaris Lectio aperte simul & eleganter habet MINI BETEN & MINI RAHHAM. Quod idem extra carmen valet, atque MIBETEN MINREHHEM. Hæc ille. Putat ergo interpretem accepisse τὸ Jod in MINNI pro præpositione sexti casus A. & in nominibus duobus constituisse ellepsin prępositionis ejusdem, quasi plene dicendum fuerit מִנִּי מִבֶּטֶן מִנִּי מֵרָחַם quomodo & Pintus locum hunc reddendum censuit. At ipse & Forer. & Oleastr. & Pagn, & Drus. ellipsi ista posthabita, τὸ Jod pro paragogico accepere. Quid vero ad conjecturam Ariæ M attinet de corrupto hoc loco, vereor, ut cum istud scriberet, de Hieronymi commentario cogitaverit. Illic enim ut videmus, interpretationem istam à meo utero, à mea vulva, confidenter defendit. Novimus ergo jam, quid dicere velit Propheta, *Vos qui bajulamini* (à me sc.) *inde ab utero* (matris vestræ,) *qui gestamini* (à me) *inde à vulva*, quos ego ab ipsa nativitate magna cum molestia bajulavi quomodo pater materve, filiũ suum bajulat & portat, confer Deut. I. 31. Exod. XIX. 4. Deut. XXXII. 11. Lege jam Dion. Carth. expositionem & miserare

for-

ſortem doctiſſimi viri, qui ſi in eruditius ſeculum incidiſſet omnes boni Interpretis partes impleviſſet.

CAP. LI.

Verſ. 20. filii tui — ſicut beta ſemicocta] Ita LXX. ὡς σεῦτλίον ἡμίεφθον. Multa hic argumentati ſunt veteres. Hieron. *Comparantur betæ ſemi-coctæ, quod genus oleris eſt viliſſimi & fragiliſſimi. De quibus holerib, puto illud dici in Pſalmis,* ne zeleris in malignantibus. *Quoniam ſicut fœnum velociter areſcent, & ſicut holera herbarum cito decident. Eſt enim ægrotantium cibus. Qui ſemel incredulus eſt vocatur beta Cruda.* Qui autem ſimplici contentus fide, abſque *ratione* & dogmatum veritate facit opera juſtitiæ, poteſt *dici beta* cocta. Porro qui inter vitia & virtutes *medius* fluctuat, & duplici corde accedit ad ſervitutem Dei, ille rectiſſime vocatur beta ſimi-cocta, *Ad quem & in Apocal. Johannis loquitur Deus, utinam aut calidus aut frigidus eſſes* &c. Sed audi hic eundem Hieron. paulo ante ſic diſſerentem, *Pro* beta ſemi-cocta *reliqui interpretantes* orygem captum & illaqueatum, *tranſtulerunt* (ὡς ὄρυξ ἡμφιβληςρευμένος ἢ συνειλημμένος) *qui Ebraice appellatur* THO, *quod genus beſtiæ in eremo naſcentis, inter munda animalia in Deuteronomio ponitur. Pro quo* LXX. *Syrâ lingua opinati ſunt* Thoreth, *quæ dicitur Beta.* Ubi Cl. Druſius legendum cenſet *Thored.* Quæſtionum Ebr. 2. 30. monetque in Lyra pro *animal immundum* legendum eſſe, *animal mundum.* Et notat inſuper, Euſebium hallucinatum fuiſſe, dum avem eſſe aſſerit, ὄρνεον ὅ ἐστιν ὄρυξ, οὕτω καλούμενον. Confundit ὄρυξ & ὄρτυξ quorum prius capram ſylveſtrem, poſterius avem notat, quam Coturnicem vocant. Deut, 14. 5. legitur תְּאוֹ. Hic תא Junius utrobique bubalum vertit.

CAP. LIII.

Verſ. 4. Percuſſum à Deo] Ita Vulg. Fuerunt qui Ebræa ſic vertenda putarint, *percuſſum-Deum* atque inde argumentum invictum exſculpſerint pro Deitate Chriſti, Inter quos Andradius, Bell. & Roſellus. Vide quæ parte prima Anti-barbari pag. 19. ad hunc locum diximus. Hier. ab Oleaſtro, & Forerius eiſdem veſtigiis inſiſtunt., Inter מכה percuſſum, & אלהים nulla eſt in Ebræo

 præ-

præpoſitio, inquiunt. Quid tum? Eſt tamen ſyntaxis non convenientiæ, ſed rectionis. Scriptum eſt מֻכֵּה cum Tzere, non מֻכֶּה cum ſegol ac proinde ad verbum ſonat, *percuſſum Dei*. Genus locutionis, quale אֲהֻבַת רֵעַ Hoſ. 3. 1. id eſt, dilecta ab amico. Natus mulieris Job. 14. 1, Sic Luc. 7. 28. Quale in N. T. *διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ*, Benedicti patris mei &c.

Cap. LXI.

Verſ. 2. Ut prædicarem annum placabilem Domino] Lucas cap. IV. locum ita convertit, *κηρύξαι ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν*. Clemens Alexandrinus hinc colligit Chriſtum unum tantum annum prædicaſſe, ac proinde 32. ætatis anno paſſum fuiſſe. Epiphanius vero hinc ratiocinatur, Chriſtum duos annos miniſterio functum eſſe. Si fuit unus annus *δεκτὸς*, inquit, fuit & alter *οὐ δεκτὸς καὶ ἀντιλεγόμενος*. Sed in his nihil eſt ſolidi. Solidius magnus Scaliger per Paſchatum intervalla annos *τῆς πολιτείας* definit, oſtenditque Paſcha illud *σταυρώσιμον*, quo vid. cruci affixus fuit, à Baptiſmo ejus ſeu prædicationis initio, quod in annum ætatis ejus triceſimum incidit, fuiſſe quintum, ac proinde Chriſtum ultra quatuor annos prædicaſſe. Primum Paſcha ait commemorari Joh. II. verſ. 12. 13. & 23. II. Johannis V. 1. *Ἑορτὴν* autem *τῶν Ἰουδαίων* illic paſcha eſſe evidenter oſtendit. Tertii veſtigia eruit ex Matth. XII. Marci II. Lucæ VI. ubi memoratur *σάββατον δευτερόπρωτον* id eſt, *πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ Πάσχα*. Quartum Paſcha, eruit ex Joh. VI. Quintum vocat *σταυρώσιμον, σωτήριον καὶ ἀναστάσιμον*, de quo in Paſſionis Hiſtoria. Vide hæc prolixius apud ipſum Scaligerum, unde hæc in gratiam eorum, qui incomparabili illo opere deſtituuntur, tranſcripſimus. Sed ad rem, ut *dies* Gen. 2. 4. *quo die creavit Deus cœlum & terram* &c. Ita & *annus* pro *tempore* ponitur, Jud. X. 6. *& concutiebant filios Iſrael*, * *anno*, ubi LXX. *ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ*. Sic Jeſ. 63. *annus attributionis*, Jerem. XI. *annus viſitationis*. & infra cap 63. 4. *annus vindicandorum meorum venit*. Joh. 18. *Cajaphas erat Pontifex iſtius anni*. Quamvis aliæ quoque cauſæ reddi poſſint cur ita locutus ſit Evangeliſta. Certe quamdiu Pilatus in Judæa egit, Cajaphas ſacerdotio functus eſt, annis fere IX. aut. XI. continuis, uti ex Joſepho conſtat. Qua de re ſuo fortaſſis loco. Ita contra *tempus* pro anno Daniel. XII. 7. & VII. 25. *tempus, tempora, & particula* tem-

* Ita & Angli,

temporis. Sed fortaſſis reſpexit aut alluſit Propheta & hic & 63.4. ad annum Jubilæum ſeu ἀποκαταστάσεως, qui in veteri fœdere tubis promulgabatur. quemadmodum enim illo anno tubâ ad pileum & libertatem vocabantur ſervi, & remittebantur debita, ita Chriſtus prædicationis ſuæ buccina ad ſpiritualem libertatem vocavit eos qui Diabolo mancipati erant & pœnitentibus peccatorum remiſſionem annunciavit. Hic certe vere fuit *annus benevolentiæ*, ſeu ut cum Apoſtolis loquor, καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἡμέρα σωτηρίας, annus reconciliationis, quo nos Deo reconciliavit. Quod ſi tueri ſe poſſit Chronologia Bucholzeri & qui eum ſequuntur, annum Babtiſmi, ſeu quod idem eſt, primum prædicationis Chriſti incidiſſe in Jubilæum, Mundi 80. Moſis 30. jam res tota planior fuerit. 2.Cor.6.2.

CAP. LXIII.

Verſ. 1. Quis eſt iſte qui venit de Edom &c.] Graves ſuper genuino hujus vaticinii ſenſu controverſiæ jam olim etiam tempore B. Hieronymi motæ ſunt. Hieronymi ſententiam ſtrenue impugnat Lyra. Et Interpretatur locum de exterminatione Antichriſti. Carthuſianus Hieronymo advocationem præſtiturus multa hic miſcet, an angeli, quos hæc rogare ſupponunt, à principio ſeculi noverint Chriſti incarnationem, item an iſti interogantes ſint inferioris an ſuperioris chori &c. oſtenditque non eadem hic ſentire Auguſtinum & Hieron. & Dionyſium. Sed quid impedit hunc dialogum Chriſto & Eccleſiæ ſeu potius Prophetæ adſcribere? Sed miſſis iſtis, alia hic occurrit Interpretum differitas utrum hîc Chriſtus (de eo enim quin exponendus ſit hic locus nullus dubito) introducatur patiens ſuaque ſolius paſſione iram Dei placans, ut ſupra cap. 53. quam ſententiam ex veteribus multi amplexi ſunt quorum catalogum videre eſt apud Rev. D. Pelargum in 7. Meditat. Paſſionis Chriſti p. 353. an vero hic deſcribatur ut Rex Eccleſiæ, ſuos adverſus hoſtes externos defendens & ab illis liberans. Non negamus Chriſtum patiendo glorioſiſſimam de hoſtibus Eccleſiæ ſpiritalib. victoriam reportaſſe, ſed de ea hic non agi, longe putamus eſſe veriſimilius. Egit de hoc loco Paræus in Calvino Orthodoxo lib. 2. cap. 20. & prolixe Joh. Tarnovius in Exercit. Bibl. Edit. 3. pag. 418. Et Junius accurate in ſcholiis, & alii complures. Ecce enim primo inquit.

Verſ. 1. Ex Edom, ex Botzra] Annon veriſimile magis per Edomæos gentem, Iſraelitis proximam, hæreditaria hoſtilitate celebrem, ſynecdochice intelligi externos Eccleſiæ hoſtes, quam ſpirituales? Quod enim Hieronymus hic argutatur in voce *Edom*, nauci non eſt. Locum enim ita legit; *Quis eſt iſte qui de terra cruentus advenit*? Atqui in Ebr. non eſt מֵאֶרֶץ אֱדוֹם aut potius מֵאֶרֶץ אָדוֹם / ſed מֵאֱדוֹם.

Ex Botzra] Refert Hieron. multos pio errore lapſos de carne Domini hæc intellexiſſe, At recte ille reſpondet, carnem Ebraice בָּשָׂר per ש dici, Hanc vero vocem, cum צ ſcribi, & habere ſignificationem munitionis & firmitatis, ac proinde vel Hieruſalem intelligi, illam firmiſſimis olim muris cinctam, in quâ Chriſtus paſſus eſt, vel infernum, de quo in Pſ. LIX. & CVII. ſcriptum ſit, quis *deducet me in civitatem munitam. In qua clauſæ ſunt animæ mortuorum, & circumdata eſt firmiſſimis cuſtodiis.* Ubi rurſus nimis licenter torquet locum Pſalmi, Et quod ſubjicit, firmandæ ſuæ ſententiæ *, Botzram juxta Hiſtoriam non eſſe in *Edom*, ſed in Moab,

* Ad Amos 1. 12.

quid ad rem facit? An abſurdum eſſet, Moabitas quoque, gentem non minus Iſraeli infeſtam, ſynecdochice pro reliquis Eccleſiæ hoſtibus introduci? Et quid ſi cum * Lyra & Junio duplex fuerit Botzra? Unam Moabitarum, de qua Jerem. XLVIII. 24. quæ Joſuæ XXI. 36. vocetur Botzer, aſſignata olim ex tribu Ruben, Meraritis, ſed poſtmodum à Moabitis occupata, altera Edomææ metropolis, cujus Jeſaias XXXIV. 6. meminit. Sed Mercerus Botzram unam tantum agnoſcit, eamque in confinio Moabiticæ regionis & Edomææ ponit ut jam huic, jam illi tribuatur cui ſententiæ hæret & R. Salomo ad Amos 1. 12.

* Confer Jeſ. 51. 14. & Jerem. 48. 12. Kimchi tamen exponit tranſitive, quaſi eſſet in Phiel, ut Jerem. 48. 12. ubi & Kal. & Piel. conjunguntur. Exponit enim hunc locum מניע ומטלטל הגוים מקצה אל קצה movens & transferens populos ab extremitate una ad alteram.

Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ] at vox Ebr. צֹעֶה potius * *peragrantem, peregre agentem ſignificat*, ut dicat Chriſtum hoſtium ſuorum regiones ſecure peragraſſe non copiis mundanis ſtipatum ſed ſola potentia ſua armatum. Pagn. & Oleaſtr. *feſtinum* reddunt. Et certe magnum momentum in celeritate eſſe optimi & feliciſſimi Imperatores non ignorarunt. Quid vero velit ſibi illud τῶν Lxx. *βίᾳ μετ' ἰσχύος violentia cum fortitudine*, B. Hieron. ingenue fatetur ſe ignorare. Et tamen Procopius & Tertull, lib. 4. adverſus Marcionem iſta citant. Alia lectio, *βοᾷ μετ' ἰσχύος clamat cum fortitudine*, hiſtoriæ paſſionis melius quidem conveniret, ſed quomodo cum antecedentibus & conſequentibus conjungi poſſit nullus

lius video. Sed ut admittamus vulgati interpretamentum, *gradiens*, qua voce Forerius negat aptiorem inveniri posse de eo qui incedit cum pompa & fastu, quasi conscius suæ dignitatis, quid hoc pro vulgo recepta sententia, Christi acerbam passionem hic describi? Namque quibus verbis describitur Christus victor gloriosus victor Pompatice incedens, triumphator, illis non describitur patiens. Differunt enim illa ut antecedens & consequens, nec tum sensu literali primario hic agitur de passione ubi agitur de victória.

2. *Cur rubrum est indumentum tuum*, & vers. 3. *aspersus sangvis eorum super vestimenta mea* &c. Ebr. וְיֵז נִצְחָם עַל בְּגָדַי ad verbum, *& inspersum est robur eorum super vestimentis meis*. Per *robur* sangvinem intelligit, כִּי הוּא חַיֵּי הָאָדָם ותקפוֹ inquit Kimchi, *quia in eo consistit potissimum vita hominis, ejusque robur*. R, Salomo נִצְחָם דָמָם שֶׁהוּא תָקְפּוֹ וְנִצְחוֹנוֹ שֶׁל אָדָם Nec diversus abit Aben-Ezra. Nisi malis cum Junio, *inspersus est* [sanguis] *robustissimi cujusque illorum vestimentis meis*. certe si per נצח non intellexit Propheta sangvinem, quo etiam inclinat Forerius, insuperhabita vulgatæ authoritate, necessario subintelligi debet. Quo enim vestes sunt commaculatæ, eo etiam aspersæ sunt. At sangvine commaculatæ esse nemo iverit inficias. Nunc illud mihi observa. Cujus vindicta de hostibus terrenis sumpta describitur, cujus vestes conspersæ leguntur non suo proprio, sed hostium sangvine, ejus hic non describitur passio. Sed respondent ex Hieronymo, per hostes Dæmones intelligi, quos patiendo in ligno crucis vicerit. *Nequaquam*, inquit Hieron. *sic intelligendum* ut dæmones & adversarias potestates sangvinem habere credamus. Sed tropologice intelligenda sunt omnia &c. Et Paulo post, deduxitque sangvinem eorum in terram, vel dæmonum, τροπικῶς. Quæ etiam in patrocinium advocantur à Jesuita Pinto. Sed plane mihi persuadeo, hæc nulli cordato probatum iri, nisi cui sedet τὴν θέσιν διαφυλάττειν. Spiritum carnem & ossa non habere, Salvatoris effatum est, & ostendat Pintus, ubi Morti, inferno & peccato vel tropologice (ea enim voce & ipse utitur) sangvis in Scriptura tribuatur. Hanc difficultatem viderunt author Glossæ ordinariæ & Sa. Quorum ille Christi sangvinem dicit vocari *sangvinem eorum*, id est, dæmonum, quod eorum suasione effusus sit, vel eorum id est, judæorum, quia illi suasu Dæmonum eum fuderunt. Ad quas interpretationes Burgensis addit tertiam, ut dicatur *sangvis eorum*, quia illi se reos fecerunt

 san-

ſangvinis Chriſti, clamantes, ſangvis ejus ſit ſuper nos & filios noſtros. Hic vero, SA, per *ſangvinem* peccata intelligit. Sangvis id eſt, peccata, inquit, q. d. paſſus ſum pro mundi peccatis, quæ delenda ſuſcepi. Argute ſane, ſi hæc interpretatio cum cæteris bene cohereret, & ſingulare דָּם ea notione alibi occurreret. Nam plurale דָּמִים *ſangvines* pro enormibus peccatis alibi uſurpari non iverim inficias. Sed accedat & verſus ſextus in ſubſidium noſtrum, *Conculcavi populos in furore meo* &c. Vocat עַמִּים / quos verſ. 3. vocavit גּוֹיִם Quomodo hoc in cruce factum? An hic rurſus Diabolum cum angelis ſuis, mortem, infernum & mundum intelliges; Eos] *ſc. hoſtes, peccata & dæmones*, inquit Sa. עַם & גּוֹי collectiva etiam de collectione formicarum, Proverb. xxx. 25. cuniculorum ibid. verſ. 26. & locuſtarum, Joël. 1. 6. uſurpari jam pridem novi, docuitque me inſuper magnus Lipſius aves Manilio *aëreos populos* dici, eundemque, cum inquit, *populos exponere captos*, piſces intelligere. Et Columellam iſtis verbis, *duo populi conjungi debent*, apes notare. Addo amplius Sidonium audacter & nove ſatis *ſcelerum populum* dixiſſe, pro peccatorum copia. Sed exemplum biblicum, ubi vel עַם vel גּוֹי vel λαός vel ἔθνος de coetu dæmonum, vel peccatorum multitudine accipitur, prius indicandum erat. Obtinemus igitur adhuc per *populos*, gentes eccleſiæ inimicas, & homines intelligi: Expende verſum 3. *Ex populis non eſt vir mecum, ſed calcavi eos* &c. calcavit Dæmones? Ergone etiam conqueritur nullum dæmonum fuiſſe ſecum, id eſt, ut illi interpretantur, adjuviſſe ſe in procuranda humani generis ſalute?

Verſ. 3. Torcular calcavi ſolus] Recte notavit B. Hieronymus, *torcular pro ultione & ſuppliciis peccatorum* poni. Pergit & clarius explicat, pro pœnis ponitur & tormentis quando, Jeremias in lamentationib. inquit, Torcular calcavit Dom. virgini filiæ. Judæ — Hoc torcular, in quo & malis ſupplicia & bonis præmia à Salvatore calcantur, ſolus ipſe calcavit, nullumque habuit *adjutorem*, Poſtea vero relabitur ad paſſionem, *Neque enim angelus aut archangelus* aut ulla cæleſtium poteſtatum humanum *corpus* aſſumſit & pro nobis paſſus eſt & conculcavit adverſarias fortitudines & *contrivit*. Dico primo, *calcare torcular* nuſpiam dici de diſpenſatione præmiorum, 2. calcare torcular, non eſſe pati ſeu ſupplicia peccatorum experiri, ſed alium punire & ſupplicia infligere. Sic dico, ubi quis dicitur calcare torcular, ubi ſcripturæ ſtylo non dicitur pati ſed inferre

ferre supplicia. Expende hæc loca Thren. 1.15 .Joel.3.13. Apoc. XIV.19. 20. Neque ullus uspiam locus est qui huic assertioni obvertat cornua. Certe si quicquam in hoc textu est, quo primario, sensu literali & immediata passio significetur, hæc ipsa phrasis est. Unde passim pro concione, illud **Ick heb die Wyn-persse alleen getreden /** de Passione Christi allegari audias.] Quam recte nunc ostensum est. Huc respicit illa Pinti glossa, *Respondet Christus se* esse tinctum sangvine hostium generis humani quos ipse solus vicit, & de quibus sine hominum ope triumphavit. Et quoniam hanc victoriam perfecit Christus in Cruce, colligitur eam *esse torcular*, in quo hostes nostri velut uvæ *conculcatæ sunt*. Ecce non ausus fuit *calcationem torcularis* ipsam passionem interpretari. Emanuel Sa postquam torcular interpretatus fuisset torcular passionis, mox subjungit, *vel ego solus hostes vici. Id enim* ETIAM *in inscriptura est calcare torcular, sc. hostes premere.* Sed ostendant nobis locum, ubi ea phrasis ETIAM significet, *pati*, *premi*. Oleastrius, *Respondet Meßias* quare rubrum sit vestimentum ejus, quia torcular PASSIONIS solus calcaverat, neque de gentibus fuerat aliquis qui eum juvaret. Nam in passione ejus non fuit aliquis, qui cum eo supplicia passionis suæ toleraret. Sed quia in passione ipse potius calcatus est quam calcaverit alios, melius exponas, torcular calcavi solus id est, solus vici Satanam, mortem & peccatum, comprimendo & conculcando *eos merito paßionis meæ*. Quam posteriorem interpretationem firmat ex loco Threnorum, quem supra indicavimus. Dices rursus patiendo vicit hostes Ecclesiæ. Esto. Quis hoc negat; Sunt tamen diversa pati & vincere. Causa & effectum confundi non debent. Quæritur solummodo quis sit primarius, literalis & immediatus sensus hujus textus & phrasis. Si de triumpho & victoria hic agatur primario & immediate, non ergo de passione. Forerius, *Torcular c. s. hæc significant victoriam*, inquit, *quam de gentibus Christus reportavit*. Recte. Sed quod sequitur durum videtur, *prædicato vid. Evangelio & captivatis in obsequium fidei gentibus.* Quid enim tunc fiet sequentibus, *conculcavi eos in ira mea*. Fuitne hoc opus iræ? Respondet hanc iram Christi versatam fuisse circa peccatum & peccati tyrannidem. Ego, licet violenta ea sit expositio, eam tamen producere volui ut ostenderem cum à recepta sententia libere recedere.

Ibid. de gentibus non est vir mecum] Audi hic magnum mysterium.

ſterium, Lector, quod Pintus pandit, *Notanter dicit*, non eſt vir, *ut non excluderet Mariam Virginem, quæ eum ad mortem uſq; fuit comitata.* Quid ergo fiet Johanni τῷ ἐπιστηθίῳ diſcipulo? Joh. XIX. 26. 27. Nam & is ſolus ex diſcipulis Chriſto ad mortem uſque adhæſit. Non ergo potuit Ieſaias vere dicere ex perſona Chriſti, *non eſt vir mecum*, ſi Pintum audimus. Sed fortaſſis dicet, alia ratione Mariam adfuiſſe Chriſto aliâ Johannem &, duas illas Marias. Quidni ergo eam unâ opera in ſocietatem redemptionis aſſumit? Apage iſtas ineptias! Non ſic honoratur Beata virgo, ſed potius rubore ſuffunditur. Qui ultra fas & verbi divini præſcriptum eam colunt, tantum detrimentum veræ religioni afferunt, quantum illi qui eam κατευτελίζουσι id eſt, vilem habent, judice Epiphanio. לא איש tam frequenter uſurpatur pro Græco οὐδεὶς, μηδεὶς, nullus, ſine ullo ſexus diſcrimine, ut qui exempla rei iſti probandæ velit producere, eadem opera lucernam in ipſo meridie poſſit accendere.

5. Et excandeſcentia mea fulcivit me] Atqui nec hoc paſſioni convenit, ubi potius iram & excandeſcentiam Dei ſenſit

Plura hic poſſem accongerere niſi ex iis quæ jam dicta ſunt, ſatis conſtare arbitrarer, de Chriſti paſſione hunc contextum non poſſe intelligi. Si quis plura deſideret, adeat Tarnovium & Eccleſiaſticam expoſitionem Marlorati. Mantiſſæ loco illud addam non defuiſſe qui hoc textu abuſi ſint ad probandam theſin, in corpore Chriſti glorioſo etiamnum manere cicatrices, Curioſa illa quæſtio in utramque partem diſceptatur & â Thoma, tertiâ parte Summæ, quæſt. 54. art. 4. Sed ille hujus loci non meminit. Hujus quidam adverſus Chambrunum diſputans in hoc loco præſidium collocavit. Urget illud *rubrum*, id eſt, cruentum. Sed quomodo cruentus fuit Chriſtus in glorioſa illa ἀναβάσει? An ſangvinabant adhuc vulnera? At quomodo tunc erant cicatrices? Cicatrix utique non eſt ſangvinans vulnus. Ejuſdem roboris & illud eſt argumentum, quod ex Zach. XII. depromunt, *videbunt quem confixerunt.* Ergone videbunt cicatrices? Atqui videbunt & illum quem crucifixerunt. Non tamen, opinor, tunc apparebit cruci affixus. Ego ſententiam Thomæ non impugno, Hoc ajo, duo iſta loca ſententiæ iſti neutiquam favere

CAP.

CAP. LXIV.

Verſ. 1. Utinam dirumperes cœlos &c.] Certant Interpretes utrum de primo an ſecundo adventu hoc votum accipiendum ſit. Vulgò ſic accipitur quaſi ſit ſuſpirium veterum, Meſſiæ primum adventum ſeu τὴν ἐνσάρκωσιν expectantium. Sed hoc ex textu difficulter probabitur inquit Balthaſar Meiſnerus, epiſtolâ ad Joh. Tarnovium, exercit. Bibl. edit primæ p. 104. & Edit. 3. pag. 354. Ex qua apponam & illa quæ ſequuntur, quia notatu digna ſunt. *Ipſe Deus Pater, qui ſane incarnatus non eſt*, *compellatur*, & liberatio potiſſimum temporalis petitur, uti totus contextus evincit. Quare in multis, inquit, non immerito id deſideratur, quod fontes raro aſpiciant, & delectum in dictis allegandis nullum habeant. Magna omnino hic opus eſt diſcretione & prudentia, ut dicta primaria à ſecundariis, directa ab indirectis, certa à dubiis diſtinguantur. Et optandum foret, ut per ſingulos fidei articulos, dictorum, quæ vulgo citari ſolent catervatim, quaſi luſtratio quædam inſtitueretur, & quæ primo & principaliter concludant, *diſtingueretur* Hactenus Mentzerus. Eodem loco habendum, inquit Tarnovius, quod nonnulli illis quoque verbis, Pſ. 144. 5. *Domine inclina cœlos tuos & deſcende*, tale votum exſculpant. Huc etiam pertinet locus Exod. 4. 13. *obſecro Domine*, *mitte quem miſſurus es.* q.d. *Mitte Meſſiam.* Quem locum obiter indicavimus in Syllabo Anti-barbari noſtri, ad initium Exod. Ubi & addidimus inſignem teſtimonium Auguſtini Steuchi Eugubini. Ebræa ſunt שְׁלַח נָא בְּיַד תִּשְׁלָח *mitte quæſo per manum* ejus quem *miſſurus es.* Non ſunt verba optantis aut precantis, ſed potius, deprecantis: non votum facientis, ſed impatientis. Q. d mitte ad regem Pharaonem quemcunque voles, modo me excuſatum habeas. Ego enim non ibo. Quo reſponſo, neſcio an ſatis modeſto, Dei iram provocavit, verſ. 14. Quod ſi etiam Moſes non ignoravit ſibi cum Filio Dei colloquium eſſe, id quod Theologi plerique ſtatuunt, quomodo eum rogat, ut Meſſiam mittat.

CAP. LXIV.

Verſ. 6. Tanquam pannus menſtruatæ omnes juſtitiæ noſtræ.] Cham. vol. 2. p. 1. pag. 351. Hoc loco uſi ſunt nonulli ad probandum peccatum originis. Quod licet

licet firmiſſimis ſacræ paginæ Oraculis nitatur, ex hoc tamen loco neutiquam fulciri, evidentiſſime apparebit, ſi quis caput univerſum bene expenderit. Agitur enim de peccatis actualibus. Sunt & alii qui hunc locum ſæpe in ore habent ad deprimenda bona opera. Neutiquam ego inter eos nomen profitear meum, qui perfectionem in hac vita ſomniant, aut bonis operibus vim meriti & juſtificationis tribuunt, aut bonorum operum, quandiu hanc carnem circumferimus imperfectionem impugnant. Sed nec illis accedam, qui optima regenitorum opera, *peccata* & quidem mortalia & ſpurca peccata appellitant, eoque tandem deſcendunt, ut bona opera ad ſalutem pernicioſa eſſe cum maximo ſcandalo aſſerant. Certe negari non poteſt, nimis crude & craſſe nonnullos locutos fuiſſe. Si hic introducuntur Judæi, quibus Babylonica captivitas hypocriſeos confeſſionem extorſerat, id quod plurimis interpretibus placuiſſe video. Si de operibus loquuntur, quæ durante iſta hypocriſi, in quam ipſe quoque noſter Jeſaias & cap. 1. & 58. & alibi graviter detonuerat, fecerunt, quid hoc ad iſta opera, quæ vere pii & reſipiſcentes majore luce & gratia à Deo colluſtrati, faciunt, non ut ex iis juſtificentur ſed ut Deo gratitudinem pro modulo collatæ in ipſos gratiæ præſtent. Et nimis ſibi indulſit B. Lutherus, quando ita vertit, **doch nu zijn wy alteſamen als den onreynen**/ &c. Ebræa enim in præterito loquuntur, *Et fuimus* (וַנְּהִי) *omnes nos ut immundus & omnes juſtitiæ noſtræ*, repete ἀπὸ κοινοῦ, (*fuerunt*) *quaſi* pannus &c. Pintus, Oleaſtrius & alii hic in B. Lutherum incurſant & flagellant ejus articulum 31. In omni opere bono juſtum peccare, vel ut Oleaſtrius, ſententiam ejus citat, omnes juſtitias piorum eſſe peccata. Quidquid ſit neque enim Lutheri opera ad manum habeo, ego ſubſcribo iſtis Rev. Ameſii verbis, optimis fidelium operibus imperfectionem adhærere cui remiſſione opus ſit, ipſa tamen opera non eſſe peccata. Et quod ad Lutherum attinet, D. Franzius Theol. Witeberg. p. 748. tractatus ſui de recta Interp. Scripturæ hæc ejus verba citat, quæ non pigrabor adſcribere, *Hoc loco*, inquit, *ſumus aliquando uſi* contra juſtitiam humanam. Bona quidem ſententia eſt, ſed non propria hujus loci. Propheta enim cum videt multos bonos viros in captivitatem abductos, ut fuere Nehemias, Ezras & alii, dolet quod ob malorum impietatem juſti homines diutius in captivitate detineantur. Et Paulo poſt, ſunt autem alii loci qui juſtitiam humanam damnant,

Medull. part. 2. Cap. 3. in fine.

ſicut ille, Domine ne intres in judicium cum ſervo tuo. In conſpectu tuo non juſtificatur ullus vivens, cum omnia feceritis, dicite, ſervi inutiles ſumus. Hæc B. Lutherus, Cæterum illud quoque conſideratione dignum eſt, annon & hæc & ſequentia ad præſentem ſtatum Judæorum eorumque poſt rejectum Evangelium conditionem, quæ certe abjectiſſima eſt, referri poſſint, ut eos ad ſe redeuntes & pœnitentes hic introducat Propheta. Ità certe hunc locum interpretatur Arias Mont. & per *juſtitias* illorum, legales illas & ceræmoniales, *quæ antiquatæ & obſoletæ non magis probentur*, inquit, *quam pannus menſtruatæ*. Cætera vero de ipſorum diſperſione & oberratione vaga interpretatur. Eodem tramite incedit & Forerius, *ad contaminatos in lege nemo accedere audebat*, inquit ille. *Ita Judæos*, poſt Domini paſſionem & Evangelium annuntiatum nemo eſt, qui non ut reos & *contaminatos ducat*. Et quis ignorat ex Evangelio & Thalmude, hypocritas iſtos univerſam fere juſtitiam exteriori cultu definiviſſe? Quid abſurdi ergo, eos ceremonias iſtas & legales obſervationes quæ Helleniſtæ quoque δικαιώματα vocant, ut Ebræorum 9. 1. & externas virtutes quas ſolas exercuerant, intellexiſſe? Sed hæc Theologis relinquamus, & videamus paucis, quid de Ebræa voce עִדִּים tenendum ſit. Ebr. וּכְבֶגֶד עִדִּים כָּל צִדְקוֹתֵינוּ Vulgatus Interpres, *Et quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ*. Lovan. Belg. **ende als het Laecken der Maenſuchtigher Vrouwen zijn alle onſe gherechticheden.** Luth. Paulo generalius, **wie ein unflatigh kleid.** Belg. **als een drekkigh kleedt.** In qua non acquieſcentes multi, cum pro concione hunc locum citant, Lovanienſem præferre ſolent, atque ita interpretari, ut honeſtis virginibus, matronis & viris ruborem ſæpe exprimant. At ſcire illi debebant necdum liquere ſatis, quid per τὸ עִדִּים intellixerit divinus Vates. Id, credo, intelligent, ubi diverſas Interpretum ſententias intelligent. Chaldæus, *veſtem* עִדִּים interpretatur, כִּלְבוּשׁ מְרָחַק id eſt, *quaſi veſtis abominabilis*. R. Sal. כבגד מאוס שהכל אומרים הסר / עדים תרגום של הסרה id eſt, *ſicut veſtis aſpernabilis de qua omnes dicunt*, *Remove*, *habet enim in Chald. ſignificationem removendi*. Et certe עדא in Chald paſſim eſt movere, in textu Biblico. Lxx. ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης, *ut pannus ſedentis fœminæ*, Sedentis in immunditie ſua. Reſpexit forte ad Geneſ. xxxi. 35. ubi Rachel ad Labanem, *Ne iraſcatur dominus meus, quod non poſſum aſſurgere tibi, quia ſe-*

ſecundum conſuetudinem mulierum mihi eſt. Theod: ipſam vocem Ebr. retinuit. Symmachus κυούσων id eſt, parientium. Kimchi varias affert interpretationes in Comm. 1. ut ſint fruſta panni quæ imponuntur סַפַּחַת plagæ, vel ſcabiei vergenti àd lepram, ubi Tharg. habet עֲדְיָא 2. *Sunt qui exponunt*, inquit, ex Chaldaica interpretatione ꝫ הָרָה vid. מְעַדְיָא concipiens, gravida, prægnans, ac ſi diceret, ſicut veſtis mulieris quando parit, quæ ſunt מְלֻכְלָכִים בדם *fœdatæ ſangvine.* At poſtquam concepit fœmina quamdiu uterum geſtat, ceſſant menſtrua. Quid hoc ergo ad rem? III. Poteſt etiam exponi, inquit, בֶּגֶד סְמַרְטוּט וּבָלוּי / Et in libro Radicum, בִּגְדֵי סְמַרְטוּטִין וּבְלָאוֹת id eſt, *veſtes Semartut & detritas*, Quid סְמַרְטוּט? Baal Aruch, סְמַרְטוּט חֲתִיכַת בֶּגֶד בָּלוּי, id eſt, fruſtum panni veſtiſve detritæ. Addit Kimchi, Semartut juxta quoſdam eſſe fruſtum panni, quo mulier מְקַנַּחַת abſtergit ſe & probat, an adhuc ſangvinem videat. Non affert tamen hujus ſtrictioris ſignificationis exempla. Unde probabilior ſignificatio prior, Ita author libri Mûſar fol. 115. pag. 2. לְבוּשׁ סמרטוטין & לְבוּשׁ אצטלא id eſt, indutus laceris, & indutus ſtola opponuntur. Et Elias in Methurgeman illa Chaldaica, בלאי טפסן / (quæ reſpondent Ebraicis, בלואי הסחבות Jerm. 38.) interpretatur סְמַרְטוּטִין. Thema vulgo ponunt עדה quod Chaldæis in Aphel paſſim & ſemel Ebræis (Prov. 25. 20.) eſt *removere*, ita tamen ut formam mutuetur à עדר/ Sed & Deut. 29. 5. videtur pro *atteri* poſitum eſſe; ubi enim Ebræus habet וְנַעַלְךָ לֹא בָלְתָה / *neque calceus tuus inveteravit*, Chald. וּמְסָנָךְ לָא עֲדוֹ Fag. & calceamentum non eſt attritum, niſi malis, & calceamenta tua non remota ſunt, ſcilicet ob vetuſtatem, id eſt, abjecta. Reſtant duæ interpretationes aliæ, quarum altera eſt Aben-Ezræ, altera Aquilæ. Aben-Ezra, עֲדִים כמו יאכל עד כי בגד השלל הוא מגואל ברמים Deducit à ſingulari עַד ſpolium, præda, quomodo à סַף fit סִפִּים / à מַס tributum, מִסִּים / à צַר latus, צִדִּים Affert autem locum ex Gen, 49. comedet prædam. Addit, *nam veſtis ſpolii eſt fœdata ſangvine.* Aquila, μαρτυρίων, *teſtimoniorum*, quaſi ſit à themate עיד / formetque plurale עִדִּים inſtar duplicantium Ain, ſicuti à צִיץ fit צִצִּים / Hanc vero veſtem teſtimoniorum ſic interpretatur B. Hieron. quando ſangvis in pimo coitu maritali approbatur. Atque hæ ſunt interpretationes veterum, quas referre opere pretium viſum fuit. Nunc videamus quodnam ex iſtis re-

cen-

sentioribus se probaverit maxime. Oleastrius Aben-Ezræ interpretationem cæteris præferendam existimat. Nec non Forerius, עד enim præda est, inquit, quasi judæorum justitias comparet vestibus prædæ, id est dilaceratis, dilaniatis, Indignæ autem sunt hominum conspectu tales vestes. Ita & justitiæ judæorum post adventum Christi. Erant enim rei sangvinis Christi, quem sibi & filiis suis imputari magna voce petierant. Pintus illam de veste lacera seu ex frustis laceris & detrita consuta. Sic n. ille, *Dictio* עדים *significat* centones, *quos Lusitani* farrapos *appellant*. Eadem placuit Pisc. ein geflickt klaid/ & in Scholiis, Hebr. ein klaid der lumplin oder spatlin. Tigur. *ut vestis centonum abjectorum*. Junius, *ut panniculus abjectissimus*, ad verbum, inquit, *panniculus remotionum*. Deodatus, *come un panno Cordato*, ut pannus fœdatus. Et in margine *ô Maculato di menstrui*, *ô panno di strucci*, id est, aut maculatus sangvine menstruo, aut, pannus centonum. Hisp. Cypriani de Valer. *como trapo de immundicia*, ut pannus immunditiæ. Danica, *ut vestis inquinata*.

Anglica, as filthy rags, & fœda veteramenta. Castalio & Genevenses ipsam Vulgatam expressere, dum ille, *similes panni menstruati*, Hi, *Comme le drapeau souille des fleurs de la femme*.

CAP. LXVI.

Vers. 7. Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum] Carth. Locus iste dupliciter explanatur, I. de nativitate Christi, qua natus est de virgine sancta, ut sit sensus antequam parturiret, id est, dolorem pariendi sentiret, peperit sine dolore. Antequam veniret partus ejus id est, dolor ex partu, peperit masculum id est, Christum, de quo Jeremias, Novum faciet Dominus super terram, mulier circumdabit virum. II. de nativitate Christi spirituali qua in corde credentium nascitur, seu spirituali generatione fidelium, qui ex aqua & S. Sancto renascuntur in Christo. Hæc Carthus. Prior interpretatio licet valde sit à contextu aliena, suos tamen patronos habet soletque locus iste sæpe citari probandæ thesi, B. Mariam sine dolore peperisse. Sed I. neque antecedanea neque consequa ullam B. Virginis mentionem faciunt. II. Vers. 8. expresse memoratur Sion id est, Ecclesia. III. dicitur parturire terra id est, populus. Gigni dicitur gens. IV. memorantur filii plurimi, non unus. Hinc & Forerius, & Arias Montanus, & Pintus & Oleastrius de spirituali Ecclesiæ partu hunc locum intellexere.

IEREMIAS.

CAP. II.

Verſ. 18. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquas Schichor] Lxx. Καὶ νῦν τί σοὶ καὶ τῇ ὁδῷ Αἰγύπτου, τοῦ πιεῖν ὕδωρ Γηῶν. Hæc verſio τῶν Lxx. immane quantum turbavit Hiſtoriam Paradiſi. Hinc enim in eam opinionem delapſi ſunt fluvium Gihon, de quo Geneſ. 2. 13. eſſe Nilum. Sed in Ebræo hoc loco eſt שִׁיחוֹר q. d. μέλας. Vulg. Interpres & hic & Joſua XIII. 3. vertit *turbidum*. * Utrum vero per *Schichor* intelligatur Nilus, an potius amnis iſte qui Petram Arabiæ præterfluens in Sirbonim paludem influit & Ægyptum à Judæa diſterminat, non convenit inter eruditos. Ergo eos ſequor qui Nilum interpretantur. Græcis Μέλας vocatur, hoc eſt שִׁיחוֹר / Ægyptus vocatur Μελάμβωλος .i. nigrigleba, apud Euſtath. in Dionyſii περιηγ. Quin & Servius ad illud Georgic. viridem Ægyptum nigra fœcundat arena, notat Nilum Latine Melonem dictum fuiſſe. Et per *Melonis albam Paginam* apud Auſonium, Politianus Miſc. cent. 1. c. 39. intelligit Papyrum, quem Nilus producit. * Firmat hanc quoque ſententiam. Vetus Nili apellatio, *Ægptus*. Homerus.

* Hæc vox in Comm. Theodoreti Latinis, redditur *terreſtrem, ut bibas aquam terreſtrem.* Et poſtea *Terreſtre vocat ipſum idolum* q. eſſet à Græco γῆ.

* At Jeſ. 23. 3. *Nilum.*

Πρὶν γ᾽ ὅτ᾽ ἂν Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο,

Ubi Dydim. Scoliaſtes, Αἴγυπτον ὁ Νεῖλος πρότερον ἐκαλεῖτο * Et alibi.

Στῆσα δ᾽ ἐν Αἰγύπτῳ ποταμῷ νέας ἀμφιελίσσας.

Heſych. Αἴγυπτος ὁ Νεῖλος πόταμος, ἀφ᾽ οὗ καὶ ἡ χώρα ὑπὸ τῶν νεωτέρων ἐκλήθη. .i. Ægypt. Nilus fluvius. Unde & regio à Neotericis Ægyptus dicta. Αἰγύπτιον vero nihil aliud eſt quam φαιὸν, furvum, nigrum. Heſych. Αἰγυπτιῶσαι, μελαίναι. Scalig ad Feſtum, *Græci* cum ſcirent ab ipſis Nilum Schichor vocari id eſt, μέλαν ἰσοδυνάμῳ verbo ſuo αἰγύπτιον reddidere. Nam αἰγύπτιος eſt μέλας. Vis clariorem demonſtrationem? Dionyſius Afer, Euſtathius & Stephanus Nilum *Sirim* vocant. Dionyſius Afer de Nilo,

* Et Feſtus Pomp. *Melo nomine alio Nilus vocatur.*

* Et Odyſſ. ξ. πεμπταῖοι δ᾽ Αἴγυπτον ἐϋῤῥείτην ἱκόμεσθα.

Σίρις ὑπ᾽ Αἰθιόπων κικλήσκεται, οἱ δὲ Συήνης
Ενναέται στρεφθέντι μετ᾽ οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Ecce quem Æthiopes vocant Sirim (Scaliger *Schichri*) Syenes incolæ Ni-

Nilum vocant. *Sichor*, Sir, ut Nachas, Nas, ſerpens. Hinc & nomen Caniculæ, σείριος; & σείριος ἀστήρ, q. d. Νειλαῖος. id eſt, ſtella Niliaca. Namque eodem tempore. Canicula exoriebatur & Nilus intumeſcebat. Atque hinc petes ἔτυμον Oſiridis, quem eundum cum Nilo Deum fuiſſe tradit Seldenus. Hinc Buſiris, Petoſiris, Calaſiris & id genus Ægytiaca alia. Omitto nunc authoritates Rabb. Salomonis Jarchi, Kimchii & aliorum. Sed ajunt Nilum vocari יְאוֹר: id eſt, rivum Ægypti, Τὸ Schichor vero לַנַּחַ torrentem Ægypti. Tantum vero ab eſt ut hoc evertere poſſit ſuperiorem ſententiam, ut confirmet maxime ipſam vocem. Nilus enim non aliunde commodius deduxeris, quam ab Ebr. נַחַל, Quomodo enim à *Baal* fit בַּעַל & Bel, ita & à Nachal, Nechel, Nel. E longum & I ſeu E ι quoties alternant? Ergo Νῆλ, Νιλ & Νεῖλ. Nunc te remitto Lector, ad Maſium Joſ. 13. 3. Fullerum 2. 8. Riberam Amos 6. numero 44. Druſ. ad loca diff. Moſis p. 59. Seldenum Synt. 1. cap. 4. & alios. Rhinocolura vel Rhinocorura, pro qua diſputat Beroaldus Chronolog 2. 7. Non eſt nomen fluvii ſed urbis. Quod vero Lxx. Jeſ. 27. 12. uſque ad torrentem Ægypti vertunt ἕως ῥινοκορούρων, inde non inferas Rhinocoruram fluvii nomen eſſe. Hieron. *uſque ad Rhinocorum, quod eſt opidum Ægypti & Paleſtinæ confinio, non tam verba ſcripturarum, quam ſenſum verborum exprimentes*, Quæ hic vulgo objiciuntur facile tolles hac obſervatione, diverſa ejuſdem fluvii brachia aliquando communi, aliquando proprio nomine appellari.

Plin. 2. 47. & 5. 9.

CAP. VI.

Verſ. 8. Ne forte recedat anima mea à te] Ita vulg. ex Græco, μὴ ἀποστῇ ἡ ψυχή μου ἀπὸ σοῦ. Egregiâm metaphorâm, quæ in Ebræo, nimis oſcitanter neglecta, Sic enim ſonant Ebræa פֶּן־תֵּקַע נַפְשִׁי מִמֵּךְ ne luxetur anima mea à te, Similem locutionem habes Jezech: 23. 18. Junius, *ne anima mea tanquam luxatum aut eliſum membrum diſcedat abs te*, & tu abſcindaris ab illa tanquam abalienatum membrum; Metaphora optime communionem Dei cum fidelibus explicans.

CAP. VII.

Verſ. 4. Templum domini &c.] Luth. Hic eſt templum DOMINI &c. Ebr. הֵיכַל יְהוָה הֵמָּה Quidam, ut Jun. templi Domini, t.D.t.D. iſta ſunt vel ad T.D. vel, ad *templum DOMINI, ad T.D. iſta* pertinent, ut ſit ellipſis literæ ל ante היכל/ iſta opera quæ nos facimus, noſtræ ceremoniæ pertinent ad templum, ad cultum ab ipſo Deo inſtitutum, vel iſtæ promiſſiones potiſſimum templo factæ ſunt. Quamdiu ergo durat hoc templum & nos præſtamus ea quæ ad illud pertinent, nos florebimus. Sunt qui pronomen המה δεικτικῶς accipiunt, quaſi digito monſtrarent ædificia templi, vel partes templi potiores, quales erant Sanctum & Sanctum Sanctorum & atria, *Iſta ſunt templum DOMINI &c.* Non male quis idem quoque retulerit ad verba antecedentia, *ne confidatis verbis mendacii, Templum DOMINI, t. D. t. D. iſta ſunt.*

Verſ. 18. Ut faciant placentas Reginæ cœli.] Per Reginam cœli vulgus Interpretum Lunam intelligit, quam Reginæ titulo ornant paſſim Gentiles. Homerus in Hymn.

Χαῖρε ἄνασσα Θεὰ λευκώλενε Δῖα σελήνη.

Horatius.

Siderum Regina bicornis
Audi Luna puellas.

Quam Herodotus quoque ἀστροάρχην vocat. Alii Solem intelligunt, quem ſub fœminæ ſpecie Ebræi concipiunt. חַמָּה enim ſemper, שֶׁמֶשׁ aliquando fœmininum eſt. Alii Junonem, alii Venerem Babyloniam, quam Reginam quoque cœlorum dictam monet Cl. Seldenus, citatque in eam rem Harpocrationem in Ὑπομνημάτων. Sed fruſtra hæc diſputantur. Hypotheſis falſa. מְלֶכֶת non ſignificat Reginam, Reginam cœli מַלְכַּת הַשָּׁמַיִם dicerent, ut 1. Reg. x. מַלְכַּת שְׁבָא regina Sabæ. At hic eſt מְלֶכֶת vox in ſtatu regiminis poſita ab abſoluto מְלָאכָה quod proprie opus, laborem, artem vel artificium ſignificat. Ita à מַמְלָכָה fit מַמְלֶכֶת / neque inter omnia iſta quæ ad regulam illam pertinent, ullum eſt quod utroque modo ſtatum regiminis formet. Ne quis dicat à מַלְכָּה & מַלְכַּת & מְלֶכֶת formari. Dixi מְלָאכָה proprie ſignificare opus &c, Addo, per metonymiam etiam denotare rem labore & opere & artificio factam &

Synt. 2. Cap. 7.

acquisitam. Exod. 22. 8. *quod non* immiserit manus suas בִּמְלֶאכֶת רֵעֵהוּ in rem proximi sui. Ubi plene scribitur cum א radicali, licet quiescente, hic defecte.

Quid ergo? Lxx. Interpretes licet Jerm. 44. 17. reddiderint βασιλίσσῃ τοῦ οὐρανοῦ, hic tamen & cap. XIX. 13. habent στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ id est, exercitui cœli, pro * synonymis habentes τὸ צְבָא הַשָּׁמַיִם & מְלֶכֶת השמים Quid autem per exercitum cœli hic intelligatur, docet Chaldæus quando vertit לְכוֹכְבַת שְׁמַיָּא id est, stellis cœli. quæ propter admirabilem illum & stupendum ordinem exercitus vocantur. Alii paulo amplius vocem extenderunt, ut universam machinam cœlestem complexi sint, Ita Arias Mont. Jer. 44. 17. reddit, *opificio cœli*, Tigurini & hic & illic, *machinæ cœli*, quod Angli in margine posuerunt. Pisc. *operi cœli*, id est, stellis inquit, nobilissimis Dei operibus. Quomodo & Kimchius חסר אלף ופירו כמו מעשה השמים כלומר לכוכבים id est, deficit א / & perinde est ac dixisset, operi cœli, q. d. stellis. Lutherus vocem Ebræam retinuit, lectori libertatem relinquens eam eligendi interpretationem, quam ipse probaret maxime. Non dubium est quin Collyridiani ad hunc locum respexerunt, quibus Epiphanius hæresi 79. Quædam mulieres inquit, habebant virginis imagines, coram quibus collyridas sive placentas offerebant, easq; adorabant. Κολλυρίδες placentæ, tortæ panis, quas à præparatione Jeremias hic כַּוָּנִים vocat, Lxx. retenta voce Ebrææ * καυῶνας. Chrysostomus πόπανα, quam vocem retinuit Cl. Junius, & interpretatur liba quædam ἔκτυπα, id est, certas formas habentia pro ratione idolorum, quibus offerenda erant, additque vocari πόπανα, quod τῶν πόπων id est, deorum effigie insignita essent, quibus offerebantur, citatque Juvenalis versum.

* Confer Jerem. 19. 13.

* Olympiod. χαμῶνας, & exponit pemmata & bellaria quædam. Putem scribendum χαυῶνας, quomodo in Hieron. commentariis legitur.

Scilicet & tenui popano corruptus Osiris.

Fortassis hinc quoque Pontificii elogium REGINÆ COELI beatissimæ virgini Mariæ mutuati sunt. Gabriel Biel in Can. Missæ lect. 8. Confugimus primo ad B. Virginem, cœlorum REGINAM, cui rex regum dimidium regni sui dedit.

CAP. XI.

Vers. 19. Mittamus lignum in panem ejus] Hic rursus sudare videas interpretes. Funem hic inter * alios ex vetustate duxit B. Hier.

* Ita & Lxx, ἐμβάλωμεν. Et Chald. נִרְמֵי

cujus verba adscribam. Sic ergo ille ad illa verba versus 18. Tu autem Domine demonstrasti mihi &c. *Omnium Ecclesiarum iste est consensus*, inquit ,ut sub persona Jeremiæ à Christo hæc dici intelligant, quod ei pater monstraverit, quomodo eum oporteat loqui, & ostenderit illi studia Judeorum & ipse quasi agnus ductus ad victimam, non aperuerit os suum, & non cognoverit, subauditur peccatum. Juxta illud quod ab Apostolo dicitur, qui cum non cognovisset peccatum &c. & dixerint, mittamus l. in p. ejus, crucem vid. in corpus Salvatoris. Ipse enim est qui ait, Ego sum panis, qui de cœlo *descendi.* Et paulo post, Judæi & nostri Judaizantes hæc ex persona Jeremiæ dici intelligunt, qui propter vaticinium futurorum & ingruentia captivitatis mala, hæc eum à populo sustinuisse confirmant. Sed nescio quomodo possint approbare crucifixum esse Hieremiam quum hoc scriptura non memoret. Miseret me tui B. Pater, An ergo tam certum tibi est mittere lignum in panem alicujus, esse idem quod cruci affigere? Atqui per lignum satius erat lignum venenatum intelligere. Lyra, *Est in terra* illa arbor, nomine taxus venenata, & inde dicitur * toxicum, id est, venenum, mutato à in O. Et de ligno illius arboris minutatim inciso volebant ponere in cibo Jeremia &c. Et Sa, lignum, sc. venenatum. Chald. *venenum mortiferum.* Dico verbo. Ebræa sic legere, נַשְׁחִיתָה עֵץ בְּלַחְמוֹ / corrumpamus arborem cum pane suo id est, fructu suo, id est, perdamus doctorem cum doctrina sua. Sic Matth. 7. doctor arbori, doctrina fructibus comparatur. לחם de quovis cibo, etiam lacte ut in Prov. & melle 1. Sam. 14. usurpatur. לחם כלל כל מאכל inquit Kimchi, id est, *vox* lechem *quemlibet cibum complectitur.* Alii per hypallagen, corrumpamus ligno panem ejus, q. esset נַשְׁחִיתָה בְּעֵץ לַחְמוֹ / ligno sc. venenato. Jun. perdamus culmum cum grano ejus, q. d. enecemus eum gladio aut fame, ut demonstrat antithesis, inquit, pœnarum, vers. 22. locutio sumpta à segetibus, q. d. eradicemus eum, ut ne stipula quidem supersit, Certe, de Jeremia hæc dici ostendit evidenter vers. 21. *Ideo hæc dicit Dominus ad viros Anathoth.* Hoc vidit Hieron. ubi sic inquit in commentario; videtur hoc superiori sententiæ contraire, qua volumus approbare ex persona Christi hæc dicta esse, &c. Sed quomodo se expedit? Si intellexerimus, inquit, etymologiam oppidi Anathoth, quod interpretatur obedientia liquido monstrabitur, viros Anathoth, qui olim Domini

[a] Vide & Lactant. de vera Sapientia lib. 4. 18. Emm. Sa, Tertull. lib. 3. in Marc. panem interpretatur Christi corpus quod dandũ erat sub specie panis, lignum vero crucem. Vide etiam Bellarm. lib. 2. de Sacr. Euchar cap. 7. & Theodoretum in comm.

* Nugæ, toxicum est, à τόξον sagitta, vide Martinii Etymolog.

præ-

præceptis obtemperarunt, omnes dici Judæos. Sed & hoc cum judicio lege, Tiro, Neque enim unquam demonstraverit aliquis, Anathoth *obedientiam* significare.

CAP. XII.

Vers. 3. Sanctifica eos in die occisionis] Vox sanctificandi multis Interpretibus fumus in oculis fuit. Hieron. de hæreticis interpretatur, *Congrega eos*, inquit in urbem Jerusalem, aut in sua conciliabula, ut quasi victimæ cædantur in mortem & tunc sanctificentur, cum Ecclesiastico fuerint mucrone jugulati. Interfectio enim hæreticorum est salus eorum qui *decepti sunt.* Carthusianus hic quoq; specimen suæ subtilitatis edens sic inquit, Hoc dupliciter accipi potest, primo, ut per temporalem persecutionem ac mortem à peccato purgentur, ne æternaliter pereant. 2. Ut in die suæ occisionis materialiter sanctificentur, ita quod in eorum punitione sanctitas & justitia Dei Manifestentur. Et Gregorius Moral. 27. 18. In die occisionis sanctificantur reprobi, quia tunc sancta, quæ debuerunt, agere consentiunt, cum digna pravitatis supplicia jam declinare non possunt. Sed acutius hic vidit Lyra, quando notat in Ebræo esse, *præpara eos* Certe illic est הַקְדִּישֵׁם / In קדש autem esse separandi & præparandi notionem diximus prolixe ad cap. XIII. Jesaiæ. Chald: זַמִּנוּן *præpara eos* LXX. ἅγνισον αὐτοὺς id est, purifica eos. Notat autem Theodoretus, ἅγνισον hic idem esse quod separa, segrega, Nam segregat se, inquit, qui vult purificari & *sanctificari.* Vel potius qui purificat se, separat se à sordib. & immunditie. Ut separandi notio maneat primaria & propria. Addit Theodoretus, Syrum reddidisse εὐτρέπισον, id est, bene præpara. Infra XXII 7. Vulg. *sanctificabo super te interficientem* &c. Ubi Chald. rursus, præparabo LXX. ἐπάξω, inducam, Theodoretus iterum, notat in Ebr. esse ἁγιάσω, illudque positum pro ἀφορίσω. Nota hic rursus tiro, quod sæpius inculcavimus. Hellenisticæ linguæ id proprium esse, voces Græcas vel ad significationum Ebræarum amplitudinem dilatare vel ad earum angustias contrahere, & interpretamentum pro interpretamento ponere. Quippe quia קדש comprehendit hæc significata, παρασκευάζειν, ἀφορίζειν ἁγιάζειν, ἁγνίζειν, ideo τὸ ἁγιάζειν & ἁγνίζειν quoque pro παρασκευάζειν & ἀφορίζειν ponuntur.

Verſ. 13. *κλῆροι αὐτῶν ὐκ ὠφελήσουσιν αὐτοῖς.*] Latina Rom. *cleri eorum non proderunt illis*. Hieron, Quid enim eos juvare poterit Epiſcopi nomen vel preſbyteri, vel reliquus ordo Eccleſiaſticus, quam magis graventur dignitatibus ſuis, & potentes potenter tormenta patiantur &c. Ita ille, explicans verſionem Græcam. Cum tamen Ebræa ſic expreſſiſſet, hæreditatem acceperunt (legit נִחֲלוּ) *& non iis proderit*. Epiphanius quoque initio Epiſtolæ ad Johannem Jeroſolymitanum, Origenes homil. 7. in Jeremiam de clericis hic agunt. Hinc quoque ipſe, quod mireris, Bellarm. lib. 1. de Clericis, cap. 1. antiquitatem diſtinctionis clericorum & Laïcorum probare ſatagit. Quanto melius Theodoretus, *Sortes veſtræ non proderunt vobis. Sortes rurſus vocat*, inquit, *pinguem hæreditatem, cui non eſſe fidendum conſulit*. Tu nota tiro, Spiritum S. nec Clerorum, nec clericorum hic meminiſſe: ſed ita loqui *ſeminabant triticum & ſpinas metent* (idque ex interminatione Dei Levit. XXVI. 16.) *indoleſcent* [*laboribus*] *ſed nihil proficient* Ebr. נֶחֱלוּ וְלֹא יוֹעִילוּ / Kimchi tamen putat hic non continuari denuntiationem maledictionis, ſed rationem ejus reddi, quia prophetæ *ſeminarunt triticum*, .i. pias admonitiones habuerunt ad populum, *ſed meſſuerunt ſpinas*, id eſt *Indoluerunt* Prophetæ, *quod nihil proficerent*. Hieron. & LXX. נִחֲלוּ legerunt, נַחֲלָה autem eſt hæreditas, ſors, κλῆρος.

CAP. XVI.

Verſ. 16. Ecce ego mittam Piſcatores multos, dicit DOMINUS, Piſcabuntur eos & poſt hæc mittam illis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte & colle, & de cavernis petrarum] Ebr. Ego mittam ad piſcatores multos, id eſt, vocabo &c. Multi poſtillatores hunc locum citare & enarrare ſolent, veluti vaticinium & promiſſionem de mittendis in N. T. Apoſtolis. Vide poſtillas in Evangelium Matth. 4. 19. quod die B. Andreæ in multis Eccleſiis proponi ſolet. In noſtris quoque Bibliis ad illa verba Criſti, *faciam vos piſcatores hominum*, hic locus Jeremiæ ceu parallelus citatur. Sed ſciendum hæc verba non continere promiſſionem ſed comminationem, neque pendere à verſu 15. ſed renovare concionem quam verſ. 9. incoaverat. Id patet ex verſu 17. Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum, & non eſt abſcondita iniquitas eorum coram me &c. Unde certe nova ſententia vel concio incoari non poteſt,

test, particula כי illum versum cum 16. conjungente. Per piscatores & venatores ergo hostes intelliguntur. Piscari & venari est. capere, sub jugum mittere. Venatio habet simile quiddam bello, imo est species quædam belli, & vicissim bellum est tanquam venatio quædam hominum. Ita Nimrod dicitur robustus venatione, vulg. robustus venator id est, bellator. Gen. x. 9. Hanc metaphoricam & צוד .i. *Insequi* significationem invenies Mich. 7. 2. Thr. 3. 52. & 4. 18. Job. x. 16. Ps. 140. 12. Prov. 6. 26. Jezeh. 13. 18. & xii. 13. & xxix. 2. 3. 4. Amos 4. 2. Hab. 1. 15. Etsi haud sciam, annon potius per *piscatores* Ægyptios intelligat, (vide Jes. 19. 8. complementum comminationis.) 2. Reg, 23. 29. ut per *venatores*, Babylonios. Vide *Piscatoris* notas.

CAP. XVII.

Vers. 9. Profundum est cor super omnia, & homo est, quis cognoscet eum?] Ita habet versio Latina Græci textus in Hieronymi operibus. In Theodoreto, *Grave est cor super omnia*, Et apud August. de Civ. Dei lib. 18, 33 *Grave cor per omnia, & homo est, & quis cognoscet eum?* Fortassis legerunt βαρεία, Græca, Βαθεία ἡ καρδία παρὰ πάντα, καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τίς γνώσεται αὐτόν; August. loco indicato hunc textum refert ad * Christum, *Quia vero*, inquit, *non erant eum agnituri Judæi, à quibus eum & occidi oportebat; sic idem Propheta significat, Grave cor &c.* Egregia est censura B. Hieronymi, qua hanc interpretationem notavit in commentariis. Solent quidam nostri, inquit, bono quidem voto, sed non secundum scientiam uti hoc loco contra Judæos, quod homo sit Dominus & salvator, secundum dispensationem carnis assumptæ, nullusque possit nativitatis ejus scire mysterium, secundum illud quod scriptum est, Generationem ejus quis enarrabit? nisi solus Deus, qui arcana rimatur, & reddit unicuique secundum opera. Melius autem est ut simpliciter accipiamus, *quod nullus cogitationum secreta cognoscat, nisi solus Deus*, &c. Quia vero in Evangelio dicitur de Christo, videns a. cogitationes eorum nullusque potest videre cogitationes hominum nisi solus Deus, ex horum locorum collatione probat Hieron. Christum esse verum & æternum illum Deum. Ebræa ita habent עָקוֹב הַלֵּב מִכֹּל וְאָנֻשׁ הוּא מִי יֵדָעֶנּוּ Quæ Hieron. ita convertit, *Pravum est cor omnium & inscrutabile, quis cognoscet illud?*

* Ita & Tertull. libro advers. Judæos. lib. 3. de carne Christi, cap xv. & lib. 3. advers. Marcionem. Cyprian. lib. 2. contra Jud. Cap. 20. Lact. 4. 13. Ambros. de instit. Virg. cap. 16. Aug. contra Faustum. Cap. 11.

Cum vero hanc versionem authenticam pronuntiaverit Concilium Tridentinum, miror eam fiduciam fuisse Bellarmino, ut hoc loco pressus ad Græcam τȢ̃ עָקֹב versionem confugerit. In Ebræo est עקוב inquit, quod significat profundum, βαθεῖα, ut Græci reddunt, & sequitur inscrutabile [non in versione Græca, sed vulg. Vides ut pro arbitrio duas versiones misceat] profundum autem esse & inscrutabile non tollit libertatem arbitrii aut vires bene operandi. Sed nunquam ostendet Bell. vel עקוב *profundum* significare. Hoc enim Ebræis עָמוֹק dicitur. Vel אָנֻשׁ *inscrutabile* esse. Putarim Ebræa melius sic converti, *Supplantativum* id est, perversum, fraudulentum, dolosum *est cor supra omnia, & mortiferum, quis pernoscat illud?* עָקֵב calx seu calcaneus, hinc עָקַב supplantare, אָנוּשׁ alii *insanabile, desperatum, desperate morbidum, vel desperatè malum* reddere maluere. Certe quid spectaverint qui *inscrutabile* reddidere, plane non valeo assequi. Supra XV: 18. ipse vulgatus fœmininum ejus אֲנוּשָׁה reddidit *desperabilis*. Et hic agnoscit Hier. vocem Ebr. significare, vel *inscrutabile*, vel, *desperabile*. Lxx. אֱנֹשׁ legerunt. Ut & Symmachus, referente Hieron, *inscrutabile cor omnium, quis est homo qui inveniat illud?* At Chald. noster est, נְכִיל לִבָּא מִכּוֹלָּא וְתַקִּיף מִן יִרְעֵנֵּהּ *fraudulentum est cor supra omnia, & robustum: quis pernoscat illud?* Lutheri versionem sic expressit nostra Belgica, **Een trotzigh ende vertraeght dingh is het Herte: wie kan het door-gronden?** Hoc est, si belgice intelligo *res superba & timida est cor quis potest perscrutari illud?* Ubi præterquam quod omissa est vox מִכֹּל emphatica certe & magni ponderis, neutrum prædicatum recte mihi conversum videtur.

Vers. 11. Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias suas & non in judicio, in dimidio dierum suorum derelinquet eas &c.] Notet hic tiro ellipsin geminam, vid. notæ τῆς προστάσεως καὶ τῆς ἀποδόσεως Sensus ergo est, sicut perdix — peperit: ita qui facit divitias suas id est, congregat divitias per nefas &c. Similem locum notavimus Prov. 24. 19. Vide si vacat. Ut vero illic, ita & hic ellipsis ista non observata Caliginem offudit interpretum oculis credo enim hinc plerosque vererum delapsos in istam Allegoriam, quam exponit B. Hieron. istis verbis. Alii vero & propter superiorem Historiam & propter alteram, qua dicunt perdicem esse pugnacissimum & immundum, ita ut victum polluat, Diabolum sub ejus nomine interpratantur, qui alienas sibi divitias congregarit, dicens

ad Dominum, Hæc omnia dabo tibi &c. Quem relinquent suæ divitiæ, quæ male ab eo fuerunt congregatæ, & per Apostolos convertentur ad Dominum, & qui sibi videbatur esse prudentissimus erit omnium judicio insipiens. Lxx. ἐφώνησε πέρδιξ, συνήγαγεν ἃ οὐκ ἔτεκε, ποιῶν πλοῦτον &c. Mirum nisi hic duæ interpretationes τοῦ קוֹרֵא coaluerint, קרא enim, est clamare, φωνεῖν, קוֹרֵא πέρδιξ, q. κλητὼς, quod pullos vocet, licet iidem 1. Sam 26. 20. reddiderint νυκτικόραξ neque enim animum inducere possum, ut credam eos uni voci geminum interpretamentum tribuisse. Illud enim non invenio à veteribus factum, nisi in ejusmodi pauculis quæ aliter leguntur quam scribuntur, seu quibus est varia lectio. Ita Chald. Paraphrastes Ps. 22. כארי נכתו reddit, *momorderunt ut leo*, Jes. 19. 18, עִיר הַהֶרֶס יֵאָמֵר לְאֶחָת / Sed Keri in margine notatur הַחֶרֶס / Illud *destructionem*, hoc *Solem* significat, unde & Symm. πόλις ἡλίου. Heliopolis. Eusebius male, *civitas terræ*, confundens, *Heres*, cum אֶרֶץ Eretz. Chald. utrumque conjungit, קַרְתָּא בֵּית שֶׁמֶשׁ דַּעֲתִידָא לְמֶחֱרַב id est, *civitas domus solis*, *quæ destruetur*, Vide partem primam Anti-barbari mei p. 473. Sed Ad rem, Chald. Paraphastes hunc locum istis verbis reddit הָא כְּקוֹרָאָה הַמְכַנֵּשׁ בֵּעִין דְּלָא דִילֵהּ וּמְשַׁחֵן אֶפְרוֹחִין דְּבַתְרוֹהִי לָא יְכוּן וְכֵן כָּל גְּבַר רַשִׁיעַ דְּקָנֵי נִכְסִין דְּלָא בְדִינָא בְּפַלְגּוּת יוֹמוֹהִי שָׁבֵק לְהוֹן וּבְסוֹפֵהּ מִתְקְרֵי רַשִׁיעָא hoc est, Ecce, sicut perdix colligit ova non sua, & calefaciendo fovet pullas, qui eam tamen non sequuntur, ita omnis vir improbus qui possidet opes per nefas; ἐν ἡμίσει τῶν ἡμερῶν αὐτοῦ relinquet eas, & in extremo suo *vocabitur improbus*. Secutus est vulgatam de perdice sententiam, eam vid. aliena ova colligere, iisque incubare: pullos vero ab ea exclusos, deserta ea, veram matrem consectari hanc expositionem secutus & Kimchius est, cujus commentarium non pigrabor adscribere, לפי שאמר לתת לאיש כדרכיו אמר אל תתמה על הרשע שהוא מצליח בנכסים איך לא יתן לו האל כדרכיו כי תדע כי הרשע שאין עשרו במשפט לא יעמוד לו/ אלא יצא מידו בחצי ימיו : והמשילו לקורא והוא עוף שקורין בלעז פרניז והוא רובץ על ביצי עוף אחר ומחמם אותם/ והפיצים ההם לכשיבקעו ויצאו האפרחים לא יהיו כמו בניו שילכו אחריו/ אלא יעזבוהו ולא יכירוהו אלא אחרי מי שהיא להם אם· גם כן הרשע שעשה עשר ולא במשפט בחצי ימיו יעזבנו/ או ימות הוא ויעזוב עשרו לאחרים ולא ישלים ימיו עם העשר שעשה וג׳ id est, postquam dixit Deum da-

daturum unicuique ſecundum vias ejus, pergit & ait, ne mireris de improbo, ſi felix ſit in divitiis & quomodo Deus ei non det juxta vias ejus. Sed ſcito penes improbum divitias, quas per nefas congregavit, non manſuras, ſed evolaturas ex manu ejus in dimidio dierum ejus. Et comparat cum perdice. Eſt autem avis, quam in lingua vernacula vocant pernise. Illa autem incubat ovis aliarum avium & fovet ea. Ubi autem rupta fuerint illa & prodierint pulli, non ſunt inſtar pullorum ejus (perdicis) qui ſequuntur eam. Ideo deſerunt eam neque agnoſcunt eam, ſed veram matrem ſequuntur. Similiter improbus qui colligit opes per nefarias artes in medio dierum ejus deſerent eum, aut morietur ipſe & relinquet eas aliis, & non conſummabit dies ſuos cum opibus quas corraſit &c. Hæc Kimchius. Idem de perdice affirmant Ambroſ. lib. 7. Epiſtolarum epiſt. 48. Meminit & Hieron. ſed paulo aliter, verba ejus iſta ſunt, Ajunt ſcriptores naturalis hiſtoriæ quorum principes ſunt apud Græcos Ariſtoteles & Theophraſtus, apud nos Plinius Secundus, hanc perdicis eſſe naturam, ut ova alterius perdicis (NB. non dicit aliarum avium) i. aliena furetur, & eis incubet, foveatque cumque fœtus adoleverit avolare ab eo, & alienum parentem relinquere. Hæc Hieron. ubi ergo iſta perdix, quæ alterius perdicis ova fovet, ſua ponit? An ergo omnes vicarias ſibi invicem præſtant operas? An Ariſtoteles & Theophraſtus id dicant, quod Hieron. eos dicere affirmat, neſcio. De Plinio, certe nihil tale iſtis in libris qui ad nos tranſmiſſi ſunt, invenire quitus ſum. Geſnerus hæc de curruca verius dici putat in cujus nido cuculum ova ſua reponere, quæ illa excludat prolixe ex veterib. probat. Cum ergo hæc incerta ſint, & inſuper probari non poſſit דָּגַר notionem *fovendi* habere, *colligendi* contra & *cumulandi* ex Jeſaiæ cap. XXXIV. 15. & Chaldaiſmo ſit certiſſima, cum denique ילד de avibus uſurpatum tam ſit excludere pullos ex *ovis* poſt incubationem, quam ipſa ova ponere, videtur præferenda Cl. Junii & Trimellii interpretatio, *ut perdix colligit ova, ſed non excludit, ita comparans divitias* &c. Et obſerva, in Ebræo non legi, קֹורֵא דָגַר אֲשֶׁר לֹא יָלָד ſed קֹורֵא דָגַר וְלֹא יָלָד Scio equidem vau aliquando vicem אֲשֶׁר obire, ſed hic ejus enallages neceſſitatem nullam video. Quid ergo vult Propheta? Audiamus ejus mentem paraphraſtice ediſſertantem Junium, *Quemadmodum videmus perdicem* multa ova collectim ponere, ut ea foveat & excludat ſimul, perſæpe tamen accidere,

ut

ut aut ipsa intercipiatur ab aucupe, aut ova frangantur à pruriente masculo aut à cuculo, denique alia ratione impediatur, ne collecta ova per justum tempus fovere possit, ut excludantur pulli: Sic etiam accidit iniquis providentia Dei, ut dementes homines congestis suis thesauris spolientur tempestive, & rebus partis uti *non possint pro exspectatione sua*, Hæc ille. Plenior fortassis fuisset ἀπόδοσις, si ita dixisset, *ut dementes homines, vel subito & mediis diebus suis à congestis thesauris morte avellantur, vel iisdem spolientur* &c. Prius enim illud responderet isti interceptioni quæ fit ab aucupe. Hanc sententiam secutus est & B. Lutherus, nisi quod τὸ קֹרֵא nimis laxe interpretatus sit, Gleich wie * ein Vogel der sich uber Eyer setzet / und brütet sie nicht auß. Eandem secuti sunt Pisc. Angli & alii. Quisquis locum hunc pensiculatius examinabit, volens nolens fatebitur, hac versione & expositione admissa, inter apodosin & protasin majorem esse conspirationem, quam si vulgatæ hæseris.

* Pisc. ein Rebhun.

CAP. XXII.

Vers. 11. Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Josiæ] Circa hunc Sellum variant Interpretes. Mihi dubium non est quin Joachazum intelligat, qui & Jochanan dictus 1. Chr. 3. 15. Cur autem dictus Sallum? Sallum filius Jabes regni Israelitici habenas unum solummodo mensem moderatus est. 2. Reg. xv. 13. Hunc ergo, quod non multo amplius Regnum Judæ administraverit, eodem nomine insignit, q. d. Hæc dicit Dominus ad alterum Sellum &c. Ita Johannes Baptista ob eundem Zelum & spiritum vocatur Elias, q. d. *alterum Eliam*. Tale est illud Virglii,

Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.

CAP. XXIII.

Vers 5. Suscitabo Davidi germen justum] Addit Hieronymus, vel, *orientem justum* proculdubio respiciens ad versionem τῶν LXX. καὶ ἀναστήσω τῷ Δαβὶδ ἀνατολὴν δικαίαν, Quod & in edit. Romanæ Latina versione versum est, *Orientem justum*. Hæc interpretatio plane disconvenit Ebræo. Quis enim unquam audivit Ebræum צֶמַח *orientem* è cœlo sc. significare? צָמַח *oriri* significat, sed è terra

 βλα-

βλαστεῖν, dicitur enim proprie de plantis & ſtirpibus &c. Unde צֶמַח germen, βλάστημα, ſtirps vel planta è terra *oriens*. Quatuor inſignia loca ſunt, ubi Meſſias צֶמַח vocatur, ipſo Chaldæo ſuffragante, qui ſingulis locis vocem Ebræam per ſuum משיחא repræſentavit. Locum primum nunc præ manib. habemus. Secundus extat Jerem. 33. 15. Tertius Zach. 3. 8. Ecce adduco אֶת־עַבְדִּי צֶמַח Lxx. τὸν δοῦλόν μου, Ἀνατολήν. Chald. יָת עַבְדִּי מְשִׁיחָא Quartus VI. 12. Ecce vir, צֶמַח שְׁמוֹ / Chald. הָא גַבְרָא מְשִׁיחָא שְׁמֵהּ / Lxx. ἰδοὺ ἀνήρ, ἀνατολὴ, ὄνομα αὐτοῦ. Omnibus iſtis locis Chaldæus τὸ צֶמַח non αὐτολεξεὶ interpretatus eſt, ſed ut liberiorem interpretem & paraphraſtem decebat, rem ipſam ſpectavit. Namque omnib. iſtis locis צֶמַח epitheton Meſſiæ eſt, obſervatumque, à Cabaliſtis eſt, צֶמַח & מְנַחֵם conſolator, παράκλητος, quod etiam inter Meſſiæ cognomina ab Ebræis numeratur per Gematriam eundem numerum efficere, vid. CXXXVIII. Manet ergo difficultas circa interpretamentum Græcum Ἀνατολή. Sunt qui hoc audaciter damnant. Sunt contra, qui vocem Ebræam utrumque ſignificare contendunt, videl. 1. germen, & per ſecundam notionem, ἀνατολήν, eoſque qui צמח germen vertunt non ſolum imperite facere, ſed & contra verbum Dei. Hi omne præſidium ponere mihi videntur in loco Luc. 1. 78. ubi Chriſtus non ſolum vocatur ἀνατολή, ſed ut res clarior eſſet, ἀνατολὴ ἐξ ὕψους. Accedit authoritas vetuſtatis in qua plurimi crediderunt ideo Chriſtum vocari Ἀνατολήν, quod ex oriente ad judicium venturus eſſet. Sed pace tantorum virorum, negaverim ego cum Piſcatore, Zachariam ad hæc loca reſpexiſſe, qua de re paulo poſt. Quod ad צמח attinet, quæro adhuc locum, in Canonicis libris ubi ſignificet vel ortum vel oriens aliud quam ex terra, vel re terræ analoga. Dicitur enim metaphorice de pilis quoque & plumis & rebus aliis, Nunquam de Sole aut ulla ſtella. Hinc Leo Caſtrius nodos ejuſmodi audaci gladio ſecans ait Judæos corrupiſſe hæc loca, olimque יָרֵחַ ſcriptum. Sed hunc indignum ſemper cenſui, cui reſponderetur, & merito à ſuis quoque ut alibi oſtendimus, exagitari & perſtringi. Quod vero vir magnus notat, *Judæos horoſcopum, hoc eſt, locum orientis in themate Genethliaco vocare* צוֹמֵחַ id eſt, ἀνατέλλοντα, vellem, locum & authoritatem adduxiſſet. Ego certe neque memini me in ullo authore ea notione vocem eam legere, neque in ullo Lexico reperire potui. Quod ad vocem ἀνατολὴ attinet, ajo cum Cl. Druſio ad Zach. 6. 12. Lxx.

dubie

dubie quidem, attamen recte τὸ צמח per eam vocem reddidisse. Ajo enim Ἀνατολὴ, in lingua Hellenistica germen significare, locisque ex Jerem. & Zach. productis GERMEN vertendam esse. Ajo ἀνατολὴ Jerem. 23. 5. idem esse quod βλάστημα, qua voce Symmachus illic usus est. Ajo ἀνατολὴ Zach. 6. 12. idem esse, quod ἀναφυὴ, qua voce isthic loci alii Interpretes usi sunt. Sed video mihi hanc Cl. Drusii observationem firmo aliquo tibicine sustentandam esse. Ecce tibi locum Jerem. XXXIII. 15. ubi Lxx. hanc ipsam promissionem denuo inculcaturi, eandem sententiam sic exprimunt, βλαστῆσαι ποιήσω τῷ Δαβὶδ βλαστὸν δικαιοσύνης. Et Jesaiæ LXVI. 14. ossa vestra tanquam herba תִּפְרַחְנָה germinabunt, Lxx, τὰ ὀστᾶ ὑμῶν ὡς βοτάνη ἀνατελεῖ ubi Latinus quoque Interpres Rom. Edit. *germinabunt*. Hos. x. 4. ἀνατελεῖ ὡς ἄγρωστις κρίμα &c. id est, germinabit sicut gramen judicium super desertum agri, ubi in Ebr. est יִפְרַח. Ps. 91. 8. ἐν τῷ ἀνατεῖλαι ἁμαρτωλοὺς ὡσεὶ χόρτον, *ubi germinaverint peccatores sicut fœnum*, ubi rursus in Ebræo est פרח / Quam vocem sexies per ἀνατέλλειν expresserunt, ut & vocem צמח / decies & octies, Gen. 3. 18. ἀκάνθας καὶ τριβόλους ἀνατελεῖ σοι, *spinas & tribolos germinare faciet tibi*. Ebr. תַּצְמִיחַ / ubi τὸ ἀνατέλλω ad imitationem Ebrææ vocis transitivum est, ut Matth. 5. 45. ὃς ἀνατέλλει τὸν ἥλιον αὐτοῦ, *qui oriri facit* Solem suum. Et Gen. 19. τὰ ἀνατέλλοντα ἐκ τῆς γῆς. Et quod proprius ad rem est, Jezech. XVI. 7. καθὼς ἡ ἀνατολὴ τοῦ ἀγροῦ, ubi interpres Romanus, sicut hortus agri. Forte legendum *Ortus*, ego audacter, *sicut germen*. Quomodo hanc ipsam eandem vocem ἀνατολὴν idem Latinus Interpres Romanus Nobilius Flaminius reddidit Jezech. XVII. 9. σὺν τῷ βόλῳ ἀνατολῆς αὐτῆς ξηρανθήσεται. *Cum gleba germinis sui* arescet, ubi rursus in Ebr. est צֶמַח. Confecimus ergo, opinor, ἀνατολὴν locis istis ubi Cristo tribuitur *Germen* significare. Hoc ergo modo disponamus significationes τοῦ Ἀνατολὴ, ut 1. significet *ortum* Solis vid. & Lunæ proprie, Reliqua enim sidera usitatius ἐπιτέλλειν dicuntur, usitatius dico. Nam ut profanos mittam, 2. Petri 1. φωσφόρος etiam dicitur ἀνατέλλειν. 2. locum seu regionem, ubi oritur Sol, *Oriens*. Matth. 2, 2. Vidimus stellam ejus ἐν ἀνατολῇ, in singulari, ut & Apoc: 7. & 21. Alias enim fere pluralis adhibetur, ἀπ᾽ ἀνατολῶν, ut &, ἀπὸ δυσμῶν, Matthæi 8. & alibi. III. Germen, ita dictum, quod ex terra oriatur. Christum autem hoc epitheto insignivit Spiritus S. quod tanquam surculus ex trunco quasi in-

intermortuo repullulaſcens germinaverit juſtitiam. Quo reſpexiſſe videtur Apoſtolus Ebræorum 7. 14. *Palam eſt, Chriſtum* ἀνατεταλκέναι ἐξ Ἰȣδα id eſt, *Germinaſſe ex tribu Juda.* Hic certe unicus locus eſt novi fœderis, ubi ἀνατέλλειν aliter accipitur quam de ortu luminarium.

Reſtat locus Luc. 1. 78. per viſcera meſericordiæ Dei noſtri, quibus viſitavit nos ἀνατολὴ ἐξ ὕψȣς Vulg. *Oriens ex alto.* Si utroque oculo reſpexit Zacharias ad loca illa Jeremiæ & Zach. videtur τὸ ἀνατολὴ & hic & illic eodem modo interpretandum eſſe. Cum vero addatur hic ἐξ ὕψȣς, non videtur reddi poſſe per *Germen.* Sed hoc additamentum non movit Clariſſimos viros Druſium, Sculte-tum & alios. Ajunt enim hoc ipſo indicari diſcrimen hujus germinis & aliorum: Cum enim cætera è terra, inferne, germinent, hoc è cœlo eſt. Meum punctum hic feret Deligentiſſimus Piſcator, qui non ad illa Jerem. & Zach. loca, ſed illum potius Malach. 4 2. ubi Chriſtus Sol appellatur, vel illum Numerorum 24. 17. ubi idem ſtellæ nomine inſignitur, *Procedet ſtella ex Jacob.* Vertit ergo, *Oriens ex alto* ad verbum *ortus ex alto* ut ſit Metonymia adjuncti. Beza minus dubie, *Is qui oritur ex alto.* quaſi eſſet, ὁ ἀνατέλλων, Sententiæ ſuæ præſidium habet Piſcator in verſu ſequenti, qui hujus elogii exegeſis eſt, ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτȣ καθημένοις ȣ̃ καθευθῦναι τȣ̀ς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης .i. ut illuceſcat iis qui in t. & u. m. ſedent, & ut dirigat pedes noſtros in v. pacis. Ecce duo effecta non germinis ſed lucidiſſimi luminaris, quale eſt Sol.

Verſ. 6. Et hoc eſt nomen quo vocabunt eum Dominus juſtus noſter] Ita Vulg. Ebr. *Et hoc erit nomen quo* יִקְרְאוֹ *vocabit eum* (quod etiam Hier. notavit) יְהוָה צִדְקֵנוּ DOMINUS *juſtitia noſtra.* יִקְרָאוֹ pro יִקְרְאוּ ad analogiam perfectorum, תִּלְכְּדוּ / יִתְקְפוּ / Pontificiorum nonnulli contendunt locum in Ebræo eſſe violatum. Quomodo ergo ſcriptum fuiſſe putant? יִקְרְאוּ *vocabunt* Ergo neceſſe eſt ut agnoſcant adhuc ellipſin pronominis eum cui juxta noſtram interpretationem non eſt locus. Sic dico, ſive hoc ſive illo modo legas Ebræam vocem, ſemper opus eſt ellipſi. *Hoc eſt nomen, quo vocabunt* [eum] vel, hoc eſt nomen quo vocabit eum [DOMINUS] vel, hoc eſt enim quo vocabit eum [*Iſrael*] vel, [*unuſquiſque*] Taceo, quam tralatitium ſit verba activa 3. perſonæ pro paſſivis adhibere. Gen xv. & imputavit hoc ei ad juſtitiam Rom. 4. ἐλογίσθη & imputatum eſt. Bellarm. & Leo Caſtrius ulterius pro-

greſſi

gressi sunt, ac ut illud de ellepsi incommodum vitarent, somniarint pro יִקְרְאוֹ olim scriptum fuisse יִקְרָאוּהוּ / atq; ita integrã quoq; syllabã erasã fuisse. Quibus nos opponimus τοὺς Lxx. qui plane ut nos, Hoc est nomen quo καλέσει αὐτὸν [Κύριος] vocabit eum DOMINUS, illud enim Κύριος supplementum est, Nomen enim יהוה quod in textu sequitur, expresserunt prima parte vocis Ιωσεδέκ. Qua de voce diximus aliquid parte prima Anti-barb. pag. 344. Si quæras ejus interpretamentum, en tibi illun Ιαω δικαιοσύνη, DOMINUS *justitia*, vbi vides omissum ab illis pronomen illud consolatorium, ἡμῶν, Christus enim est *nostra justitia*. Vulg. *justus noster*. Et hoc male, Id enim esset יְהוָה צַדִּיקֵנוּ / Abstracta hic magis tinniunt. 1. Cor. 1. 30. ὃς ἐγενήθη ἡμῖν ἀπὸ Θεοῦ σοφία, καὶ δικαιοσύνη, & ἁγιασμὸς καὶ ἀπολύτρωσις. In primo (Σοφία) observa Metonymiam adjuncti in cæteris, effecti. Notat. Hiron. in Editione τῶν Lxx. suo tempore additum fuisse, *in Prophetis*. Scilicet versus duo sequentes, 7. videlicet & octavus in Græcis codicibus hoc loco non repræsentantur, sed ad calcem capitis. Itaque hic immediate sequitur versus nonus, cujus initium; לַנְּבִאִים / * Acceperunt hoc ceu titulum sequentis concionis, *contra Prophetas*. Ut alibi, contra Moab, contra Damascum. ל enim πρὸς, sæpe pro *contra*. πρὸς οὓς ὁ λόγος Θεοῦ ἐγένετο * *contra quos sermo Dei factus est*, Qua observatione auro contra non cara magnus Heinsius facem alluxit vexatissimo isti loco, Johannis x. vide ejus Aristarchum. Quia vero ל & ב sæpe alternant, ideo τὸ ל per ἐν sæpe expresserunt, Ps. xvi. לִשְׁאוֹל ἐν ᾅδου Hæc vero interpretamenta præpositionum juxta originariæ præpositionis latitudinem itidem extendi debent. Hoc non ignoravit Hieron. *Hoc quod in Lxx. male additum est*, in Prophetis, *penitus amputandum est. Aliud enim capitulum* (περικοπή) *sequitur, quod ab iis prætermissum est, quo finito titulus est*, ad Prophetas, *seu*, contra Prophetas. Hæc Hier. Idem Paulo post, *In Lxx. scriptum legimus*, & hoc est nomen, quo appellabit eum Dominus, Josedek, in Prophetis. *Quod plerique ignorantes, varia explanationis deliramenta confingunt.* Multoque melius fuerit simpliciter inscitiam profiteri, quam imperitiæ suæ alios hæredes facere.

* Ita & Lutherus

* Vulgò, ad quos.

Vers. 23. Nunquid Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe?] Ita Hieron. textu Ebræo satis fideliter expresso. הַאֱלֹהֵי מִקָּרֹב אָנִי וְלֹא אֱלֹהֵי מֵרָחֹק. Vulgatus Hieronymi versionem expressit, prima voce duntaxat mutata, Nam pro nun-

nunquid, dixit, *putasne.* Sensus autem est, *Ego non sum Deus è vicino, sed sum Deus de longe.* Non sum ejusmodi numen quod ea tantum videat & curet quæ mihi propinqua esse putas ut sunt hæc inferiora, & quæcunque hic in terris aguntur. Nota Tiro, quando Ebræi interrogant sine negatione, ut hic in primo membro, tunc cum vehementia quadam negant. Quando vero cum negatione, ut hic in 2. membro, tunc cum vehementia affirmant. Sensum ergo inverterunt Lxx. Θεὸς ἐγγίζων ἐγώ εἰμι, λέγει Κύριος, καὶ οὐχὶ Θεὸς πόῤῥωθεν. Quorum vestigia legit Lutherus, nisi quod addiderit interrogationem, **Ben ick niet een Godt die nae-by is / ende niet een Godt die verre zy ?** quasi scriptum esset הֲלֹא אֱלֹהֵי מִקָּרֹב אָנִי Equidem fateor, pio & fidei analogo sensu has versiones explicari posse, sed voces Ebræas illum sensum hic non admittere ajo. Obscuritatem versus omnino dissipavit D. Piscator, observata hic ellipsi, passim obvia, *An [tantum] Deus à propinquo ego sum, & non [etiam] Deus à longe?* Hanc ellipsin * plurimi observarunt quidem, sed illam hic applicare ipsis in mentem non venit. Ita Deus ad Samuelem lib. 1. cap. 8. *non [tantum] te spreverunt, sed [etiam] me. Non amplius vocabitur nomen tuum Jacob* [tantum:] sed [etiam] Israel. Marci 9. 37. qui me recipit, non [tantum] me recipit, sed [etiam] eum qui misit me. Sic Rom. 4. 9. Matth. 5. 46. Joh. v. 30. vi. 27. & 38 Xii. 44. fuerunt qui voces illas מִקָּרוֹב & מֵרָחוֹק non ad locum sed tempus retulerunt. q. d; an Deus à propinquo tempore ego sum? id est, novellus Deus, heri aut nudiustertius factus, & non Deus à longinquo id est, æternus? Ita Kimchius & eum secutus interpres Hisp. Cyprianus de valera. Ita quoque Chald. ex parte, אֲנָא אֱלָהָא בְּרֵית עָלְמָא מִבְּרֵאשִׁית אֲנָא אֱלָהָא עֲתִידְנָא לְחַדָּתָא עָלְמָא לְצַדִּיקַיָּא Ego Deus creavi mundum à principio, Ego Deus renovabo mundum justis. Sed cave ne tibi imponat speciosa hæc interpretatio. Versus enim sequentes plane nos cogunt, voces illas non ad tempus sed ad locum referre. *An occultabitur quispiam in absconditis, ut ego non videam eum? dicit Dominus. Annon cœlum & terram ego impleo?*

* Vide & Grammat. nostram libros, cap. 8.

Cap. XXV.

Vers. 27. Rex Sesach] id est, Βαϐυλῶνος ἑορταζούσης. Vide de hac voce Junii notas, Seldeni comment. de Diis Syrorum, Scaliger

ligeri notas ad Fragmenta, Martinium in Etymolog. & crede, quæ Ebræi Eosque secutus etiam Hieron. hic de Etbasch memorant, lusum tantum ingeniorum esse.

Vers. 31. Judicatur ipse cum omni carne] id est, *justus monstratur*, inquit Carthus. *ostenditur justus in peccatorum punitione*, inquit, Lyra. Non intellexerunt multi commentatores Hellenisticæ linguæ consuetudinem. Vulgatus expressit Græca, κρίνεται αὐτὸς πρὸς πᾶσαν σάρκα. Lxx. expresserunt Ebræa, נִשְׁפָּט הוּא לְכָל־בָּשָׂר. Sed quemadmodum שפט in *Nifal* significat in judicio contendere cum adversario, judicio experiri, litigare, Ps. 37. *non condemnabitur* בְּהִשָּׁפְטוֹ id est, cum in judicio contendit, ita & apud Hellenistas passivum κρίνεσθαι sæpe idem significat Joel 3. 7. καὶ διακριθήσομαι πρὸς αὐτοὺς ἐκεῖ Ebr. וְנִשְׁפַּטְתִּי עִמָּם שָׁם / Hos. 2. 2. κρίθητε πρὸς τὴν μητέρα ὑμῶν. Ubi Ebr. רִיבוּ בְאִמְּכֶם / Joh. IX. 3. ἐὰν θέλει κριθῆναι αὐτῷ. Ebr. אִם יַחְפֹּץ לָרִיב עִמּוֹ Hinc κρίσις, lis, ut hoc ipso versu Jeremiæ, ὅτι κρίσις τῷ Κυρίῳ ἐν ἔθνεσι, cum gentibus Ebr. בַּגּוֹיִם Prov, XV. μακρόθυμος ἀνὴρ κατασβέσει κρίσεις. Id est, lites extinguit. Matth. v 40. καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, *volenti tecum in judicio contendere*. Rom. 3. καὶ νικήσῃς ἐν τῷ κρίνεσθαί σε. Ubi in Ebr. est infinitivus activus בְּשָׁפְטֶךָ pro passivo, quod crebrum est. 1. Cor. VI. 1. Sustinet aliquis vestrum negotium habens adversus alterum, κρίνεσθαι ἐπὶ ἀδίκων id est, judicio experiri sub injustis?

Melius B. Theod. Demonstrat ineffabilem suam bonitatem Non enim dicit κρινεῖ, sed κρίνεται id est, disceptat cum omni carne.

Vers. 33. Τραυματίαι ὑπὸ Κυρίου] Latinus Interpres, *vulnerati à* DOMINO. Vulgatus *interfecti Domini*. Nota rursus, Ebraice esse, חַלְלֵי יְהוָה Genitivus efficientis, qui creber est post participia passiva aut nomina similem significationem habentia חָלָל proprie *perforatus*, Hinc enim domo est & חָלִיל *tibia*. 2. perforatus telo, vulneratus, τραυματίας. 3. interfectus non ex vulnere tantum, sed & alio mortis genere defunctus, νεκρὸς, τεθνεώς. Hinc τραυματίας secundum amplitudinem significationum vocis Ebrææ suam quoque significationem dilatat, vel quod idem est, interpretamentum unum pro altero ponitur; 1. Reg. XI. 15. θάπτειν τοὺς τραυματίας, Latina Rom. ad sepeliendum cæsos. Ps. 87. 7. ὡσεὶ τραυματίαι καθεύδοντες ἐν τάφῳ, ut interfecti dormientes in sepulcro. Thren. IV. 9. τραυματίαι λιμοῦ חַלְלֵי רָעָב interfecti famæ. Qui veteribus versionib. Latinis ex Græcâ traductis usi sunt, ubi vox ea passim ea notione reddita est, quæ ipsi propria, miros ludos subinde dedêre. Non plaudes, quisquis hos Hellenisticæ

linguæ

linguæ idiotiſmos noſti. Et quia in hunc campum jam delati ſumus, juvat ex hoc eodem capite unum alterum ve locum inſuper delibare. Verſu 29. ita ait Deus, *bibendo bibetis. Nam ecce in ea civitate, quæ denominata eſt de nomine meo initium feci affligendi, & vos omnino impunes eſſetis? non eritis impunes.* Quæ poſteriora in Edit. Romana ſic expreſſa ſunt, καὶ ὑμεῖς καθαρισμῷ οὐ μὴ καθαρισθῆτε. Latinus ejuſdem interpres, *& vos munditia non mundabimini.* Quis hoc intellexerit ex veteribus? Theodoretus & Hieron. ita legiſſe videntur, & quidem propius Ebræo, καὶ ὑμεῖς καθαρισμῷ (aut καθάρσει) καθαρισθήσεσθε; οὐ μὴ καθαρισθῆτε. Quæ Hieron. ſic convertit, *& vos munditia mundi eritis? non eritis mundi.* Putaſne Lector, hoc intellecturum quempiam, qui Græca vel iſta Latina cum originario textu non contulerit? Lxx. fatui & ſtolidi interpretes fuiſſent, ſi in via tam plana impegiſſent. Sed oportet hic impingant quotquot regulam ilam de permutatione interpretamentorum in lingua Helleniſtarum hic non attendunt. Illa vero nulli uſui iis eſſe poteſt qui Ebræarum vocum ὁμονυμίαν non intelligunt. Sic ergo habendum, in Ebræo eſſe וְאַתֶּם הִנָּקֵה תִנָּקוּ לֹא תִנָּקוּ / נקה in *Niſal* 1. ſignificat purum eſſe, vel purgari à ſordibus, à malo culpæ, καθαρίζεσθαι, καθαρὸν εἶναι. 3, par Meton. impunem eſſe, liberum eſſe à malo pœnæ, quod Lxx. hanc ipſam vocem interpretantes Prov. XI. 21. XIX. 5. 9. XXVIII. 20. reddunt ἀτιμώρητον εἶναι Scilicet ut voces Ebrææ, quæ malum culpæ notant ut עָוֹן / חַטָּאת &c. ſæpe etiam malum pœnæ ſignificant, ita & נקה ob eandem ex Dei juſtitia ut ſic dicam concomitantiam, & immunitatem à peccato .i. puritatem, immunitatem à pœna .i. impunitatem ſignificat. Pœna enim eſt peccati conſectaria, niſi interveniat remiſſio. Hinc καθαρίζεσθαι, pro impune eſſe, κάθαρσις & καθαρισμὸς pro impunitate Lxx. dixerunt. Exod. 20. præcepto 3 ubi uſurpatur Piel οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ κύριος τὸν λαμβάνοντα &c. Ebr. לֹא יְנַקֶּה / Num. XIV. 18. καθαρισμῷ οὐ μὴ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον. Ita apud Græcos ἀθῷος, eſt, qui ſine culpa & ſine pœna, & quidem hoc proprie magis, illud magis uſitate. Θωὲ enim mulcta, pœna. Verbo autem hinc deducto aliquando Lxx. exprimunt idem נִקָּה impunem relinquere, Nahum 1. 3. καὶ ἀθῷον οὐκ ἀθῳώσει. 1. Reg. 2. 9. καὶ οὐ μὴ ἀθῳώσῃς αὐτὸν, Et paſſivum Nifal, Proverb. VI. 29. εἰσελθὼν πρὸς γύναικα οὐκ ἀθῳωθήσεται. Verſu eodem Jeremiæ, *Gladium ego voco* ἐπὶ πάντας καθημένους ἐπὶ τῆς γῆς Latinus, *ſuper omnes ſedentes ſuper terram*, id eſt, habitantes. Ebr. יוֹשְׁבֵי /

יֹשְׁבֵי / *Jaschab* vero & καθῦσθαι, ſedere & κατοικεῖν, *habitare*, ſignificat. Sed manum ſemel de tabula.

CAP. XXVII.

Verſ, 2. Fac tibi δεσμοὺς ϗ κλοιοὺς] Latinus, vincula & catenas. Ebr. מוטות Κλοιοὺς ait Hieron. ſermone Vulgari vocari *bojas*. Quam vocem erudite ex lingua Anglicana explicare mihi videtur Fullerus Miſcell. v. 8. Noſtra lingua, inquit, ut barbara videatur, utrumque nomen tam Græcum quam Latinum, nomine duplici indidem utrobique orto, ſtatim quid ſit, perſpicue & *facile declarat*. Siquidem à κλοιὸς natum eſt noſtrum Glog, literæ enim I & G eandem perſæpe vim obtinent. Similiter à *Boja* noſtrum Boi origine manifeſta. Porro Boi apud noſtrates ſignificat lignum, non illud quidem longum, ſed valde craſſum, ima præſertim ſui parte, quod ſummo mari fluitans, locum anchoræ, cui fune ſatis longo alligatur, in profundo ſubmerſæ, indicat. Eandem omnino formam plerunque habet noſtrum Glog, egregie item craſſum & ponderoſum, & collari valido firmiter annexum. Quod indui ſolet cervicibus fugitivorum communiter; cum hominum, tum cæterorum animalium. Conſtat a. duabus partibus, collari & maſſa ſeu mole eidem appenſa. Quoties igitur *κλοιὸς collare* ab eruditis tranſ-fertur, per ſynecd. intelligendum eſt fieri, parte pro toto poſita, *Bojas* in plurali effert Plautus, quia affatim ſuppetebat hujuſmodi vinculorum, nec non, quia pro atrocitate criminis & delinquentis ferocia Bojæ binæ nonnunquam, aliquando etiam ternæ impingi conſuevere. Hæc D. Fullerus. Fortaſſis hinc eſt Belg. *boeyen*, licet de vinculis ferreis manuum pedumque uſurpetur, Vide & Scalig. in Feſtum & Martinii Elymolog.

Hoc Gloſſarium dicit imbojare, κλοιὸν περιτιθέναι.

CAP. XXXI.

Verſ. 2. Sic dicit DOMINUS, εὗρον θερμὸν ἐν ἐρήμῳ] Latina Romana, *inveni calidum in deſerto*. Queris quomodo hoc interpretati ſint veteres? En tibi interpretationem ex B. Hieronymo, Porro, inqvit, juxta Lxx. hæc intelligentia eſt, Dominus invenit calidos & viventes Apoſtolos, & ſocios eorum in deſerto gentium, inter eos qui infidelitate ſua interfecti fuerant, nec habebant *calorem vitæ* &c. Idem Hier. notat, Latinos codices ſuo tempore

ridicule ambiguitate codicis deceptos pro *calido*, *lupinos* interpretatos esse. Græcum enim θερμὸν, inquit utrumque significat. Hæc Hier. Varietas tamen est in accentu, *θερμὸς calidus θέρμος lupinus.* Lubet adscribere alium locum ejusdem patris, ex comment. in Jesaiæ cap. Lxv. pag. Edit Basil. 245. Ubi docet, etiamsi peccantium plurima sit multitudo, unum tamen justum cunctorum vitio non perire. Abraham, inquit, de igne Chaldæorum fidei integritate servatus est. In quem sensum & Hieremiæ verba ex persona Domini dicentis consentiunt. Quasi calidum in deserto inveni Israel cum occisis gladio. *Cum enim, inquit, omnis mundus* idololatriæ gladiis vulneratus jaceret exanimis, inveni Israel in Abraham calorem habere fidei: quasi medicus, qui post prælia inter cadavera mortuorũ, ubi quem senserit pulsantibus venis aliquid habere vitale, adhibet curã vulneribus ut restituat sanitatem. Pro eo quod scriptum est ὡς θερμὸν hoc est quasi calidum, Latinus interpres, verbi ambignitate *deceptus*, lupinum, *interpretatus est*. In quo & Græcorum pleriq; errant, & tamen sciendum in Ebr. pro calore scriptum esse הורה (lege חֵן) quod *interpretatur* gratia, *quod sc. gratia Dei & non merito suo salvatus sit Israel.* Hæc Hieron. Quod vero noto de errore in voce הורה admisso, Ecce tibi Hieron. rursus ad locum Jeremiæ, θερμὸν non habetur in hebræo, Est enim scriptum חֵן / quod Aq. Theod. & Symm. χάριν id est, gratiam interpretati sunt. Soli Lxx. posuere *calidum*, putantes ultimam literam ם esse. Si enim legamus חֵן per literam ן / gratia dicitur, si per ם calor *interpretatur*. Hæc Hier. certe חֹם *calor*, חָם Calidus. Me vero lectio illa quam exhibet Hieron. ad cap. Lxv. Jesaiæ ἕυρον ὡς θερμὸν, plane inducit in eam sententiam, Lxx. scripsisse, ἕυρον οἰκτιρμὸν, invenerunt misericordiam. ἕυρον enim ad primam sing. & 3. pluralem indifferens est. Quamvis Theodoretus eundem sensum elicere studeat ex voce θερμὸν. *Dum enim quis calesit, laxatur ad misericordiam*, inquit. Ebræa simpliciter ita habent. מָצָא חֵן בַּמִּדְבָּר עַם שְׂרִידֵי חָרֶב הָלוֹךְ לְהַרְגִּיעוֹ יִשְׂרָאֵל *invenit gratiam in deserto populus superstitum à gladio: Israel [inquam,] me praeunte ad procurandam illi quietem.* Israel, inquam, repete ἀπὸ κοινοῦ, *invenit gratiam*, quod D. Piscator textui inseruit, לְהַרְגִּיעַ Kimchius exponit, לְהַמְצִיא לוֹ מַרְגּוֹעַ / Certe הִרְגִּיעַ est quiescere & quietem præstare, Sensus vero est imperfectus, Hoc enim vult Deus, sicuti populus Israel tunc invenit gratiam in oculis meis, ita & nunc invenietis.

Verſ. 9. In fletu venient] Ita vulg. Interpretes fere accipiunt de fletu triſtitiæ, & triſti ſollicitudine de ſalute & remiſſione peccatorum. Alii, inter quos S A, *venient* interpretantur *abierunt*, Atque ita LXX. ἐν κλαυθμῷ ἐξῆλθον. At docte notavit Hieron. *fletum interdum & nimii gaudii indicium eſſe.* Sic dico, lacrymæ interdum homini cadunt præ gaudio. οὕτω κοινόν τι χαρᾷ καὶ λύπῃ τὰ δάκρυά ἐστι, inquit Xenophon. יֵשׁ בְּכִי שֶׁל שִׂמְחָה / inquit Kimchi, eſt & fletus lætitiæ, ut & oſculatus eſt Jacob Rachelem וַיִּשָּׂא קֹלוֹ וַיֵּבְךְּ & ſuſtulit vocem ſuam & flevit. Claudianus eleganter vocat lacrymoſa gaudia. De bello Getico.

--- Properantibus undique ſignis
Conveniunt, viſoque animi Stilicone recepti,
Singultus varios, lacrymoſaque gaudia miſcent.

Xenophonti talis fletus κλαυσίγελως dicitur Θεάσασθαι ἦν τοὺς μὲν ἄνδρας δεξιουμένους ἀλλήλους, τὰς δὲ γυναῖκας ἅμα χαρᾷ δακρυούσας. Πάντας δὲ τοὺς παρόντας κλαυσίγελως εἶχε. Videre illic erat viros quidem dextras ſibi invicem porrigentes, fœminas vero cum gaudio flentes, Omnes denique præſentes fletus cum riſu mixtus *tenebat.*

Ibid. καὶ ἐφραΐμ πρωτότοκός μου ἐστιν.] Ephraim primogenitus meus eſt. Recte Kimchi בְּכוֹר לְשׁוֹן חִבָּה וְאַהֲבָה / id eſt, *bechor hic habet ſignificationem dilectionis & amoris.* Senſus ergo ἀγαπητός μου, dilectus meus. Solent enim primogeniti præ aliis diligi.

Verſ. 22. Fœmina circum dabit Virum] Vulgo exponunt de conceptione Chriſti, quaſi ſcriptum eſſet, עַלְמָה הָרָה וְיוֹלֶדֶת בֵּן Virgo concipiet & pariet filium. Hieron. Novam rem creavit Dominus ſuper terram. Abſque viri ſemine, abſque ullo coïtu & conceptu fœmina circumdabit virum, gremio uteri ſui, qui juxta incrementa quidem ętatis per vagitus & infantiam proficere videbitur ſapientia & ætate, ſed perfectus vir in ventre fœmineo ſolitis menſibus continebitur. Unde Symmachus & Aquila juxta noſtram interpretationem interpretati ſunt. Hæc Hier. Miror ergo unde Cl. Junius in notis ad Edit. Francofurt. illam Sym. & Aquilæ lectionem hauſerit, γυναῖκες περιελεύσονται ἄνδρας. Hoc enim plane aliud ſonat. Pergit Hier. Quid ſibi autem in loco hoc voluerit editio Vul-

gata (intelligit Latinam ex Græca versam, in salute tua circuibant homines) possem dicere & sensum aliquem reperire, NISI DE VERBIS DEI HUMANO SENSU ARGUMENTARI SACRILEGUM ESSET. Ergone sacrilegum est, Hieronyme, locis Scripturæ mala versione à fonte plane discrepantibus, sensum aliquem commodum invenire? Ego dicere soleo, hoc non esse verbum Dei interpretari, sed verbum hominis, quid possem dicere mitius & lenius? Et tamen ego propemodum sacrilegus audio. Utinam vero ipse Hieron. hujus gravissimæ censuræ nunquam dememinisset! Sed pergamus referre verba Hieronymi, Theodotio autem & ipse vulgatæ editioni consentiens, interpretatus est, Creavit DOMINUS salutem novam in salute circuibit homo, singulare, pro plurali *ponens*. Unde ergo rursus Cl. Junius hausit illud Theodotionis fragmentum, ἔκτισε κύριος σωτηρίαν καινὴν, γυνὴ περιελεύσεται ἄνθρωπον. Cæterum ipsam expositionem quod attinet, notandum I. non dici עלמה vel אִשָּׁה sed נקבה / ἡ θήλεια, vel τὸ θῆλυ περιάξει τὸ ἰσχυρὸν, vel τὸν ἄνδρα. נְקֵבָה autem non ætatis, non status, aut unius individui, sed sexus nomen est II. סובב nunquam usurpari de conceptione. III. גבר Christo in utero concepto aut nascenti nec convenire nec uspiam tribui. Quæ tria prolixe urget & adversus adversarium ὑπερασπίζει Cl. Theol. Joh. Tarnov. ὁ νῦν ἐν ἁγίοις. Illa ergo expositione rejecta videamus alias.

Dominus Calvinus conferens hunc locum cum illo Jesaiæ XLIII. 19. aliis 6. ubi Deus promittens liberationem ex captivitate Babylonica ita quoque præfatur, Ecce ego facturus sum rem novam &c. Hanc quoque promissionem de eadem interpretatur. q. diceret Propheta, Imbelles Israelitæ, fœminis quam viris similiores, novo robore divinitus instructi, Chaldæis superiores evadent, atque ita fœminæ viros ad angustias *redigent*. Certe non rara est metaphora per *fœminas*, meticulosos, per *viros*, strenuos fortesque intelligere, Jes. XIX. 16. In die illa Egyptii erunt sicut *mulieres*. Neque novum est ut circumdare alium dicantur, qui eum hostiliter circundat, cingit & premit. Vide Ps. XXII. 13. 17. Ecclesiast. IX. 14. Ps. CXVIII. 10. 11. 12. Genes. XIX. 4. Josuæ VI. 3. Hanc sententiam expressit & Piscator. Et ab ea non multum recessit B. Lutherus, quando in Editionibus anni 1532. 1534. 1536. 1538. Witebergensibus ita vertit, Die sich vorhin wie Weiber gestellet haben / sollen Männer seyn. Postea mutavit ver-

verba, & Ebræis vocibus pressius hæsit, Das Weib wert den Mann umbgeben. In margine vero triplicem posuit expositionem, quarum prima vulgata illa est. De qua sic loquitur, Non rejicio sensum, quo veteres ajunt Christum esse illum virum, quem Maria circumdederit.

II. Sententia est Junii, *fœmina ambit virum* q. d. Vide, Synagoga, ut confestim arripias occasionem oblatam. Nam si Ecclesia Dei, quæ cum fœmina comparatur, te & judæis, suis propriis liberis caruerit, propter aversionem vestram non potest illa profecto orba permanere, sed tanquam vidua & sterilis virum ambiet, & filios sibi aliunde comparabit. Quam sententiam amplexus quoque est ex Hispanis Hieron. ab Oleastro canone 4. in Genesin.

III. Fœmina id est, Ecclesia, quæ sub fœminæ specie in Scriptura considerari solet, Ecclesia desertrix, præter solitum ordinem circumdabit id est ambiet virum, Maritum suum, quem deseruit id est, Deum. Hanc sententiam sequitur Paræus in Calvino Orthod. p. 166. & defendit Joh. Tarnovius ὁ μακαρίτης in Exercit. Biblicis τὸ סבב significat quoque sectari, ambire, prensare amica quadam circumitione & illam sequente amplexatione. Ps. VII. 8. XXVI. 6. XXXII. 7. XLVIII. 13. At, inquies, sic potius adhibuisset Propheta verbum חבק amplexari, Responsio facilis, Subjectæ materiæ, quadrare illud סבב magis, quam hoc חבק / Qualis enim hæc fœmina, talis ejus amplexus. Sed ipsa talis, ut constet ex multis individuis. Cur vero dixerit potius גֶּבֶר quam זָכָר ratio quoque in promptu est. זָכָר enim id est masculus potest esse qui infirmis est. Hic vero vel maxime requirebatur potens, qui afflictam liberaret conjugem, quemque ipsa eam ob causam maxime amplectitur, quod sit גֶּבֶר id est, ἀνὴρ ἰσχυρὸς. Si quæsieris, an hoc novum sit, considera, aliàs vulgo ita solere fieri ut vir reducat conjugem, eamque segregatam recipiat. Hic vero fœmina, sed à Christo animata ambiet prensabitque virum

CAP. XXXII.

Vers. 29. Et domos in quarum domatibus] id est, tectis. LXX. καὶ τὰς οἰκίας ἐν αἷς ἐθυμιῶσαν ἐπὶ τῶν δωμάτων αὐτῶν. Viden hic manifeste distingui δῶμα ab οἰκία; 2. Sam. XI. 3. καὶ περιεπάτει Δαβὶδ ἐπὶ τοῦ δώματος τοῦ οἴκου τοῦ βασιλέως. Hoc no-

to ob eos, qui vocem eandem in novo fœdere vertere ſolent *domum.* Δῶμα in lingua Helleniſtica interpretamentum eſt Ebraici גג Hieron. epiſtola quadam ad Suniam & Fret. Δῶμα, inquit, in Orientalibus provinciis ipſum dicitur, quod Latinis tectum. In Palæſtina enim & Ægypto vel ubi ſcripti ſunt divini libri vel interpretati, non habent in tectis culmina, ſed domata, quæ Romæ vel ſolaria vel Meniana vocantur id eſt, *plana tecta.* Porro pro *Meniana* in lexicis quando de voce δῶμα agunt, ſæpe *Mœnia* ſcribitur Barbare. Meniana vel Mœniana dicuntur à Menio Romano. Vide Etymolog. Martinii in *Menianus.*

Verſ. 30. Lxx. ὅτι ἦσαν οἱ υἱοὶ Ισραὴλ καὶ οἱ υἱοὶ Ιουδα μόνοι ποιοῦντες τὸ πόνηρον καὶ ὀφθαλμοὺς μου. Quia fuerunt filii Iſrael & Juda ſoli facientes malum ante oculos meos] Quæſitum hic fuit, quomodo Iſraelitæ ſoli peccaſſe dicantur? Annon & gentes reliquæ peccarunt? Reſpondet pro Græcæ verſionis patronis Hieron. Qui habet notitiam Dei & recedit ab eo, ſolus peccat in oculis Dei. Qui vero increduli permanſerint, quaſi illo non vidente & negligente *delinquunt.* Sed fruſtra eſt hæc ſubtilitas. Qui enim Græca cum Ebræis contulerit, mox videbit, primitus ab illis ſcriptum fuiſſe μόνον, ſolum, tantum Ebræa iſta ſunt כִּי הָיוּ בְנֵי יִשְׂרָאֵל וּבְנֵי יְהוּדָה אַךְ עֹשִׂים הָרַע בְּעֵינַי / nam fuerunt F. Iſr. & F. Juda tantummodo f. m. in oculis D. אַךְ eſt aſſeverandi, adverſandi & excludendi particula, profecto, veruntamen, duntaxat. Editio ſecunda Symmachi διόλου id eſt, jugitur, perpetuo, ſine intermiſſione.

Verſ. 36. tradetur in manus Regis Babel, ἐν μαχαίρᾳ, καὶ ἐν λιμῷ καὶ ἐν ἀποστολῇ. Ebrææ, בַּחֶרֶב וּבָרָעָב וּבַדָּבֶר / Vides ἀποστολὴν reſpondere Ebræo דֶּבֶר λοιμος. Ebræam vocem Lxx. ſemel reddidere ἀποστολὴ, Ter, λοιμὸς. Reliquis in locis, quæ Multa ſatis ſunt, θάνατος· Videamus primo de ἀποστολῇ. Quid ea vox proprie & uſitate ſignificet, nemo ignorat. Peſtilentiam hic notare videtur, quod ea à Deo immittatur & quaſi amandetur unde Pſ. 78. 49. ubi in Ebr. eſt מִשְׁלַחַת *miſsio* iidem ἀποστολὴν reddidêre, peſtilentiam intelligentes. ἐξαπέστειλεν εἰς αὐτοὺς ὀργὴν θυμοῦ αὐτοῦ, θυμὸν καὶ ὀργὴν καὶ θλίψιν, ἀποστολὴν δι' ἀγγέλων πονηρῶν. Ubi Latina Rom. *immiſsionem.* Eodem ſenſu vocem eam uſurpavit Baruch II. 25. καὶ ἀπεθάνοσαν ἐν πόνοις πονεροῖς, ἐν λιμῷ καὶ ἐν ῥομφαίᾳ, καὶ ἐν ἀποστολῇ. Ubi Latina Rom. *emiſsione.*

For-

Fortaſſis quia Theodoretus hic notavit, τὴν ἀποστολὴν hic pro captivitate poſitum eſſe. Sed revera hic ἀποστολὴ reſpondet Ebræo דֶּבֶר. Quod ad alterum interpretamentum (θάνατος) attinet, ſumamus e. g. locum ex Cap, xxxiv. 17. deſtomachatur illic Deus in Judæos quod libertatem tempore obſidionis promulgatam, laxatâ eâ, revocaverint, ſervoſque quos ad pileum juxta Legis præſcriptum, vocaverant, derepente in ſervitutem rurſus aſſeruerint. Idcirco ſic ait Dominus, *vos non auſcultaſtis mihi promulgando libertatem quiſque fratri ſuo, ecce ego promulgo contra vos libertatem, gladio, peſti & fami.* q. d. Quia vos non promulgatis libertatem ſerio, ſed mihi & ſervis illudentes, illos retraxiſtis in ſervitutem ipſiſq; dominamini, ego promulgabo libertatem, non talem qua vos liberemini à ſervitio & pœnis, ſed qua gladio, peſti & fami liberum erit in vos graſſari, vobiſque dominari qua à mea cura & providentia quaſi manumiſſi videbimini. Kimchi, omnes iſtæ plagæ dominabuntur vobis. Non erit vobis dominus, qui prohibeat illas à vobis. Nam eritis illis liberi *& expoſiti.* Hic Lxx. habent εἰς τὸν θάνατον. Sic Apoc. vi. 8. καὶ εἶδον, καὶ ἰδοὺ ἵππος χλωρὸς καὶ ὁ καθήμενος ἐπάνω αὐτοῦ, ὄνομα αὐτοῦ ὁ θάνατος. Ubi vide Cl. Druſii præterita. Sic Apoc. 2. 23. interficiam eam θανάτῳ. Atque ita non erit pleonaſmus. Cauſam hujus interpretationis hanc affert Fullerus Miſcell. 1. 7. quod Lxx. Interpretes ſua interpretamenta ſæpe de induſtria ad vocum Syriacarum notionem inflexerint. Seu, quod idem fore puto, quod in verſione ſua ſæpe expreſſerint propriam ſignificationem vocis Chaldææ vel Syræ, quæ Ebrææ erat ſynonyma, Ita certe & Chaldæus & Syrus Ebræum, דֶּבֶר reddere ſolent מוֹתָא & מוֹתָנָא id eſt, θάνατος. Ad quorum exemplum Galli quoque peſtem vocare ſolent *mortalité.* Notatque Fagius ad paraphraſin Chald. Lev. 26. 25. in quibuſdam Germaniæ partibus peſtilentiam quoque vocari *mortem.*

CAP. XXXIII.

Verſ. 16. Et hoc nomen quod vocabunt *eum, DOMINUS juſtus noſter] Ita Vulg. & Lutherus qui ad Meſſiam hæc referunt, ut ſupra xxiii. Sed in Ebræo magnam differitatem hic facit I. omiſſa vox שְׁמוֹ *nomen ejus.* 2. affixum fœmininum. Ubi enim ſupra erat, *Et hoc eſt nomen ejus quo* יִקְרְאוֹ *vocabit* EUM: hic eſt, וְזֶה אֲשֶׁר יִקְרָא לָהּ

*XI. MSS. codices vulgatæ verſionis quibus uſi ſunt Lovanienſes, ita legunt, *Hoc eſt quod vocabit EAM Dominus j. N.* atque ita putat.

לָהּ *& hic qui vocabit* EAM, vid. Jerusalem, Sionem, Ecclesiam. Varie afferuntur hujus loci expositiones; quas obiter libabo, Simpliciores mihi videntur duæ priores I. *Et hic qui vocabit eam* [erit] DOMINUS *justitia nostra.* Qui vocabit eam ad promissam hanc salutem prædicatione Evangelii, קָרָא, etiam id significat, quod nos dicimus **beroepen. Ende die haer beroepen sal / sal de HEERE onse gherechtigheyt zijn.** Hæc est interpretatio Junii, quam amplexus & Helwicus est. Vide apud Glassium in Philologia S. p. 135. II *Et hoc est quod prædicabitur ei* (vel, in ea) *Dominus justitia nostra.* Sensus, verba Glassii, *prædicationis Evangelicæ in novo fœdere hoc erit primarium argumentum, gratuitum* reconciliationis nostræ & remissionis peccatorum per Jehovam justitiam nostram seu Messiam acquirendæ beneficium. In qua interpretatione rursus duo observanda sunt, licet sæpius à nobis inculcata, I. activa sæpe pro passivis poni vel per ellipsin commodi alicujus nominativi exponenda esse, 2. ל aliquando & pro ב poni, ut Ps. 16. לִשְׁאוֹל/ Quod si vero alicui plane sedeat nomen שֵׁם hic supplere, videndum ei annon hoc modo simplicissime verti possint Ebræa, *Et hoc [erit nomen] quo vocabit eam [unusquisque]* DOMINI *justitiæ nostræ [urbs.]* Ut plenum sit עִיר י׳ צִדְקֵנוּ. Ellipsis enim illa prioris nominis usitatissima est in Ebraismo, Vide Synt. nostram Cap. I. Sic Exod. XVII. יְהוָה נִסִּי [*altare*] DOMINI *vexilli mei.* Sic Act. 2. *εἰς ᾅδου*, sub. *οἶκον.* Sic ad Veneris, ad Minervæ. Sed prima interpretatio simplicissima.

CAP. XXXIV.

Vers. 5. Et secundum combustiones patrum tuorum, regum priorum qui fuerunt ante te, sic comburent te] Ita Vulg. & Lutherus quasi scriptum esset in Ebr. כֵּן יִשְׂרְפוּ אוֹתָךְ Sicuti I. Sam. ultimo vers. penultimo, de combustione Saulis & filiorum, וַיִּשְׂרְפוּ אוֹתָם שָׁם *& combusserunt eos illic.* Apud Romanos & Græcos frequentata fuit cadaverum crematio. Consuetudinem illam istos ab his, hos ab Hercule accepisse vetus in Homerum Scholiastes ad Iliados A. prodidit. Apud Romanos tamen non omnes cremavere. Servatus enim in multis familiis mos priscus fuit adeoque ante Syllam in gente Cornelia nullus crematus fuit. Plin. VII. 54. Ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti. Terrâ condebantur.

At poſtquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc inſtitutum. Et tamen multæ familiæ priſcos ſervavere ritus, ſicuti in Cornelia nemo ante Syllam Dictato rem traditur crematus, idque voluiſſe veritum talionem effoſſo C. Marii *cadavere*. Poſtea omitti omnino cœpit crematio. Macrob. de ſuo ævo teſtatur, lib. 7. 7. *Licet* urendi corpora defunctorum uſus noſtro ſeculo *nullus* ſit. Et Græci qvoque barbari & crudelis iſtius moris tandem pertæſi, ſepulturam præmaluere. Quib. de rebus ut & aliis erudite Cl. Meurſius in eruditiſſimo tractatu de Funere. In Sacra hiſtoria unius Sauli & filiorum ejus cadavera cremata legimus, idq;eadem fere ex cauſa, qua ſuam Sylla cadaver crematum voluit, Male habita illa à Philiſthæis fuerant. Itaq;incolæ Jabes Gilead nocte quadã excurrunt, Philiſthæis ea eripiunt & ne denuo ab iiſdem effoſſa male tractarentur flammis abſumſere. Qui contra pertendunt in populo Dei crematiõnẽ.ſubinde quoq;in uſu fuiſſe, hoc quoq;loco abutuntur. Sed jam monuimus phraſin, qua S.pS. utitur, diverſam eſſe ab ea 2 Sam. 31. Ita n. hic loquitur Propheta, *ſecundum combuſtiones Patrum tuorum* כְּן שְׂרֵפוֹ לָךְ *ita comburent & tibi*, id eſt, in honorem tuum, vel, *ſupra te*. Cl. Schikkardus in doctiſſimo ſuo commentario de jure Regio multis teſtimoniis probat in funeribus Regum multa utenſilia ex ſupellectile ejus cremata fuiſſe. Maimon. in tractatu Malachim cap. 2. §. 1. אֵין מִשְׁתַּמְּשִׁין בְּאֶחָד מִכָּל־כְּלֵי תַשְׁמִישׁוֹ וּכְשֶׁהוּא מֵת כֻּלָּן נִשְׂרָפִין לְפָנָיו nonutuntur ulla ſupellectile ex omnibus utenſilibus ejus quibus uſus eſt. Et quando morior, *comburuntur omnia iſta coram eo*. Sed obtinuerit hæc conſuetudo ſequiori ævo. In hiſtoria veteris novique fœderis nulla ejus puto extare veſtigia. Ne recedamus ergo à ritu uſtulandi odoramenta, de quo prolixe idem Schikkardus. Sed videamus primo loca ſcripturæ 2. Chr. XVI. verſ. ult. *Et collocarunt* eum (Aſam) *in cubili, quod impleverat aromaticis; ſpeciebus paratis ungventario opere:* וַיִּשְׂרְפוּ־לוֹ שְׂרֵפָה גְדוֹלָה עַד לִמְאֹד & combuſſerunt ei, vel, ſuper eo (NB. non dicit אוֹתוֹ *eum*) combuſtionem magnam valde. Junius, *combuſſerunt ei uſtionem [odorum] perquam maximam*. Vulg. *Et* combuſſerunt ſuper eum ambitione maxima*. Belg. Lovan. **Ende ſy hebben die Specerpen) op hem verbrant met grooter heerlijckheyt.** Mallem **over hem /** hoc eſt, in honorem ejus, quomodo dicimus Belgice *habitam orationem ſuper aliquo*. Itaque Luth. melius, **Ende ſy maeckten een groot bernen over hem.** 2. Chr. XXI. de Joram, *Et non fecit ei populus ejus combuſtionem ſecundum combuſti-*

* ſc. iſta aromata

bustionem patrum ejus. Lutherus, **ende sy maekten gheen bernen over hem.** Rursus Junius, *combustionem [odorum.]* Ex quorum locorum collatione Junius hunc Jeremiæ locum sic convertit, *similiter [ustiones odorum] comburent [populares tui] tibi.* Genev. *on fera brusler sur toi [des choses aromatiques] Comme on a bruslé sur tes peres* Ita & Angli & Deodatus. Pisc. **Und wie Man uber deine vatter gebrennet hat / so wirt Man auch uber dich brennen.** Apud Romanos in ambitiosis funeribus & exequiis quæ μετὰ πολλῆς φαντασίας peragebantur, una cum ipsis cadaveribus magna aromatum vis flammis absumpta fuit sicuti in funere Neronis. Qui in funere quoque suæ Poppeæ plus cinnamomi & casiæ combussisse dicitur quam universa Arabia uno anno ferret Plin. 12. 18. Sed apud Ebræos intactis corporibus hæc aromatum ustulatio peracta fuit. Exemplum hujusmodi quoque sepulturæ memoriæ prodidit Josephus, Antiq. 17. 10, & de Bello Jud: 1. ultimo, ubi de funere Herodis, τούτοις εἵποντο πεντακόσιοι τῶν οἰκετῶν ἀρωματοφόροι id est, hos sequebantur D. ministri aromata ferentes. Et plenius de eodem Josippus, Quinquaginta ministri ad latus feretri gestabant totidem aurea thuribula, lignum odoriferum ustulantes maxima copia & myrrham purissimam continue in lectum injicientes, sic enim habent Ebræa וּמַשְׁלִיכִים עַל הַמִּטָּה מֹר דְּרוֹר Vulgo * huc quoque afferri solet funus Gamalielis, in quo Oncelos proselytus discipulus ejus septuaginta libras thuris ustulasse dicitur. Sed errorem hunc jam pridem detexit Cl. Schikkardus, producto ipso Thalmudis loco ex Massecheth AbodaZara pag. XI. fac. I. *Quomodo cremant super Reges*, ita & propter Synedrii principes (נְשִׂיאִים) Quid autem cremant? lectum & utensilia eorum. Accidit, cum moreretur Rabban Gamaliel senex ישרף עלין אונקלוס הגר שבעים מנה צורי id est, ut combureret super eum, vel propter eum septuaginta Minas Tyrias. Notat autem Scholiastes loqui Magistros de argenteo valore utensilium combustorum, minam Tyriam continere XXV. Sela & quodlibet סלע id est Sela, continere 4. denarios. Utensilia ergo combusta æstimata fuisse 70. minis id est septem millibus denariorum. Exstimat autem idem Schikkardus vulgatum errorem natales suos debere imperitæ manui, quæ versione quadam hujus περικοπῆς Latino pro *Tyriis* scripserit *Thuris*. Atqui illud Ebræis לְבֹנָה dicitur. Claudam, ubi illud addidero, valde me dubitare annon tempore magnæ pestilentiæ inter Israëlitas cremata fuerint corpora, idq; ob lo-

* Vide etiam Joseph. Antiq. XV. 3. in fine de funere Aristobuli.

locum Amos VI. 10. *Cumque tollet aliquem amicus ejus*, וּמְסָרְפוֹ quod reddunt vulgo, *aut ustor ejus* ut educat ossa è domo &c. Quamvis alii, cumque tollet aliquem patruus ejus & avunculus ejus &c. Quo in loco nondum mihi clara lux.

Ad versionem Græcam.

In Romana Editione versum 5. Ita versum reperies, εἰ εἰρήνῃ ἀποθανῇ. καὶ ὡς ἔκλαυσαν τοὺς πατέρας σου, τοὺς βασιλεύσαντας πρότερόν σου, κλαύσονταί καὶ σε, * οὐαὶ κύριε, καὶ ἕως ᾅδου κόψονταί σε. id est in pace morieris. Et sicuti defleverunt patres tuos, qui regnarunt ante te, ita & deflebunt te, væ Domine, & usq; ad inferos plangent te. Hæc multum recedunt ab Ebræo. Complutensis Editio, ἔκαυσαν, καύσονται. Id est, Combusserunt, comburent. Utram lectionem dicemus esse τῶν Lxx. an eam, quam Romana expressit? Ut legerunt daleth pro Resch, & literis transpositis במשפרות & ישפרו / An potius Complutensem, quam imperiti librarii corruperint unius literæ insertione? Certe mihi si dicenda esset sententia, secundum Complutensem & hic & infinitis aliis in locis pronunciarem. Si pro Romana Edit. multis in locis est Hieronymus, pro Complutensi erit Theodoretus, quod vel ex solius Nobilii notis in Prophetas colligas. Unde vero illud ἕως ᾅδου, dices? Aude Nobilium, Pro οὐαὶ κύριε etiam ad marginem Vaticani est ὦ κύριε. In Ebr. ὦ ἀδών. Ac verisimile est, quod alii interpretes dixerunt οὐαὶ κύριε, aut ὦ κύριε, aliquem aut fortassis ipsos quoque Lxx. dixisse, ὦ ἀδὼν κόψονταί σε. Quod cum minus intelligeretur, factum sit, ἕως ᾅδου. Quod tamen in Hebræo, *Complut.* (addo ego & Vulgata) *non extat.*

* Complut ὦ κύριε.

Vers. 18. Regium quoque locum indignis modis mutilatum invenies in Edit. Romana. Quanto vero proprius ad Ebræa accedat Complutensis, liquebit ex hac collatione.

Complutensis	*Ebrai textus versio.*	*Romana.*
18. καὶ δώσω τοὺς ἄνδρας τοὺς παρεληλυθότας τὴν διαθήκην μου, τοὺς μὴ στήσαντας τὴν διαθήκην μου, ἣν ἐποίησαν κατὰ πρόσωπόν μου,	18. Dabo enim homines istos qui transgressi sunt fædus meum, qui non præstiterunt verba fæderis, quod pepigerunt co-	18. Καὶ δώσω τοὺς ἄνδρας τοὺς παρεληλυθότας τὴν διαθήκην μου, τοὺς μὴ στήσαντας τὴν διαθήκην μου, ἣν ἐποίησαν κατὰ πρόσωπόν μου

τὸν μόσχον ὃν ἔκοψαν εἰς δύο μέρη καὶ διῆλθον ἐν μέσῳ τῶν μερῶν αὐτοῦ.	ram me [ſicut] vitulum quem ſecuerunt in duo & tranſiverunt inter partes ejus.	τὸν μόσχον ὃν ἐποίησαν ἐργάζεσθαι αὐτῷ;
19. ἄρχοντες Ἰούδα, καὶ ἄρχοντες Ἱερουσ. καὶ δυνάσται, καὶ ἱερεῖς, καὶ πᾶς ὁ λαὸς τῆς γῆς.	19. Principes Judæ & pr. Jeruſ. aulicos & ſacerdotes, totumque populum hujus terræ, qui tranſiverunt inter dimidiatas partes vituli illius?	19. Τοὺς ἄρχοντας Ἰούδα καὶ τοὺς δυνάστας, καὶ τοὺς ἱερεῖς, καὶ τὸν λαόν.
20. καὶ δώσω αὐτοὺς τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν &c.	20. Tradam, inquam eos, in manum hoſtium ipſorum &c,	20. καὶ δώσω αὐτοὺς τοῖς ἐχθροῖς αὐτῶν.

Vides quanto proprius ad textum Ebr. accedat Complut. quam Romana editio. Theodoretus verſum 19. plenius adhuc expreſſit —— καὶ πάντα τὸν λαὸν τῆς γῆς, οἱ διῆλθον ἐν μέσῳ τῶν μερῶν τοῦ μόσχου. Hic locus docet nos per-vetuſtum ritum in fœderib. ſanciendis uſitatum. Adhibita illis firmandis fuiſſe juramenta, ſacrificia mactataſque victimas ex infinitis Scripturæ locis, ipſaque adeo phraſi כָּרַת בְּרִית (quæ ſynonyma Latinis illis, Icere, ferire, percutere fœdus) conſtat; Adhæc, cæſa animalia in duas partes ſecta fuiſſe ex Gen. xv. edocemur, At tranſiviſſe fæderatos inter partes victimæ diſſertas, quæ Theodoretus διχοτομήματα vocat, an ex alio loco quam hoc ipſo erui poſſit, valde ambigo. Videntur autem hoc pecudum exterminio ſectione & inter partes tranſitu eadem fata ſibiipſis imprecati fuiſſe, ſi primi leges fœderis violarent. Qui ritus ad Gentiles quoque dimanarunt. Id quod ex Homero, Virgilio, Livio & aliis authoribus conſtat. In Ebræo turbat aliquantulum vocula הָעֵגֶל / quam Junius tranſponit, Piſcator reddit ſuppleta ellipſi præpoſitionis ב / — *quod pepigerunt coram me vitulo*, durch das kalb, בָּעֵגֶל *quem ſecuerunt* &c. Ego ſecutus ſum Lutherum, qui notam ſimilitudinis ſubaudit. Qua ſuppletione in viam quoque aliquo uſque reduxeris & Vulgatum & Romanam Edit. Verba vulgati Interpretis iſta ſunt, Et dabo viros qui prævaricantur fœdus meum, & non obſervaverunt verba fœderis, quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo: vitulum quem conciderunt in duas partes &c. Quis ſenſus? Nullus certe, niſi ſubaudias ſimilitudinis notam, *ſicut vitulum*. Dabo ipſos hoſtibus exſcindendos & gladiis diſſecandos, ſicuti illi vitulum excidêre & diſſecuere. Si repugnas, monſtra mihi verbum, à quo hic accuſati-

vus

vus regatur. Quamvis fateor hac quoque ratione restitui posse locum, si legas, *vitulum quum conciderunt*, *quum*, pro, *quando*. Sed Editio correcta Sixti v. & Clementis VIII. constanter *quem* legunt. Romanam vero Edit. quod attinet, repræsentabo tibi versionem Nobilii, quæ Latina Romana vulgo dicitur, *Dabo viros qui transgressi sunt testamentum meum, qui non stabilierunt testamentum meum, quod fecerunt ad faciem meam, vitulum quem fecerunt ad operandum eo.* Quis hinc commodum aliquem sensum exsculpserit? Nullus certe, nisi ante μόσχον, vitulum, τὸ ὡσεὶ, *sicut* suppleverit. Hoc ergo vult, *Dabo illos qui violarunt fœdus meum*, (διαθήκη enim apud Hellenistas pro συνθήκη ponitur) *tanquam vitulum istum, quem fecerunt* in diserto, ut *colerent eum.* ἐργάζεσθαι enim apud Hellenistas sæpe idem esse quod δουλεύειν, utrumque vero interpretamentum עָבַד esse supra ad cap. XXV. ostendimus. Unde melius phrasin istam conversam puto in Edit. Basileënsi, *ad operandum ei*, quam in Edit. Romana, *ad operandum eo.* Sensum, inquam, nunc aliquem habes, sed neutiquam illum, quem divinus Vates intendit.

CAP. XXXVIII.

Vers. 5, Ecce ipse in manib. vestris est. Nec enim fas est regem vobis quicquam negare] Ita vulg. LXX. mutatâ oratione, ἰδοὺ αὐτὸς ἐν χερσὶν ὑμῶν, ὅτι οὐκ ἐδύνατο βασιλεὺς πρὸς αὐτοὺς. Ebr. כִּי אֵין הַמֶּלֶךְ יוּכַל אֶתְכֶם דָּבָר / Turbat aliquantulum vocula אֵין / quæ non solet cum futuris construi. Itaque non satis accurate vertitur, *quia Rex non potest contra vos quicquam.* Junius, *minime* [*is est*] *Rex*, [*qui*] *possit contra vos quicquam.* Genev. in margine, *car* [*cestui-la*] *n'* [*est*] *pas roi* · [*qui*] *peut quelque chose par dessus vous.* Angli, *Rex non est is, qui possit quicquam contra vos.* Vulgus interpretum hoc Regis responsum ita interpretatur, quasi Placentinus ille Rex Prophetam Jeremiam ipsis tradiderit, ne incurreret in malevolentiam principum, ut loquitur Lyra. *In hoc peccavit mortaliter*, inquit Carthus. *quod virum innoxium tradiderit morti quamquam hoc egerit timore humano ne suos offenderet.* Et verba sequentia, *nec enim fas est Regem* &c. sic inquit, *hoc falsum fuit, quia contra justitiam nulli acquiescendum est, præsertim inferiori & subdito.* Sed sciendum est, ut Reges Judæ capitalia quædam judicia per se exercuerint, tamen quædam cognitionum genera & judicia, neutiquam ipsis permissa sed reservata Synedrio fuisse; inter illa erant judicia de tribu, שֶׁיָּדַח כֻּלּוֹ אוֹ רֻבּוֹ quæ

vel tota vel magnam partem ad idololatriam defecit, item de pseudo-Propheta, de sacerdote magno Massecheth Sanhedrin, (quod eruditissimus & supra ætatem in literis Orientalibus & Græcis & Theolog, versatus juvenis D. JOHANNES COCCEJUS nobis Latine non ita pridem dedit, & accuratissimis notis illustravit) cap. I. §. I. אֵין דנין לא את השבט ולא את נביא השקר ולא את כהן גדול אלא בְּבֵית דין של שבעים ואחד id est, judicant vel tribum vel pseudo-Prophetam vel sacerdotem magnum, nisi in *domo judicii LXXI*. id est, Synedrio magno, Hoc ergo vult Rex, Quandoquidem vos principes, qui estis membra Synedrii, contenditis hunc hominem esse seditiosum pseudo-prophetam, judicate eum. Neque enim ego in hoc negotiorum genere quicquam possum adversus vos.

CAP. XLVIII.

Vers. 10. Maledictus qui facit opus Domini רְמִיָּה] Ellipsis ב constituentis cum nomine abstracto periphrasin adverbii, quia vero vox Ebræa & fraudem & pigritiam significat, hinc alii vertunt, *fraudulenter*, alii *negligenter*, *pigre*, Hæc sententia vulgo citari solet in genere adversus eos, qui vocationes suas & officia demandata negligenter obeunt. Sed, si à principio hoc caput legeris & sequentia adjeceris, videbis esse tantum incentivum, quo Deus Chaldæos, Moabitarum hostes excitat, *Maledictus qui opus Domini* (opus exterminationis Moabitarum) *fecerit fraudulenter*, vel indiligenter, *& gladium cohibuerit à sangvine*. Interim tamen nihil obstabit, inquit Francius oraculo 47. quo minus speciale dictum istud generaliter usurpetur, modo illud fiat cum tali annotatiuncula; Quod Jeremias dicit de illis, quibus exterminatio Moabitarum divinitus erat commissa, Maledictus sit qui opus DOMINI fecerit fraudulenter, Id ego Concionator dico Magistratui, Maledictus qui opus Domini [in defendendis piis & puniendis impiis] negligenter facit. Item, illud ipsum ego Concionator dico singulis patribus familias, quibus Deus Commisit Oeconomiam, libros educandos & alia opera. Usus hujus annotationis est, ne suspectas habeat auditor omnes tuas allegationes, si viderit te, prorsus contextuum coherentia neglecta, tam promiscuum esse in citandis divinis oraculis. Et habet candem consuetudinem Sacra Scriptnra sibi

ſibi ipſi familiarem. Hæc Franzius. Dignus etiam eſt qui hic audiatur Theodoretus, *Si juſſu Dei*, inquit, *ſermo Propheticus maledictioni ſubjicit eos, qui negligenter occidunt, quantas nos pœnas exolvemus, ſi munus ſpirituale parvipenderimus.* Monſtrat nobis B. Pater quomodo per argumentationem ab imparibus locus iſte ad alia quoque transferri poſſit.

Verſ. 12. Καὶ τὰ κέρατα αὐτοῦ συγκόψουσι.] Et cornua ejus concîdent. Ita Lxx. *Confringere alicujus cornua*, phraſis in S. Literis frequens & trita eſt, pro, potentiam & robur alicujus ſubvertere. Videturque prima fronte ſenſus iſte hic optime quadrare. Sed ubi originalem textum inſpexeris & anteriora legeris, videbis continuare Prophetam Metaphoram vinariam. Verſ. 11. *tranquillus eſt Moab inde à pueritia ſua* (objicit ei Deus præſid entiam) *& deſidet ſuper feces ſuas, neque trans-fuſus eſt de vaſe in vas, & in captivitatem non ivit: propterea manſit ſapor ejus in eo, odor ejus non eſt mutatus.* 12. *Idcirco ecce dies veniunt, dicit DONINVS, cum immittam ei peregrinantes, qui peregre agant eum, & vaſa ejus depleant* (vel evacuent id eſt, oppida eorum) וְנִבְלֵיהֶם יְנַפֵּצוּ *& lagenas eorum diſſipent.* Non ſolummodo evacuabunt vaſa id eſt, ſpoliabunt urbes & domos in quibus theſauri & opes, ſed ipſa quoque vaſa id eſt, ædes. urbeſque perdent. Depopulabuntur urbes Moabitarum & incendent. Voci נֵבֶל cum *cornu* nihil eſt commune. Quid ergo fiet Græca verſione? An Lxx. tam ſtupidi, ut pro *lagenis* cornua poſuerint? Scire licet, veteres, ut & nos hodie, ex cornibus quoque bibiſſe. Unde κέρας quoque inter lagenas, pocula & vinaria vaſa. Bibebant autem ex cornibus, quod crederent iis vim ineſſe ἀλεξιφαρμακον. Varians lectio, καὶ τὰ κεράσματα αὐτοῦ συντρίψουσι. Et pocula ejus confringent. Origenes, τὰ κεράσματα ὡς ἐπ᾽ οἴνου ῥηθέντα Ακύλας ἐξέδωκε, κέρατα. ὅπερ ἀρχαῖον ποτηρίου ἐτύγχανεν εἶδος. Κέρασι γὰρ ἔπινον. ὅθεν καὶ τὸ κεράσαι λέγειν παρέμεινεν. Id eſt, Κεράσματα *tanquam in vino dicta, Aquila edidit,* κέρατα. *Quod quidem antiquum poculi genus erat: Ex cornibus enim bibebant. Vnde etiam manſit conſuetudo dicendi* κεράσαι, quaſi ſcilicet è cornu miſcere.

Antequam tranſeam ad libros ſequentes conſideranda obiter nomina quædam Ebraïca, quæ ab interpretib. retenta librariis Ebrææ linguæ ignaris corrupta, interpretibus magnas moleſtias

fa-

facefsêre Cap. XL. 14. בַּעֲלִיס *Baalis Rex filiorum Ammon misit Israelem ad percutiendum te.* LXX. Βαλισὰ βασιλεὺς τῶν υἱῶν Ἀμμων &c. Alii Βαλισσά. Rom. Editio Βαλεισσά. Complutensis, βασίλισσα βασιλέως *Regina regis Filiorum Ammon.* CAP. XLI. 5. καὶ μάννα καὶ λίβανος ἐν χερσὶν αὐτῶν. Ebr. מִנְחָה וּלְבֹנָה / LXX. scripserunt μαναά. Manna enim aliud est. Aquila solet reddere δῶρον, id est, munus, donum. Vocem illam corruptam μαναὰ sæpius in Græcis Bibliis invenies. Vide & Jerem. XVII. & Baruch. I. 10. Ezech. XLV. 25. & XLVI. 5. in Rom. Edit. legitur μαναά, Quomodo ἀρχαϊκῶς lectum fuit, pro quo nunc מִנְחָה legimus. Hieron. ad cap. 17. Jerem. *Pro sacrificio LXX. ipsum verbum Ebraicum posuere* μαναά, *quod pessima consvetudine, imo scriptorum negligentia* Manna *in nostris libris legitur.* Vers. 17. Et abierunt & sederunt ἐν γαβηρωχαμαά. Alii Codices, ἐν γῇ βηρὼθ χααμ. At Ebr, בְּגֵרוּת כִּמְהָם in Hospitio Cimhani. Scribendum ergo, si quis Ebræa retinere velit, ad antiquam consuetudinem, ἐν γηροὺθ χαμαάμ. Cap. XLVI. 15. LXX. *Quare fugit a te Apis, vitulus electus tuus?* At in Ebr. non memoratur Apis. Vers. 17. Καλέσατε τὸ ὄνομα Φαραὼ νεχαὼ βασιλέως Αἰγύπτου, σαὼν εσβειὲ μωήδ. In Latina versione Theodoreti, *Sao Neesbiemod.* Scribendum erat σαὼν ἐεβείρ ἀμμωήδ, Ebræa קָרְאוּ שָׁם פַּרְעֹה מֶלֶךְ מִצְרַיִם שָׁאוֹן הֶעֱבִיר הַמּוֹעֵד, Clamarunt illic, Pharao Rex Ægypti [*rex*] *strepitus est*, (id est, streperus) *prætermittit constitutum tempus.* q. d Pharao multa promittit, res magnas pollicendo strepit, sed justo tempore nihil efficit. LXX. legerunt. קִרְאוּ שֵׁם ut & Vulgata. Lovaniensis Belgica, **Noemt Pharaos naem / gherucht hebet den tijdt aen-bracht.** Quis hæc intelligat? Lutherus quoque nimium sibi indulsit, **aldaer schreitmen hen nae / Pharao-leyt / hy heeft sijn Tente verlaten.** Melius Pisc. Pharao ist ein plauderer / er hadt die bestimte zeit laassen fur uber gehen. Angli & Genev. *Pharao n' est que bruit*, il à laissè passer le temps assignè. Non eduxit copias suas uti promiserat. Vox est, præterea nihil. CAP. XLVIII. 33. Ebræa ita habent, *Vinum de lacubus cessare faciam.* לֹא יִדְרֹךְ הֵידָד הֵידָד לֹא הֵידָד *non calcabit [cum] celeusmate: celeusma non erit celeusma.* Non calcabit calcator, vel, non calcabitur amplius. Audietur clamor, sed non celeusma, quale in vindemia audiri solebat. Κέλευσμα & κελευσμὸς proprie est hortamentum nauticum,

quo

quo remiges ad remigandum incitabantur. Servius ad illud Virg. Aen 8. *tacitis remis*, ἀνθ' κελεύσματ@, inquit, *nam celeusma est clamor nauticus an hortandum*, ut,

-- Nunc nunc incumbite remis
Hectorei socii.

At apud Vulg. interpretem, Junium & alios usurpatur pro voce clamantium & agitantium hilaria ex messe, & vindemia, ἐπιλήνιον ᾆσμα. Lxx. οἶνος ἦν ἐπὶ ληνοῖς σου, πρωῒ οὐκ ἐπάτησαν, οὐδὲ δειλης οὐκ ἐποίησαν αἰδὲ, Vinum non erat *in torcularib. tuis. Mane non calcarunt; & vesperi non fecerunt hade.* Theodoretus legit, οὐδὲν *neque vespere fecerunt quicquam.* Complut, proprius Ebræo αἰδὲδ. CAP. XXV. 30. insignis allegoria est, qua Deus, Leoni: principes & Reges, Pastoribus: populus, gregi, regiones pascuis & caulis comparantur. *DOMINVS ex alto rugiet, & ex habitatione sanctitatis suæ edet vocem suam: rugiendo rugiet * in habitaculo suo,* הֵידָד כְּדֹרְכִים יַעֲנֶה אֶל־כָּל־יֹשְׁבֵי הָאָרֶץ *celeusma quale est calcantium efferet* (sc. Deus) *contra omnes habitatores terræ.* Non dubito quin Lxx. scripserint, καὶ αἰδὲδ ὥσπερ, τρυγῶντες ἀποκριθήσεται. Cum vero librarii illud vocis non intelligerent, fecerunt ex eo, οἵδε, *Hi vero*, Et ut cætera convenirent ex ἀποκριθήσεται fecerunt ἀποκριθήσονται. Hi vero instar vindemiantium respondebunt. Ita quod in originali de Deo prædicatur, illi ad incolas retulere. CAP. XLVIII. 34. עֶגְלַת שְׁלִשִׁיָּה [*quasi*] *vitula trima.* Lxx. voces Ebræas retinuere, quas miris modis librarii deturparunt, Edit. Rom. καὶ ἀγγελιὰν σαλασια Complut. ἔγγελα σελισία. CAP. XLIX. 28. לְקֵדָר וּלְמַמְלְכוֹת חָצוֹר אֲשֶׁר הִכָּה נְבוּכַדְרֶאצַּר idest, *contra Kedar & regna Chatzor, quæ percussit Nebucadnezar.* Lxx. τῇ Κηδαρ, * τῇ βασιλίσσῃ τῆς αὐλῆς, ἣν ἐπάταξε Ναβουχοδονόσορ. *Posteritas Cedar, qui erat unus ex filiis Israel*, inquit, Theodoretus, *illo tempore reliquis tribubus, ut verisimile est, imperabat. Vnde etiam illam appellavit Reginam Saracenorum. Erant namque pastores habitantes in tentoriis.* Nugæ quas non illevisset chartis doctissimus Pater, si Ebræa inspicere potuisset. Lxx. videntur legisse לְקֵדָר וּלְמַלְכַּת חָצֵר / CAP. L. 39. satius fuisset Ebræas voces retinere, Ebræa, propterea habitabunt (in Babel) צִיִּים אֶת־אִיִּים & habitabunt in ea בְּנוֹת יַעֲנָה *filiæ ulula.* Lxx. διὰ τοῦτο κα-

* Vel super, Ebr. עַל.

* Complut, καὶ τῇ βασιλίσσῃ.

κατοικήσουσιν ἰνδάλματα ἐν νήσοις, καὶ κατοικήσουσιν ἐν αὐταῖς θυγατέρες σειρήνων. Ideo habitabunt phantaſmata (ſimulacra, ſpecies) *in inſulis, & habitabunt in illis filiæ Sirenum.* Nemo ergo putet in textu canonico poëticas Sirenes memorari. Vulg. *habitabunt illic dracones cum fatuis ſicariis, & habitabunt illic ſtruthiones. Fatuos ſicarios* Lyra interpretatur faunos & ſatyros. Romani correctores, judice Luca Brugenſe, hic acutum viderunt, Suſtulerunt enim hic duo menda, legendumque cenſuere, *faunos ſicarios à ficu arbore, faunis, credo, ut alias Mercurio, amata* verba Brugenſis, in locis inſigniorib. Romanæ correctionis S A tamen retinuit vulgatum *ſicariis, forte dæmones* intelliguntur, inquit, in ſpecie ſicariorum apparentes. Magis miror, Belgicæ Lovanienſis recognitores, qui in præfationibus dicuntur eam ad poſtremam correctionem Romanam correxiſſe, locum hunc ſic expreſſiſſe, **Daerom sullen de Draecken wonen by de grouwelijcke Moordenaers.** An ergo *ſicarii* ſunt **Moordenaers**? An hoc eſt corrigere verſionem ad veritatem editionis vulgatæ in urbe nuper emendatæ & reſtitutæ? Ego hæc eo produxi, ut monerem tironem, ex eo quod in verſionibus ſubinde occurrunt Fauni, Satyri, Sirenes, & id genus Poëtica monſtra, non poſſe colligi, voces iſtas in Sacris literis (intelligo authenticas tabulas) extare.

THRENI.

In ipſo limine moneo, præloquium illud quod in Græcis Codicib. reperitur, non extare in Ebræo, *καὶ ἐγένετο μετὰ τὸ αἰχμαλωτισθῆναι τὸν Ἰσραὴλ, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἐρημωθῆναι, ἐκάθισεν Ἱερεμίας κλαίων, καὶ ἐθρήνησε τὸν θρῆνον τοῦτον ἐπὶ Ἱερουσαλὴμ καὶ εἶπεν.* Ac proinde urgeri non poſſe adverſus illam Hieron. Joſephi, Junii & aliorum ſententiam, hunc librum continere illas lamentationes quas compoſuit Jeremias in obitum Regis Joſiæ 2. Chron. xxxv, 25. ita tamen ut occaſione necis Regis præſentes & inſtantes calamitates defleverit. Sic dico, quæ poſt obitum Joſiæ contigerunt, prævidit Propheta, & tanquam jam facta deflevit.

CAP.

CAP. I.

Verſ. 12. O vos omnes, qui tranſitis per viam, attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus] Thomas in Summa, parte 3. qu. 46. art. 6. quærit utrum dolor paſſionis Chriſti fuerit major omnibus doloribus. Poſtquam rationes aliquot produxit pro ſententia negante, ita concludit, *Sed contra eſt, quod Thren. 1. dicitur ex perſona Chriſti, Attendite & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus.* Solet etiam in picturis pontificiis Salvator patiens repreſentari, cum horum verborum adſcriptione. Ex poſtillis Monachalibus locum iſtum à Miniſtris Evangelicis quoque ſæpe in eandem ſententiam allegari ſolet. Quod de paſſione Chriſti aſſerunt verum eſt. Ad hunc locum eo trahere, aſſerere hoc verſu Chriſtum introduci, longe ineptiſſimum eſt. Unde nec Theod. nec Hieron. nec ex recentioribus Pintus, Sa & alii iſtius ſenſus hic meminere. Rectius à quibuſdam accommodantur damnatis. Quamvis nec iſte ſenſus primarius & literalis ſit. Dico tamen, rectius. Quaſi ſi quis verſum iſtum tanquam ſub ipſorum dictum exponere vellet, paucioribus incommodis premeretur. Ebræa non uno modo exponuntur, לֹא אֲלֵיכֶם כָּל־עוֹבְרֵי דֶרֶךְ Vulg. *o vos omnes* qui tranſitis *per viam*, לא plane otium agente. Eodem fere modo Luth. *Vobis dico, qui tranſitis.* Sunt qui putant eſſe verba deprecantium, *Non ad vos qui pertranſitis* pertingit ſc. hoc malum, quo ego obruor. Deus à vobis prohibeat hujuſmodi calamitates. Alii, *Ne ſit vobis [grave]* o *qui tranſitis per viam* illud vid. quod jam jam vobis injungam, *aſpicite & videte* &c. Minus ſe mihi probant duæ iſtæ interpretationes, quia tunc potius adverbio אַל dehortandi & deprecandi particula uſus fuiſſet ὁ θρηνωδός. Itaque ſimpliciſſimam ego illam cenſeo verſionem *Annon ad vos [pertinet meus ſtatus] o qui tranſitis* &c. Ita Deod. Angli & Genev. q. d. An ergo nulla vos mei tangit commiſeratio? Putatiſne hanc meam calamitatem neutiquam ad vos pertinere? Annon cogitatis, idem fatum vos quoque aliquando poſſe excipere; Crebrum eſt הַ interrogativi ellipſis. Et tritum eſt orationem pronunciatione juvare, Trahes Leviathan hamo? Et malum non accipiemus? Job. 2. In hanc ſententiam exponi poſſet verſio Græca, ſi primam vocem οἱ in οὐ mutes, οὐ πρὸς ὑμᾶς πάντες παρα πορευόμενοι ὁδὸν; *Non ad vos* [pertinet meus ſtatus] *omnes qui tranſitis viam?*

Quis enim ſenſus vulgatæ Lectionis, οἱ πρὸς ὑμᾶς π. παράγετ. ὁδόν. Qui ad vos, omnes qui tranſitis per viam. Et quid magis probabile, quam Græcos Interpretes adverbium לא per οὐ reddidiſſe? Quidam, *adjuro vos, qui tranſitis* &c. Meminitque iſtius ſententiæ Aben-Ezra his verbis לוא יש אומרים מלשון אלה ולא מצאנוהו בלא אלף Sunt qui dicunt eſſe à verbo & ſignificatione אָלָה *execratus*, ſed non invenimus iſtam radicem ſine א.

Verſ. 13. De Excelſo miſit ignem in oſſa mea, & erudivit me] ut ſuperior verſus male Chriſto tributus fuit ita hic male de Sp. Sancto explicatur. Carthuſ. in allegorica hujus capitis explicatione, *Oſſa quoque ſunt Apoſtoli, quibus in igneis linguis miſſus eſt Sp. Sanctus, tuncq́; per eos Deus erudivit Eccleſiam.* At hic de alio igne agit ὁ θρηνωδός. Et τὸ *erudivit* non eſt in Ebræo. וַיִּרְדֶּנָּה habet textus, id eſt, *& dominatur ei*, egregio ſenſu Deus dominatur iſti igni. Deus eſt moderator hujus ignis, non homo. רָדָה *dominari*. *Erudivit me*, id diceretur וַיּוֹרֵנִי / Lxx. legiſſe videntur וַיּוֹרִידֶנָּה & deſcendere fecit eum, ἐξ ὕψους αὐτοῦ ἀπέστειλε πῦρ ἐν τοῖς ὀστέοις μου κατήγαγεν αὐτό.

Verſ. 19. Conſumpti ſunt.] Ebr. גָּוָעוּ / expirarunt. De hac voce duo notentur. I. Errare eos qui eam tantum de piis & ſalvandis uſurpari aſſerunt. Multi hinc probat Iſmaëlem ſalvatum eſſe, de quo Geneſ. xxv. 17 וַיִּגְוַע וַיָּמָת Abſit ut ego Iſmaeli vitam æternam abjudicem Deus illum judicavit, Hoc ajo, ex illa voce non procedere argumentum. R. Salomo לא נֶאֶמְרָה גְוִיעָה אֶלָּא בַּצַּדִּיקִים id eſt, non diciturexpiratio niſi de juſtis. At cornua obvertit iſti ſententiæ locus Gen. vi. 17. & vii. 21. II. Eos non recte ſentire, qui גְוִיעָה putant de eo tantum genere mortis uſurpari, quæ eſt ſine morbo dolores inferente & ſine caſtigationibus, ut loquitur Gerundènſis. Aben-Ezra, מִלַּת וַיִּגְוַע צֵאת הָרוּחַ מֵהַגּוּף רֶגַע אֶחָד בְּלִי עִנּוּי וְעִכּוּב dictio וַיִּגְוַע ſignificat exitum ſpiritus in uno momento (id eſt, ſubitaneum,) *ſine dolore & mora.* q. d. גוע ſignificat mortem repentinam, facilem & dolorisexpertem. Græci εὐθανασίαν vocant, quæ ſine doloribus eſt. Talemortis genus Auguſtum ſibi ſemper exoptaſſe Suetonius teſtis eſt. Hanc ſententiam refellit locus iſte Threnorum. Qui enim fame pereunt, lenta morte expirant. Et quis dixerit ſine dolore expiraſſe eos quos aquæ diluvii ſuffocarunt? Et cum Ebræo גוע examiſſim conveniat Græcum ἐκψύχειν, quis dixerit Herodem ſine acerbiſſimis doloribus infelicem animam efflaſſe? Act. xii. 23. παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν ἄγγελος.

γελος κυρίου, ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδοκε τὴν δόξαν τῷ Θεῷ καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος ἐξέψυξεν. Quod exemplum priore quoque errori convellendò adhiberi poſſet, ſi tam tutum eſſet homines Orco adſcribere, quam uſitatum. Equidem non puto quempiam inficiaturum fieri potuiſſe ut in extremo pœnituerit. Quod cum nec affirmet nec neget textus, relinquamus & illum ſuo & noſtro judici.

Verſ. 14. Vigilavit jugum inquitatum mearum in manu ejus, *convolutæ ſunt & impoſitæ collo meo.*]. Ita vulgatus Lutherus paulo aliter, *peccata mea gravia evigilarunt per pœnam ejus, & catervatim incubuerunt collo meo.* Quicquid hic congerunt Interpretes de evigilatione & dormitione jugi, alienum eſt. נִשְׂקַד cum ſit à שָׂקַד cum puncto in ſiniſtro cornu שׂ / non poteſt evigilandi notionem habere. Hoc enim eſt שקד cum puncto in dextro dente. Vox נִשְׂקַד / inquit Aben. אין לה אב ואם והטעם כמו נמשך כמו נמהר / *nec Patrem nec Matrem habet*, id eſt, vox plane ſolitaria, à conjugatis omnino derelicta) & idem ſignificat quod נמשך protrahitur, vel נמהר acceleratur. Kimchi, ligatum eſt, aggravatum eſt jugum &c. Et ſic Chaldæus אִתְיַקַּר aggravatum eſt. In Vaijikra rabba סָקַד eſt adhærere, notanti Kimchio. Videtur ergo ſic ſtatuendum, quatuor ſimilitudinib. gravitatem iræ divinæ qua premitur Jeruſalem, illuſtrari. I. ab imiſſione ignis verſ. 13. II. ab illaqueatione ibidem. III. ab impoſitione gravis jugi hoc verſu IV. à calcatione torcularis verſ. 15. Quod ad jugum attinet, cauſas recenſet, 1. *Meritoriam*, malitiam. 2. *Efficientem*, Deum. 3. Materiam, multas vid. plagas collum gravantes. 4. Finem, ut vid. de ſanitate & erectione cogitet. Junius ait eſſe allegoriam à comparatione jumenti ſubjugis. q.d. defectiones meæ ſunt tanquam lora & vimina. Hanc materiam aſſumit Deus, compingit, contorquet tanquam vieta vimina & imponit cervicibus meis illarum jugum tam grave ut vires meas proſternat. Sic ergo exponendæ voces Ebrææ נִשְׂקַד *ligatum eſt* vel, *aggravatum eſt*, vel, *compactum eſt*, *firmiter adhæret* collo meo על פְּשָׁעַי בְּיָדוֹ *jugum defectionum mearum manu ejus*, manu DOMINI. Funes iſtus jugi יִשְׂתָּרְגוּ *implexi ſunt*, vel contortuplicantur, & עָלוּ עַל־צַוָּארִי *aſcendunt ſuper collum meum*, atque ita הִכְשִׁיל כֹּחִי *labefactat* vel *corruere facit vires meas*. Genev. *le joug de mes forfaits * eſt tenu ſerrè par ſa main, ils ſont entortillez & appliquez ſur mon col* &c.

* Deod. è ſtato riſtretto,

Verſ. 15. Torcular calcavit DOMINUS virgini filiæ Sion.]

 Ita

Ita vulg. optime, & Lxx. ληνὸν ἐπάτησε Κύριος παρθένῳ θυγατρὶ ἰούδα Ebr. גַּת דָּרַךְ אֲדֹנָי לִבְתוּלַת וגו׳ / Luth. **De Heere heeft * der Jonck-Vrouwen Dochter Juda een Wijn-persse treden laten.** Pro quo in quibusdam codicibus, **De Heere heeft den Jonck-Vrouwe** &c. quod diceretur Latine, *Dominus fecit virginem filiam Juda torcular calcare.* At hoc torcular non calcavit Juda, sed Deus Judæ. Jtaque Angli clarius, *DOMINVS calcavit virginem filiam Juda, [tanquam in] torculari.* Et Genev. *Le Seigneur à tiré le pressoir sur la pucelle* &c. Calcare torcular metaphorice est calamitatum & pœnarum pondere premere, ultionem sumere vide quæ ad Jes. *63.* notavimus.

*NB. der Jonck-Vrouwe, id est, virgini.

CAP. II.

Vers. 8. tetendit funiculum suum] Frustra sunt, qui hunc locum illustrare volunt ex collatione cujuslibet loci, ubi in textu Latino eadem vox *funiculus* extat, ex. gr. Ps. XVI. 6. Ps. LXXVIII. &c. ubi in Ebr. est חֶבֶל aut חֲבָלִים & intelliguntur funiculi mensorii, quibus agros dividebant. Hic vero in Ebr. est נָטָה קָו *extendit perpendiculum*, vel, *regulam.* Similia & παράλληλα loca ista sunt, Zach. I. 16. *Domus mea ædificabitur in Jerusalem,* וְקָו יִנָּטֶה *& perpendiculum* extendetur super Jerusalem hoc est accurate & artificiose exædificabitur. 2. Reg. XXI. 13. *& extendam super Jerusalem perpendiculum Samariæ,* id est, sicut vastavi Samariam, ita & urbem Jerusalem vastabo. Neque enim tantum dicitur extendi perpendiculum, quando aliquid artificiose ad amussim & regulam fabrilem ædificatur, sed etiam cum ædificium curiose diruitur, & solo æquatur caveturque, ne quid ex ruderibus super terram emineat. Deo verò cum hæc phrasis tribuitur, inquit Cl. Tarnovius, id innuitur ipsum judicium esse culpæ adæquatum, & suplicium juxta mensuram criminum infligi.

Vers. 18. Ne des requiem tibi] אַל־תִּתְּנִי פוּגַת לָךְ. Edit. Rom. μὴ δῷς ἔκνηψιν σεαυτῇ ne des requiem tibi. Sic cap. 3. 49. οὐ σιγήσομαι, τοῦ μὴ εἶναι ἔκνηψιν. *Non tacebo eò quod non sit requies.* Edit. Complut. μὴ δῷς ἔκνιψιν σεαυτῇ, *& des lotionem tibi.* Edit. Basil. καὶ δῷς ἔκνιψιν σεαυτῇ, *& des lotionem tibi*, quasi per lacrymas elui possent peccatorum sordes. Solus Christi sangvis eluit eas. Sequitur, אַל תִּדֹּם בַּת עֵינֵךְ ne quiescat pupilla oculi tui, Lxx. Edit. Rom.

μὴ σιωπήσαιτο θυγάτηρ ὀφθαλμῶν σου. Nota, θυγάτηρ pro pupilla, quia בַּת utrumque apud Ebræos significat. Compl. μὴ σιωπησάτω κόρη ὀφθαλμῶν σου. Hæc quoque vox *κόρη* & pupillam significat. Imò ipsa vox Latina *pupilla* ambigua ad utrumque. Est enim pupilla proprie parva pupula, utrumque ὑποκοριστικὸν seu diminuativum à *pupa*, parva puella. Ut pupus, parvus puer. Huc vulgo quoque referunt nomen Ebr. אִישׁוֹן quo *pupillam* notant putantque diminutivum esse ab איש vir. quasi *virunculum* dicas. Sed falluntur. Ut enim taceam, probari evidente exemplo non posse literam Nun formativam diminutivorum esse, אִישׁוֹן nigrum vel nigredinem significat, Prov. VII. 9. בְּאִישׁוֹן לַיְלָה in negredine noctis pro quo Prov. XX. 20. scribitur בֶּאֱשׁוּן, Hinc translata ea vox ad notandum nigrum illum in oculo circulum. Quod vero ad בַּת attinet, vox ea quidem & filiam & pupillam significat, sed illud simul observandum est tyroni, cum *filiam* significat, esse contractum ex בֶּנֶת / ex masc. בֵּן / cum *pupillam*: crasin esse pro בָּבַת / quod plenum extat Zach. 2. 8. בְּבָבַת עֵינוֹ / ex absoluto בָּבָה / ut קָמָה קָמַת. quasi esset à themate mediam vau habente בוב vide Gramm. nostram p. 86. Frequentior ea vox est in Chald. & Thalmudicorum scriptis, Koheleth. 12. 3. בָּבֵי עֵינָךְ *pupillæ oculorum* tuorum & Deut. 32. 10. ubi in Ebr. אִישׁוֹן עֵינוֹ. Chald. habet כְּבָבַת עֵינוֹהִי.

Vers. 19. Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum.] Audi hic Pintum in observationibus ex Ebræo, ut vocat, & ride. Mònemur hoc loco, inquit, preces fundere ad Deum pro animabus mortuorum, ut Deus eas ducat ad gloriam sempiternam: non pro illis quæ sunt in cælo, aut in inferno, sed pro illis quæ in *purgatorio*. Atque ita gradum protollit ad prolixam disputationem de purgatorio & authoritate 2. libri Machab. ex cujus capite 12. locum istum vulgatissimum citat de sacrificio Judæ Machabæi. Sed miror Pintum tam derepente oblitum fuisse eorum quæ in comm. p. 317. ad hunc ipsum locum commentatus est, *Pro anima* inquit illic, id est, pro vita, vel ad literam, pro anima, ut qui jam vitam amittebant (nota, amittebant, non, amiserant, ergo pro vivis) animas saltem salvarent. Sensus est, Ora Deum, ut eorum animæ in sinum Abrahæ *recipiantur*. Quia vero in sequentibus provocat ad 2. Mach. 12. 43. dicitque Judam Machabæum facta collatione, duodecim mille drachmas misisse Jerusolymam, ad offerendum pro peccatis mortuorum sacrificium, bis impingit.

I. in

I. in numero drachmarum. Nam Græci codices constanter διχιλίας δραχμὰς memorant, id est, bis mille drachmas. II. addendo *mortuorum*. Omnes enim Græci codices etiam Romanus, unanimiter, προσαγαγεῖν περὶ ἁμαρτίας θυσίαν: pro peccato superstitum quod contagione eos quoque reos fecerat (ut peccatum Achanis reliquos Israelitas, Jos. 7.) ut peccatum hoc πελείων ἐξαλειφθῇ, id est perfecte deleretur, inquit textus vers. 42. quod morte cæsorum jam ex parte deletum erat. Licet autem Voculam *mortuorum* Latina exemplaria pleraque habeant, monuerunt tamen Lovanienses Theologi M. S. quædam & Græca exemplaria illam non agnoscere. Quin ipsi genuinam lectionem textui * inseruerunt, *pro peccato*: alteram illam, *pro peccato mortuorum* in marginem rejicientes. Quod vere author libri hoc factum Judæ sic interpretatur, quasi is pro mortuis hæc sacrificia offeri voluerit, non magis nos movere debet hominis minime θεοπνεύστου futile judicium, quam Judæorum, qui cum Christus Eli Eli clamaret, illum Eliam invocare credebant. Judas quippe magis in lege versatus fuit, quam ut sacrificia pro defunctis offerenda putaverit; utpote cujus rei nec præceptum nec exemplum in ea extat. Vide prolixe de hoc loco disserentem Rainold. in Cens. librorum apocryphorum tomo. I. præl. CV. & tomo 2. præl. CLVIII. & seq.

* Intelligo illam Editionem in 8. quam Plantinus edidit & sæpius recudit. Lucas quoque Brug. in catalogo locorum, quę putat post Pontificum correctionem adhuc corrigenda esse, hunc quoque locum recenset.

CAP. III.

Sunt qui totum hoc caput Christo patienti literaliter tribuant, crassissimo errore. Is enim nunquam à Deo defecit, ac proinde ipsi non conveniunt ista, revertamur ad Dominum, Vers. 40. rebellavimus, defecimus vers. 42. Adhæc Christus in cruce pendens pro hostib. suis intercessit, non eos devovit.

Vers. 14. Factus sum in derisum omni populo meo.] Ita vulg. Torquent se hic interpretes quomodo populus Dei (ille enim hic loquitur tanquam unus) dicat se in derisum esse omni populo suo. Junius לְכָל עַמִּי *cum omni populo meo.* Non vitata eadem difficultate. Pisc. *omnibus populis*, sc. vicinis & circumjacentibus. Sed ita ut putet locum corruptum, scribendumque esse לְכָל־עַמִּים / Ego interpretationem Piscatoris amplexor. Crisin non item. Interterminationes enim irregulares pluralis numeri etiam hæc est, Sic חוֹרִי foramina, pro חוֹרִים Gen. 40. 16. Ps. 144. 2. *qui subjicit mihi*

mihi עַמִּים Hieron. & Chald. *populos*. Ubi Masora notat ג׳ סְבִירִים עַמִּים tria falso putari legenda עַמִּי / Duo nunc produxit. Tertium extat 2. Sam. 22. 44. Eruisti me à contentionibus עַמִּי / Mens Masoritarum ista est, Falso putari pro illa voce legendum esse עמים / cum Jod. possit esse affixum, vel sit terminatio irregularis pl. numeri.

Vers. 23. Novi diluculo, multa est fides tua.] Ita Vulg. LXX. τὰ καινὰ ἐν τῷ πρωῒ πολλὴ ἡ πίστις σου. Rom. Καινὰ εἰς τὰς πρωΐας. Τὰ καινὰ sc. ἐλέη, quorum mentio versu præcedenti. Sed illud Latinum *Novi* quo referendum? Rabanus, Hugo, Thomas, Carthus. Lyra, atque adeo in hac literarum luce ipse SA exponunt *novi*, id est, scio, novi à diluculo id est, à pueritia mea, vel tempestivè, quod multa sit fides tua. At quomodo hæc interpretatio cum originali conciliari possit nullus video. Et Pintus ingenue, si Ebraïcam consulas literam, videbis, inquit, veram lectionem esse Novæ diluculo, seu novæ cottidie. Est ergo nomen adject. numeri pluralis non verbum. Novæ etiam habent nonnulli codices correcti ad marginem. Hæc ille. Romani tamen correctores retinuerunt corruptam lectionem. Ubi Lucas Brug. non potuit se continere quin adderet, in quibusdam libris legi *Novæ*, sine ulla censura. Tantum addit, spurium esse quod nonnulli legunt, *nova es*. Et quid clarius est? Lege versum antecedentem, *misericordiæ Domini sunt*, id est, summa & infinita Dei misericordia est, plurale pro sing. ad auxesin, *quod non simus consumti, quod non deficiant miserationes ejus*. Sequitur חֲדָשִׁים לַבְּקָרִים *nova* sunt, miserationes illæ, *singulis matutinis*. רַבָּה אֱמוּנָתֶךָ *magna est fides tua*. Quis vero non indignetur hos duos versus tam indiligenter exhibitos in Edit. Romana, quam tam magnifice Sixtus V. commendat.

Τὰ ἐλέη κυρίου, ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με. ὅτι οὐ συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ. Μῆνας εἰς τὰς πρωΐας ἐλέησον Κύριε. ὅτι οὐ συνετελέσθημεν, ὅτι οὐ συνετελέσθησαν οἱ οἰκτιρμοὶ αὐτοῦ. Καινὰ εἰς τὰς πρωΐας, πολλὴ ἡ πίστις σου.	Misericordiæ Domini quia non fecit deficere me: quia non sunt consumptæ miserationes ejus. Menses in matutinis miserere Domine, quia consumpti non sumus: quia non sunt consummatæ miserationes ejus. Novæ in matutinis, multa est fides tua.

Hic variæ interpretationes seu glossemata coaluerunt. Namque illud μῆνας quod solum legit Editio Basil. in 8. videtur respondere

Ebræo חדשים / quod si legas cum camets rapto sub ח / *menses* significat, si cum Chateph fathach, *nova*.

CAP. IV.

Verſ.20. Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus in peccatis noſtris.] Ita vulgatus Interpres. Lovan. Belgica, **De Geest onses monts Christus de Heere is ghevanghen in onse zonden.** Lxx. * πνεῦμα προσώπου ἡμῶν χριστὸς κύριος συνελήφθη ἐν ταῖς διαφθοραῖς αὐτῶν, Spiritus faciei Chriſtus Dominus captus eſt in corruptionibus eorum. Sed quia in aliis codicib. eſt ἡμῶν, putat Nobilius, reddendum potius eſſe, *corruptionibus noſtris ipſorum.* Locum hunc de Chriſto omnes fere veteres, verſionibus iſtis decepti, interpretati ſunt. Et certe ſi defendi ea ſententia poſſet, firmum hinc peteretur pro æterna filii Dei Deitate argumentum. Sed bene habet. Articulus iſte noſtræ fidei tot tibicinibus in veteri & N. fœdere fultus eſt, ſut ab unius aut alterius minus firmi ſublatione nullum ei metuendum ſit periculum. Quin potius hic ad animum revocanda Thomæ ſalutaris admonitio, *Cum quis ad probandam fidem Chriſtianam inducit rationes non cogentes, cedit in irriſionem fidelium. Credunt enim quod hujuſmodi rationibus initamur, & propter eas credamus.* Pontificii patrum expoſitioni hic mordicus hærent, non tam authoritate patrum quam vulgatæ verſionis permoti. Quin & multi illorum textum Ebræum hic ſuſpectare audent, quaſi is à Judæis in odium Chriſti corruptus ſit, Quia is vid. non habet מָשִׁיחַ יְהוָה *unctus* DOMINUS, ut Lxx. & Vulg. legerunt, ſed מְשִׁיחַ יְהוָה *unctus* DOMINI. Sed fruſtra hos fluctus in ſimpulo movent. Præſupponere illi videntur, unctum DOMINI non poſſe de Chriſto prædicari. At Luc. 2. 26. expreſſe vocatur Salvator χριστὸς κυρίου, acceperat reſponſum à Spiritu S. non viſurum ſe mortem, πρὶν ἢ ἰδεῖν τὸν χριστὸν κυρίου. Non eſt ergo quod receptæ illi ſententiæ convellendæ à forma vocis מְשִׁיחַ contracta argumentum petamus. Sed dices, Si legatur מָשִׁיחַ &, *unctus Dominus* non poteſt non de Chriſto intelligi hic verſus. Si vero מְשִׁיחַ & unctus *DOMINI*, poteſt tam de alio rege uncto, qui caro & ſangvis eſt, quam de Salvatore noſtro exponi. Reſpondeo, ex cohærentia judicandum eſſe de vero & germano ſenſu hujus loci. Ea adeo clara & perſpicua eſt, ut Jeſuita à Caſtro confiteatur hanc

* Aquila πνεῦμα μυκτήρων ἡμῶν. Symm. πνοὴ μυκτήρων.

hanc intelligentiam textui optime convenire. Conquesti sunt in superiorib. Judæi de hostilibus Chaldæorum molitionibus & indefessa industria qua hoc unum agebant ut urbem Jerusalem expugnarent. Tandem conqueruntur, *unctum Domini*, Zedechiam, *spiramentum narium ipsorum*, id est, qui tam carus ipsis erat quam spiritus ipsorum, vel sub cujus tutela poterant respirare, quo salvo, adhuc bene sperabant, *captum in foveis ipsorum*, in insidiis, ubi se latitaturum confidebat, Jerem. LII. 8. Et certe quis negare ausit, cum hoc tragico Regis Zedechiæ casu & regnum ipsum corruisse & quicquid adhuc Judæis supererat animi, in pedes decidisse. Cl. Junii hæc est paraphrasis, Rex noster è posteritate Davidis, quo freti saltem nobis datur aliqua interspirandi occasio in quibuslibet angustiis. Nam præsidebant Judæi dignitati illius regni, tanquam si pure & per se ipsum stabile fuisset. Non autem spectabant Christum, qui finis est & complementum illius typi, neque conditiones sibi *imperatas*. Expende diligenter Ebræas voces, רוּחַ אַפֵּינוּ מְשִׁיחַ יְהוָה נִלְכַּד בִּשְׁחִיתוֹתָם *Sp. n. n. unctus Domini captus est in foveis eorum.* Nota captus est *in foveis*, id est, insidiis, EORUM. Quorum? Eorum utique, de quibus antea vers. 18. 19. qui venati sunt gressus judæorum, ne incederent per plateas, qui insidiati sunt ipsis in montibus & deserto, qui velociores sunt aquilis &c. Non dicit *peccatis*, multo minus, *peccatis nostris*. שְׁחִיתָה est *fovea*, Si dixeris, significare *corruptionem* potius & esse à שחת / non contendam super ea re. Illud mihi saltem dabis, *corruptionem* non violento nimis tropo posse accipi pro fovea vel sepulcro, in quo corrumpuntur facile & putrescunt corpora. Ita שַׁחַת διαφθορὰν *corruptionem* & foveam significat, τὸ שְׁחִיתָה vero & שַׁחַת pro *peccato* aliquando usurpari, prius ostendendum erat.

CAP. V.

Vers. 13. Adolescentibus impudice abusi sunt] Vulgati interpretationem retuli, Ebræa ita habent, בַּחוּרִים טְחוֹן נָשָׂאוּ *juvenes [ad] molendum acceperunt*, sc. Chaldæi, id est, interprete ipso Pinto, Adolescentibus ad molas circumagendas usi sunt. Vide & Vatablum.

Erat quippe illud ut apud Romanos, sic & apud Orientales gravissimum servitutis genus, vide Exod. XI. 5. *usque ad primogenitum* an-

ancillæ quæ post molas. Quod cap. XII, 29. *primogenitus captivi, qui in ergastulo.* Confer & Jes. 47. *Tolle molam, mole farinam.* Qui vulgatam versionem tuentur, conferunt locum Job. 31. 10. *Molat alteri uxor mea, & super ea incurvent se alii.* Adducunt insuper testimonia gentilium, e. g. *aliorum permolere uxores* &c. Sed nego Jobum τὸ *molere* obscoeno sensu usurpasse, ac proinde affirmo * Vulgatum nimis sibi indulsisse quando versit, *Scortum alterius sit uxor mea.* Hoc enim expressit Job ultimo versus hemistichio. Adhæc, Si illud voluisset Job, dixisset, opinor, non תִּטְחַן *molat*, sed תִּטָּחֵן in Nifal, *permolatur*, Cum enim illud viris tribuant obscoeni scriptores, hoc fæminis tribuendum videtur. Quamvis non ignorem, quid ex Aben-Ezra & Merceri additamentis ad thesaurum Pagnini obtendi possit. Vir quidam eruditus ex cujus scriptis me multum profecisse profiteor, hanc Vulgati versionem apud Jobum probare se dicit *ob subjectam materiam & sequens comma.* Sed quod ad subjectam materiam attinet, ei, tam is, quem ex collatione Exod. XI. 5. Jes. 47. colligimus, quam vulgatæ versionis sensus convenit. Imprecatur enim sibi Job hoc capite noxia quæque & ignominiosa & acerba, si illud & illud fecerit. Quid autem potuisset ei evenire acerbius, quam si uxor ab ægro marito avulsa, in pistrinum detrusa & ad serviles vel potius belluinos Labores exantlandos idq; alrius commodo coacta fuisset? Quod ad sequens comma, fateor equidem tralatitium esse in Propheticis & Poëticis scriptis in uno eodemque versu לכפל העניין במלות שונות / duplicare sensum diversis verbis id est, idem bis dicere, sed id ubique fieri nemo opinor asseruerit. Hæc ergo est mens Jobi, *molat alteri* id est alterius commodo, *uxor mea* hoc est, sit alterius abjectissima ancilla, durissimam alteri servitutem serviat, quin & *super ea incurvent se alii*, id est, exposita sit aliorum libidini. Miror autem quid in mentem venerit priscis Ebræis quando locum istum Judicum 16. ubi Samson dicitur moluisse in domo vinctorum sic exposuerunt, quasi *pro sobole robustissimorum virorum hoc in Allophylas mulieres facere compulsus sit*, ut loquitur Hieron. in cap. 47. Jesaiæ. Cujus interpretationis ita meminere R. Sal. & Kimchi ut neutiquam ei suffragii sui assensum præbeant.

* Ut & Lutherum,

Ita Pagninus, Vatablus.

Et ex Ebr. R. Levi.

F I N I S.

SYL-

SYLLABUS
SEV DIATYPOSIS

Eorum quæ duobus posterioribus Anti-barbarorum libris tractantur, cum additionibus quibusdam, quas signis istis [ ] inclusimus. Syllabum eorum, quæ libro 1. tractantur, initio operis invenies.

Nota lector, loca Scripturæ fere ex vulgata versione citari.

LIB. II.

GENESIS.

[pag.

[pag. 255. lin. 5. ubi dicimus, *Solus Emmanuel Sa*, &c. aliud egimus. Salianus tom. I. p. 308. longe plures recenset, vid. Sigonium, Canum, Toletum, Bellarm. Del-Rio. Baradium, Gordonum, Salmeronem, Raderum, Lauretium, Torniellum, Samerium, Riberam, Seb. Veronium. Quibus calculum suum apponit ipse Salianus, non quidem statuens ex textu Ebræo quippiam excidisse, sed Mosi pregnantes fuisse rationes, cur hanc generationem omiserit. Istis oppono Senensem lib. v. annot. 88. Eugubinum Steuchum, Cajetanum, Genebr. Driedonem, Lucidum, Abulensem, Corn. à Lapide, & alios. Et digna lectu sunt quæ de hoc loco Glassius notavit, philologiæ suæ pag. 65.]

XIII. 11. *Profectus est Lot ab oriente.* Liquere ex chorographia, eum orientem versus movisse. Quorundam intempestiva Allegoria. מ pro ל vel אל *ad, versus*, aliquando usurpari. 255.

XIV. 18. *Melchisedek Rex Salem —— Erat enim sacerdos Dei altissimi, &c.* 256.

XVII. 14. *Cujus præputii caro non fuerit circumcisa, &c.* Lxx. Interpretum error. Unde nata durior Augustini sententia de infantibus ante susceptam circumcisionem & Baptismum defunctis. Vera loci interpretatio. 258.

Ibid. *Exscindetur anima ista, &c.* de varia phraseos istius interpretatione. Quid sit כרת apud Thalmudicos. Item התראה præmonitio. De examine testium apud Ebræos. Ubi mors simpliciter nominatur, strangulationem; ubi, *sanguis ejus super eum*, lapidationem intelligi ab Ebræis. De die circumcisionis. Eum ex lege fuisse octavum, etiam si in Sabb. incideret. Ex traditione aliquando etiam fuisse nonum, 10. 11. 12. Ejus rei fundamentum. Circumcisio pellit sabbathum, si incidat in tempus suum, non item, si loco suo mota fuerit. Quid sit dies legalis non est à tempore ad tempus. Alia. 606.

15. *Non vocabis nomen ejus Sarai, sed Sara.* Error Græcorum circa hanc tranominationem. ut & nominis Abram mutationem. Saraceni non à Sara, sed ab Arabico סרק furari, latrocinari. Arabs pro latrone. 260.

XIX. 24. *Pluit DOMINUS à DOMINO.* 293.

XXI. 9. *Cumque vidisset Sara filium Hagar ludentem cum Isaac, &c.* [Lovaniensis Editio Belg. *Ende als Sara den Sone van Hagar heeft sien spelen met haren Sone Isaac.* Nota Belgicum quoque interpretem de puerili lusu locum interpretari] 263.

XXII. 13. *Et ecce arietem, qui detinebatur in virgulto Sabek cornibus suis.* Ineptissimæ veterum quorundam de voce *Sabec* sententiæ. Non satis firmo tibicine illorum sententiam sustentari, qui hinc crucis typum exsculpunt. 264.

XXIII. 3. *Cumque surrexisset Abraham ab officio funeris.* In Ebræo esse, *à facie mortui sui.* Frustra hinc Bellarm. purgatorium probari. 266.

XXIV. 63 *Et egressus erat Isaac τῷ ἀδολεσχῆσαι, &c.* Quid sit ἀδολεσχεῖν in lingua Hellenistica. Quid item sit הגה 267.

XXX. [Lxx. *Vocavit nomen ejus, filius doloris mei. Pater vero vocavit eum Benjamin.* Josephus deceptus ex eo quod Lxx. Ebræum Ben-oni reddiderint *filium doloris mei*, altera voce, Benjamin, retenta, putavit Benjamin interptetari *filium doloris mei.* Crasso certe errore, ex quo & id genus aliis multi non inepte colligunt, eum Græce quam Ebraice doctiorem fuisse. Verba ejus hæc sunt, Πενθήσας δὲ μεγάλως τὸ ἐξ αὐτῆς παιδίον Βενιαμὶν ἐκάλεσε, διὰ τὴν ἐπ' αὐτῷ γενομένην ὀδύνην τῇ μητρί.]

XXXI

XXXI. 13. *Ego sum Deus qui apparui tibi in loco Dei.* 267.
41. *Decepisti mercedem meam decem agnabus.* Ad quem locum insigne supervacaneæ subtilitatis documentum Augustinus dedit. 268.
[pap. 268. dicimus conjecturæ Cl. Drusii videri obstare vers. 41. ubi constanter ἀμνάσι legitur. Expende lector, utrum non & hic μνᾶς invenerint, & ex eo addito ad frontem α, & duabus ultimis transpositis, ἀμνάσι scripserint.]
XXXII. 28. *Israel.* Ineptæ aliquot hujus vocis originationes. Vera & genuina. 269.
XXXIV. 5. *Et audivit Iacob quod temerasset filiam suam Dinam.* Error Procopii ex mendosa lectione textus Græci, Patrem quoque τοῦ Sichem cum Dinâ concubuisse. Pro ista sententia adducuntur & alia loca, quæ explicantur. 170.
XXXVII. 35. *Descendam lugens ad filium meum in infernum*] Vocem *Sheol* indifferentem esse ad sepulcrum & infernum, locis aliquot scripturæ & doctissimorum Pontificiorum authoritate probatur. Lancelotti ineptum criterium hæreticorum Bibliorum. Furor Jesuitæ Del-Rio. אל hic posse accipi pro על *propter*, ut locus ita reddatur, *descendam lugens propter filium meum in sepulcrum.* Confertur locus 2. Sam. 21. 1. [adde 1. Sam. 1. 27. *oravi* אל הנער הזה *propter puerum hunc.* Vulg. *pro puero hoc. Sepelire*, pro, terræ reddere. Sepultura asini. Insepulta sepultura. 271.
XXXVIII. 23. *Habeat sibi, certe mendacii nos arguere non potest.* Thomæ conclusio. 274.
XXXIX. 1. *Phutiphar Eunuchus Pharaonis.* Vide infra ad cap. XLI. 45. Quid sit Ebræum סריס 276.
XLI. 45. *Vocavitque eum Salvatorem mundi.* Lovan. *den Salichmaker der werelt.* Examinatur ea versio. Expenduntur voces peregrinæ, quæ in Ebræo sunt. 274.
Ibid. *Phutiphar.* Alium esse פיטופרע cujus filiam in uxorem duxit Joseph, à פוטיפר cui venditus fuit. Ea nomina confundi à Lxx. & vulgato. Error inde natus & ineptiæ interpretum סריס Eunuchus, & aulicus. Et quare. 276.
XLII. 13. *Duodecim fratres sumus.* 276.
XLVII. 31. *Incurvavit se ad caput lecti.* 277.
XLIX. 9. *Non recedet sceptrum de Iuda, &c.* Eo oraculo non promitti tribui Judæ continuum regnum. Non impletum esse in Herode. Casauboni sententia. Tres gradus interius Reip. Judaicæ. Tres falsæ hypotheses Cl. viri *P. Cunæi* ad hoc oraculum commentatio, quam & reverendus D. *Scultetus* amplexus est. Sceptri majestas penes Judam fuit, etiam cum ex alia tribu homines cum imperio erant. Duo scopi quos Jacobus sibi propositos habuit. עד כי יבא reddendum DONEC VENERIT. Completum ergo vaticinium post adventum Christi. SILOH est SALVATOR, JESUS. SILO & SALVATOR ab eadem radice Ebræa. Minus commode exponi, *Secundinæ ejus.* Porcheti & Galatini curiositas circa vocem Silo Grammaticis Canonibus adversatur. Vox SILO non est corrupta. Montacutii ad hoc oraculum erudita dissertatio. Bulengeri infirmus tibicen, quo vulgatam sententiam sustentat. 278.
[Lubet autem hic inserere quæ eruditissimus juvenis-vir D. JOH. COCCEIUS non ita pridem super hoc vaticinio mecum communicabat. In hac prophetica tria ista, inquit, aperte contineri puto. I. Ante adventum Mes-

Messiæ non recessurum sceptrum à Juda. 2. Quia id ad tribum Juda, seu ad Israëlitas ejus nomine insignitos restringitur, indicari, futurum ut sceptrum illud ante Messiæ adventum recedat à cæteris tribubus. 3. Postquam recessit sceptrum à Juda, infallibile illud signum fuisse Christi non mox nascituri, sed jam nati. Igitur. 1. sceptrum pro populi majestate & regimine politico accipiendum videri, quod Juda ante schisma commune cum cæteris tribubus habuit postea vero separatum. 2. Initium sceptri à constituta Rep. arcessendum. 3. Sub Hasmonæis, Herode, &c. mansisse sceptrum penes Judam. Neque tam spectandum, cujus tribus fuerint, quam cujus populi majestatem repræsentarint. 4. Per hoc oraculum rempublicam Judaicam ante adventum Messiæ non potuisse deleri. 5. De eadem vero post adventum Messiæ mox destruenda nihil dici. Neque enim ex particula DONEC tale quid solide posse colligi, Ideoque frustra eos esse, qui tam anxie de intervallo inter natales Christi & destructionem Reipublicæ disputant. Hæc ille.]

EXODVS.

I.IV. *Mitte quem missurus es.* De hoc loco erudite disseruit Cl. Joh. Tarnovius,
in Exercit. Biblicis. Ubi adversus eos disputat, qui hæc verba sic inter-
pretantur, ac si contineant votum de mittendo in hunc mundum Redem-
tore. Addo locum Augustini Steuchi Eugubini, qui in recognirione ad
hunc locum ita inquit; *Quod autem hoc tribuitur redemptori, dicam certe*
quod sentio, non fieri pie, sed superstitiose. Hoc enim est extorquere divinas
literas. Medium itur tenendum est, & Messiæ tribuenda sunt, quæ ejus sunt,
& quæ aliorum, aliis. Addam propter argumenti similitudinem ejusdem
authoris locum alium, ad Deut. 6. 4. Dominus Deus noster Deus unus
est. *Iam multi*, inquit, *divinarum literarum imperiti ex his locis trinita-*
tem colligunt, ex quibus colligi non potest. Rursum, ubi clarissimè ea divi- Nota bene.
na res exprimitur, nihil ejus in eorum animos penerat. Primum maximè fit
à concionantibus, qui sæpe divinas extorquent literas, dum illud volunt esse
figuram illius, & illud alterius, acciditque, ut oculatis in nos Iudæis ludi-
brio simus. Tenendum utique medium esset, ut quæ figuram præ se ferunt,
figuratè interpretentur: quæ autem in aliud tempus non spectant non eo extor-
queantur: perquirendumque diligenter, ut ubi de Messia dicitur, attentè
cognoscamus: ubi autem nihil ejusmodi prædicitur, non violenter trahamus,
fit enim ex hac causa, ut fœdissimis fabulis divinas inficiamus literas, quam
rem maximè vituperat Gregor. Nazianzenus. Erat enim & apud Græcos ge-
nus hominum, quale nostris, multis ante viguit diebus, qui infinitum quen-
dam figurarum coacervarunt cumulum, eoque utuntur ad ostendendum,
omnia tam maxima, quam minima, fuisse figuris præmonstrata: Ego certè
dicerem id non modo esse stultissimum, sed etiam impiissimum]
IV. 25. *Acutissimam petram.* An per illud figuratum sit, spiritualem circumcisio-
nem fieri debuisse per Christum, de quo dicitur, *Petra a. erat Christus*, 285.
[quomodo & August. qu. 30. in Jos.] VI. 3.

LEVITICVS.

XVIII.

NVMERI.

DEVTERONOMIVM.

SYLLABUS LIB. III.

I O S V A.

IVDICES.

LIBER I.
SAMVELIS.

LIBER II.
SAMVELIS.

LIBER II.
REGVM.

LIBER I.
CHRONICORVM.

Iokim. Versionem vulg. à multis Pontificiis rejici. Carthusiani pertinacia. 410.
[Lubet hic adjicere judicium Jesuitæ Salani, quod extat tomo 2. pag. 770. Quod autem, inquit, de statu solis dicitur, quasi interpretatio nominis propii accipi debet, quod in Ebræo est *Iokim.* Atque ita passim ab Interpretibus accipitur, Abulensi, Vatablo, Emmanuele. Sacrario, qui istum statum, ut Rabbinicam fabulam, explodit, etsi approbent *Carthusianus & Baradius.* Hæc Salianus. Judicium Serarii super hac re extat qu. xv. in Josuam: In Ebræo aut Grèco, inquit, nihil dicitur de eo qui solem stare fecerit. Ut videatur illud de sole à quibusdam in textum illatum; quia cum radix nominis ejus *surgere stareque* significet, cœperunt quærere aliqui, cur à stando id haberet nominis, & eam de sole attulerunt Rabbini, ut sunt ad quidlibet comminiscendum audaces. Id vero cum Christianorum quidam audivissent, in Bibliorum margine notarunt. Et cum interpres noster proprium hoc nomen interpretatus esset, *qui stare fecit*, adjecerunt alii *Solem*: Hæc Serarius in Schola disputavit. At nec ille, nec cæteri quos hic suffragatores habet, id ipsum vel Romanis correctoribus vel Lovaniensibus persuadere valuerunt. Namque illi vocem illam *Solem* retinuere. Hi locum sic interpretati sunt, *Ende die de Sonne heeft doen stille staen, ende de Mannen der logenen, ende de vrye ende ontstekende.*]
XVII. 7. —— *qui est in supernis Dominus Deus.* 403.

LIBER II.
CHRONICORUM.

XXVIII. 20. 21. 22. Insignem locum mutilasse vulgatum Interp. & Lutherum. Stigma quod regi Achaz inurit Spiritus S. Quinque הוא in bonum. Quinque in malum. Ea recensentur. 411.
XXXVI. 8. *Et quod inventum est in eo.* sc. Jehojakim. An stigmata intelligantur. Glossa Belgica. De scriptura stigmatis idololatrica Misna Thalmudica. Simplicior loci interpretatio. 413.

NEHEMIAS.

IX. 7. *Eduxisti me igne Chaldæorum.* In Ebræo esse Ur Chaldæorum. A voce אור esse Latinum *Uro.* Belg. *vuyr.* Persas ignem coluisse. πυρωθεῖα. Fabula de Abrahamo in ignem conject. 414.
[Vide & Fullerum lib. 2. pag. 251.]

JOB.

IOB.

Elo-

PSALMI.

XXV.

sancti angeli possint dici *mali*, ab effectu. Græcæ versionis ambiguitas. Ea deceptum fuisse vulgatum. 512.
LXXXI. 16. *Et fuisset tempus eorum in seculum.* 432.
LXXXII. 1. *Deus stetit in synagoga Deorum.* Quomodo sudet Bellarm. in conciliatione versionis istius cum originario textu. Nomen pro pronomine. Synagoga & Ecclesia synonyma, cœtum tamen fidelium V.T. communiter dici Synagogam. Bellarmini & Catecheseos Tridentinæ impudentia. An fideles V.T. instar pecudum terrena tantum bona spectarint. *Synagoga* & ejus conjugata usurpari etiam de cœtu fidelium N.T. 513.
6. *Ego dixi Dii estis.* Ad magistratum tantum pertinere. Explicatur locus Joh. x. 35. Sermo pro mandato. An Sacerdotes N.T. vocentur Dii. An Constantinus hunc locum bene allegaverit. 515.
LXXXIII. 1. *Deus quis similis erit tibi?* Eam versionem non posse conciliari cum Ebræo. Augustini expositio. 516.
LXXXIV. 7. 8. 9. *Ascensiones in corde suo disposuit, in valle lacrymarum, in loco quem posuit. Etenim benedictionem dabit Legis lator, ibunt de virtute in virtutem.* Eam versionem immane ab Ebræo discrepare. Textus Ebræus explicatur. Examinatur & versio B. Lutheri. An vita nostra vocetur hoc loco *vallis lacrymarum.* An Christiani omnes vocentur DI. 515.
12. *Quia misericordiam & veritatem diligit Dominus.* Nihil tale esse in Ebræo. Ruere ergo expositiones Patrum. Quid spectaverint Interpretes Græci. 519.
LXXXV. 13. *Eruisti animam meam de inferno inferiore.* An de purgatorio, an limbo, an Gehenna agatur. Dissensus interpretum. Nihil obstare vocem *inferiore*, quominus de sepulcro Ebræum שאול exponatur. An diversæ regiones inferni ex hoc loco colligi possint. *Inferi* ab inferendo. Variæ sententiæ, cujus respectu infernus inferior dicatur. 519.
LXXXVII. 4. *Memor ero Raab.* Non meretricem, sed Ægyptum significari. Quomodo duo illa in Ebræa scriptura distinguantur. Error Theop. August. Euthymii. 521.
5. *Nunquid Sion dicet homo, & homo natus est in ea. Et fundavit eam altissimus.* Textus Ebræi sententia breviter explicatur. Posita versio examinatur. Alienæ ejus expositiones. Codices Græcos hodie legere, *mater Sion, dicet homo.* Ejus alienæ rursus expositiones. Quantam caliginem unum illud librariorum sphalma huic loco offuderit. Nostra expositio firmatur authoritate. Emm. Sa, & Genebradi. An ex hoc loco utraque Christi natura demonstrari possit. 521.
LXXXVIII. *An medici suscitabunt?* Nihil tale in Ebræo. Medicos à Thalmudicis inter opifices numerari. Elogium Medicorum. 524.
LXXXIX. 44. *Abbreviasti dies adolescentiæ ejus.* 39. *Tu distulisti Christum tuum.* 48. *Memento quæ mea sit substantia.* 524.
XC. 9. *Consumimus dies nostros sicut* כמו הגה 238. 525. versio vulg. *anni nostri sicut aranea meditabuntur.* Eam cum Ebr. textu conciliari neutiquam posse. 526.
10. *Si autem in potentatibus, octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor.* Examinatur ista versio. Elegantes interpretationes textus Ebræi. Alia. 526.
11. *Quoniam supervenit nobis mansuetudo & corripiemur.* Nec volam nec vestigium istius versionis in Ebr. comparere. 528.

PROVERBIA.

KOHELETH.

CANTICVM.

SIRACH.

SYLLABUS LIB. IV.

IESAIAS.

XVI. 1.

lios punire. Male pro concione de passione Christi ex hoc loco allegari: *Ick hebbe de Wijn-persse alleen ghetreden.* Ibidem. *De gentibus non est vir mecum.* Pinti ineptiæ ad hæc verba de Maria virgine. 703.

5. *Et excandescentia fulcivit me.* 794.

LXIV. 1. *Vtinam dirumperes cælos &c.* Querela quod fontes raro inspiciantur, & quid damni inde eveniat. 705.

6. *Tanquam pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.* Ex hoc loco non probari peccatum originale. Optima regenitorum opera non esse peccata &c. Lutherus in sua versione sibi nimis indulget. Variæ expositiones vocis עִדִּים 705.

LXVI. 7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit masculum.* Hæc de spirituali Ecclesiæ partu intelligenda Pintus & alii. 709.

IEREMIAS.

II. 18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquas Schichor.* Num per Schichor Nilus designatur. 710.

VI. 8. *Ne forte recedat anima mea à te.* 711.

VII. 4. *Templum Domini, &c.* 712.

18. *Vt faciant placentas Reginæ cæli.* Quid per Reginam cæli intelligatur, variæ sententiæ. 712.

XI. 19. Mittamus lignum in panem ejus. Examinantur variæ expositiones, vera datur 713.

XII. 3. *Sanctifica eos in die occisionis.* Lyræ sententia præfertur. Hellenisticæ linguæ proprium, voces græcas ad significationum Ebræarum amplitudinem dilatare & contra & interpretam. Pro interpretamento ponere. 715.

13. κλῆροι αὐτῶν ἐκ ὠφελήσουσιν αὐτοῖς. Rom. lat. cleri illorum non proderunt illis. Non ita in Ebræo. 716.

XVI. 16. *Ecce ego mittam piscatores multos dicit Dominus, piscabuntur eos & post hæc mittam,* &c. A Postillatoribus multis imperitè hic locus citari solet. Verbis istis non promissio sed comminatio continetur. 716.

XVII. 9. *Profundum est cor super omnia, & homo est, quis cognoscet eum;* variæ expositiones proferuntur. Vera ex originario datur. Ex Lutheri versione, mala Belgica. 117.

11. *Perdix fovit quæ non peperit: fecit divitias suas & non in judicio, in dimidio dierum,* &c. Gemina Ellipsis hic notanda venit. Kimchi sententia de perdice. Junii & Tremellii interpretatio præferenda. 718.

XXII. 11. *Hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ.* 721.

XXIII. 5. *Suscitabo Davidi germen justum.* Romanæ edit. versio lat. dissentit ab Ebræo. Ἀνατολὴ inter alias significationes significat germen. 721.

6. *Et hoc est nomen, quo vocabunt eum. Dominus justus noster.* Ita vulg. aliter sonant Ebræa, quibus respondet planè LXX. versio. ל Sæpe pro contra ponitur. 724.

23. *Nunquid Deus è vicino ego sum, dicit Dominus, & non Deus de longe?*

Ita

TRENI.

INDEX

Locorum, quæ ex reliquis veteris fœderis & novi Testamenti libris παρέργως & ex occasione citata & tractata sunt.

ESTER,

JEZECHIEL.

JOEL.

MICHÆAS.

MATTHÆUS.

LUCAS.

JOHANNES.

A C T A.

Ad Romanos.

I. Ad Corinth.

Ad Ephes.

Ad Ebræos.

Iacobi.

I. Petri.

Apocalyps.

F I N I S.

Vt rarissime, Lector benevole, liber absque mendis in lucem prodit; Ita in hac quoq; Parentis mei, ז"ל Antibarbari secunda editione nonnulla & quidem præter opinionem complura irrepsisse observavimus, partim operarum incuriâ, partim nostra subinde absentiâ, partim denique & nostra nonnunquam inter festinandum ἀβλεψία, ut fieri assolet in eis, quorum aut ipsi authores sumus, aut quæ sepius legimus: Quare, ne quid incommodi Lector minus peritus inde capiat inque bivio stet sententiæ, potiora in hanc tabulam conjicere operæpretium duximus. Cætera autem ejusmodi esse confidimus, ut quoque non ὀξύφθαλμος Lector ea facile animadvertere possit.

G. A. φιλέβραιος.

ERRATA

Pag.2, lin.10. מהם והסכימו. P.7.l.13. oppositum. p.19. l.3. contingat S. l.32. non solent. p.23. l. antepen, alii ab aliis hac in quæstione diss. p.38. l.20. lege p.6. pag.64. l.30. prioribus, 66.32. strenue se gess. 67. l. ult. accuratius. 68.5. videtis, 78. l. penult. judicis. 83.11. emendatiorem. 86.25. dele quid. 88.9. postremi sui. 108. l. penult- districtius. 109.13. Episcopi. 24. consueverunt, 113.1. formâ. 23. declarationis, decretorum, voluntatum, prohibitionis & derogationis. 115. l. antepenult. ipsis. 117.3. præstare se posse. 127.9. ne filios. 20. non aliam ad vet. Barb. reducendam, mag. comp. esse viam, quam si. 126.26. in incerto, 132.4. quorum. 133.8. legendum. 145.21. ne Evang. 150.17. Theologiæ. 157.5. post verba, non mihi, hæc omissa sunt: sed magnis illis, quos alibi produxi viris aurem. 177.9. ἐκ. 180. l. penult. idem hic, 202.14. excusatis, 108.6. habenda est. 217.19. פרה. 219.9. aliquando. 232. 22. dele אר. 254.8. à diluvio. 280.31. בִּי. 287.7. veterem. ib. angustis. 256.2. mei angustiæ. 394.13. פעם אחת. 321.19. ex loco. 328.2. אדני. 329.31. בַּאדני. 332.16. lege illa esse vocis Adonai, qui credit eas esse tetragr. 335.8. putabat. 338.7. eloquia. 344.13. Epentheticum. 347.11. הִיה. 353.15. Dum hunc. 356.14. sive prolis. ibid. l. penult. simulac fætus effig. 357.9. κοινήν. 359. l. penult. יְרה. 364.7. in uterum. 372.3. vides. 174.14. ונאמרה. 28. arbor. 375.5. dele יעבור. 379.29. quem locum. 382.28. insueto cursu. 387. l. 4. à fine: in occursum. 391.17. glorietur. 392. in margine, Tacitus 2. Hist. 405. l. ult. post vocem Cardinalis ponatur punctum. 408.13. licita. 28. secundum se. 413.16. impressa vel inscripta. 415. l. ult. succedunt. 416.5. gratificamur. 18. ullum. 451.14. בַּהון. 454.13. authore. 477.29. lege 65. p. 479.27. versatum docuisse. 504.35. paginam faciunt. 36. ex absoluto. 506.7. laborem. 511.15. quendam. 524.30. abjectè- 527.6. וּרְהָבָם. 534 17. הִשְׁתַּחֲוּ. 27. majorem. 32. ad scab. 33. sedens. 552.10. δακτύλων. 556.31. vide indicem. 557.2. lege 422. & 554. P. 560. l. 4. à fine, lege pag. 252. p. 561.6. lege, p. 550. 562.27. lege p. 490. P. 567.3. lege p.6. & p.38. p. 572. l. antepen. וּמוֹצָאוֹתָיו מִקֶּדֶם מִימֵי עוֹלָם. 580.19. literam. 582.15. quâdam. 589.20. deglutit 590. 22. Quin & 593. l. penult. erant. 596.9. myrrhæ. 610.18. post. decreta sunt, hæc insere: quædam lapidatione, quædam combustione. 611 33. post (10.) insere 11.) 621.26. torquent. 628.7. Serarium legisse. 29. דוד. 629.26. libo. 631.25. nos, 635. l. penult. הַמְּהַגִּים. 636. 2. prisci, 643.16. convertit. 653.33. judicio. 663. l. ult. virtutem. 668.2. possitis. 669.30. post mortem. 32 vobis. 677.25. significat. 712. l. antepen. מַלְכַּת. 713. 19. de quibus. 717. l. antepen, fame. 728.32. θανῇ. 736.2. Variç. 740.23. dissectas. 745.27. נְבוּכַדְרֶאצַּר. ibid. לְקֵדָר. 747.11. At hunc locum eo trahere & asserere. 751.5. diminutivum. 7. אִישׁוֹן. 17. בָּבָה. 756 7. vertit. 21. alterius.

In Syllabo. p. 757. l. 3. quæ tribus posterioribus. p. 760. l. 36. interitus. ibidem post vocem hypotheses. ponatur punctum. 761. l. 37. & multis. 762.17. percusserit. 764. l. ult. non immolasse. 766.25. pro (600.) lege 381. p. 767. l. 6. Serario.

FINIS.